# THESAURUS
## ANTIQUITATUM
## SACRARUM.

# THESAURUS
## ANTIQUITATUM
# SACRARUM
### COMPLECTENS
SELECTISSIMA CLARISSIMORUM VIRORUM OPUSCULA,

*IN QUIBUS,*

VETERUM HEBRÆORUM MORES

LEGES, INSTITUTA, RITUS SACRI, ET CIVILES ILLUSTRANTUR:

OPUS

Ad illustrationem utriusque Testamenti, & ad Philologiam sacram, & profanam utilissimum, maximeque necessarium.

## VOLUMEN QUINTUM.

A U T O R E

B L A S I O U G O L I N O.



V E N E T I I S

MDCCXLVI.

Apud Joannem Gabrielem Hertz.

*SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.*

# THESAURUS
## ANTIQUITATUM
## SACRARUM

COMPLECTENS

SELECTISSIMA CLARISSIMORUM VIRORUM OPUSCULA,

IN QUIBUS,

VETERUM HEBRÆORUM MORES

LEGES, INSTITUTA, RITUS SACRI, ET CIVILES ILLUSTRANTUR:

OPUS

Ad illustrationem utriusque Testamenti, & ad Philologiam sacram, & profanam utilissimum, maximeque necessarium.

VOLUMEN QUINTUM.

AUTORE

BLASIO UGOLINO.




VENETIIS

MDCCXLVI.

Apud Joannem Gabrielem Hertz.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.



# CAROLO REZZONICO
*S. R. E.*
# CARDINALI
## EPISCOPO PATAVINO

**BLASIUS UGOLINUS**
**FELICITATEM.**

G*Ratias Tibi ago habeoque maximas & immortales*, EMINENTISSIME PRINCEPS, *quod Antiquitates Sacras tuis Auspiciis tuendas ornandasque susceperis, quæ fuerant ab omni auxilio, atque opibus imparatæ. Quantum illæ Tibi debeant, opti-*

*optime norunt ii, qui videant, plurimum iis ex tua dignitate, & præsidio impertitum esse præsidii, & dignitatis. Permagni mea intererat hæc mea studia tua autoritate confirmari, quam singulari sapientia Tibi jampridem comparasti, ita ut maturius quam per ætatem liceret nullo vel ambitu, vel prehensatione, una virtute duce amplissimis muneribus, & honorificentissimis Summorum Pontificum judiciis, Adolescens dignus esses, & haberere. Cardinalis florentissima adhuc ætate summa bonorum lætitia renunciatus es, qui pro tanta in Te unum collata dignitate, gratulati sibi sunt universi, sperantes fore, ut in posterum in deferendis honoribus unius virtutis ratio tantum haberetur. Episcopatus Patavinus, quem plerique tanti Sacerdotii vel splendore, vel opulentia deperire consuevere, a* BENEDICTO XIV. *Pontificum omnium, quos meminimus, vel sanctitate, vel sapientia optimo maximoque, nec expetenti, nec opinanti oblatus Tibi est. Dici vix potest, allatis nunciis, Te Patavinæ Ecclesiæ Episcopum fuisse designatum, cum summa esset omnium expectatio, qua lætitia, quibus gaudiis universa Civitas exultavit. Tantæ in Te*

Ci-

*Civium pietati & charitati, tua neque pietas neque charitas unquam defuit. Præclara extant ubique munificentiæ tuæ, liberalitatis, innocentię, integritatis monumenta. Utinam quę abs Te laudabiliter summaque cum gloria acta sunt, nobis innotescerent universa! Pleraque enim, quę cum ad rerum dignitatem, tum ad posteritatis memoriam, permagni intererat non ignorari, propter incredibilem tuam modestiam, nos omnino latuere. Illud vero, quamvis omni industria curaveris, ut ab omnibus ignoraretur, latere omnes minime potuit, quod pauperibus omni tempore opes tuæ patuerint, quibus semper abs Te fuere præsidia omnia paratissima. Neque incredibilis illa cura, & providentia, qua Tibi diu noctuque pro salute populi, tanquam in specula, ac vigilia quadam Episcopali, vigilandum excubandumque esse putas, aut obscura est, aut esse potest. Peragrata etiam sæpe Tibi provincia universa, & omnium virtutum exemplis, & prædicationibus, quod præcipuum est munus Episcoporum, illustrata est. Neque hæc tantarum rerum fama aut Urbis mœnibus, aut Provinciæ finibus contineri potuit, sed longe lateque*

*per*

*per universam Italiam pervagata, tantam de Te admirationem excitavit, ut quamvis præclara, & illustria præmia consecutus sis, majora tamen & illustriora Tibi deberi boni omnes putent, & ominentur. Vale.*



BLA-



# BLASIUS UGOLINUS LECTORI.

GEographiam Sacram hoc volumine illuſtratam tibi damus. *Euſebii Onomaſticon* Amanuenſium culpa depravatiſſimum variorum notis data eſt opera, quantum fieri potuit, ut ab omni labe prodiret Emundatum. Utinam *Jo: Lightfooto* ea quæ inceperat, perficere licuiſſet! Palæſtinæ Tabulas ex Veterum Hebræorum monumentis qui eam incoluerunt, emendatiores haberemus. Quod ego certe perfeciſſem, ſi mihi aliquando vacare licuiſſet. Verum neque adhuc licuit, neque in poſterum licere arbitramur. Etenim præter *Siphra*, & *Siphri*, quos in Prodromo promiſimus, etiam *Mechiltha*, & *Peſiktha* latine interpretari aggreſſi ſumus, clariſſimorum Virorum adducti conſilio, qui me ſæpe per literas monuere, ut hiſce quatuor ampliſſimis, atque antiquiſſimis commentariis, quæ Philologiæ Sacræ promtuaria merito ſemper ab omnibus habita ſunt, quatuor libros Moſis, ubi ritus cum ſacri, tum civiles comprehenduntur, illuſtrarem. Præterea illud etiam me vehementer hortati ſunt, ut quoniam pleraque *Toſaphta*, quæ cum *Miſna* ipſa cum antiquitate, tum autoritate conferenda ſunt, notitia vero multarum rerum, quæ in *Miſna* deſiderantur, etiam præferenda, & celeberrimi *Maimonidis* opera latina civitate donanda ſuſceperam, eadem lingua ederem univerſa, quæ incredibile noſtro *Theſauro* ornamentum, & lucem eſſent allatura. Tantorum Virorum ſtudio, & tanti operis dignitati deeſſe nolui. Prodibunt igitur *Mechilta*, *Siphra*, *Siphri*, *Peſiktha*, omnia *Toſaphta* in quinque & quinquaginta circiter tractatus diſtributa, ſexaginta circiter *Maimonidis* Opuſcula, præter ea, quæ latina interpretatione a doctiſſimis Viris edita ſunt, quorum quinque & viginti notis adornavimus;

una

una cum sex dissertationibus de *Templo*, *de vestitu Sacerdotum Hebræorum*, *de Musica veterum Hebræorum*, *de Sacrificiis*, *de Muneribus*, *de Sacrificiis Jugibus*, *& Addititiis R. Abrahami ben David ex Schilthe Haggibborim* excerptis Hebraice, & latine, nunc primum ex Hebraico latine reddita, & commentariis amplissimis illustrata; ita ut major pars hujus *Thesauri* nova, & inedita merito dici, & haberi possit, & debeat.

# INDEX

## *Opusculorum, quæ in hoc volumine continentur.*



ONO-

# ONOMASTICON
## URBIUM ET LOCORUM
# SACRÆ SCRIPTURÆ
## *SEU LIBER*
# DE LOCIS HEBRAICIS,
## GRÆCE PRIMUM
# AB EUSEBIO CÆSARIENSI
Deinde Latine Scriptus
# AB HIERONYMO,

*In commodiorem vero ordinem redactus, variis additamentis auctus, notisque & Tabula Geographica Judææ illustratus.*

OPERA
## JACOBI BONFRERII S. J.

Recensuit & animadversionibus suis auxit
## JOANNES CLERICUS.



# JOANNIS CLERICI PRÆFATIO AD LECTOREM.

NIHIL est quod te, LECTOR, multis detineam, dum de *Eusebio*, *Hieronymoque* ejus interprete, vel de utilitate hujus operis ago. Pleraque omnia, quæ dici poterant, præcepit *Jacobus Bonfrerius*, eaque in sequente ejus præfatione legere poteris. Nonnulla etiam & nos, ante quatuor annos, in *Quæstionibus Hieronymianis*, diximus. Hoc ante omnia scias oportet, editionem hujus operis non fuisse apud me diuturni consilii partum; ad quem exornandum otiose, quæ eam in rem conducere potuissent, conquisiverim. Cum ad finem Sansonianæ Geographiæ Sacræ ferme pervenisset Bibliopola, nec de locis *Eusebii* Hebraicis cogitaret, vir quidam eruditus hominem monuit de libello *Hieronymi*, cui præfixa est eadem inscriptio, & quem ad calcem *Sansonis* edi posse censebat. Bibliopola rem ad me retulit, intellexitque a me, satius fore, si ederet *Eusebium* cum *Hieronymo*, adderetque supplementa & notas *Jacobi Bonfrerii Jesuitæ*; de quo Opere dixeram in *Sansonis* præfatione. Cum illi ergo Onomasticon *Bonfrerii* ostendissem, & per aliquot dies deliberasset, hanc Editionem aggressurum esse se dixit; præsertim cum nimis tenuem esse crassitiem Sansoniani Operis, pro amplitudine voluminis, videret. Tum vero me rogavit an vellem aliquid ad ornatum ejus operis conferre. Ego quidem, aliis quippe occupatus, multa polliceri non potui, nec plane operam meam negare sustinui.

Sciebam Editionem Bonfrerianam satis mendosam esse, cum in *Hieronymi*, tum in *Eusebii* verbis; quippe quam multis locis, prout usus postulaverat, cum Editione Operum Hieronymi Lutetiæ a *Joan. Martianæo*, Monacho Benedictino, anno MDCXC. inchoata contuleram. Multa deprehenderam peccata, quæ videbantur Typographorum inscitiæ esse tribuenda; multa etiam, quæ *Bonfrerii* ipsius, aut qui editionem ejus operis curavit, negligentiam redolebant. Judicabam ergo operæ pretium fore, si a capite ad calcem editiones illæ conferrentur, atque ex posteriore supplerentur, aut emendarentur quæ deerant, aut vitiata erant in priore. Benedictinus enim Monachus, quamvis aliud exemplar Græcum nancisci non potuerit, præter id, quod est in Bibliotheca Regia Parisiensi, quo usus jam erat *Bonfrerius*, tamen id cum editione diligentius contulit, peccataque *Bonfrerii* ac Typothetæ varia emendavit. Præterea multis Codicibus Manuscriptis *Hieronymi*, quibus Jesuita caruerat, instructus fuit, quorum ope non pauca apud *Hieronymum* sunt restituta. Hæc candide & aperte profiteri hic volui, quamvis Monachus ille, licet nulla re lacessitus, graviter famam

meam lædere conatus sit, in notis ad primum & secundum volumen *Hieronymi*; nam tertium nondum vidi, quamvis editum Lutetiæ dicatur. Me & mea defendi, prout visum est, in *Quæstionibus* meis *Hieronymianis*, dixique quid de eo sentirem. Vituperavi quæ improbabam, laudavi quæ laudabilia censebam, uti nunc facio; quamvis probe norim similem candorem me ab Adversario exspectare non posse, si ex præteritis de eo quod futurum est judicium ferre queam. Sed culpa hæc illius erit, non mea; nec me excusatiorem redderent quæ faciet, aut fecit, si ab æquitatis ac humanitatis norma recederem. Mihi, non illi, sapere me oportet, & meorum me rationem reddere Deo & hominibus; non ejus delictorum, de quibus ipse viderit.

Verum ut hæc omittam, collationem utriusque Editionis diligentem institui, & in Bonfreriana quidem flagitiosas omissiones multorum versuum aliquando deprehendi. Exemplum insigne est in voce *Galgala*, ubi finis ejus articuli in Græcis & Latinis erat omissus; cum *Bonfrerii*, tum Typothetæ, ut videtur, culpa. Vide & *Jericho*, *Magdolus*, *Petra*, *Rama*, *Saalim* &c. Dum autem hanc collationem instituo, cum nihil aliud a me præstari debere censerem; paullatim animadverti necesse esse ut notulas nonnullas adderem, ad notanda loca, quæ ex nupera editione erant emendata, ad monenda varia in *Eusebium* & *Hieronymum*, quæ indigna scitu non videbantur, ac denique ad rationem reddendam omnium, quæ hic in meliorem formam fuerunt redacta. Itaque notas illas scribere cœpi, in quibus brevitati verborum, quam maxime potui, studui. Eas plerumque ad calcem singularum paginarum, post Bonfrerianas, invenies; quia cum vir eruditus suas in *Hieronymum* scripserit, pleræque meæ sunt in *Eusebii* Græca verba, quæ mediam columnam occupant, cum Hieronymiana sint in prima.

In iis notis, quædam non in *Bonfrerio* tantum & *Martianæo*, notavimus, sed & in Cæsariensi Episcopo, ac in Bethlehemita Monacho; eodem jure quo usus est ante nos Jesuita doctissimus, qui in notis suis passim ostendit utrumque a veritate diversum abiisse. Quamvis *Eusebio* & *Hieronymo* gratias habere & agere debeamus, ob utilissimum laborem, posteritatis causa susceptum; eorum tamen auctoritati, existimationique veritatem præferri a *Bonfrerio* & a me necesse fuit. Magni viros illos facimus, propter vera plurima, quæ nos docuerunt; non veritatem amamus propter illos, quæ omnibus rebus est per se anteferenda. Ignoscere quidem eorum delictis nos æquum est, quod libenter facimus; sed non adsentiri, aut fucum incrustare, ne erraße videantur homines errori obnoxii. Eadem de causa, adsensum præbui *Bonfrerio* & *Martianæo*, cum vera dicere videbantur, & ab eorum sententia libere abii: cum non erat consentanea vero, certe me judice. Ceteroqui multum abest ut omnia notaverim quæ in utroque non placebant, neque enim de locis ipsis Terræ Sanctæ, variisque Eruditorum sententiis de eorum situ, agere hic constitueram, sed tantum *Eusebium* & *Hieronymum*, quam emendatissimos dare. Dum autem hisce incumberem, jamque Editio inchoata esset, intellexi latere alicubi *Eusebii* Græcum Exemplar in Anglia, cum id citet *Eduardus Bernardus*, vir doctissimus, in notis ad *Josephum*. Si hoc citius rescivissem, conatus essem ejus Codicis collationem nancisci. Sed jam serum erat. Itaque hoc a viro quopiam erudito, & otio abundante, quales non desunt in Anglicanis Academiis, exspectabimus.

Præterea monere nos necesse est nonnihil a nobis mutatum esse ordinem Bonfrerianum. Nam sola additamenta viri docti, longioribus versibus descripta, ut facile distingui queant, intertexta *Eusebio* & *Hieronymo* reliquimus; sed notas in *Hieronymum* singulis paginis subjecimus, quæ dispositio commodior & elegantior multo est, quam ea quæ fuit Bonfrerianæ Editionis. Speramus etiam omnia non solum elegantius sed & accuratius edita esse compertum iri; nam in hac urbe non editur hoc opus, nec specimina ejus ulla vidimus, nec jam edita legere vacabat, gravioribus impeditis. Ad calcem addidimus etiam, monitu viri reverendi, descriptionem Terræ Sanctæ *Brocardi* Monachi, de qua in Præfatione ad *Sansonem* diximus. Desumta est ex *Novo Orbe Simonis Grynæi*, edito olim Basileæ anno MDLV. quem idem vir eruditus ex sua Bibliotheca suppeditavit. Hæc erant, quæ monenda hic putabam. Vale, LECTOR, & laboribus nostris fave.

*Dabam Amstelodami Idibus Juniis anni MDCCIV.*

PRÆ-



# PRÆFATIO JACOBI BONFRERII.

QUANTOPERE ad historiæ cum sacræ, tum profanæ intelligentiam conferat topographiæ, locorumque situs cognitio, quantum ad rerum lectarum memoriam animo insigendam momentum habeat, nemo nisi inexpertus, & in re historica hospes ac peregrinus negaverit. Quocirca cum toties recurrant in sacris libris locorum, urbiumque nomina, quorum nisi notitia aliqua habeatur, necesse sit confusam rerum intelligentiam in animo generari, operæ pretium judicavi librum de locis Hebraicis, seu *Eusebii*, seu *Hieronymi* vocare velis, in quo sunt multa scitu utilia, & literarum sacrarum studioso futura non injucunda, in commodiorem ordinem redactum, edere.

Est autem hic liber primo ab *Eusebio* Cæsariensi Græce scriptus: ut ipsemet *Hieronymus* in libri hujus procemio testatur, quem *Hieronymus* in eorum gratiam, qui sacrarum literarum studio delectantur, in Latinam linguam sibi vertendum esse putavit: eum autem ita vertit, ut tamen de suo non pauca addiderit, nonnulla immutarit, quædam perperam dicta correxerit, ut vel in procemio ipse de se fatetur, vel ex libri hujus decursu colligi potest; cui utpote acerrimi judicii viro, & regionum illarum locorumque spectatori, immo annis pluribus in iisdem versato, magna fides haberi potest: ut plurimum tamen *Hieronymus* interpretis officio fungi se profitetur. Forte *Hieronymus* initio aliis characteribus sua adscripserat, vel asterisco notaverat, quæ postea, ut in hujusmodi sæpe accidit, in unum corpus cum *Eusebii* verbis confluxerunt. Fuit quidem & ipse *Eusebius* in Palæstina diu versatus, utpote Cæsareæ Palæstinæ Episcopus; multa tamen argumenta sunt, quæ suadent *Eusebium* non eam fuisse nactum urbium locorumque notitiam, quam habuit *Hieronymus*. Fatendum nihilominus est non pauca in hoc libro desiderari potuisse, quæ *Hieronymus* vel aliis distentus occupationibus perficere non potuit, vel ei certe non libuit: igitur & nos operi huic nuperrime manum apponentes studuimus in ea re opellam aliquam ponere, ut liber hic, qui alioqui videbatur implicatior, & propter confusum nominum propriorum ordinem multis futurus inutilis, quos videlicet difficultas quærendi inveniendique loca, quæ investigaturi erant, ab ejus usu, lectioneque averteret, omnibus divinarum literarum, sacræque topographiæ studiosis usui esse posset.

Quæ autem in hac re præstiterimus paucis indicabo. In primis enim etsi nomina singula ab *Eusebio* & *Hieronymo* ad suam initialem, ut vocant, literam sint revocata, ut puta omnia, quæ ab A incipiunt, in unum sint congesta, tamen quia & hic sine ordine collocata erant, quibus eadem initio litera erat (quæ res loca annotata invenire volentibus & operæ & temporis dispendium non sine tædio pariebat)

bat ) omnia ita ordine digessimus, ut extemplo quis nulla difficultate in ipsam quam investigaturus est vocem incurrat.

Secundo, quia urbium locorumque nomina sunt hic e Septuaginta Interpretum versione desumta, quæ sæpe non parum diversa sunt ab iis, quæ in nostra versione cernuntur, addidimus quomodo ea in versione nostra appellentur; ac deinde locorum nomina e versione nostra depromta ad suas quoque initiales literas, & loca transtulimus, ne, si ibi minime quis reperiret, libri hujus usu & fructu fraudaretur. Nominum autem horum propriorum in nostra & Septuaginta Interpretum versione diversitas vel ex vocalium diversitate, vel ex alicujus literulæ additione, vel detractione, vel literarum transpositione, vel nonnulla vocum corruptione, vel alia simili nata est; ut qui hujus diversitatis principia, causasque ignoraverit, necesse sit eum in pluribus vocibus hærere.

Tertio, quia de his iisdem locis sæpe data occasione in commentariis nostris egimus, vel etiam postmodum fusius acturi sumus, in quibus nonnulla scitu digna esse possunt, loca Scripturæ indicamus, in quibus de iisdem terræ sanctæ locis & urbibus vel egimus, vel postea acturi sumus.

Quarto, addimus subinde non pauca ad ea, quæ vel *Eusebius* vel *Hieronymus* dixerunt, quæ rem magis illustrent, propterea quod sæpe vel nimis paucis verbis, vel obscurioribus rem qua de agitur, sint persecuti: ubi autem nos alibi in commentariis eadem attigimus, satis nobis fuit locum indicare unde quis possit petere, ne actum ageremus.

Quinto, si quid subinde contrarium sentimus iis, quæ ab *Eusebio*, vel *Hieronymo* dicuntur, gravibus ducti rationibus ( quamquam ista minus solide dicta fere *Eusebii*, non *Hieronymi* esse vel suspicamur, vel ex aliis *Hieronymi* locis deprehendimus ) & hoc ipsum annotamus, addita ratione quæ nos moveat a tantorum virorum auctoritate recedere.

Sexto, multa adjecimus urbium nomina, quæ in hoc libro expressa non sunt, ut nihil fere, quod ad hanc topographiam, vel locorum sacræ Scripturæ intelligentiam desiderari possit, omiserimus; atque adeo possit hic liber, uti a nobis est editus, censeri universa Sacræ Scripturæ loca esse complexus.

Postremo, quædam loca etiam addidimus, quorum nulla fit in Scriptura sacra mentio, sed quia ab *Eusebio* hic, vel *Hieronymo* potius indicantur, sumta ab iis tamquam urbibus suo tempore illustrioribus aliorum locorum distantia, ne qua Lectori pariatur remora, ea quoque paucis declarare voluimus, vel loca indicare unde peti possint.

Antequam vero ad rem accingamur, de nonnullis monendus est Lector. Unum est, locorum, urbiumque nomina plurima in versione Septuaginta Interpretum esse corrupta, quæ & in hunc librum cum eadem corruptione, vel alia simili sunt translata. Nonnulla item hic cerni corrupta, quæ in versione Septuaginta Interpretum, saltem codicibus nonnullis, incorrupta apparent.

Alterum est, in horum nominum propriorum vocabulis nusquam apud Septuaginta Interpretes tantam cerni corruptionem, quam in codice Romano, in quo raro videas hæc sincere incorrupteque expressa, atque adeo in hac re multo majorem aliis codicibus fidem esse habendam, ut ex eorum nominum cum nostra versione, Hebraicaque lectione, collatione constare potest.

Tertium, plura esse urbium nomina, de quibus non semel, sed sæpius eodem hoc libro fiat mentio, sive nulla in voce facta mutatione, sive vocis quapiam immutatione. Accidit autem hæc vocum mutatio, sive ratione diversorum codicum, qui idem loci nomen proprium non eodem modo exhibebant, sive quia in diversis Scripturæ locis aliter & aliter idem nomen proprium Septuaginta Interpretes expresserant; quod etiam in nostra versione habet locum, ut BAALMEON & BEELMEON, ADAR & HEDER, & alia istiusmodi plura.

Quartum est, *Hieronymum* ita secutum esse literarum alphabethi ordinem, in hisce nominibus ordine collocandis, ut alphabetho Latino eum adaptaverit, quem *Eusebius* Græco accommodaverat. Hinc *Hieronymus* quæ X Græcum pro initiali litera habebant, ad C Latinum retulit; quæ a Φ incipiebant, ad F revocavit, quæ H initio habebant, in A vel E conjecit: nonnulla quæ quasi appellative versa sunt, ut AGER FULLONIS, PUTEUS JURAMENTI, PUTEUS VISIONIS, &c. ad suas quæque literas referre studuit. Præterea illud animadvertendum, *Hieronymum* in hoc libro nullum loci, urbisve nomen habere, quod ab H incipiat ( si tamen unum alterumve excipias per H initio expressum, sed quæ inter nomina a vocalibus incipientia ab *Hieronymo* referuntur;

nos

nos ad H literam revocavimus : ) cum enim Græci careant adſpiratione , quæ literæ vice fungatur , omnia nomina quæ ab H in verſione noſtra incipiunt ( quæ numero ſunt plurima ) ad ſuas vocales ab *Euſebio* relata ſunt , quem & in hac re *Hieronymus* ſublata fere adſpiratione , ſecutus eſt . Sunt & plura nomina in verſione noſtra , quæ H initialem literam habent , in Hebræo vero per ח , apud Interpretes Septuaginta per X ſcribuntur , quæ ob id *Hieronymus* ad C literam hic retulit ; ſed ne quam in hac re remoram ſacrarum literarum ſtudioſi patiantur, de ſingulis ad H literam monebo . Denique illud Lectorem admonendum duxi , ea quæ *Hieronymi* vel *Euſebii* ſunt , certo proprioque charactere eſſe expreſſa ; quæ vero mea ſunt, diſtinctis characteribus excuſa fuiſſe.

Hactenus mihi cum ſolo *Hieronymo* res fuerat , cum nulla mihi ſpes eſſet nanciſcendi Græcum de locis Hebraicis *Euſebium* ; ſed ecce præter ſpem omnem, cum Lutetiam Pariſiorum me contuliſſem , in manus incurrit Græcus manuſcriptus *Euſebius* e Bibliotheca Pariſienſi Regia : hunc excerpendum nactus nova cepi conſilia , & cum *Euſebio* novæ ſucceſſerunt curæ , novi labores . Placuit itaque hunc ſeu Græcum , ſeu Latine redditum *Hieronymo* , meiſque annotationibus conjungere , ne qua in re operam noſtram benignus Lector deſideraret : qua ex re illud imprimis commodi accedet , quod non difficile erit quæ *Hieronymi* ſint , quæ *Euſebii* internoſcere , quidque *Hieronymus* ad *Euſebii* lucubrationes addiderit . Addidit equidem *Hieronymus* aliqua non tantum ad *Euſebii* ſententiam , ſed etiam quædam locorum nomina propria, quæ in *Euſebio* non cernuntur; quamquam & nonnulla ſuſpicio eſſe poſſit, eorum nonnulla ex *Euſebio* excidiſſe : viciſſim vero paucula locorum nomina propria cernuntur in *Euſebio* , quæ *Hieronymus* non expreſſit , quæ ab *Hieronymo* ſuppreſſa vel neglecta cenſeri poſſint.

De hoc manuſcripto *Euſebio* addenda hic mihi paucula , de quibus Lector præmoneri debeat . Atque illud imprimis, iſtum manuſcriptum *Euſebium* mendis quam plurimis ſcatere , præſertim vero in exprimendis locorum nominibus propriis, quæ ita vitioſe non raro efferuntur , ut ægre cum iis vocibus , quæ apud *Hieronymum* ſunt , affinitatem cernas : ea tamen fere cum ea corruptela relinquere malui , quam in illo reperi , ne viderer non tam *Euſebium* , quam conjecturas meas & animi figmenta tibi tradidiſſe . Neque id moleſtum erit , aut Lectori incommodum , quandoquidem ex iis , quæ apud *Hieronymum* leguntur , vel meis additamentis liquido fere conſtare poſſit , quomodo voces illæ emendari debeant . Poſſet tamen nonnullis hic oriri ſcrupulus, quanam ratione in tanta nominum corruptione potuerim *Euſebii* voces cum *Hieronymi* vocibus componere , & ordine digerere . At ſcrupulum hunc ita eximo , me judicio & bona ratione ea inter ſe compoſuiſſe , & ſingulis ſingulas adaptaſſe : etſi enim ſubinde magna nominum propriorum apud *Euſebium* corruptela ſit , ſunt tamen aliqua , quæ nobis aditum aperuerunt ad hæc apte diſtribuenda . Primo , enim ut plurimum aliqua eſt apud *Euſebium* & *Hieronymum* vocum affinitas . Deinde , idem fere ubique apud *Euſebium* ordo propriorum nominum cernitur , qui eſt apud *Hieronymum* ; ut non difficile fuerit ex hiſce duobus capitibus aliquid de ea re certi conſtituere . Tertio , ex iis , quæ uterque de locis dicit , notiſque , quibus locus unus ab altero diſtingui ſolet , via nobis aperitur ( etiam ubi priora illa deeſſent. ) nomina illa apte inter ſe digerendi : cum enim ab utroque eadem de loco aliquo adferri videmus , quis dubitare poſſit utrique de uno , eodemque loco ſermonem eſſe , etſi admodum diverſe apud utrumque loci nomen exprimatur ? Quod ad cætera menda attinet , ſubinde , ut ſenſus, veritas ſententiæ, vel ſyntaxis conſtaret, adjuvari debuit *Euſebius* , & nonnulla medicina adferri, addita , detracta , vel mutata identidem una literula , vel vocula , neque aperti errores relinquendi fuerunt , ſuggerente præſertim emendationem *Hieronymo* : quamquam ſubinde nonnulla ad marginem annotatione maluimus rem hanc conficere.

His tamen & illud addo , nonnunquam apud *Euſebium* ſincerius , & incorruptius nomina locorum propria efferri , quam apud *Hieronymum* , & ex *Euſebio* poſſe *Hieronymum* aliquando emendari ; quod quando uſuveniat , non difficile erit ex iis , quæ nos de mendis nominum apud *Hieronymum* adferimus , colligere . Illud etiam admonendum duxi, nonnulla apud *Euſebium* nomina locorum cerni , quæ in *Hieronymo* deſunt ; ſed hæc admodum pauca ſunt . Item apud *Euſebium* nomina quædam locorum propria ſuppreſſa fuiſſe , quæ ex *Hieronymo* reſtituenda fuerunt.

Porro, ne qua naſceretur confuſio , judicavi omnia hæc ita eſſe digerenda , ut tres ordines & columnas inſtituerem ; unam, in qua *Hieronymi* verba adferuntur; alteram,

teram, in qua *Eusebius* Græce exprimitur: postremam, quæ Latinè *Eusebium* redderet. Porro, sicubi solus cæteris tacentibus proloquor, totam paginam quam lata est occupo, subductis lineis, & columellis, cæteris intercisis: siquando vero *Eusebio* silente *Hieronymus* loquitur, vel *Eusebius* tacente *Hieronymo*, ego cum ipso totam pagellæ latitudinem juxta modum dicendorum partior. ( Imæ denique paginæ subjectæ sunt in hac Editione animadversiones in Hieronymum. ) In quibus omnibus hoc unicum nobis constitutum fuit, ut divinæ gloriæ pro modulo nostro serviremus, & lucem aliquam Scripturæ Sacræ studiosis adferremus; quem nostrum laborem, amice Lector, æqui bonique consule, eoque, si fructuosum, utilemque tibi judicaveris, arbitratu tuo utere. VALE.



ONO-

# ONOMASTICON
## URBIUM ET LOCORUM
## SACRÆ SCRIPTURÆ
### *SEU*
## LIBER DE LOCIS HEBRAICIS
### AB EUSEBIO GRÆCE PRIMUM,
### DEINDE AB HIERONYMO LATINE SCRIPTUS.

## *DIVI*
## HIERONYMI EUSEBII
### In loca Hebraica.

### PROŒMIUM.

EUSEBIUS, qui a beato Pamphilo martyre cognomentum sortitus est, post decem Ecclesiasticæ Historiæ libros, post temporum canones, quos nos Latina lingua edidimus, post diversarum vocabula nationum, quæ quomodo apud Hebræos olim dicta sint, & nunc dicantur, exposuit; post [1] topographiam terræ Judææ, & distinctas tribuum sortes; ipsius quoque Hierusalem, templique in ea cum brevissima expositione picturam, ad extremum in hoc opusculo laboravit, ut congregaret nobis de sancta Scriptura omnium pene urbium, montium, fluminum, viculorum & diversorum locorum vocabula: quæ vel eadem manent, vel immutata sunt postea, vel aliqua ex parte corrupta. Unde & nos admirabilis viri sequentes studium, secundum ordinem literarum, ut sunt in Græco posita, transtulimus, relinquentes ea quæ digna memoria non videntur, & pleraque mutantes. Semel enim in temporum libro præfatus sum, me vel interpretem esse, vel novi operis conditorem, maxime cum quidam, vir primis imbutus literis, hunc eundem librum ausus sit in Latinam linguam non Latine vertere: cujus imperitiam ex comparatione eorum, quæ transtulimus, prudens statim lector inveniet; ut enim excelsa mihi non vindico, ita terræ [2] inhærentia me supergredi posse credo.

[1] Ed. Parisina habet *Chorographiam*, monetque nonnullos Codd. MSS. habere *Cosmographiam*, alios *Orthographiam*. CLERICUS.
[2] Parisina Ed. habet *coherentia*, quamvis agnoscat hanc quoque lectionem esse in aliis Codd. MSS. IDEM.

# ΕΥΣΕΒΙΟΥ ΤΟΥ ΠΑΜΦΙΛΟΥ

Ἐπισκόπου Καισαρείας τῆς Παλαιστίνης, περὶ τῶν τοπικῶν ὀνομάτων ἐν τῇ θείᾳ γραφῇ.

ΩΣΠΕΡ ἐν προοιμίῳ τῆς ὑπὸ σοῦ προτεθείσης ὑποθέσεως, ἱερὲ τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπε Παυλῖνε, ἐν τῷ πρὸ τούτου τὰς ἐπηγγελμένας ὑποθέσεις ἀποδοὺς· καὶ πρῶτα μὲν τῶν ἀνὰ τὴν οἰκουμένην ἐθνῶν ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα φωνὴν μεταβαλὼν τὰς ἐν τῇ θείᾳ γραφῇ κειμένας Ἑβραίοις ὀνόμασι προσρήσεις· ἔπειτα τῆς πάλαι Ἰουδαίας ἀπὸ πάσης βίβλου καταγραφὴν πεποιημένος, καὶ τὰς ἐν αὐτῇ τῶν δώδεκα φυλῶν [1] διελὼν κλήρους· καὶ ἐπὶ τούτοις ὡς [2] ἐν γραφαῖς τύπῳ τῆς πάλαι διαβοήτου μητροπόλεως αὐτῆς, λέγω δὴ τὴν Ἱερουσαλὴμ, τοῦ τε ἐν αὐτῇ ἱεροῦ τὴν εἰκόνα διαχαράξας μετὰ παραθέσεως τῶν εἰς τοὺς τόπους ὑπομνημάτων, [3] ἐξ ἧς ἐν τούτῳ καὶ ἀκολούθως ἐκείνοις, ὡς ἂν εἰς τὸ χρήσιμον τῆς ὅλης ὑποθέσεως ἐπισυνάψω πρόθεσιν τῶν ἐπὶ θείᾳ φερομένων γραφῇ πατρίῳ γλώττῃ πόλεων καὶ κωμῶν [4] τὰς σημασίας, ποίας τε χώρας εἶεν, καὶ ὅπως αὐτὰς οἱ καθ' ἡμᾶς ὀνομάζουσιν, εἴτε τοῖς παλαιοῖς ὁμοίως, εἴτε καὶ ἑτέρως μεταβάλλονται, ἐκθέμενος· Ἀπὸ πάσης μὲν τῆς θεοπνεύστου γραφῆς ἀναλέξω τὰ ζητούμενα, ἐκθήσομαι δὲ κατὰ στοιχεῖον ἕκαστα, εἰς εὐχερῆ κατάληψιν τῶν σποράδην ἐν τοῖς ἀναγνώσμασιν ὑποπιπτόντων.

# EUSEBII PAMPHILI

Episcopi Cæsareæ, de nominibus locorum Divinæ Scripturæ.

QUemadmodum in prœmio ejus argumenti quod a te, divinissime Pauline, propositum est in præcedenti tractatu redditis & expositis quas promiseram quæstionibus, ac primum quidem translatis variarum orbis nationum in Græcam linguam iis vocibus & appellationibus quæ Hebraicis nominibus exstant in Divina Scriptura: deinde ex quolibet libro facta veteris Judææ delineatione, ac divisis quæ in eo sunt duodecim tribuum sortibus: Atque in hoc ut in Scripturis (expressa) figura celeberrimæ quondam ejus metropolis, Jerusalem, inquam, & illius quod in ea fuit templi insculpta imagine, una cum additione commentariorum in locos, ex qua interea & illis consentanee, velut in totius argumenti commodum & compendium attexam propositionem earum quæ in Divina Scriptura (habentur) lingua patria urbium & vicorum significationes, exponens cujus eæ regionis ac loci sint, quomodo eas nostri nominent, seu consentanee priscis, seu aliter transferantur. Ex universa quidem a Deo inspirata Scriptura seligam ea quæ quæruntur: singula item exponam ordine Alphabethi, ut facile ea comprehendantur, quæ sparsim inter legendum incidunt.

[1] Codex Regius, ut notatur in Edit. Parisina habet διαιρῶν, quod mutari necesse non erat. CLERICUS.
[2] Suspicor legendum ἐν γραφῆς τύπῳ, *in picturæ delineatione*. Vide *Hieronymi* Procemium. IDEM.
[3] Melius legit Parisinus editor ἑξῆς, *ordine*, *consequenter*. Sensus est, post ea quæ in aliis Operibus præstiti, ἑξῆς ἐν τούτῳ, *ordine in hoc & consequenter*, &c. IDEM.
[4] Σημασίαι sunt hic *appellationes* seu *nomina*, *non significationes*. IDEM.

ONO-



# ONOMASTICON URBIUM ET LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ.

A

### S. HIERONYM.

A ABAOTH *in Hieremia, pro quo in Hebræo legitur* [1] *Luit*.

[2] *AARED, fons apud quem Gedeon castrametatus est*.

[3] *AASER in tribu Juda: appellatur autem & nunc vicus prægrandis pergentibus Ascalonem de Azoto*.

[4] *ABANA, fluvius Damasci*.

[5] *ABARIM, mons in quo mortuus est Moyses. Dicitur autem & mons esse Nabau in terra Moab contra Hiericho, supra Jordanem, in supercilio Phasga. Ostenditur-*

### ΕΥ͗ΣΕ΄ΒΙΟΣ.

Α'λὼθ, ἐν Ἱερεμίᾳ.

Α'ρὲδ, πηγὴ ἔνθα παρενέβαλε Γεδεών.

Α'ΣΕ'Ρ, φυλῆς Ἰούδα· καλεῖται δὲ καὶ νῦν Α'σὲρ κώμη μεγίστη ἀπιόντων ἀπὸ Α'ζώτε εἰς Α'σκαλῶνα.

Α'ΒΕΝΑ', ποταμὸς Δαμασκοῦ.

Α'ΒΑΡΕΙ'Μ, ὄρος ἐν ᾧ Μωϋσῆς ἐτελεύτα· λέγεται δὲ εἶναι ὄρος [6] Ναβὼ, καὶ ἔστιν ἡ γῆ Μωὰβ ἀντικρὺ Ἱεριχὼ ὑπὲρ τὸν Ἰορδάνην, ἐπὶ κορυφὴν Φασγώ· καὶ δείκνυται ἀνιόντων

### EUSEBIUS.

ALOTH, in Hieremia.

ARED, fons ubi castrametatus est Gedeon.

ASER, tribus Juda: porro nominatur etiam nunc Aser vicus maximus abeuntibus Azoto Ascalonem.

ABENA, fluvius Damasci.

ABARIM, mons in quo Moises mortuus est. Porro dicitur esse mons Naban, & est terra Moab a regione Hiericho supra Jordanem in vertice Phasgo: & ostenditur

---

## NOTÆ.

[1] *Luit* etiam in versione nostra appellatur, Isaiæ 15. v. 5. & Hierem. 48. v. 5. immo & apud Septuaginta Interp. Isaiæ 15. In nullis Codicibus apud Septuaginta nunc legimus Aabaoth, sed ἀλώθ, ἀλὼθ vel ἀλαώθ, idque cum Hebraica voce לוחית *luchith*, & ה præposito הלוחית *halluchith*, magis congruit quam Aabaoth; quæ vox apud Hieronymum hic videtur corrupta, ut ex Alaoth sit facta Aabaoth. Est autem Luit urbs apud Moabitas. Hieronym. & Beda *Luith* maxillam interpretantur. BONFRERIUS.

[2] ARAD vel ARED exhibent nunc Codices Septuag. Interpr. In nostra versione Judic. 7. v. 1. dicitur *Harad*, a formidine sic dictus, prout nos ejus nominis rationem ad eum locum reddidimus. IDEM.

[3] AASAR vocat Adrichomius. Nusquam id nomen in Scriptura apparet, ne in versione quidem Septuag. Interpretum. Legimus quidem *Assar* in Romano Codice, Jos. 15. v. 10. pro eo quod in versione nostra est *Seir*; verum id non urbis, sed montis nomen est in terminis Aquilonaribus tribus Judæ. IDEM.

[4] Hujus meminit 4. Reg. liber c. 5. v. 12. Aliqui *Amana* vocant, & ita aliqui legunt in Hebræo, quomodo & Chaldæus ibi Paraphrastes habet, & Regius Codex Septuag. Interpr. cum ceteri Codices *Abana* habeant. Fit mentio etiam *Amana* Cantic. 4. v. 8. ubi & Chaldæus Paraphrastes *Amana* fluvium facit; at ex adjunctis & circumstantiis satis liquet *Amana* Cant. 4. montis nomen esse: quem non alium esse arbitror ab eo qui non procul Libano distat, quem profani auctores *Amanum* vocant, Ciliciamque a Syria disterminat, & ad Euphratem usque fluvium procurrit, estque pars Tauri montis. *Abana* significare potest lapideum, forte quod limpidus esset fluvius, & in ejus fundo lapides apparerent. IDEM.

[5] De Abarim, Nabo, Phasga, deque nominis *Abarim* significatione dictum a nobis est Num. 27. v. 12. Libias & Esbus, quarum hic Hieron. meminit, duæ sunt urbes trans Jordanem; & prior quidem recentioris ævi est, utpote ab Herode in honorem Liviæ matris Tiberii Cæsaris exstructa, ut testatur Eusebius in Chronico. *Esbus* autem urbs est quæ ita vocabatur tempore Hieronymi, antiquioribus temporibus *Hesebon* vel *Esebon*, primaria urbs in tribu Ruben. IDEM.

[6] Ναβὼν ) Legendum Ναβαῦ, ut legitur in Codicibus Vaticano & Alexandrino, ab Hebraico נבא *nbo*. Mendum est librarii, quod cur *Martianæus* post *Bonfrerium* retinuerit non intelligo. CLERICUS.

S. HIERONYMUS.

*que adſcendentibus de Libiade in Esbum antiquo hodieque vocabulo juxta montem Phogor, nomen priſtinum retinentem, a quo circa eum regio uſque nunc vocatur Phaſga.*

[1] *ABDON, in tribu Aſer, civitas ſeparata Levitis.*

ΕΥΣΕΒΙΟΣ.

ἀπὸ Λιβιάδος ἐπὶ Ἐσεβοὺν τοῖς αὐτοῖς ὀνόμασι καλούμενον, πλησίον τοῦ Φόγωρ ὄρυς, οὕτω καὶ εἰς δεῦρο χρηματίζοντος· ἔνθα καὶ ἡ χώρα εἰς ἔτι νῦν ὀνομάζεται Φασγώ.

[5] ΑΡΔΩΜ, κλήρυ Ἀσήρ.

EUSEBIUS.

adſcendentibus Libiade Eſebum iiſdem nominibus appellatus, prope montem Phogor, qui ſic uſque hodie nuncupatur, ubi & regio adhuc jam vocatur Phaſgo.

ARDON, ſortis Aſer.

ABELA BETHMAACHA, vel Abel domus Maacha, de qua infra agit Hieronymus, in Bethmaacha, & nos ibi: ſed de ea plura ad Reg. xx. verſ. 14. dicemus.

*ABELA VINEARUM,*[2] *ubi dimicavit Jephte in terra filiorum Ammon: nam & uſque in præſentem diem in ſeptimo lapide Philadelphiæ villa Abela cernitur vineis conſita: alia quoque eſt civitas nomine Abela vini fertilis, in duodecimo a Gaderis milliario contra orientalem plagam: necnon & tertia in Phœnice Abela, inter Damaſcum & Paneadem.*

[6] Ἀβελαμπελὼν, ἔνθα ἐπολέμησεν Ἰεφθαὶ, γῆς υἱῶν Ἀμμὼν, ἣ ἔστιν εἰς ἔτι νῦν κώμη ἀμπελοφόρος Ἄβελ, ἀπὸ [7] ϛ' σημείων Φιλαδελφίας· καὶ ἄλλη πόλις ἐπίσημος Ἀβελὰ οἰνοφόρος καλυμένη, διεστῶσα Γαδάρων σημείοις ιβ' πρὸς ἀνατολάς. καὶ τρίτη τις αὐτὴ Ἀβελὰ τῆς Φοινίκης μεταξὺ Δαμασκοῦ καὶ Πανεάδος.

ABEL VINEARUM, ubi bellum geſſit Jephte in terra filiorum Ammon, quæ etiam nunc eſt villa vitifera Abel, in ſexto milliario a Philadelphia. Item alia civitas nobilis Abela vinifera dicta, diſtans Gadaris duodecim milliaribus verſus Orientem. Tertia item quædam Abela Phœniciæ, inter Damaſcum & Paneadem.

ABEL MAGNUS locus eſt 1. Reg. VI. verſ. 18. a luctu ibi & multorum Bethſaimitarum ſtrage edita (*Abel* enim *luctum* ſignificat) quod arcam curioſius inſpexiſſent; qua de re nos ad eum locum.

ABELMAIM, quod *regionem aquarum* ſonat. 2. Paral. XVI. verſ. 4. non alia eſt ab Abel bethmaacha, ut ſatis conſtat ſi quis duo loca conferat, 3. Reg. XV. verſ. 20. & 2. Paralip. XVI. verſ. 4. Hanc ab illa priore non recte diſtinxit Adrichomius.

[3] *ABELMAULA, urbs unius de principibus Salomonis, unde fuit & Eliſæus propheta. Eſt autem nunc vicus in Aulone, de quo infra in decimo a Scythopoli milliario contra Auſtralem plagam nomine Bethabula, ſed & Abelmea villula nunc nuncupatur inter Neapolim & Scythopolim.*

Ἀβελμαελαὶ, πόλις ἑνὸς τῶν ἀρχόντων Σολομὼν, ὅθεν Ἐλισσαῖος, κώμη νῦν ἔστιν ἐν τῷ Αὐλῶ, Σκυθοπόλεως διεστῶσα σημείοις [8] ιη' νῦν καλεῖται Βηθμαελά· ἔστι δὲ καὶ [9] Ἀβὲλ νέα κατιόντων ἀπὸ νέας πόλεως εἰς Σκυθόπολιν.

ABELMAELAI, civitas unius e principibus Salomonis, unde Heliſæus: vicus nunc eſt in Aulone, diſtans Scythopoli milliaribus octodecim; vocatur nunc Bethmaela. Eſt autem & Abel nova deſcendentibus Neapoli Scythopolim.

ABELMEHULA. Vide Abelmaula proxime.

[4] *ABELSATIM, locus in deſerto ad meridiem Moabitarum.*

Ἀβελσατγεὶν, τόπος τῆς ἐρήμυ κατὰ δυσμὰς Μοάβ.

ABELSATGIN, locus deſerti verſus Occidentalem plagam Moab.

ABENBOEN, hoc eſt, lapis Boen, locus in terminis communibus tribus Judæ & Benjamin, Joſ. XV. verſ. 6. & Joſ. XVIII. verſ. 18.

NOTÆ.

[1] Inter Leviticas civitates numeratur Joſue 21. & 2. Paralip. 6. Significat hæc vox *ſervum*, vel *ſervitutem*. IDEM.

[2] De Abela vinearum etiam a nobis dictum eſt Judic. 11. v. 33. Significat autem *Luctum vinearum*, vel *campum vinearum*. Neque dubium eſſe poteſt quin a frequentibus vineis id nomen acceperit; unde & in verſione noſtra dicitur *Abel quæ eſt vineis conſita*. Sunt & aliæ Abel, vel Abelæ in Scriptura, ſed nullæ quæ abſolute Abelæ nuncupentur; omnes autem & ab hac Abela vinearum, & inter ſe vocis additione diſtinguuntur; de quibus vel nos, vel Hieronymus in ſequentibus. IDEM.

[3] De ABELMEHULA (ita enim in verſione noſtra appellatur) urbs in dimidia tribu Manaſſe cis Jordanem & non procul Jordane diximus & nos Judic. 7. v. 23. Quod autem dicitur ea fuiſſe urbs *unius de principibus Salomonis*, intellige non de urbe natali, ſed de urbe cujus adminiſtrationem & præfecturam habebat, ut liquet e 3. Reg. 4. v. 12. Euſebii verba ſunt uſque ad illud: *Eſt autem nunc vicus*, &c. Poſteriora autem illa uſque ad finem Hieronymi eſſe mihi perſuadeo. Significat autem hæc vox *luctum* vel *campum chori*. BONFRERIUS.

[4] De ABELSATIM alio nomine *Settim* diximus Num. 25. v. 1. & c. 33. v. 49. Significat autem hæc vox *planitiem ſpinarum*, ſeu potius earum arborum quæ *Settim* vel *Setim* appellantur, quas a ſpinis diverſas eſſe Præloq. c. 16. ſect. 6. & Exod. 25. v. 5. demonſtravimus. Per *deſertum* autem intellige hic campeſtria Moab. Illum autem genitivum *Moabitarum* conjunge cum voce *deſerto*, non cum altera voce *ad meridiem*. IDEM.

[5] Ἀρδώμ) Legendum Ἀβδὼν, ut eſt in Codice Alexandrino Joſ. 21. v. 30. Vitioſe eſt in Vaticano Δαββὼν tranſpoſitis litteris. IDEM.

[6] Ἀβελαμπελὼν) Vertendum, *Abel vinetum*, alioqui ſcribendum eſſet, Ἀβὲλ ἀμπέλων, *Abel vinearum*. IDEM.

[7] ϛ' σημείων) Aut legit *Hieronymus* ζ' hoc eſt, *ſeptem*, aut diſtantiam aliam poſuit. CLERICUS.

[8] Σημείοις ιη') Legendum ex *Hieronymo*, ι', ῑ, ut recte in Pariſina, hoc eſt, *milliariis decem*, *quæ nunc vocatur* &c. IDEM.

[9] Ἀβὲλ νέα) Eſt in Codice Regio, Ἀβὲλ ναὶ, unde conjicit Pariſinus editor fuiſſe Ἀβελμεά, ut eſt in verſione Hieronymiana. IDEM.

HIERONYMUS. | ΕΥΣΕ'ΒΙΟΣ. | EUSEBIUS.

[1] *ABENEZER, quod interpretatur lapis adjutorii, ſive lapis auxiliator. Eſt autem locus unde tulerunt Philiſthiim Arcam Teſtamenti inter Æliam & Aſcalonem, juxta villam Bethſamis.*

[6] Α'βενετὲρ, λίθος βοηθοῦ, τόπος ὅθεν τὴν κιβωτὸν ἦραν οἱ ἀλλόφυλοι μεταξὺ Αἰλίας καὶ Α'σκαλῶνος, πλησίον Βεθσαμὲς κώμης.

ABENETER, lapis adjutoris, locus ex quo Arcam tulerunt alienigenæ inter Æliam & Aſcalonem, prope vicum Bethſames.

ABES, urbs in tribu Iſſachar, Joſ. xix. verſ. 20.

[2] *ABETHARIM, pro quo Aquila, & Symmachus exploratorum viam interpretati ſunt: ubi adverſum Chananæum, qui ab Auſtro contra Iſrael eruperat, in ſolitudine dimicatur.*

Α'κθαριμὰκ, σύνοδος τῶν κατασκόπων· ἔνθα ὁ Χαναναῖος ὁ καθήμενος ἐς τὸν νότον [7] ἐπελθὼν τῷ Ι'σραὴλ ἐν τῇ ἐρήμῳ πολεμεῖ.

ACTHARIMAC, comitatus exploratorum; ubi Chananæus, qui ſedem fixerat ad Auſtrum, cum erupiſſet adverſum Iſraelem in ſolitudine, eum bello laceſſit.

ABILINA, Lyſaniæ tetrarchia, Lucæ III. verſ. 1. in monte Libano, a quo & tota hæc regio Lyſanium dicta eſt Joſeph. 19. Ant. c. 4. qua de re plura ad iſtum Lucæ locum. Ptolomæus tamen Abylam urbem non in ipſo monte, ſed in Cœleſyria inter Libanum & Antilibanum ponit.

ABRAN. Vide Achran.

ACCAIN, urbs in tribu Judæ, Joſ. xv. verſ. 57.

[3] *ACCARA, vicus in deſerto ſitus, in poſſeſſione tribus Judæ, pro quo Symmachus interpretatur pavimentum.*

[8] Α'καρκὰς, τὸ ἔδαφος· κώμη ἐστὶν πρὸς τῇ ἐρήμῳ κειμένη, φυλῆς Ι'ούδα.

ACARCAS, pavimentum. Eſt vicus juxta deſertum ſitus, tribus Judæ.

[4] *ACCARON, in tribu Dan: ſive (ut ego arbitror) in tribu Juda ad lævam Chananæorum, urbs una de quinque olim ſatrapiis Palæſtinæ, & decreta eſt quidem tribui Judæ, nec tamen tenta ab ea: quia habitatores priſtinos nequivit expellere. Sed & uſque hodie grandis vicus Judæorum Accaron dicitur, inter Azotum & Jamniam ad orientem reſpiciens. Quidam putant Accaron, turrim Stratonis, poſtea Cæſaream nuncupatam.*

Α'ΚΚΑΡΩΝ, φυλῆς Δὰν ἐξ εὐωνύμων τῶν Χαναναίων, πόλις μία τῶν ε Σατραπειῶν τῶν ἀλλοφύλων· ἣ καὶ ἀφωρίσθη μὲν τῇ φυλῇ Ι'ούδα· οὐ μὴν ἐκράτησεν αὐτῆς, ὅτι μὴ ἀνεῖλεν τοὺς ἐν αὐτῇ ἀλλοφύλους· ἣ καὶ ἔστι νῦν κώμη μεγίστη Ι'ουδαίων Α'κκαρὼν λεγομένη, ἀναμέσον Ε'ζώτου καὶ ἀναμέσον τῆς ἀνατολῆς.

ACCARON, tribus Dan a ſiniſtris Chananæorum civitas una e quinque Satrapiis alienigenarum, quæ aſſignata eſt tribui Juda, non tamen eam tenuit, eo quod alienigenas in ea non interfecit: quæ modo etiam eſt vicus maximus Judæorum dictus Accaron, inter Exotum & orientalem plagam.

[5] *ACCHASELUTH, civitas in tribu Iſſachar: appellatur*

Α'χεσέλωθ, πόλις κλήρου Ι'σσάχαρ· λέγεταί τις κώμη Χεσαλοὺς ἐν

ACHESELOTH, civitas fortis Iſſachar: dicitur quidam vicus

---

NOTÆ.

[1] *Lapis adjutorii* in verſione noſtra appellatur, 1. Reg. 4. v. 1. & c. 5. v. 1. & c. 7. v. 12. Ratio nominis ex hoc poſteriore loco ſumenda eſt. Cum autem juxta Bethſames fuerit, & hæc fuerit in tribu Juda, probabiliter ſane etiam colligitur Lapidem adjutorii in eadem tribu fuiſſe. IDEM.

[2] Aquilam & Symmachum ſecutus eſt Hieron. in verſione ſua Num. 21. v. 1. vertit enim, *per exploratorum viam*, quaſi vox illa אתרים *atharim* in Hebræo appellativa eſſet, non propria: ſatis tamen credibile eſt ab exploratoribus ei loco nomen manſiſſe, ut ad eum locum diximus. Videtur autem hic vitioſe apud Hieronymum legi Abetharim, pro Atharim; nam & hæc lectio poſterior ſola in Codicib. Septuaginta Int. nunc cernitur, & ſola Hebræo reſpondet. IDEM.

[3] Nullus eo nomine locus in Scriptura reperitur, ne apud Septuaginta quidem. Non dubium eſt autem eum locum indicari qui Joſ. 15. v. 3. dicitur Carcaa, & Heb. קרקעה *Karkaa*; eſt enim hic locus in deſerto, in finibus tribus Judæ, ſignificatque vox appellative ſumta, *pavimentum*. Ex quo liquet quam hæ voces apud Septuaginta Int. atque adeo & apud Euſebium, fuerint corruptæ, quam vocum corruptionem non viſum eſt Hieronymo emendare. Sed neque *Accarcas* jam apud Sept. Int. legitur, ſed vel *Cades*, vel *Accara*; quod poſtremum ad Hebræam vocem accedit; præſertim ſi voci Hebræa ה præponatur הקרקעה *Haccarcaa*, ut illo loco Joſue 15. præponitur: apud Græcos autem nulla eſt litera quæ ſit adſpiratio. BONFRERIUS.

[4] ACCARON ultimam eſſe verſus Septemtrionem Philiſthæorum ſatrapiam Joſ. 13. v. 3. diximus. Ea primo quidem attributa fuit tribui Juda, Joſ. 15. v. 45. at poſtea eidem avulſa fuit, & attributa tribui Dan, Joſ. 19. v. 43. quocirca potius tribus Dan cenſeri debuit: quamquam neque hi, neque illi ea unquam poſſederint. Significat hæc vox *eradicationem*, vel *ſterilitatem*. Vide infra in Jamnia. IDEM.

[5] In verſione noſtra Joſ. 19. v. 18. vocatur Chaſaloth, & antea v. 12. *Cheſeleththabor* a monte Thabor, cui vicina eſt, ut teſtatur hic Hieron. Ex quo loco colligas ita fuiſſe in tribu Iſſachar ut tamen in confinio eſſet tribus Zabulon, juxta montem Thabor. In verſione Septuag. Int. diverſimode id nomen legitur Chaſaloth, Chaſeloth, Achaſeloth; quod poſtremum ad vocem quæ hic in locis Hebraicis habetur, accedit: imo & ad Hebræam retento ה quod voci præponitur. Significat hæc vox, quæ pluralis eſt numeri, *ſtultitias*. Ejuſdem urbis infra meminit Hieronymus in Chaſelath & Chaſelatabor. IDEM.

[6] Α'βενετὲρ ] Imo Α'βενεζὲρ, ut & eſt etiam in Codicibus Vaticano & Alexandrino. IDEM.

[7] Ε'πελθὼν ) Sic recte legit *Bonfrerius* pro ἀπελθὼν, quod erat in ipſius codice, nam ἐπέρχεσθαι *ſupervenire*, optime dicitur de hoſte irruente, non ἀπέρχεσθαι, *abire*. Itaque non erat cur manifeſtum mendum reponeret *Martianæus*. IDEM.

[8] Α'καρκὰς ) Recte idem legit Α'καρκὰ, Σ. ἔδαφος, hoc eſt, *Acarca*, *Symmachus*, *pavimentum*, ut liquet ex verſione Hieronymiana. CLERICUS.

| HIERONYMUS. | ΕΥ'ΣΕ'ΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| *autem & quidam vicus Chasalus juxta montem Thabor in campestribus, in octavo milliario Diocæsareæ ad orientem respiciens.* | τῇ πεδιάδι παρὰ τὸ ὄρος Θαβὼρ ἀπέχουσα Διοκαισαρείας σημείοις ή πρὸς ἀνατολάς. | Chealus in planitie juxta montem Thabor distans Diocæsarea milliaribus octo, versus plagam orientalem. |
| [1] *ACCHO, quæ nunc Ptolemais appellatur, sortis Aser, de qua habitatores pristinos nequivit expellere.* | Α'κχώ, ἡ νῦν Πτολεμαΐς, κλῆρυ Α'σὴρ, ἀφ' ἧς οὐκ ἐξῆρεν Α'σὴρ τοὺς ἀλλοφύλυς. | ACCHO, quæ nunc Ptolemais, sortis Aser, de qua non sustulit Aser alienigenas. |
| [2] *ACHAD, urbs regni Nemrod in Babylone. Porro Hebræi hanc esse dicunt Mesopotamiæ civitatem, quæ hodie quoque vocatur Nisibis, a Lucullo quondam Romano consule obsessam, captamque, & ante paucos annos a Joviano Imper. Persis traditam.* | Α'χὰμ, πόλις βασιλείας Νεμρὼδ, ἐν Βαβυλῶνι. | ACHAM, civitas regni Nemrod, in Babylone. |

ACHAIA, quæ proprie Græcia appellatur, ab occasu juxta Ptolemæum, Epiro terminatur, a Septemtrione Macedonia, ab Oriente Ægæo mari, a Meridie parte maris Adriatici, sinu Corinthiaco, Isthmo, mari Cretico usque ad Sunium promontorium.

ACHAZIB. Vide ACHZIPH.

| | | |
|---|---|---|
| [3] *ACHELDEMACH, ager sanguinis: qui hodieque monstratur in Aelia, ad australem plagam montis Sion.* | Α'κελδαμᾶ, χωρίον αἵματος ἐν Εὐαγγελίοις, ὃ καὶ δείκνυται εἰς ἔτι νῦν ἐν τῇ Αἰλίᾳ [5] ἐν βορείοις τοῦ Σιὼν ὄρυς. | ACELDAMA, ager sanguinis in Evangeliis, qui etiam ostenditur usque hodie Aeliæ; in plaga septemtrionali montis Sion. |
| [4] *ACHOR Hebraice dicitur Emecachor, quod interpretatur vallis tumultus, vel turbarum: eo quod ibi tumultuatus & turbatus sit Israel, in qua lapidaverunt quondam Achan propter furtum anathematis. Est autem ad Septemtrionem Hierico: & usque hodie a regionis illius accolis sic nominatur. Meminit hujus Osee propheta.* | Α'χὼρ, κοιλὰς Α'χὼρ καλυμένη, ἔνθα ἐλιθοβόλησαν τὸν Α'χὼρ κλέψαντα τὸ ἀνάθεμα· παρ' ὃ καὶ Α'χὼρ ὠνομάσθη· κεῖται δὲ ἐν ὁρίοις Ἰεριχὼ, καὶ οὕτω καλεῖται πρὸς τῶν ἐπιχωρίων. | ACHOR, quæ dicitur vallis Achor, ubi lapidaverunt Achor, cum furatus esset anathema, a quo nominata est Achor. Porro sita est in finibus Hiericho, itaque vocatur ab indigenis. |
| *ACHOR in tribu Juda, de qua jam dictum.* | Α'χὼρ, φυλῆς Ἰούδα, κώμη νῦν ἔρημος, [6] ἧς ὁ τόπος καλεῖται Μαηδομνεὶ, κατιόντων ἀπὸ Αἰλίας εἰς Ἱεριχὼ ἔνθα ἐστὶ φρούριον· | ACHOR, tribus Juda, nunc vicus desertus, cujus locus vocatur Maedomni, descendentibus Aelia Hierichuntem, ubi est præsidium. |

NOTÆ.

[1] De hac nos etiam diximus Judic. 1. v. 31. Vide & infra ad vocem PTOLEMAIS. IDEM.

[2] De hac habes Genes. 10. v. 10. Porro Nisibim in Mesopotamia esse e Ptolemæo, Strabone, Stephano constat, Stephanus juxta Tigrim fluvium reponit. Priora illa verba; *Achad urbs regni Nemrod in Babylone*, Eusebii sunt; cetera, ut arbitror, Hieronymi. IDEM.

[3] In versione nostra Latina appellatur HACELDAMA, Matth. 27. v. 8. & Act. 1. v. 19. Dictus *Hacceldama*, seu *ager sanguinis*, quod pecunia, qua Christi sanguis & vita empta erat a Juda proditore, emtus fuerit. Est autem hæc vox non Hebraica, sed Syriaca, uti ad Matth. 27. explicabimus. Nomine autem *Æliæ* hic & toto hoc libro de locis Hebraicis intellige Hierosolymam ab Ælio Adriano sic dictam, qui priore civitate destructa, eam imo aliam quia diverso situ a priore, reædificavit, teste Hieronymo ad Hieremiæ 19. IDEM.

[4] ACHOR non tam loci nomen est, quam hominis, qui prius Achan, postea Achar, vel Achor a turbatione, quam castris Israeliticis attulit, dictus est. Ab hoc locus in quo lapidatus est dictus est *Emecachor*, quod significat vallem Achor. In nostra versione non aliter quam *vallis Achor* appellatur. De hac valle & ratione nominis dictum a nobis Jos. 7. v. 1. & 24. IDEM.

In quibusdam libris legitur *Achot* hic apud Hieron. sed verisimile est legendum *Achor*, cum referat se ad præcedentia, in quibus dictum de Achor, non de Achot. Neque tamen ulla idonea apparet ratio, cur de eodem loco altera vice mentionem fecerit seu Eusebius, seu Hieronym. Illud hic mirum Achor hic poni in tribu Juda, cum eum locum supra posuerit ad Septemtrionem Hiericho, quæ cum in tribu Benjamin esset, in ejusque limite Septemtrionali, eique tribui ad Austrum esset tribus Juda, non videtur quomodo is locus in tribu Juda esse potuerit, sed necessario in eadem tribu Benjamin esse debuit, vel si in altera tribu, in tribu Ephraim. Illud multo verius, hanc vallem nullo modo fuisse ad Septemtrionem Jericho, sed ad Austrum potius; neque in tribu Juda, sed in tribu Benjamin, in confinio tamen tribus Judæ, ut e Josue 15. v. 7. colligi potest IDEM.

[5] Ἐν Βορείοις ) *Hieronymus* habet *ad austrum*, ubi Brocardi etiam tempore, ostendebatur. IDEM.

[6] Ἧς ὁ τόπος &c. ) Hæc quamvis corrupta referenda ad *Adommim*, de quo postea, ut ex versione Hieronymi recte monuit *Martianæus*. CLERICUS.

| HIERONYMUS. | ΕΥ'ΣΕ'ΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [1] *ACHRAN, in tribu Aser.* | Α'χράν, πόλις Α'σήρ. | ACCHRAN, civitas Aser. |
| [2] *ACHSAPH, & contra hujus regem Jesus pugnasse describitur, appellaturque hodie villula Chasalus, in octavo lapide Diocæsareæ ad radicem montis Thabor, in campestribus.* | Α'κσάφ, καὶ ταύτης τὸν βασιλέα ἐπολέμησεν Ἰησοῦς· λέγεται δέ τις κώμη Ε'ξάδυς ἐν τῇ πεδιάδι παρὰ τὸ ὄρος Θαβώρ, ἀπέχουσα Διοκαισαρείας σημείοις ή· | ACSAPH, & hujus regem debellavit Jesus. Dicitur vero quædam villa Exadus in planitie prope montem Thabor distans Diocæsarea octo milliaribus. |

ACHZIB, vel ACHZIBA, urbs in tribu Aser, de qua proxime dicetur in Achziph. Est & alia Achzib in tribu Juda, Jos. xv. v. 44.

| | | |
|---|---|---|
| [3] *ACHZIPH in tribu Aser, in qua alienigenæ permanserunt. Hæc est & Dippa in nono milliario Ptolemaidis, pergentibus Tyrum.* | Α'χζίφ, αὕτη ἐστὶν Ε'κδίππα σημείοις θ' Πτολεμαΐδος ἀπιόντων· | ACHZIPH, hæc est Ecdippa, milliaribus novem Ptolemaide pergentibus. |
| [4] *ACISAP in tribu Aser.* | Α'χιάμ, κλήρυ Α'σήρ· | ACHIAM, sortis Aser. |

ACRABATENE. Vide infra Aorabi.

ACRON tribui Dan attributa Jos. xix. eadem est quæ alibi Accaron appellatur. Vide supra Accaron.

ADADA, civitas in tribu Juda, Jos. xv.

ADADREMMON, urbs in dimidia tribu Manasse Cis-Jordanina, juxta Jezraelem in campo Mageddo, quæ postea Maximianopolis dicta est, teste Hieronymo ad Zachar. xii. Ibi Josias rex justus a Pharaone Nechao occisus est. Significat hæc vox Echo, vel sonitum malogranati.

| | | |
|---|---|---|
| [5] *ADAMA, una de quinque civitatibus Sodomorum eversa cum ceteris.* | Α'δαμά, μία [7] τῆς πέμπτης πεντεπόλεως Σοδόμων, ἅμα ταῖς λοιπαῖς ἀφανισθεῖσα· | ADAMA, una e quinque Sodomorum urbibus, simul deleta cum ceteris. |
| *ADAMA in Esaia, pro quo Aquila & Symmachus humum, Theodotio terram interpretantur.* | Α'δαμά, Α'κύλας, Σύμμαχος, Θεοδοτιών, χθονὸς, τῆς γῆς· | ADAMA, Aquila, Symmachus, Theodotio [ vertunt ) humum, terram. |
| | Α'δαμὶ. κλήρυ Νεφθαλείμ. | ADAMI, sortis Nephthali. |

ADAMI, urbs in tribu Nephthalim, Jos. xix. v. 33. Eadem quæ infra Addemne corrupte appellatur.

| | | |
|---|---|---|
| [6] *ADARA, civitas tribus ephraim.* | Α'δάρ, πόλις φυλῆς Ε'φραίμ. | ADAR, civitas tribus Ephraim. |

ADARSA, ubi Judas Machabæus cum Nicanore conflixit, eumque oppressit i. Mach. vii. Videtur fuisse in tribu Ephraim, nam & Bethoron & Gazara urbes duæ, quarum ibidem fit mentio, in eadem tribu erant, sed in Australi ejus termino. Eadem autem est Adarsa, & quæ Paulo post ib. v. 45. dicitur Adazer; nam & in Græco utrobique est eadem vox Α'δασά, neque apparet unde Judas cœpisse hostem persequi debuerit; quam ex eo loco ubi commissum

## NOTÆ.

[1] Ita in versione Septuaginta ea urbs vocatur in Codice Reg. Jos. 19. v. 28. & in nostra ibidem versione, *Acran*. *Aschran* habent apud Septuagint. Aldinus & Basileensis Codex, Romanus omnino vitiose *Elbom*. Vera & incorrupta lectio est *Abran*, uti nunc habet nostra versio, vel *Ebron*, uti nunc legitur in Hebræo עברון. Significat autem hæc vox *trajectum*. BONFRERIUS.

[2] Hæc non est alia ab ea quæ paulo post vocatur ab Hieronymo *Acisap*, de qua & nos ibi. Quod ait hanc *Chasalus* appellatam *ad radicem montis Thabor*, ægre assentiar, cum paulo ante hoc ipsum de *Acchaseluth* in tribu Issachar asseruerit. Adde cum hæc urbs in tribu Aser fuerit, ut e Josue 19. liquet: tribus autem Aser nullo modo ad montem Thabor pertigerit, non posse asseri hanc esse Chasalum juxta Thabor. IDEM.

[3] Hæc in versione nostra *Achazib*, *Achzib*, vel *Achziba* appellatur, de qua & nos diximus Jos. 19. v. 29. Quod autem hic apud Hieronymum legitur: *Hæc est & Dippa*, manifeste corruptum est, legendumque est: *Hæc est Ecdippa*. De Ecdippa urbe in Phœnicia meminerunt auctores boni, imprimisque Ptolemæus. Josephus autem *Ecdippon* nominat. Sonat *Achzib* Hebræis *mendacium*. IDEM.

[4] ACHSEPH, vel Axaph in versione nostra vocatur. Nunc in versione Septuaginta Achsaph, vel Achasaph, vel corruptissime Ceaph in Romano Codice appellatur. *Fascinum* vel *præstigium* sonat hæc vox. IDEM.

[5] Quatuor duntaxat e Pentapoleos civitatibus in illo Sodomorum excidio exutæ sunt, quæ Deuter. 29. v. 23. ex nomine recensentur, interquas est Adama: unica Segor in gratiam Lot fuit reservata. Significat hæc vox *Adama*, *terram rufam*. IDEM.

Sed & Hieronymus *terram* vertit, pro quo Septuaginta Adama, quasi proprium nomen esset, dixerunt. Esaiæ 15. v. ult. IDEM.

[6] Nulla urbs in tribu Ephraim dicta simpliciter Adar reperitur, Adara, vel Addar, sed est una quæ vocabulo composito dicitur Atharoth Addar, Jos. 16. v. 5. & c. 18. v. 13. de qua hic agi existimo: sed male, quantum arbitror, in versione Septuag. Jos. 16. divisæ sunt duæ illæ voces Atharoth Addar particula copulativa interposita, quasi duo diversa sint loca Attharoth & Addar; cum unus idemque locus composito vocabulo significetur. Ex hoc mendo Adara hic inter civitates Ephraim reposita. De Atharoth Addar diximus Jos. 16. v. 2. & hic infra suo loco. Est alia Adar, de qua paulo post in *Addara*. IDEM.

[7] Τῆς πέμπτης ) Delenda est vox πέμπτης, quæ caret sensu; fuerunt enim quinque urbes at una Pentapolis. Aut legendum μία, ἢ πέμπτη, *una*, *vel quinta* Pentapoleos. IDEM.

1 Eu-

HIERONYMUS. | ΕΥ'ΣΕ'ΒΙΟΣ. | EUSEBIUS.

prælium, hostiumque vires fractæ. Neque vero videtur hæc Adarsa vel Adazer alia esse ab ea, de qua mox sequitur, Adasa apud Hieronymum.

[1] *ADASA, in tribu Juda, usque hodie vicus juxta Gusnas. Sed miror quomodo Gusnensem regionem in tribu Juda posuerit, cum perspicuum sit secundum librum Jesu, in sortem eam tribus Ephraim cecidisse.*

Ἀδασά, φυλῆς Ἰούδα, καὶ ἔτι ἔστι νῦν κώμη ἐγγὺς Ταφνῶν. [2]

ADASA, tribus Juda, & est nunc vicus juxta Taphnas.

ADAZER. Vide Adarsa, & Adasa.

[3] *ADDAR, civitas sortis Benjamin.*

Ἀδάρ, πόλις κλήρου Βενιαμίν.

ADAR, civitas sortis Benjamin.

[4] *ADDARA, in tribu Juda, juxta desertum. Est quoque & alia villa in finibus Diospoleos, juxta Thamniticam regionem, quæ a Thamna villa usque hodie sic vocatur.*

Ἀδδαρά, φυλῆς Ἰούδα πρὸς τῇ ἐρήμῳ. ἔστι δὲ καὶ ἄλλη κώμη ὁρίου Διοσπόλεως περὶ την Θαμνητικήν, οὕτω καλουμένην χώραν ἀπὸ Θαμνὰ κώμης.

ADDARA, tribus Juda juxta desertum. Est autem & alia villa termini Diospoleos circa Thamniticam, ita dictam regionem a Thamna villa.

[5] *ADDEMNE in tribu Nephthalim.*

Ἀδεμμεί, κλήρου Νεφθαλείμ.

ADEMMEI, sortis Nephtali.

[6] *ADDOMIM, quondam villula, nunc ruinæ in sorte tribus Judæ, qui locus usque hodie vocatur Maledomim, & Græce dicitur ἀνάβασις πυῤῥῶν, Latine autem appellari potest adscensus rufforum, sive rubentium propter sanguinem, qui illic crebro a latronibus funditur. Est autem confinium tribus Judæ &*

7 Ἀδαμμίν, κώμη, νῦν ἔρημος, ἧς ὁ τόπος καλεῖται Μαιδομνεί, κατιόντων ἀπὸ Αἰλίας εἰς Ἱεριχώ, ἔνθα ἐστὶ φρούριον * * * *

ADAMMIN, vicus, nunc desertus, cujus locus vocatur Maedomni, descendentibus Aelia Jerichuntem, ubi est præsidium.

---

N o t æ.

[1] Eusebium hic corrigit Hieronymus, quamque ille urbem in tribu Juda posuerat, Hieronymus in tribu Ephraim reponit, quæ alia, uti paulo ante dixi, non videtur ab ea quæ Adarsa & Adazer 1. Machab. 7. appellatur, cum & utrobique ibi in Greco Ἀδασά legatur, & in eadem tribu Ephraim fuisse colligatur. Quod autem Hieronymus ait, perspicuum esse *Gusnas* & *Gusnensem* regionem secundum librum Jesu cecidisse in sortem tribus Ephraim, subit mirari; cum illius non fiat mentio in libro Josue, seu in versione nostra, seu apud Septuaginta Interp. ubi de tribu Ephraim sermo est. Rectius diceret Hieronymus id ex eo constare, quod suo adhuc tempore & urbs & nomen urbis superesset: nam & Hieronymus adhuc infra urbis hujus eo nomine quasi omnibus notæ meminit, & Josephus sæpius 14. Antiq. c. 18. & 1. Belli c. 9. & 2. Belli c. 25. & 3. Belli c. 2. quo postremo loco inter undecim Toparchias post Hierosolymam, quæ prima est, proxima ponitur Gophna; ut vel hinc satis liqueat Gophnam Josephi tempore fuisse illustrem Judææ civitatem. Fueritne tamen ea urbs in tribu Ephraim, quo videtur inclinare Hieronymus adhuc dubito: malim dicere in tribu Benjamin fuisse, in confinio tamen tribus Ephraim; nam ego non aliam existimo esse Gusnam vel Gophnam ab ea quæ Jos. 18. dicitur Ophni attribuiturque tribui Benjamin, ut infra in Gophna dicam. Est tamen & Hadassa in versione nostra, & Adasa apud Interp. Septuag. in tribu Juda Jos. 15. v. 37. diversa a præcedente. Bonfrerius.

[2] Pro Ταφνῶν hic repone Γαφνῶν, ut ex Hieronymo liquet. Adde Taphnas urbem esse Ægypti, non Judææ. Idem.

[3] Existimo hanc non esse aliam ab ea, de qua supra in Adara diximus, quamque diximus vocatam Atharothaddar. Neque verum est hanc esse civitatem sortis Benjamin, nusquam enim ei attributam in Scriptura legimus. Occasio erroris Eusebio fuit, quod hujus Addar vel Atharoth Addar fiat mentio, cum de tribus Benjamin limitibus agitur Jos. 18. v. 13. qui limites in Atharothaddar ducuntur: ex quo quidem recte colligitur fuisse in confinio tribus Benjamin, non tamen fuisse in ipsa tribu Benjamin, nisi eo modo quo subinde in Scriptura una eademque urbs ratione confinii duarum tribuum utrique tribui adscribitur. Ex quo & illud colligitur multa in hoc libro de locis Hebraicis satis esse confusa, plura loca dividi quæ sunt eadem mutata paulisper voce in diversis locis apud Septuaginta, vel ex alia occasione. Significat autem *Addar* illustrem. Idem.

[4] Prior illa Addara est illa quæ Numer. 34. v. 4. vocatur villa Adar, in extremis finibus totius Judææ ad Austrum, eademque Josue 15. v. 3. dicitur *Addar.* Septuaginta Interpretes *Addara* vocant, Jos. 15. at Num. 34. *Arad* literarum transpositione in sincerioribus Codicibus habent pro quo infra ponitur literæ ultimæ mutatione Arath semel & iterum: neque enim Arath prior infra a posteriore differt, sed unus idemque locus est, ut ibi dicemus. Altera Addara in finibus Diospoleos, seu Liddæ, juxta Thamniticam regionem nusquam in Scriptura nominatur: neque vero Hieronymus ejus nomen in Scriptura haberi asserit, sed suo tempore ibi villam eo nomine extitisse. Idem.

[5] Hæc est illa, quam supra in versione nostra diximus Adami vocari, quomodo etiam habent libri in hisce nominibus minus corrupti Septuaginta Interpretum Aldinus & Basileensis, Regius *Ademmi* habet, ex quo fit verisimile vocem *Addemne* esse hic corruptam, cujus urbis vocem multo adhuc vitiosius effert Romanus Codex. Idem.

[6] In versione nostra Adommim vocatur Jos. 15. & 18. vel potius adscensio Adommim; est enim in Hebræo vox composita מעלה ארמים *maale adummim*, quod sonat adscensum rubentium: locus sic dictus a sanguine viatorum ibi effuso: erat enim locus latrociniis infamis, ut indicat hic Hieronymus, & in Epitaphio Paulæ. Erat autem in confinio vel non longe a confinio duarum tribuum Judæ & Benjamin. In qua autem tribu potius collocari debeat, an in tribu Judæ, ut hic Hieronymus; an, ut alii, in tribu Benjamin, diximus Jos. 15. v. 7. ubi & de hoc loco pluscula. Idem.

[7] Ἀδαμμίν ) Hoc vocabulum ex Codice Vaticano Jos. xv. supplevimus, verbaque sequentia voci Achor male adtexta, huc retraximus, *Hieronymum* sequuti. Clericus.

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| *Benjamin, deſcendentibus ab Aelia Hierichum, ubi & caſtellum militum ſitum eſt, ob auxilia viatorum. Hujus ſanguinarii & cruenti loci Dominus quoque in parabola deſcendentis Hierichum de Hieroſolyma recordatur.* | | |

ADDON, urbs apud Babylonios, in qua Judæi aliqui de captivitate habitaverant. 2. Eſdræ VII. verſ. *61*. Eadem *Adon* dicitur Eſdræ II. verſ. 59.

ADDUS, 1 Machab. XIII. quam Joſephus 13. Antiquit. c. II. Addida vocat. Eam dicit Joſephus in monte ſitam fuiſſe, cui ſubjecti erant Judæorum campi. Adrichomius eam in tribu Ephraim locat, nullo tamen ad eam rem ſtatuendam, quod ſciam, argumento.

| | | |
|---|---|---|
| [1] *ADER, urbs, quam expugnavit Jeſus rege illius interfecto.* | Ἄδερ, πόλις, ἣν ἐπολιόρκησεν Ἰησοῦς, τὸν βασιλέα αὐτῆς ἀνελών. | ADER, civitas, quam obſidione cepit Jeſus, ejus interfecto rege. |

ADIADA, urbs in Sephela munita a Simone Machabæo, 1 Machab. XII. Eſt autem Sephela regio juxta Eleutheropolim, teſte Hieronymo infra. Hanc urbem Adrichomius in tribu Dan reponit.

| | | |
|---|---|---|
| [2] *ADITHAIM in ſorte tribus Judæ. Dicitur autem & quædam villa Adia juxta Gazam: & alia Aditha, juxta Dioſpolim quaſi ad orientalem plagam reſpiciens.* | Ἀδιαθαΐν, φυλῆς Ἰούδα· λέγεται δέ τις κώμη περὶ τὴν Γάζαν καὶ ἄλλη Ἀδαθά, ἡ περὶ Διόσπολιν ἐν ἀνατολαῖς. | Adiathaim, tribus Juda. Dicitur vero quidam vicus circa Gazam Adatha: Et alius circa Dioſpolim in orientali plaga. |
| [3] *ADOLLAM in tribu Juda, & uſque hodie vicus non parvus ad orientem. Eleutheropoleos in decimo ejus milliario hoc nomine vocatur.* | Ἀδολλάμ, φυλῆς Ἰούδα· κώμη νῦν ἔστι μεγίστη πρὸς ἀνατολὰς Ἐλευθεροπόλεως, ὡς ἀπὸ σημείων ι. | Adolam, tribus Juda: vicus nunc eſt maximus ad orientem Eleutheropolis quaſi in decimo milliario. |

ADOM, urbs ad ripam Jordanis, ex qua, Jordane temporibus Joſue exſiccato, ejuſdem fluvii fluctus intumeſcentes & in altum ſurrecti cernebantur. Joſ. III. verſ. *16*. Vide quæ nos ibi diximus.

ADOMMIM. Vide ADDOMIM.

ADON. Vide Addon.

ADOR, 1. Machab. XIII. non alia videtur ab ea quæ in dimidia tribu Manaſſe Ciſ-Jordanina paſſim dicitur *Dor*, de qua & infra dicetur in DORNAPHET: nam & hæc *Dor* ſubinde a Septuaginta Int. *Ador* appellatur. Nec ego video qua probabilitate Joſephus dum eam refert hiſtoriam, quæ 1. Machab. XIII. habetur de Tryphone, Simone & Jonatha interfecto, eam urbem in Idumæa ponat.

| | | |
|---|---|---|
| [4] *ADRAMELECH, Idolum Aſſyriorum: quod & Samaritæ venerati ſunt.* | Ἀδραμελέχ, εἴδωλον Ἀσσυρίων, καὶ Ἀνημελέχ ὁμοίως, οἳ καὶ ἦσαν τῶν Σαμαρειτῶν θεοί. | ADRAMELECH, idolum Aſſyriorum, & Anemelech ſimiliter, qui etiam fuerunt Samaritanorum dii. |

ADRIA, ſeu Mare Hadriaticum illud vocatur, quod Italiam ab Oriente & Septemtrione terminat, ab altera parte Hiſtriam, Dalmatiam, Epirum, Achaiam tangit, extremoque ſuo maxime Boreali limite in Venetias deſinit. A Ptolemæo ad ſinum uſque Corinthiacum ex altera parte producitur. Olim dictum fuit etiam Mare Superum, nunc Mare Venetum appellatur.

---

NOTÆ.

[1] HERED vocatur Joſ. 12. v. 14. in verſione noſtra, alibi in noſtra verſione, ut Num. 21. & 33. & Judic. 1. *Arad* vocatur, in tribu Juda verſus auſtrales limites, nec valde procul mari mortuo. Ex hac Chananæus ille rex contra Iſraelitas, cum adhuc eſſent in deſerto Num. 21. erupit; juxta eam Cinæi habitarunt Jud. 1. Ubique in Hebræo ערד *Harad* appellatur, & apud Septuag. *Arad* vel *Ared*, præterquam Joſ. 12. qui locus hic ab Hieronymo citatur, ubi elementis tranſpoſitis apud Septuag. *Ader* dicitur. Infra *Arat* eadem dicitur, pro quo *Arad* ſcribendum puto. *Arad*, *onagrum* ſignificat. BONFRERIUS.

[2] Fit mentio Adithaim Joſ. 15. Ceterarum, quarum hic Hieronymus meminit, in Scriptura nulla uſquam. Significat *Adithaim*, *duplex ornamentum*. IDEM.

[3] ODOLIAM in verſione noſtra appellatur fere ubique, *Adullam* ſemel aut iterum, vel *Odullam*, juxta quam fuit celebris iſta ſpelunca, in qua David Saulem fugitans latuit, de qua & nos 1. Reg. 22. v. 1. dicemus. Fuit *Odollam* ad dextram ſeu Occidentem euntibus ex Hieruſalem in Hebron. IDEM.

[4] De hoc idolo habes 4. Reg. 17. & 19. & apud Iſaiam: ſed cum id ad Scripturæ Sacræ loca nihil pertineat, mirum eſt hic eſſe inſertum. IDEM.

HIERONYMUS. ΕΥΣΕΒΙΟΣ. EUSEBIUS.

ADRUMETUM, unde navis Adrumetina Act. XXVII. vers. 2. urbs Africæ, seu illius regionis quæ proprie Africa vocatur in sinu Numidico: quomodo etiam urbem hanc vocat Plinius: *Adrumetum* nominat Ptolemæus; Straboni est *Adryma*; Stephano *Adrymes*.

ADULLAM. Vide Adollam.

ADURAM, inter urbes tribus Juda, vel Benjamin numeratur. 2. Paral. XI. vers. 9.

ÆGYPTUS, nota & celebris Africæ regio, Nilo flumine irrigua, a Mari Mediterraneo ad Tropicum Cancri & Æthiopas usque perveniens.

ÆLAM, regio, in Scriptura quæ nunc Persis dicitur ab Ælam uno e filiis Sem, teste Josepho & Hieronymo alibi in traditionibus Hebraicis in Genes. Legas etiam apud Plinium & prophanos auctores Persidis regionem, vel ei conjunctam dici *Elymaidem*, apud Strabonem *Elymatys*: & 1. Machab. VI. vers. 1. Elymaidem urbem in Perside nobilem, quæ eadem cum Persepoli.

ÆLATH, vel Ailath urbs in Idumæa ad oram Maris Rubri, quam cepit, restauravitque Azarias seu Ozias rex Juda. 4. Reg. XIV. vers. 22. & 2. Paral. XXVI. vers. 2. Postea regibus Juda a Rasin rege Syriæ erepta, Idumæisque ad habitandum restituta, 4. Reg. XVI. vers. 6. Eadem enim est ibi *Aila* quæ *Ælath*, vel *Ailath*, ut ex Hebræo liquet. Ea infra ab Hieronymo dicitur *Abeloth*. De eadem rursum agit in voce *Ailath* & *Elath*. Scribitur & *Elath*, Deuter. II. vers. 8. in versione nostra.

ÆLIA, Hieronymi tempore Hierosolyma dicta, sic enim ipse passim toto hoc libro de locis Hebraicis appellat, ab Ælio Adriano, qui eam reædificavit, sic dicta, ut supra in Acheldemach est dictum. Ita Hieronymus ad Hierem. XIX. & in Epitaphio Paulæ.

| HIERONYMUS | ΕΥΣΕΒΙΟΣ | EUSEBIUS |
|---|---|---|
| [1] *AELIM, castra filiorum Israel, & locus in deserto: in quo duodecim fontes, & septuaginta palmarum arbores Moyses de mari rubro exiens reperit.* | Αἰμὴ, ἔνθα δώδεκα πηγαὶ ὑδάτων καὶ ὁ στελέχη φοινίκων· σταθμὸς τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ ἐπὶ τῆς ἐρήμου. | AIME, ubi duodecim fontes aquarum & septuaginta trunci palmarum. Mansio filiorum Israel. |
| [2] *AELIM, puteus Dimon, & hujus loci in visione contra Moab Esaias recordatur.* | Αἰλεὶμ, φρέαρ Διμμών. Ἡσαΐας, ἐν τῇ ὁράσει κατὰ Μωαβίτιδος. | ÆLIM, puteus Dimmon. Esaias in visione contra Moabitidem. |
| [3] *ÆLMON, civitas tribus Benjamin sacerdotibus separata.* | ΑἸΛΩ'Ν, πόλις κλήρου Βενιαμὶν ἱερεῦσιν ἀφωρισμένη. | ÆLON, civitas sortis Benjamin sacerdotibus separata. |
| [4] *ÆLUS, in deserto, ubi filii Israel castrametati sunt.* | | |
| [5] *ÆMATH, urbs quæ cecidit in sortem Ruben: sed & nunc Amathus villa dicitur trans Jordanem in vicesimo primo mi-* | [6] ΑἸΘΑ'Μ, τῆς κοιλάδος πόλις, ἣ γέγονε φυλῆς Ῥουβήν· λέγεται δὲ καὶ νῦν Ἀμαθοῦς κώμη ἐν τῇ περαίᾳ τῇ κατωτέρᾳ Πέλλης | ÆTHAM, urbs convallis, quæ fuit tribus Ruben: dicitur autem etiam nunc Amathes villa in ulteriori regione |

NOTÆ.

[1] In versione nostra Exodi 15. Elim locus hic appellatur. Αἰλὶμ vel Ἐλαὶμ habent Codices Septuaginta Interpr. IDEM.

[2] Hujus fit mentio Esaiæ 15. v. 8. ubi in Hebræo vox loci propria, sed composita est, באר אלים *Beer-elim*, quod significat puteum fortium, vel arietum. In versione nostra, *Puteus Elim* dicitur. Quod autem hic Hieronymus vocem alteram *Dimon* adjicit, non videtur ad ejusdem loci nomen pertinere, sed alterius in eadem regione Moab, de quo mox ibidem apud Prophetam subjicitur: *& usque ad Puteum Elim clamor ejus: Quia aquæ Dibon repletæ sunt sanguine*: ubi pro *Dibon* in Hebræo & Septuaginta Interpret. est *Dimon*. BONFRERIUS.

[3] ALMON, in versione nostra appellatur Jos. 21. *Almath*, 1. Paral. 6. Apud Septuaginta Interpr. hæc fere vox corrupta est, nisi quod priore loco quidam libri etiam *Almon* vel *Almo* præferant. IDEM.

[4] ALUS, in versione nostra appellatur Numer. 33. v. 13. 14. Ejusdem fit infra mentio voce *Allus*. IDEM.

[5] In nostra versione *Emath* vel *Hemath* ubique scribitur quod Hebraic. חמת *Chamath* dicitur. Verum e duabus Emath, quas priore loco ponit Eusebius vel trans Jordanem in sorte Ruben, vel juxta Gadaram, neutra in Scriptura nominata reperitur: postremæ ab Hieronymo commemoratæ (ejus enim postrema verba esse puto) frequenter Sctiptura meminit, ut cum totius Terræ Promissæ longitudinem complectitur, dicens: *Ab introitu Emath usque ad torrentem Ægypti*. Est tamen minimum duplex Emath in Scriptura distinguenda: una quæ absolute *Emath* dicitur, & frequentius in Scriptura nominatur in extremis finibus Terræ Promissæ ad Aquilonem juxta Libanum montem, vel Antilibanum, de qua paulo ante diximus. Hæc etsi in sortem tribus Nephthali ceciderit Jos.19. ea tamen Chananæis remansit, neque ab Israelitis possessa est usque ad Salomonis tempora, qui eam dicitur obtinuisse 2. Paral. 8. v. 3. Hæc est illa, cujus hic meminit Hieronymus, ab Antiocho Epiphane postea Epiphania appellata: Emath vero dicta est vel ab Amathæo filio Chanaan ejus conditore, vel a calidis aquis, quemadmodum nos diximus Gen. 10. v. 18. Regio vero Emath dicta tota huic urbi subjecta regio etiam usque trans Jordanem porrecta, & terminos Damasci; illud mirum quod de ea hic dicit Hieronymus, *urbem fuisse Cœles Syriæ*, cum tota Cœle Syria videatur fuisse extra terminos terræ Israelitarum, quæ cis Jordanem est, nempe intra Libanum & Antilibanum montesque vicinos comprehensa. Hinc & Ptolemæus Epiphaniam non Cœlesyriæ, sed Cassiotidi adscribit. Videtur fuisse in Syria Soba, ut indicatur 2. Paral. 8. v. 3. Altera est Emath, cujus fit mentio Amos. 6. quæ non simpliciter *Emath* dicitur, sed cum addito, nempe in Hebræo & Septuaginta Interpr. *Emathrabba*, in versione nostra *Emath magna*, quæ alio nomine Antiochia nominatur, caputque est Syriæ. Est & *Emath* turris Hierosolymitanæ nomen 2. Esdræ 12. v. 38. IDEM.

[6] Pro Αἰθὰμ, hic reponendum Αἰμαὶθ. IDEM.

HIERONYMUS. | ΕΥ̓ΣΈΒΙΟΣ. | EUSEBIUS.

*liario Pellæ ad meridiem. Est & alia villa in vicinia Gadaræ nomine Amatha, ubi calidæ aquæ erumpunt. In Regnorum quoque libris scribitur: ab introitu Emath usque ad mare Araba, hoc est deserti, quod est mare mortuum. Ego autem investigans reperi Emath urbem Cœles Syriæ appellari, quæ nunc Græco sermone Epiphania dicitur.*

διεστῶσα σημείοις κὰ εἰς νότον· καὶ ἄλλη δὲ κώμη πλησίον Γαδάρων ἥ ἐστιν Ἐμμαθὰ, ἔνθα τὰ τῶν θερμῶν ὕδατων θερμὰ λϰτρά· καὶ ἐν Βασιλείαις εἴρηται ἀπὸ εἰσόδϰ Αἰθὰμ ἕως τῆς θαλάσσης Ἀραβὰ ἥ ἐστιν ἡ νεκρά.

quæ inferior est, distans Pella viginti uno milliaribus ad austrum. Item alia villa prope Gadaras, quæ est Emmatha, ubi calidarum aquarum calida lavacra: & in libris regnorum dictum est, ab introitu Ætham, usque ad mare Araba, quod est mortuum.

[1] *ÆMES in sorte tribus Issachar.*

Αἲμ, κλήρϰ Ἰσάχαρ.

ÆIM, sortis Issachar.

ÆN, civitas attributa primo tribui Judæ, postea ei detracta, & data tribui Simeonis. Eadem est quæ alibi *Ain* vocatur. Significat hæc vox *oculum*, vel *fontem*.

[2] *ÆNAM euntibus Thamnam, nunc desertus locus, & proximus Tamnæ vico grandi, qui situs est inter Æliam, & Diospolim. Est & fons in supradicto Æna loco: unde & Ænam, id est, fontis nomen accepit: in quo stans idolum maxima illius regionis veneratione colitur. Porro Hebræi affirmant Ænam non locum significare, sed bivium: ubi certo intuitu necessarium sit ad unam de duabus viis eligendam.*

Αἰνὰν, ἥ ἐστιν ἐν παρόδῳ Θαμνά· ἔρημος νῦν τόπος ἐστὶν ἡ Αἰνὰν, παρακείμενος τῇ Θαμνα εἰς δεῦρο οἰκϰμένη μεγίστη κώμη κειμένη μεταξὺ Αἰλίας καὶ Διοσπόλεως· πηγὴ δέ ἐστιν ἐν τῷ Αἰνὰν λεγομένῳ τόπῳ παρ' ἣ εἴδωλον ἦν παρὰ τῶν ἐγχωρίων τιμώμενον.

ÆNAN, quæ est in aditu Thamnam, nunc desertus est locus Ænan proximus Thamnæ quæ huc usque habitatur maximus vicus situs inter Æliam & Diospolim. Est autem fons in loco qui dicitur Ænan, in quo idolum ab indigenis colitur.

[4] Αἰνδὰ, ταύτην ἐπάταξεν Ἄσα.

ÆNDA, hanc percussit Asa.

[3] *ÆNDOR, quæ est in Jezrael, ubi filii Israel se ad prælium præparantes castra posuerunt. Est & hodie grandis vicus Ændor juxta montem Tabor ad Meridiem in quarto milliario.*

Ἀηδὼρ, ἡ ἐν Ἰεσραὴλ, ἔνθα [5] παρενέβαλον οἱ υἱοὶ Ἰσραὴλ εἰς πόλεμον· Ἔστι νῦν μεγίστη κώμη Ἀενδὼρ πλησίον τοῦ ὄρος Θαβὼρ ἐπὶ νότϰ ὡς ἀπὸ σημείων δ'.

AEDOR, quæ est in Jesrael, ubi castrametati sunt filii Israel ad prælium. Est nunc villa maxima Aendor juxta montem Thabor in Meridie quasi in quarto lapide.

ÆNGANNIM. Vide infra Engannim.

---

NOTÆ.

[1] Hæc non alia videtur ab ea, quæ in tribu Issachar Jos. 19. dicitur *Abes* in versione nostra, pro quo Regius Codex habet in Latina nostra versione *Haemes*, & Codices nonnulli Septuaginta Interp. *Aame*; ut proinde verisimile sit in Hebræo pro אבץ *Abets*, legisse אמץ *Amees*. IDEM.

[2] Non ÆNAM, sed *Ænan*, vel *Enan* habent omnes Codices Septuaginta Interpretum Genes. 38. v. 14. ubi in nostra versione nulla est vox propria: nam Hieronymus vertit, *in bivio itineris*, pro quo Septuaginta Interp. dixerunt *ad portas Enan*. Et vero in Hebr. est in *ostio Henaiim*; quæ postrema vox sitne propria, an appellativa in hanc diem disputatur, quemadmodum nos ad eum locum diximus: appellative sumta significare potest duos fontes, vel duos oculos, seu duos quasi aspectus, ut fit in bivio, cum quis hæret & dubitat qua eundum sit. Quidquid sit, sæpe ex loci genio & circumstantia nomina propria vel quasi propria induntur, quod credi potest ei loco accidisse, planeque verisimile est non esse alium locum ab eo qui Jos. 15. v. 34. in tribu Juda *Enaim* appellatur, qui postea in urbem creverit. IDEM.

[3] *Endor* sine diphthongo in versione nostra appellatur. In hac Pythonissa illa fuit, quam Saul adhibuit ad Samuelis animam excitandam, 1. Reg. 28. Ea non in tribu Issachar reponenda, ut quidam volunt, sed dimidia tribu Manasse Cis-Jordanina, ut liquet e Jos. 17. v. 11. Et vero satis credibile est esse illum ipsum locum quem suo adhuc tempore *Endor* dictum Hieronymus asserit, qui necessario in dimidia tribu Manasse reponendus est, cum dimidia hæc tribus a meridie fere contingeret montem Tabor, utpote qui ad torrentem Cisson e monte Tabor decurrentem juxta ipsummet montem perveniret, ut e Judic. 5. v. 19. perspicue colligitur, & nos ibi probavimus. Adde Psalmo 82. v. 11. victoriam de Jabin & Sisara, quæ reportata fuit apud montem Tabor & torrentem Cisson, stragemque de Chananæis ibi factam dici factam in *Endor*. Significat autem hæc vox *Endor* fontem Dor, vel oculum Dor. De *Dor* autem *urbe* in eadem dimidia tribu infra, & de *Endor* rursum infra ad vocem *Endor*. BONFRERIUS.

[4] Nulla eo nomine urbs vel in Scriptura, vel ab Asa expugnata subversave legitur: existimo ego quod 3. Reg. 15. v. 20. habemus duarum urbium nomina Athion & Dan interposita particula copulativa, lecta olim sine ea particula apud Septuaginta, & ex Ahion factum esse *Ain* vel *Æn*, quomodo etiamnum legitur in Codice Romano: unde tandem conjunctis in unum vocibus factum esse *Ændan*. Hæ tamen urbes non fuerunt ab Asa vastatæ, sed ejus rogatu a Benadad rege Syriæ. IDEM.

[5] Παρενέβαλον ) Est in Editione *Hieronymi* nupera παρεμβάλλϰσι. CLERICUS.

| HIERONYMUS. | ΕΥ̓ΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [1] *ÆNIOTH in Hieremia, quod Aquila vertit in officinas, vel tabernas.* | Αἰνιὼθ ἐν Ἱερεμίᾳ· α', τὰ ἐργαστήρια. | Aenioth in Hieremia: Aquila (vertit) officinas vel tabernas. |
| ÆNNON. Vide *Ænon* proxime. | | |
| [2] *ÆNON, juxta Salim, ubi baptizabat Joannes, sicut in Evangelio* κατὰ Ἰωάννην *scriptum est, & ostenditur usque nunc locus in octavo lapide Scythopoleos ad Meridiem juxta Salim & Jordanem.* | Αἰνὼν, ἐγγὺς τοῦ [6] Ἀλεὶμ, ἔνθα ἐβάπτιζεν Ἰωάννης, ὡς ἐν τῷ κατὰ Ἰωάννην εὐαγγελίῳ· καὶ δείκνυται εἰς ἔτι νῦν ὁ τόπος ἀπὸ η' σημείων Σκυθοπόλεως πρὸς νότον πλησίον Σαλεὶμ καὶ τοῦ Ἰορδάνου. | HÆNON, prope Alim, ubi baptizabat Joannes, ut in Evangelio secundum Joannem, ostenditur usque hodie locus ille in octavo lapide Schythopoleos ad Austrum juxta Salem & Jordanem. |
| [3] *ÆRMOM, regio Ævæorum, quam obtinuit Jesus, Hebræus vero, quo prælegente Scripturas didici, affirmat montem Ærmon Paneadi imminere, quem quondam tenuere Hevæi & Amorrhæi: de quo nunc æstivæ nives Tyrum ob delitias feruntur.* | Αἰλερθμὼν, χώρα τῶν Εὐαίων, ἣν κατέσχεν Ἰησοῦς. | ÆLERTHMON, regio Evæorum, quam occupavit Jesus. |
| [4] *ÆRMON, mons Amorrhæorum, de quo nunc dictum est, quem Phœnices vocant Sanior: & Amorrhæus appellavit Sanir: diciturque esse in vertice ejus insigne templum, quod ab Ethnicis cultui habetur e regione Paneadis & Libani, & terra filiorum Israel trans Jordanem ad solis ortum a prærupto Arnon usque ad montem Aermon extenditur.* | Ἀερμὼν, ὄρος τῶν Ἀμοῤῥαίων, ὃ καλοῦσι Φοίνικες [7] Ἀνιώρ· ὁ δὲ Ἀμοῤῥαῖος ἐκάλει αὐτὸ Ἀνέρ. φασὶ δὲ εἰς ἔτι νῦν Ἀερμὼν ὄρος ὀνομάζεσθαι, καὶ ὡς ἱερὸν τιμᾶσθαι ὑπὸ τῶν ἐθνῶν, κατάντικρυ Πανεάδος καὶ τοῦ Λιβάνου ἦν δὲ τὰ ὑπὲρ τὸν Ἰορδάνην καὶ πρὸς ἀνατολὰς ὅρια τῆς κατασχέσεως τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ τὰ μέχρις ὄρους Ἀερμὼν ἀπὸ φάραγγος τοῦ Ἀρνωνᾶ. | AERMON, mons Amorrhæorum, quem vocant Phœnices Anior. Amorrhæus porro vocabat eum Aner: Ajunt vero usque hodie montem Aermon nominari, & velut sacrum a gentibus coli, e regione Paneadis & Libani. Erant autem supra Jordanem versusque Orientem termini possessionis filiorum Israel usque ad montem Aermon a valle Arnona. |
| [5] *ÆSIMON, locus deserti: denique & ipsum vocabulum incultam terram, desertamque significat.* | Ἀσυνὼν, τόπος τῆς ἐρήμου. | ASYNON, locus deserti. |

NOTÆ.

[1] Ita haud dubie legit apud Septuaginta seu Eusebius seu Hieronymus Hieremiæ 37. v. 16. ubi apud eos nunc corruptissime legitur *Chereth*: & vero in Hebræo est חניות *Chanujoth*, quæ vox appellative sumta significare potest tabernas, hospitia; ergastulum vertit Hieronymus; sed & Regius Codex Interpretum Septuaginta appellativam vocem συγκλεισμὸν, hoc est, conclusionem, carcerem habet. Quomodo etiam in quibusdam libris haberi notatur in Scholiis Romani Codicis. Itaque nihil cum locorum propriis nominibus videtur hæc vox quidquam habere commercii, nisi quomodo aliquando appellativa fere transeunt in propria. IDEM.

[2] Ex hac Hieronymi optima descriptione facile colligitur hunc locum intra dimidiam tribum Manasse Cis-Jordaninam comprehensam fuisse, cum Scythopolis in extremo ad Aquilonem ejus esset limite non procul Jordane. In versione nostra *Ænnon* appellatur. Joannis 3. v. 23. IDEM.

[3] HERMON in versione nostra appellatur. Neque tam regionis nomen est, quam montis, ut posteriore loco asseritur, in extremis finibus regionis Trans-Jordaninæ, quam Israelitæ occuparunt; qui non ipsum montem possedisse, sed usque ad ipsum montem pervenisse passim dicuntur. Hæc autem regio Trans-Jordanina ab ipso Josue non occupata fuit, ut videtur hic asseri, sed a Moyse dum adhuc viveret: Josue tamen in partibus Cis-Jordaninis pugnans semel eousque victoriam suam porrexit, ut habetur Jos. 11. v. 17. & nonnullas etiam tum ejus regionis ad radices montis urbes Israeliticis finibus adjecit, ad quem locum videtur hic Hieronymus alludere. De diversis autem hujus montis nominibus habes Deuter. 3. v. 9. & c. 4. v. 48. Monti subjecta regio videtur *Baalgad*, vel *Baalhermon* dicta, quæ vox posterior significat vallem *Hermon*. Ab Adrichomio, imo & Hieronymo in Epitaphio Paulæ alter mons *Hermon* cis Jordanem adstruitur non procul monte Thabor, sed ad mare fere Galilææ ad aliquot milliaria extensus, ac eo loci desinens, ubi Jordanes e mari Galilææ egreditur. Verum hic *Hermon* ægre ex Scriptura firmari potest, nisi forte ejus sit mentio Psal. 88. v. 13. ubi dicitur: *Thabor & Hermon in nomine tuo habitabunt*. Ubi probabile est duos montes vicinos conjungi. IDEM.

[4] Non alius est hic mons ab Hermon, de quo in voce ÆRMON proxime priore loco diximus. IDEM.

[5] In nostra versione JESIMON dicitur, estque ipsa vox Hebraica, quæ desertum & solitudinem significat: unde & eam vocem tam Hieronymus quam Septuaginta *Desertum* reddunt. Quocirca vox corrupta est hic Æsimon; maxime cum nunc non ita exhibeant Codices Septuaginta Interpretum, sed vel *Jessemu* vel *Jessæmun*. Hoc nomen tanquam proprium in versione nostra uno tantummodo loco reperitur. 1. Reg. 23. v. 24. ubi de quodam deserto tribus Judæ sermo est, pro quo eodem Cap. v. 19. & postea Cap. 26. v. 1. ubi de eadem solitudine sermo est, Hieronymus appellative *Desertum* vertit, Septuaginta ut vocem propriam acceperunt. Sed & alibi in Hebræo eadem vox deserto trans Jordanem accommodatur, ubi subinde Hieronymus voce quasi propria *Bethjesimoth*, vel eadem voce nonnihil contracta *Bethsimoth* dixit: porro *Jesimon* & *Jesimoth* Hebræis idem sonant. BONFRERIUS.

[6] Ἀλεὶμ) Ex sequentibus verbis & *Hieronymo*, legendum Σαλείμ. IDEM.

[7] Ἀνιώρ) Legendum Σαριὼν, & inferius Σανείρ ex Deut. III. 9. Fatendum tamen priorem vocem scribi metathesi literæ Σανιὼρ, in antiquissimis Codicibus Vaticano & Alexandrino; perperam tamen, ut innumera alia, quæ Græculi Librarii corruperunt. IDEM.

[1] Pro

HIERONYMUS. | ΕΥΣΕ'ΒΙΟΣ. | EUSEBIUS.

ÆTHAM. Vide Æthan proxime.

[1] *ÆTHAN, in Hieremia, quam Aquila validam, Symmachus interpretatur antiquam.*

Α'ηδάμ, ἐν Ἱερεμίᾳ· Α'κύλας στερεάν· Σύμμαχος, ἀρχαίαν.

ÆDAM, in Hieremia. Aquila validam. Symmachus, antiquam (interpretantur.)

ÆTHIOPIA. De duplici in Scriptura Æthiopia, una Africæ, altera Arabiæ egimus, Gen. II. verf. 10.

[2] *ÆTHON ADASAI, pro quo Symmachus posuit inferiorem viam.*

Α'μαθθά, ἡ Α'δασαί, [5] συμαίνει τὴν κατωτέραν ὁδόν.

AMITHTHA, vel ADASAI, fignificat inferiorem viam.

AFRICA, e quatuor orbis partibus una Afiæ in Ifthmo Ægyptiaco conjuncta, ab Europa Mari Mediterraneo divifa, quæ in orbis fortitione Chami pofteris obvenit.

[3] *AGAD, sita ad radices montis Hermon.*

Α'λγαδ, ὑπὸ τὸ ὄρος τὸ Α'ερμών.

ALGAD, ad radices montis Ærmon.

[4] *AGAI, ad occidentalem plagam vergit Bethelis non multum ab ea distans. Sita autem est Bethel euntibus Æliam de Neapoli in læva parte viæ duodecimo circiter milliario ab Ælia, & usque hodie parvus licet vicus ostenditur: sed & Ecclesia ædificata est, ubi dormivit Jacob pergens Mesopotamiam: unde & ipsi loco Bethel, id est, domus Dei nomen imposuit. Agai vero vix parvæ ruinæ resident, & locus tantummodo monstratur. Et sciendum quod in Hebræo g literam non habent, sed voca-*

Α'γγαί, κατὰ δυσμὰς Βηθὴλ διεστήκασιν ἀλλήλων οὐ πλεῖστον. Κεῖται δὲ καὶ Βηθὴλ ἀπιόντων εἰς Αἰλίαν ἀπὸ νέας τῆς πόλεως [6] ἐν λαιοῖς τῆς ὁδοῦ ἀμφὶ τὸ [7] δωδέκατον ἀπ' Αἰλίας σημεῖον· καὶ ἡ μὲν Βαιθὴλ εἰς ἔτι νῦν μένει. Ἡ δὲ Α'γγαι τόπος ἔρημος, αὐτὸς μόνον δείκνυται· καλεῖ δὲ αὐτὴν ἡ Γαὶ ἡ γραφή.

AGGAI, ad occidentalem plagam Bethel non multum inter fe diftant. Sita eft autem Bethel Neapoli pergentibus Æliam in læva parte viæ duodecimo circiter ab Ælia milliario · & Bethel quidem ufque nunc permanet: Aggai vero locus defertus is folum oftenditur. Ipfam quoque Scriptura vocat Gai.

---

## NOTÆ.

[1] Pro nomine proprio etiam hanc vocem videntur accepiffe Septuaginta Interpretes, quam Interpres nofter appellative vertit Hierem. 49. v. 19. & Cap. 50. v. 44. ubi dixit, pulchritudinem robuftam: fonat enim hæc vox איתן *Ethan* robuftum, validum, fortem. Sic & Pfal. 73. v. 15. Septuaginta dixerunt: *tu ficcafti fluvios Ethan*, ubi fine diphthongo fcribitur; at Hieronymus: *tu exficcafti flumina fortia*. Vix tamen jam in Codicibus Septuaginta Interpretum apud Hieremiam reperias hanc vocem incorruptam, fed vel *Etham*, *Gathan*, *Emath*, *Gaimath*. Porro melior auctorum pars cenfet *Ætham*, vel *Ethan* loci nomen non effe, fed illis locis Septuaginta Interpretes vocem Hebraicam appellativam in fua verfione retinuiffe, ut & alias fubinde fecerunt. Reperitur tamen in Scriptura non *Ethan*, fed *Etham* deferti nomen. Exod. 13. & Num. 33. IDEM.

[2] Quid illud fit, & ubi voces illas retinuerint Interpretes Septuaginta ægre quis definiat: ita nimirum deformatæ funt & corruptæ, ut nullam affinitatem habeant cum Hebræis vocibus; plane tamen fufpicor id ex 2. Reg. 24. v. 6. fumtum, ubi nos habemus: *in terram inferiorem Hodfi*, ubi Aldinus & Bafileenfis Codex habet: Αἰσθὼν καὶ Δασαί, ponunturque quafi duo nomina locorum propria: Romanus ἥ ἐστιν Α'δασαί. quæ eft Adafai. In Hebræo eft תחתים חדשי *tachtim chodfchi*. Ex quo colligas quam fœdæ corruptiones jam inde a prifcis temporibus in verfionem Interpretum Septuaginta irrepferint, maxime quoad nomina illa propria. IDEM.

[3] Nufquam *Agad* in Scriptura reperitur, fed ea regio quæ fita eft ad radices montis Hermon *Baalgad*, Jof. Capp. 11. 12. 13. nuncupatur: quomodo fere etiam Septuaginta in variis Codicibus iis locis habent vel levi vocis mutatione *Balgad*, *Balagad*, *Baalgath*; quamquam poftremo loco admodum corrupte fere *Galgal* habeant. IDEM.

[4] De eadem infra Hieronymus fub nomine *Gai*. Hæc in verfione noftra vocatur *Hai*: eft enim, ut notat hic Hieronymus in Hebræo ע, qua litera & ejus debito fono cum careamus, alii per H, (eft enim una ex literis gutturalibus, vel afpirationibus Hebræorum) alii per g efferunt; præpofito autem ה fervili fit העי *Hagai*, vel mollita afpiratione *Agai*. Illud autem mirum Eufebium vel Hieronymum hic fcribere, *eam fuiffe ad occidentalem plagam urbis Bethelis*, cum tam diferte contrarium afferat Scriptura, quæ eam ad orientem Bethelis conftituit, Gen. 12. v. 8. ubi Abraham dicitur tetendiffe tabernaculum fuum ab occidente habens Bethel, & ab oriente *Hai*. Item Jofue 7. v. 2. *Hai* dicitur ad orientalem plagam oppidi Bethel fuiffe. Rurfum Cap. 8. v. 9. dicuntur infidiæ fediffe inter Bethel & *Hai* ad occidentalem plagam urbis *Hai*: ex quo neceffario fequitur Bethel occidentaliorem fuiffe. IDEM.

[5] Συμαίνει ) Scripferat *Eufebius* Συμ. hoc eft, *Symmachus*, ut ex *Hieronymo* liquet, ex quo imperitus fecit σημαίνει, ut eft in Cod. MS. & Bonfrerius σημαίνει. Paffim in hoc opere nomina Interpretum Græcorum compendiaria fcriptura expreffa funt. CLERICUS.

[6] Ἐν λαιοῖς ) In Cod. MS. legebatur ἐννέοις fine fenfu. In Editione Bonfreriana mendofe ἐνωνύμοις pro εὐωνύμοις. Rectius *Martianæus* conjecit, ἐν λαιοῖς, ex *Hieronymo*. IDEM.

[7] Δωδέκατον ) In Cod. MS. abfurde eft δωδεκάφυλον, nec melius *Bonfrerius* δωδεκατάλιν, ut recte animadvertit idem *Martianæus*, quem fequuti fumus. Verum idem male vult tueri *Eufebium* & *Hieronymum* perperam ponentes *Aggai* κατὰ δυσμὰς Βηθὴλ, *ad occidentalem plagam Bethelis*, cum Scriptura doceat Bethelem fuiffe ad occafum urbis *Gai*, vel *Hai*. Abfurde verba Græca interpretatur *Martianæus*, *verfus occidentales partes Bethel*, vel *e regione occidentis Bethel*, nam *Hai* fuit oppofita partibus orientalibus urbis Bethel. Abfurde etiam verba *Hieronymi* intelligit, quafi voluiffet *Aggai refpectu Bethelis tendere & porrigere fe fe ad occidentem verfus*; quæ fententia phrafeos coacta eft, & inaudita. Multo fatius eft dicere memoria peccaffe *Eufebium*, nec *Hieronymum* peccatum ejus emendaffe. Sed fic, inquit, mavult accepiffe verba Doctiffimorum Scriptorum veterum, & fpectatorum Palæftinæ, quam imperitiæ alicujus, vel hallucinationis eos infimulare. Verum & alibi cefpitaffe eos liquide oftendit *Bonfrerius*; nec quifquam eft, qui interdum aut memoria, aut incuria non peccet. IDEM.

[1] Hu-

HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS.

*tur Ai: ſcributurque per elementum quod apud eos dicitur y aijn.*

[1] *AGALLIM. Hujus meminit Iſaias in viſione contra Moab. Eſt autem nunc Agallim vicus ad auſtralem partem Areopoleos diſtans ab ea millibus octo.*

Ἀγαλλείμ. καὶ νῦν ἔστιν Αἰγαλείμ κώμη πρὸς νότον Ἀρεοπόλεως, διεστῶσα σημείοις ή.

AGALLIN. Et nunc eſt Ægalim unius ad meridiem Areopoleos diſtans milliaribus octo.

[2] *AGER FULLONIS, hoc in Eſaia ſcriptum eſt. Oſtenditur autem nunc uſque locus in ſuburbanis Hieruſalem.*

Ἀγρὸς τοῦ γναφέως, παρὰ Ἡσαΐα· καὶ δείκνυται ἔτι νῦν ὁ τόπος ἐν προαστείοις Ἱερουσαλήμ.

AGER FULLONIS, apud Iſaiam. Et oſtenditur etiam nunc locus in ſuburbiis Hieruſalem.

[3] *AGLIPH, in tribu Juda.*

Ἀζείκ, φυλῆς Ἰούδα.

AZIC, tribus Juda.

[4] *AGRI SPECULA, mons eſt Moabitarum, in quem adduxit Balach filius Sephor Balaam divinum ad maledicendum Iſrael ſuper verticem, qui propter vehemens præruptum vocatur exciſus: & imminet mari mortuo haud procul ab Arnone.*

Ἀγροῦ σκοπία, ὄρος Μωάβ, ἐν ᾧ ἤγαγε Βαλὰκ τὸν Βαλαὰμ ἐπὶ τὴν κορυφὴν τοῦ * λελαξευμένου ὑπερκείμενον τῆς νεκρᾶς θαλάσσης ὃ καὶ εἰς ἔτι νῦν δείκνυται οὐ μακρὰν διεστὼς τοῦ Ἀρνῶνος.

AGRI SPECULA, mons eſt Moab, in quo Balac duxit Balaam ſupra verticem (exciſi) imminens mari mortuo, qui uſque hodie oſtenditur non longe diſtans ab Arnone.

AHALAB, civitas in tribu Aſer, a qua habitatores Chananæos Aſeritæ non expulerunt. Judic. 1. verſ. 31.

[5] *AHALACH, mons, quem Aquila interpretatur dividentem montem: & Symmachus lævem montem, id eſt limpidum ſeu lubricum.*

* Ἀλαή, ὄρος, Ἀκύλας ὁρίζον τὸ ὄρος λέγει αὐτό.

ALÆ, mons, Aquila dividentem montem id ait.

AHAVA, 1. Eſd. VIII. ſitne fluvius, an urbs ad fluvium, an utrumque obſcurum eſt: verſ. 21. & 31. videtur *flumen Ahava* per appoſitionem poni: at verſ. 15. dicitur *ad fluvium qui decurrit ad Ahava*, quod urbis nomen indicat. Rurſum in Hebræo verſ. 21. & 31. ſemel *fluvius Ahava* effertur per regimen, ſemel ſine regimine.

[6] *AHELOTH, quam extruxit Azarias.*

Αἰλών, ταύτην ᾠκοδόμησεν Ἀζαρίας.

AILON, hanc ædificavit Azarias.

[7] *AHIA, in Aſſyriorum regione locus.*

Εἴα, χώρα Ἀσσυρίων.

AIA, regio Aſſyriorum.

---

## NOTÆ.

[1] Hujus fit mentio Iſaiæ 15. v. 8. ſed in verſione noſtra *Gallim* vocatur. Eſt & alia *Gallim* in Iſraelitarum finibus, cujus fit infra in GALLIM mentio. *Areopolis* autem, cujus hic fit mentio, infra etiam meminit Hieronymus in ARIEL, & in ARNON, & in MOAB, quam aliam non exiſtimo ab *Ar* oppido Moab, quæ paſſim in Scriptura indicatur fuiſſe Moabitarum metropolis civitaſque primaria; idque ipſum in *Arnon* ſatis perſpicue indicat Hieronymus. BONFRERIUS.

[2] Hujus fit mentio Iſaiæ 7. & 36. item 4. Reg. 18. e quibus locis liquet fuiſſe in ſuburbano Jeruſalem. Sunt qui ad meridiem, ſunt qui ad orientem montis Sion locant: verius eſt inter orientem & meridiem non procul hortis regiis fuiſſe. IDEM.

[3] Nulla eo nomine in tribu Juda, vel alibi urbs in Scriptura reperitur, ut proinde neceſſe ſit vocem eſſe corruptam: ſuſpicor ſcribendum fuiſſe *Achzib*, quo nomine in tribu Juda Joſ. 15. v. 44. urbs nuncupatur. IDEM.

[4] In Hebræo Num. 23. v. 14. appellatur שדה צפים *ſede tſophim*, hoc eſt, *ager ſpeculatorum*: Hieronymus vertit *locum ſublimem*; in locis enim ſublimibus collocari ſolent ſpeculæ, utpote ex quibus longe lateque proſpectus pateat. Quod autem hic additur: ſuper verticem, qui propter vehemens præruptum vocatur exciſus, inſerta etiam nominis ratione, Hieronymus in ſua verſione dixit: *ſuper verticem montis Phaſga*; vox enim illa *Phaſga* exciſum ſignificat, licet alia etiam ab ipſo Hieronymo adferri ſoleat nominis ratio, a dolatis videlicet exciſiſque ad ſcandendum gradibus, quemadmodum nos ad Num. 21. v. 20. notavimus. Pro *Arnoe* apud Hieronym. reponendum *Arnon*. IDEM.

[5] Sitne & hoc montis nomen proprium, Joſ. 11. v. 17. & Cap. 12. v. 7. (ubi varie hoc nomen in diverſis Codic. Interp. Septuag. expreſſum reperitur, *Alac*, *Aalac*, *Aloc*, *Aloch*, *Chelca* vel *Chelcha*, quod poſtremum in Rom. Codic. videtur maxime ad vocem Hebræam חלק *Chalac* vel חלק *Chelec* accedere) merito dubitari poteſt, cum cæteri omnes appellative verterint, uti nos ad Joſ. 11. diximus, & Hieronymus quidem *partem montis* dixit: alii *montem dividentem*, vel *montem diviſionis*. Verum jam non ſemel diximus ex rerum natura & genio ſolita ſæpe nomina quaſi propria locis imponi. IDEM.

[6] Hæc *Ælath*, vel *Ailath* in verſione noſtra dicitur. In Codicibus, quos nunc habemus Interp. Septuag. appellatur *Æloth*, vel *Ælath*. In Hebræo etiam modo אילות *Eloth*, modo אילת *Elath*. De hac & nos ſupra egimus in ÆLATH. IDEM.

[7] AHIA, hic locus in verſione noſtra, & in emendatioribus nunc Septuaginta Interp. Codicibus *Aia* appellatur. 4. Reg. 17. v. 24.

* Pro barbara & corrupta voce λαζαρυμένυ in MS. Euſebii, repoſuimus λελαξευμένυ, qua voce paſſim utuntur Septuaginta Interpr. ubi in Hebræo & noſtra verſione eſt Phaſga; ad quæ loca haud alludit hic Euſeb. IDEM.

* Non Ἀλαή ſed Ἀλὰκ exiſtimo legendum. IDEM.

1 Hæ

| HIERONYMUS. | ΕΥ'ΣΕ'ΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [1] *AHIE, quæ & Achalgai, pro hac Symmachus interpretatur, in collibus. Eſt autem e regione quondam Moab nunc Ariopoleos ad Orientalem plagam.* | Αἰή, ἡ καὶ Ἀχελυγαί, [6] ἐν τοῖς βουνοῖς· αὕτη λέγεται εἶναι, κατὰ πρόσωπον Μωὰβ τῆς Ἀρεοπόλεως κατὰ ἀνατολάς. | AIE, quæ etiam dicitur Achelygæ: in collibus. Hæc dicitur eſſe e regione Moab, quæ nunc eſt Areopolis, verſus orientem. |
| AHION. Vide AIAN. | | |
| [2] *AIALIM, pro quo Aquila tranſtulit, cervorum; Theodotio, lapides cervorum.* | [7] Ἀαλίμ, Ἀκύλας, τῶν ἐλαφίνων· Θεοδοτίων, τῶν πετρῶν τῶν ἐλάφων. | AALIM, Aquila (vertit) hinnulorum cervinorum. Theodotio, petrarum cervorum. |
| [3] *AIALON, vallis atque præruptum, ſuper quod orante quondam Jeſu Luna ſtetit juxta villam, quæ uſque nunc Aialon dicitur contra orientem Bethelis tribus ab ea millibus diſtans haud procul a Gabaa, & Rama Saulis urbibus. Porro Hebræi affirmant Aialon vicum eſſe juxta Nicopolim in ſecundo lapide pergentibus Æliam.* | Αἰλώμ, φάραγξ καθ' ἧς ἔστη ἡ σελήνη εὐξαμένου Ἰησοῦ ἐγγὺς κώμης· ἔστι νῦν Αἰλὼν καλουμένη ἐξ ἀνατολῶν Βηθὴλ σημείοις τρισὶ διεστῶσα· παράκειται δὲ αὐτῇ Γαβαά, [8] καὶ Ῥαμαὰ πόλις Σαούλ. | AILOM, prærupta vallis, ſupra quam ſtetit Luna orante Jeſu prope vicum. Eſt nunc Ælon dictus, ab oriente Bethel tribus milliaribus diſtans: Adjacet ipſi Gabaa, & Ramaa civitas Saulis. |
| [4] *AIALON, urbs ſortis Dan, ſeparata Levitis, & eſt hodie vicus alius haud procul a Nicopoli. Sciendumque quod pro Aialon Septuag. ediderunt, ubi erant urſi.* | Αἰλών, πόλις κλήρου Δάν, Λευίταις ἀφωρισμένη· κώμη δέ ἐστι Ἀλοὺς περὶ Νικόπολιν· ἀντὶ δὲ τοῦ Αἰλών, οἱ ό, οὗ αἱ ἄρκτοι, ἐκδεδώκασιν. | ÆLON, civitas ſortis Dan Levitis ſeparata: Eſt autem vicus Alus circa Nicopolim: Pro Ælon autem Septuaginta reddiderunt, ubi erant urſi. |
| [5] *AIAN, quam expugnavit rex Aſſyriorum.* | Αἰάν, ταύτην ἔλαβεν ὁ βασιλεὺς Ἀσσυρίων. | AIAN, hanc cepit rex Aſſyriorum. |

AIATH, cujus ſit mentio Iſa. x. verſ. 28. urbs qua tranſiturus dicitur Sennacherib rex Aſſyriorum, & ut ex aliis ibi locis conjunctis apparet poſita in confinio duarum tribuum Ephraim & Benjamin. Sunt qui eamdem eſſe putent cum *Hai*, de qua nos ſupra egimus in AGAI, favetque Hebraica ſcriptio: aberatque non multum *Hai* & *Bethel* a reliquis ibi Iſaiæ x. nominatis urbibus: illud tantum videtur obſtare quod *Hai* ad Orientem eſſet Magron, Ma-

## NOTÆ.

[1] Hæ voces, ſi ullæ aliæ in hoc opere, ſupra modum corruptæ ſunt: in Hebræo eſt Num. 21. v. 11. עיי העברים *hije hababarim*, quod ſignificat deſolationes tranſituum, ſeu propter frequentia latrocinia ibi exerceri ſolita, ſeu deſolationes dictæ a magna ibi ſolitudine, in qua tranſeuntes neminem reperirent, ſeu denique deſolationes Abarim, a quibus hæc ſolitudo incipiebat. Noſter Interpres duas illas voces tanquam ad nomen proprium pertinentes in unum conjungens in ſua verſione poſuit *Jeabarim*. Septuag. Interp. in nonnullis Codicib. ut Cod. Regio etiamnum habent *Aiebarim*: truncata vero voce factum eſt *Aie*, vel *Ahie*. Altera vox *Achalgai*, vel *Achelgai* etiamnum ibidem legitur in Romano, Aldino, & Baſileenſi Codice; quod etſi Græcis barbaram eſſe vocem ſatis ipſe ſonus prodat, nullam tamen cum Hebræa voce affinitatem habet: ut mirum ſit unde tanta in vocibus corruptio naſci potuerit. IDEM.

[2] Nullus locus in verſione noſtra *Aialim* vocatus reperitur, ſed neque occurrit ubi eam vocem Septuaginta proprie uſurpaverint. Eſt tamen hæc vox, ſicubi illam habent, incorrupta: nam *Aialim* Hebræis *cervos* ſignificat. IDEM.

[3] De hac valle mox plura cum de urbe AIALON dicemus. BONFRERIUS.

[4] Ego nullam in Scriptura agnoſco *Aialon*, quam eam quæ fuit in ſorte tribus Dan, ut e Joſ. 19. & Judic. 1. conſtat, eademque Levitica fuit civitas, ut liquet e Joſ. 21. De eadem vero accipiendum eſſe, cum Joſue imperavit Lunæ, *ut ſtaret contra vallem Aialon*, probavi Joſ. 10. v. 13. Itaque nullo modo admittendum puto, quod hic paulo ante, ubi de *Aialon valle* ſermo eſt, aſſeritur illam *Aialon*, cui ſuperſtare juſſa eſt Luna, fuiſſe juxta Bethelem, nedum ad Orientem Bethelis: quomodo enim Joſue qui a Gabaone verſus Occidentem in Bethoron receſſerat, & utrimque hinc & inde Solem & Lunam adſpiciebat, potuit Lunam verſus Orientem adſpicere, ſi in eadem Orientali parte erat Sol? Quod autem dicitur hic *Septuaginta pro Aialon edidiſſe, ubi erant urſi*, ad Judic. 1. v. 35. pertinet; qua de verſione nos ibi fuſe diximus: alibi enim nomen *Aialon*, vel corrupta nonnihil voce *Ælon* habent. Eſt & alia *Aialon* in tribu Zabulon in Hebræo, Judic. 12. (eodem enim modo Hebraice quo prior illa Danitica ſcribitur) cujus nomen in verſione noſtra non exprimitur, de qua & vide infra in ATHALIM. Videri poſſit & alia in Hebræo eſſe in tribu Ephraim e 1. Paral. 6. v. 69. in Hebr. enim eſt *Aialon*, quod in verſione noſtra eſt *Helon*: ſed hæc eadem eſt cum illa Danitica ſuperiore; ibi enim Leviticæ civitates tribus Dan in unum conjectæ ſunt cum civitatibus Leviticis tribus Ephraim. IDEM.

[5] Hæc in verſione noſtra vocatur *Ahion* vel *Aion*: ea autem a rege Aſſyriorum Teglathphalaſar expugnata fuit, 4. Reg. 15. v. 29. Eſt autem urbs in tribu Nephthali. IDEM.

[6] Ἐν τοῖς βουνοῖς) Recte monet *Martianæus*, liquere ex *Hieronymo* omiſſum hic eſſe nomen Σύμμαχος. CLERICUS.

[7] Ἀαλίμ) Scribendum cum *Hieronymo*, Αἰαλείμ, ex Hebraico היעלים *hajehelim*, quæ vox occurrit 1. Sam. XXIV. 3. in his verbis: *adſumtis tribus virorum electorum, ex omni Iſraele, millibus, ivit ad quærendum Davidem & viros, qui cum eo erant, per rupes ibicum*, על פני צורי היעלים, ubi ultimam vocem nomen proprium eſſe loci crediderunt LXX. Intt. quorum Codices, qui ad nos pervenerunt, ſunt corrupti, ut liquet ex hoc *Euſebii* loco. Habet Codex Vaticanus Σαδδαιείμ, Alexandrinus vero Ἀειαμείν. Unde factum ut locum, ad quem reſpicit *Euſebius*, invenire non potuerit *Bonfrerius*. IDEM.

[8] Ῥαμαὰ πόλις Σαούλ) Memoria fefellit *Euſebium*, nam ſola Gabaa dicitur *urbs Saulis*. Vid. 1. Sam. x. 26. xi. 4. XXIII. 19. XXVI. 1. CLERICUS.

HIERONYMUS. ΕΥΣΕΒΙΟΣ. EUSEBIUS.

chimas, Gabaa, Rama, cum tamen regis Assyriorum adventus describatur quasi a Septemtrione in Austrum progredientis: nam & Judææ Septemtrionalis est Assyria.

AILA. Vide ÆLATH supra, & AILATH proxime.

[1] *AILATH, super littus maris rubri in terra Edom.*

Αἰλάθ, ἐπὶ τοῦ χείλους τῆς ἐσχάτης θαλάσσης ἐν τῇ Ἐδώμ.

AILATH, supra littus extremi maris in terra Edom. Extat & superius Ailas.

[2] *AILATH, in extremis finibus Palæstinæ juncta meridianæ solitudini, & mari rubro: unde ex Ægypto Indiam, & inde ad Ægyptum navigatur. Sedet autem ibi legio Romana cognomento Decima: & olim quidem Ailat a veteribus dicebatur, nunc vero appellatur Aila. Sed & Elamitarum quondam natio fuit, cui imperavit Chodorlaomor: cujus in Actibus quoque Apostolorum mentio fit, & in Regnorum Libris urbs quædam Palæstinæ Ælam scribitur.*

Αἰλάμ, [5] ἐν ἐσχάτοις ἐστὶ, παρακειμένη τῇ πρὸς μεσημβρίαν ἐρήμῳ, καὶ τῇ πρὸς αὐτὴν ἐρυθρᾷ θαλάσσῃ, πλωτὴ οὖσα τοῖς τε ἀπ' Αἰγύπτου περῶσι, καὶ τοῖς ἀπὸ τῆς Ἰνδικῆς· ἐγκάθηται δὲ αὐτόθι τάγμα Ῥωμαίων τὸ δέκατον· καλεῖται δὲ νῦν Αἰλά· ἦν δὲ καὶ Αἰλαμιτῶν τὸ παλαιὸν ἔθνος· ταύτης ἦν Βασιλεὺς Χοδολαγόμωρ. κεῖται δὲ καὶ ἄλλη ἐν βασιλείαις Αἰλὰμ [6] τῶν ἀλλοφύλων.

AILAS, in extremis (finibus) est, adjacens meridianæ solitudini & rubro mari; unde navigatur ab iis qui ex Ægypto trajiciunt & ab India. Est autem ibi collocata legio Romanorum quæ dicitur Decima. Nunc autem Aila vocatur. Fuit vero & Ælamitarum antiqua natio. Hujus rex fuit Chodolagomor. Extat & alia in libris regnorum Æla alienigenarum.

[3] *AIN, in tribu Juda urbs sacerdotibus separata. Est & usque hodie villa Bethemim nomine, in secundo lapide a terebintho, hoc est, a tabernaculo Abraham quatuor millibus a Chebron.*

Ἀρὶ, φυλῆς Ἰούδα, ἱερεῦσιν ἀφωρισμένη· Ἔστι δὲ κώμη νῦν Βηθανὶν λεγομένη ἀπὸ β' σημείων τῆς τερεβίνθου, Χεβρὼν δὲ ἀπὸ τεσσάρων.

ARI, tribus Juda, sacerdotibus separata: est & vicus modo Bethanin dictus in secundo lapide a Terebintho, a Chebrone vero in quarto.

[4] *AIN, in Daroma contra Australem plagam Chebronis, novem ab ea millibus separata.*

*AIN, in tribu Juda, seu Simeon, civitas sacerdotibus separata.*

Αἰν, κλήρου Ἰούδα, ἢ Συμεὼν, πόλις ἱερατική.

AIN, sortis Juda, vel Simeon, civitas sacerdotalis.

AION. Vide AIAN.

ALEXANDRIA, illustris Ægypti civitas, & Ptolemæorum regum Ægypti sedes regia, quæ etsi nomen ab Alexandro Magno accepit, diu tamen ante Alexandrum ejus nomen in Scriptura apud Prophetas auditur per quamdam prolepsim, ut docet Hieronymus ad Ezech. xxx. Ejus nomen Hebraicum est נא No.

ALICARNASSUS, I. Machab. xv. urbs est minoris Asiæ non ignota.

---

NOTÆ.

[1] Hæc eadem quæ sequens. IDEM.

[2] De hoc eodem loco in Idumæa ad oram Maris Rubri, unde etiam solvebant naves Salomonis ut irent in Tharsis & Ophir, jam semel & iterum supra egit Hieronymus in ÆLATH & AHELOTH: nunc rursum de eodem semel & iterum sub voce *Ailath*; neque enim diversus est locus prior & posterior. Illud mirum quomodo eam Hieronymus ponat in *extremis finibus Palæstinæ*; satis enim constat eam ad Palæstinam nihil pertinuisse, & ab ea satis procul abfuisse, deserto interjecto. Crediderim ab Hieronymo scriptum *in extremis finibus Idumææ*: fuisse enim *Ailath*, & *Asiongaber* in terra Edom, & in extremis ejus finibus (quandoquidem ea esset ad oram Maris Rubri) certum est ex Deuter. 2. v. 8. & 3. Reg. 9. v. 26. & 2. Paral. 8. v. 17. De *Ælam* vero seu *Elam*, quæ Persidis est regio suo loco in ÆLAM diximus, sed hæc non per א ut prior, sed per ע in Hebræo scribitur. Præter has nulla est alia in Scriptura etiam in Regnorum Libris; siquidem *Aila*, cujus fit mentio in Regum Libris, eadem est quæ *Ailath* ad oram Maris Rubri. IDEM.

[3] De hac paulo post. BONFRERIUS.

[4] De hac ad vocem sequentem. IDEM.

De eadem urbe semel, bis, tertio sub eodem agit nomine, quæ commodius in unum fuissent conjecta. Quamquam ejus ab Hebrone distantiam non eodem modo ubique definiat. Daroma autem Judææ totius plaga est maxime meridionalis, id enim Hebræis vox illa sonat, ubi haud dubie urbs illa fuit, quandoquidem in tribu Simeonis fuerit, quæ plane ad Austrum. Dicitur in versione nostra *Ain* vel *Æen*, de qua & nos supra in voce ÆN diximus. Fuit autem, ut ibi diximus, primo tribui Judæ, postea Simeonis attributa: eademque, ut hic Hieronymus dicit, *Sacerdotalis civitas*, quæ, dum assignantur Sacerdotales & Leviticæ civitates, Jos. 21. tribui Judæ adscribitur; quia intra tribum Judæ ibi tribus Simeon comprehenditur, cum intra tribus Judæ fines esset recepta. IDEM.

[5] Ἐν ἐσχάτοις) Hoc est, in extremitate terrarum, ad mare; non *in finibus Palæstinæ*, ut habet *Hieronymus*, nam Palæstina numquam eo usque porrecta est. Peccatum est, ut videtur, ἀπροσεξίας, nam nullam hic varietatem lectionis proferri video. IDEM.

[6] Ἀλλοφύλων) *Alienigenæ* frequentissime dicuntur Philisthæi, ideoque *Hieronymus* vertit hic *Palæstinæ*, sed perperam, ut recte *Bonfrerius* ostendit. Ac sane in hoc libro non semel *Eusebius* ἀλλοφύλους vocat alios quoque populos, qui non erant Israele oriundi. Vide ad vocem *Asor*. IDEM.

I Hæc

| S. HIERONYM. | ΕΥ̓ΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
| --- | --- | --- |
| [1] *ALIMELECH, sortis Aser.* | Ἀλιμέλεχ, κλήρου Ἀσήρ. | ALIMELECH, sortis Aser. |
| ALIMI, urbs Transſ-Jordanina in Galaaditide regione. I. Machab. v. | | |
| [2] *ALLEA BARGOSAN, nomina fluminum in terra Medorum : ad quorum montes captivus Israel ductus est.* | Ἀλασαβὼρ Γωζάν, ἐν χώρᾳ Μήδων ποταμοί, ὧν ἐν τοῖς ὄρεσιν ἀπῳκίσθη ὁ Ἰσραήλ. | ALASABOR GOZAN, fluvii in regione Medorum, ad quorum montes Israel captivus abductus est, (& migrare compulsus.) |
| [3] *ALLUS, regio Idumæorum, quæ nunc Gabalene dicitur, vicina petræ civitatis.* | Ἀλλοὺδ, χώρα ἡγεμόνων (τῆς Ἰδουμαίας) ἐν τῇ νῦν Γεβαλήνῃ, Πέτρᾳ τῇ πόλει παρακειμένη. | ALLUD, Regio principum Idumææ, in ea regione quæ nunc est Gebalene Petræ civitati vicina. |
| ALMATH & ALMON. Vide ÆLMON. | | |
| ALUS. Vide Allus. | | |
| AMAAD. Vide Amath. | | |
| AMALEC, mons in tribu Ephraim. Judic. XII. vers. 15. | | |
| [4] *AMALECHITES, regio in deserto ad meridiem Judæ, trans urbem Petram euntibus Ailam: cujus & Scriptura recordatur, dicens: Amalech habitat in terra ad Austrum : sed & juxta eum alius Chananæus habitabat, qui dimicavit contra filios Israel in deserto: de quibus ita scribitur: Amalech autem & Chananæus habitabant in valle.* | [8] Ἀμαληκίτης, χώρα ἐν τῇ ἐρήμῳ, τῇ πρὸς μεσημβρίαν τῆς Ἰουδαίας, ὑπερκειμένη τῆς νῦν καλουμένης Πέτρας πόλεως, ἀπιόντων εἰς Αἰλά· ἐπισημαίνεται δὲ καὶ ἡ γραφὴ λέγουσα· Ἀμαλὴκ δὲ κατῴκει ἐν τῇ γῇ πρὸς νότον· ἐκ γειτόνων δὲ αὐτῶν ὁ Χαναναῖος ὑπῆρχεν ὁ καὶ πολεμήσας τοῖς υἱοῖς Ἰσραὴλ ἐπὶ τῆς ἐρήμου, ὃ καὶ αὐτὸ μαρτυρεῖ ἡ γραφή, λέγουσα· ὁ δὲ Ἀμαλὲκ καὶ οἱ Χαναναῖοι κατοικοῦσιν ἐν τῇ κοιλάδι· | AMALECITES, regio in deserto, quod est ad meridiem Judææ, sita supra civitatem quæ nunc appellatur Petra, abeuntibus in Æla: indicat vero & Scriptura, cum ait: Amalec autem habitabat in terra ad Austrum: ex iisdem porro vicinis fuit Chananæus, qui etiam pugnavit cum filiis Israel in eremo, quod & ipsum Scriptura testatur, cum ait: Amalec vero & Chananæi habitant in valle. |
| AMAM. Vide AMAN, quod sequitur. | | |
| [5] *AMAN, in tribu juda.* | Ἀμὰν, φυλῆς Ἰούδα. | AMEN, tribus Juda. |
| AMANA, Cant. IV. vide ABANA. | | |
| [6] *AMATH, in tribu Aser.* | Ἀμώδ, κλήρου Ἀσήρ. | AMOD, sortis Aser. |
| [7] *AMATH, in tribu Nepthalim.* | Ἀβαθέ, κλήρου Νεφθαλείμ. | ABATHE, sortis Nephthali. |

NOTÆ.

[1] Hæc in versione nostra Jos. 29. *Elmelech* appellatur : apud Septuaginta juxta varios Codices *Alimelech*, *Elimelech*, *Elmelech*: in Hebræo *Allammelech*, quæ vox idem sonat quod *inutilis rex*, vel *mutus rex*. IDEM.

[2] In his vocibus plane corruptis tria nomina propria implicata sunt, quæ habes 4. Reg. 17. v. 6. In *Hala*, *& in Habor juxta fluvium Gozan*; quæ verba *Hala* & *Habor* non fluviorum, sed urbium esse indicant nomina, fluvii vero unicum illud *Gozan*. Itaque hæc omnia non fluviorum sunt nomina, ut videtur hic indicari, & e versione Septuaginta elici potest, quæ habet, *in Hala*, & *in Habor fluviis Gozan*; quæ versio videtur duo illa priora fluviorum facere nomina, postremum urbis vel loci. At versio nostra firmatur ex Hebræo, ubi נהר *nehar*, hoc est, *fluvius*, singulare est. Adde & alterum locum e 1. Paral. 5. v. ult. ubi rursum eadem habentur: *Et adduxit eos in Labela, & in Habor, & Ara, & fluvium Gozan*, ubi solum hoc postremum fluvius constitui videtur, etiam in versione Septuaginta Int. Fatendum tamen & alterum haberi in nostra versione 4. Reg. 18. v. 11. *Collocavitque eos in Hala, & in Habor fluviis Gozan in civitatibus Medorum*. Crediderim totam evacuari difficultatem, si *Hala* & *Habor* regionum statuantur nomina, *Gozan* non fluvii, sed regionis sit nomen, ut ad ea loca dicemus. Vide plura ad vocem GOZAN in hoc Onomast. & 4. Reg. 17. v. 6. IDEM.

[3] ALLUS, in nostra versione appellatur Num. 33. ubi fuit una Hebræorum mansio in deserto. *Petra* autem, cujus hic meminit Hieronymus, non est Petra illa Moabitarum civitas, a qua Arabiæ Petrææ nomen est inditum, sed altera Petra in Amalecitarum montibus, cujus fit mentio Judic. 1. v. ult. IDEM.

[4] AMALECHITES, potius patronymicum nomen a regione, quam ipsum regionis nomen est: regio & populus *Amalec* dicitur, vel regio cum addito *Amalec*, vel mons *Amalec*; nam hi Amalecitæ fere montes qui Judææ ad Austrum sunt Ægyptum versus incolebant. Habitarunt quidem & in valle, ut hic asseritur, & habetur in Scriptura, Num. 14. v. 25. Verum non tantum vallem occupasse, sed etiam montem, qui Judææ ad Austrum est, indicatur eodem Cap. v. 45. *Descenditque Amalecites* & *Chananæus*, *qui habitabat in monte.* De *Petra* paulo ante in ALLUS; de *Aila*, seu *Ailath* supra dictum est. IDEM.

[5] Hæc in versione nostra *Amam* dicitur. Jos. 15. v. 26. BONFREIRUS.

[6] In versione nostra AMAAD appellatur. Jos. 19. v. 26. IDEM.

[7] Hæc *Arama* in versione nostra nuncupatur. Jos. 19. v. 36. In Septuaginta Interp. versione nunc *Armath*, vel *Ammath*. IDEM.

[8] Ἀμαληκίτης ) Scripserat *Eusebius* Ἀμαληκῖτις, noverat enim optime sic Græce formari nomina regionum, sed imperitus librarius pro I ultimæ syllabæ, scripsit H, propter similitudinem soni, quod vitium frequentissimum est in Codd. Græcis MSS. Emendatum hoc oportuisset ab *Hieronymo*, aut certe ab editoribus, quod non factum; qua de re vide quæ diximus Quæst. Hieronymiana III. §. 16. CLERICUS.

| HIERONYMUS. | ΕΥ'ΣΕ'ΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [1] *AMATHAR, in tribu Zabulon.* | Α'μμαθὰ, κλήρȣ Ζαβȣλών. | AMMATHA, ſortis Zabulon. |
| AMATHITES, regio eadem quæ regio *Ematb*. Vide ſupra in ÆMATH. | | |
| [2] *AMEC CASIS, id eſt, vallis Caſis in tribu Benjamin.* | Α'μέκασις, πόλις κλήρȣ Βενιαμίν. | AMECASIS, civitas ſortis Benjamin. |
| [3] *AMMA, in deſerto euntibus Gabaon.* | [12] Α'ρμμα, ὁδὸς ἐρήμȣ Γαβαών. | ARMMA, via deſerti Gabaon. |
| [4] *AMMAN, quæ nunc Philadelphia, urbs Arabiæ nobilis, in qua habitaverunt olim Raphaim gens antiqua, quam interfecerunt filii Loth, habitantes pro eis in Amman.* | Α'μμὰν, ἡ νῦν Φιλαδελφία ἡ πόλις ἐπίσιμος τῆς Α'ραβίας κατῴκȣν δὲ αὐτὴν πρότερον οἱ Ρ'αφαείμ, ἔθνος ἀρχαῖον, ὅπερ ἀνεῖλον οἱ υἱοὶ Λὼτ, οἱ ἀπὸ Α'μμάν. | AMMAN, quæ nunc Philadelphia, illuſtris civitas Arabiæ: illam incoluerunt prius Raphaim, gens antiqua, quam exterminarunt filii Lot, poſteri Amman. |
| [5] *AMMATA, in tribu Juda.* | Α'ματὰ, φυλῆς Ι'ούδα. | AMATA, tribus Juda. |
| AMMAUM, eadem quæ *Emaus*. Vide ibi in EMAUS. | | |
| AMMON, pro populo & regione Ammonitarum in Scriptura ponitur. | | |
| [6] *AMNA, ſortis Aſer.* | Α'μμα, κλήρȣ Α'σήρ. | AMMA, ſortis Aſer. |
| [7] *AMON, trans Jordanem in tribu Gad, hæc eſt Adman, de qua ſupra, Philadelphia Civitas illuſtris Arabiæ.* | Α'μμὼν, ὑπὲρ τὸν Ι'ορδάνην, πόλις φυλῆς Γάδ· αὕτη ἐστὶν ἡ Α'μμὰν, ἡ καὶ Φιλαδελφία πόλις ἐπίσημος τῆς Α'ραβίας. | AMMON, ſupra Jordanem civitas tribus Gad. Hæc eſt Amman, quæ & Philadelphia civitas illuſtris Arabiæ. |
| [8] *AMON, in tribu Aſer.* | Α'μμῶν, κλήρȣ Α'σήρ. | AMMON, ſortis Aſer. |
| AMONA, urbs ad quam exercitus Gog eſt interficiendus, & a quo videtur nomen habitura. Ezech. XXXIX. verſ. 16. ſignificat *Amona*, vel *Hamona* Hebræis *populum* ſeu *multitudinem*, & ibidem verſu præcedenti vocatur *vallis multitudinis Gog*, ubi pro voce *multitudinis* eſt in Hebræo המון *hamon*: pro quo utrobique Septuaginta πολυάνδριον dixere. | | |
| [9] *AMONAI, in tribu Benjamin.* | Α'μμωνία, κλήρȣ Βενιαμίν. | AMMOENIA, ſortis Benjamin. |
| AMOSA Vide AMSA paulo poſt. | | |
| AMPHIPOLIS, urbs Macedoniæ Ptolemæo ad Strymonem fluvium. | | |
| [10] *AMSA, in tribu Benjamin.* | Α'μσὰ, κλήρȣ Βενιαμίν. | AMSA, ſortis Benjamin. |
| AMTHAR. Vide Amathar. | | |
| ANA!, civitas Medorum 4. Reg. XVIII. & XIX. | | |
| [11] *ANAB, in tribu Juda: nunc uſque vicus in finibus E-* | Α'νὰμ, φυλῆς Ι'ούδα, καὶ ἔτι νῦν ἐν ὁρίοις Ε'λευθεροπόλεως· ἀλλὰ καὶ | ANAM, tribus Juda, & adhuc modo in finibus Eleu- |

## NOTÆ.

[1] In noſtra verſione *Amthar* dicitur, Joſ. 19.v.15. IDEM.

[2] Ita in noſtra verſione Joſ. 18. v.21. appellatur *Vallis Caſis*; vox enim illa prior עמק *Emec* vel *Amec*, ex qua nomen hoc proprium eſt compoſitum, *vallem* ſignificat: *Caſis* vero *conciſionem* vel *detonſionem*. IDEM.

[3] Non Amma abſolute, ſed βȣνὸν ἀμμα dixerunt Interpretes Septuaginta, ſervata voce Hebraica, quod Hieronymus dixit; *collem aquæductus*, 2. Reg. 2. v. 24. id erat colli nomen juxta viam qua ibatur in deſertum Gabaon. IDEM.

[4] Hæc metropolis & regia civitas Ammonitarum, quæ paſſim in Scriptura appellatur *Rabbath*, quam David expugnavit 2. Reg. 12. a Joſepho *Rabatha* & *Philadelphia* nuncupatur: a Stephano lib. de urbibus antiquitus vocata *Ammana* dicitur, haud dubie a primo progenitore Ammon. IDEM.

[5] Hæc *Athmatha* in verſione noſtra appellatur. Joſ. 15. v. 34. IDEM.

[6] Hæc *Amma* in verſione noſtra nuncupatur. Joſ. 19. v. 30. quomodo etiam nunc in pleriſque Codicibus Septuaginta Interpretum emendatioribus legitur. IDEM.

[7] Nuſquam vel *Amon*, vel *Adman*, ſeu in Scriptura, ſeu apud profanos auctores legitur *Philadelphia* appellata: quocirca pro *Adman* exiſtimo *Amman* eſſe reponendum, cum ſe hic ad dicta ſuperius referat; ſuperius autem de *Amman*, quam dixit eſſe *Philadelphiam*, non de *Adman* egerat: pro *Amon* vero credo reponendum *Ammon*, nam & hoc primogenitoris primi nomen fuerat, & ex *Amman* unius vocalis mutatione facile fit *Ammon*. Quod autem hic dicit eam *in tribu Gad* eſſe mirum videri poſſit, cum ea eſſet Ammonitarum regia, neque umquam Gaditæ legantur eam poſſediſſe: at hoc ita intelligi debet, ut quæ in confinio tribus Gad fuit, ei tribui quodammodo potuerit adſcribi. IDEM.

[8] Hæc *Hamon* in verſione noſtra appellatur, Joſ. 19. v. 28. IDEM.

[9] In verſione noſtra Joſ. 18. Legitur *Emona*, in Septuaginta Codicibus emendatioribus nunc *Ammona*: & in Regio Codice adſcita ex Hebræo voce antecedente, quæ *villam* ſignificat *Capharammona*. Videtur tamen *Amonai* proxime Hebræo reſpondere, niſi quod Maſorethæ ſuis notulis obſervent in margine pro *Amonai*, quod habetur in textu, legendum eſſe *Amona*. IDEM.

[10] Hæc in verſione noſtra Joſ. 18. v. 26. *Amoſa* dicitur, eodemque modo incorruptiores libri hic & Septuaginta Interpretum habent. IDEM.

[11] De hac habes Joſ. 15. v. 26. IDEM.

[12] Α'ρμμα) Alexandrinus Codex habet Α'μμά, Vaticanus Α'μμάν. Itaque delendum mendoſum illud P. nam Hebraice eſt אמה, *ammah*. Miror Editorem Pariſinum non tantum hoc mendum ſervaſſe, ſed præterea edidiſſe ὁδὸς ἔρημος Γαδαών. Legendum eſſet hic & in LXX. Intr. ὁδὸς ἐρήμȣ Γαβαών; neque enim neceſſe eſt manifeſta menda veluti conſecrare. CLERICUS.

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| *leutheropoleos. Est & alia villa grandis Judæorum nomine Anea.* | Ἀνὰ ἐστὶ κώμη Ἰουδαίων μεγίστη καλουμένη [7] Δαρωμὰ, πρὸς νότον Χεβρὼν ἀπὸ σημείων θ'. | theropoleos. Sed & Anea vicus est Judæorum maximus, qui vocatur Daroma versus Austrum distans Chebrone novem milliaribus. |

ANAHARATH, urbs in tribu Issachar, Jos. XIX. quæ paulo post apud Eusebium hic vocatur *Aneritb*.

| | | |
|---|---|---|
| [1] *ANAMEEL, turris Hierusalem, sicut in Zachariæ libro scriptum est.* | Ἀναμεὴλ, πύργος Ἱερουσαλὴμ ἐν Ζαχαρίᾳ. | ANAMEEL, turris Hierusaelm in Zacharia. |

ANANIA, urbs in tribu Benjamin, 2. Esdræ XI. vers. 32.

| | | |
|---|---|---|
| [2] *ANATHON, in tribu Zabulon.* | Ἀναθὼθ, κλήρου Ζαβουλών. | ANATHOTH, sortis Zabulon. |
| [3] *ANATHOTH, civitas sortis Benjamin Sacerdotibus separata in tertio ab Ælia milliario, de qua & Hieremias propheta fuit.* | Ἀναθὼθ, πόλις κλήρου Βενιαμὶν ἱερεῦσι ἀφωρισμένη περὶ τὴν Αἰλίαν, ὡς ἀπὸ σημείων γ'· ἐντεῦθεν Ἱερεμίας ὁ προφήτης. | ANATHOTH, civitas sortis Benjamin, sacerdotibus separata circa Æliam quasi in tertio lapide. Hinc Hieremias propheta. |

ANEM, in tribu Issachar civitas Levitica, 1. Paral. VI. vers. 73.

ANER, civitas Levitica in dimidia tribu Manasse Cis-Jordanina, 1. Paral. VI. vers. 70. Eadem videtur quæ *Thanach*, qua de re ad 1. Paral. VI.

| | | |
|---|---|---|
| [4] *ANERITH, in sorte tribus Issachar.* | Ἀνὴρθ, κλήρου Ἰσάχαρ. | ANERTH, sortis Isachar. |
| [5] *ANEUGAVA, & hujus Esaias meminit, quam Aquila transtulit Ane & Gava, scilicet V. syllabam, quæ in medio nominis posita est, in conjunctionem (&) interpretatus. Symmachus vero sollicitavit, & humiliavit. Legimus super hoc in Regnorum libris.* | [8] Ἀναθουσὰν, ἐν Ἡσαΐᾳ· Ἀκύλας [9] ἀνεστάτωσε, καὶ ἐταπείνωσεν, καὶ ἐν βασιλείαις. | ANATHUSAN, in Esaia Aquila (vertit) evertit & humiliavit etiam in libris regnorum. |

ANGE, magni montes, qui sunt a sinistro Ciliciæ, hoc est, ad plagam ejus Borealem, Judith. II. vers. 12.

| | | |
|---|---|---|
| [6] *ANIEL, in tribu Aser: est quædam villa nomine Betoanea in quintodecimo lapide a Cæsarea, sita in monte contra Orientalem plagam, in qua & lavacra dicuntur esse salubria.* | Ἀνὴρ; κλήρου Ἀσήρ. κώμη Βαιτοαναιά, Καισαρείας ἀπέχουσα σημείοις ιε', ἐπὶ τὰ ἀνατολικὰ ἐν ὄρει κειμένη, ἔνθα λουτρὰ λέγεται ἰαματικά. | ANIR, sortis Aser, vicus Bætoanæa distans Cæsarea quindecim milliaribus ad partes orientales, sita in monte ubi lavacra dicuntur salubria. |

## NOTÆ.

[1] In versione nostra turris hæc *Hananeel* dicitur, cujus non tantum Zacharias Cap. 14. meminit, sed & Hieremias Cap. 31. & liber secundus Esdræ Cap. 3. & 12. Vide infra *turris Hananeel*. BONFRERIUS.

[2] Hæc in versione nostra *Hanathon* dicitur, Jos. 19. v. 14. IDEM.

[3] Vide Jos. 21. & 1. Paral. 6. ubi inter sacerdotales tribus Benjamin civitates censetur. Addit Hieronymus ad Jeremiæ 1. non tantum in tertio milliario ab Jerusalem fuisse, sed etiam ad septentrionem illius urbis sitam fuisse. IDEM.

[4] Ea est quam paulo ante *Anaharath* in versione nostra appellari diximus. IDEM.

[5] Corrupta haud dubie vox, & ex duabus una facta. Isaiæ 37. v. 13. ubi versio nostra habet *Ana & Ava*, de quibus nos supra in ANA & AHIA: itaque ו inter duas voces interjectum etiam hic in unam vocem cum duabus illis vocibus coaluit. Neque hæc corruptio ab interpretibus Septuaginta nata est, sed ab aliis, qui imperite Hebræas voces conjunxerunt: siquidem in Regum libris 4. Reg. 18. & 19. Duas hasce voces media conjunctione copulativa Septuaginta Interpretes dividunt; quomodo etiamnum in plerisque Codicibus apud Isaiam legitur. Romanus tamen Codex unicam vocem habet, sed ab ea, quæ hic habetur, non parum discrepantem, *Anagugana*. IDEM.

[6] Hæc in versione nostra *Nehiel* appellatur, Jos. 19. v. 27. ubi apud Septuaginta in diversis Codicibus cernitur nunc diversa lectio, *Nael*, *Inael*, *Aniel*, sed hæc postrema incorruptiorum est Codicum. IDEM.

[7] Δαρωμὰ) Addendum ἐν, ut conjicit Editor Parisinus, nam Daroma nomen fuit meridiani tractus tribus Judæ, non urbis. CLERICUS.

[8] Ἀναθουσὰν) Hæc non ultima est, inter portentosas hujus libri lectiones. Legendum Ἀνευγαυὰ ex Hieronymo, pro הנע ועוה *henab vehivva*, vel saltem Ἀναγαυγαυὰ, cum legamus, apud Esaiam, in Codice Vaticano Ἀναγουγανὰ, & in Alexandrino Ἀναιγγουγανά. At 2. Reg. XVIII. 13. melius legitur in utroque illo Codice, Ἀνὰ καὶ Ἀβὰ, vel Αὐά. IDEM.

[9] Ἀνεστάτωσεν) Legendum: Ἀνὲ καὶ Γαυά. Σ. ἀνεστάτωσεν καὶ ἐταπείνωσεν, ex *Hieronymo*, ex quo lacunas hujus libelli supplere licet, multis in locis. Non est mutandum ἀνεστάτωσεν in Ἀνὲ καὶ Γαυὰ ut vult *Martianæus*; sed vocabula hæc exciderunt, & *Hieronymus*, vertit ἀνεστάτωσε *sollicitavit*, quamvis minus commode. IDEM.

| S. HIERONYMUS. | ΕΥ'ΣΕ'ΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
| --- | --- | --- |
| [1] *ANIM, in tribu Benjamin.* | | |
| [2] *ANIM, in tribu Juda, est vicus Anea juxta alterum, de quo supra diximus ad Orientalem plagam respiciens cunctis habitatoribus Christianis.* | Α'νσημ, φυλῆς Ἰούδα. ἄλλη Ανααὰ πλησίον προτέρας, ἣ νῦν ὅλη Χριστιανῶν τυγχάνει, οὖσα ἀνατολικὴ τῆς προτέρας. | ANSEM, tribus Juda. Alia Anæa juxta priorem, quæ nunc tota est Christianorum, quæ est orientalis respectu prioris. |
| [3] *ANNEGEB, pro quo Aquila Austrum; Symmachus Meridiem transtulerunt.* | [6] Α'νεκα, νότυ, μεσημβρίας. | ANECA, Austri, Meridiei. |
| [4] *ANOB, civitas, quam expugnavit Jesus: & est usque hodie villa juxta Diospolim quasi quarto milliario ad Orientalem plagam, quæ vocatur Bethoannaba. Plerique autem affirmant in octavo ab ea milliario sitam, & appellari Bethannabam.* | Α'νὼβ, πόλις, ἣν ἐπολιόρκησεν Ἰησοῦς· καὶ ἔστι νῦν κώμη περὶ Διόσπολιν, ἀπὸ σημείων τεσσάρων πρὸς ἀνατολὰς, ἣ καλεῖται Μετοαννάκ. | ANOB, civitas, quam obsidione cinxit Jesus. Estque nunc vicus circa Diospolim, in quarto lapide versus Orientem, quæ vocatur Metoannac. |
| [5] *ANTILIBANUS, ea quæ sunt supra Libanum ad Orientalem plagam respicientia, Antilibanus appellantur circa regionem Damasci, quæ cecidit in sortem tribus Manasse.* | Α'ντιλίβανος, τὰ ὑπὲρ τὸν Λίβανον πρὸς ἀνατολὰς, πρὸς τὴν Δαμασκηνῶν χώραν, φυλῆς Μανασσῆ. | ANTILIBANUS, loca supra Libanum versus Orientem, circa regionem Damascenorum, tribus Manasse. |

ANTIOCHIA, Syriæ metropolis ad Orontem fluvium; cujus sępe meminit Scriptura. Est & altera *Antiochia*, ad distinctionem *Antiochia Pisidiæ* dicta, Act. XIII. vers. 14. cujus & Ptolemæus meminit.

ANTIPATRIS, cujus fit mentio, Act. XXIII. vers. 31. Urbs ab Herode Ascalonita con-

## N O T Æ.

[1] Credo in hac voce hic mendum esse, & N pro V suppositum, *Avim* enim in Hebræo & versione nostra legimus, Jos. 18. v. 23. Ubi etjamnum Septuaginta Interpretum Codices incorruptiores habent *Avim*, vel Α'βὶμ. IDEM.

[2] De hac habes Jos. 15. v. 50.

[3] Significat Hebræa vox נגב *negeb*, præpositoque ה servili הנגב *Hannegeb*, & mollita aspiratione *Annegeb*, *meridiem*, *austrum*, *desertum*, & ita semper Hieronymus appellative eam vocem vertit; quin & Interpretes Septuaginta longe sæpius νότον, λίβα, ἔρημον. Non semel tamen retenta voce Hebræa dixerunt Septuaginta Interpretes *Nageb*, Jos. 10. v. 4. & c. 11. v. 16. Hierem. 32. v. 44. & c. 33. v. 13. Ezech. 20. v. 46. in Abdia v. 19. & 20. Semel in nonnullis libris reperitur *Ennageb*, Jos. 12. v. 8. & semel voce multo magis corrupta *Argab*, 1. Reg. 20. v. 41. Sed hæc vox ad nomina locorum propria nihil pertinet, nisi quomodo subinde nomina appellativa, κατ' ἐξοχὴν, vel aliter pro nominibus propriis usurpantur: sic enim hic famosissimum illud desertum, in quo quadraginta annis peregrinati fuerant, vel tribus Judæ pars meridiana fere deserta & inculta potuit κατ' ἐξοχὴν, *desertum*, & *Nageb* appellari; & quia illud desertum Judææ ad meridiem erat pro meridie usurpari, quomodo simili usurpatione mare pro Occidente sumebant. BONFRERIUS.

[4] De hac supra facta est mentio in ANAB: expugnavit autem eam Josue. Jos. 11. v. 21. IDEM.

[5] *Antilibani* nusquam versio nostra meminit, Septuaginta Interpretum versio non semel, ubi tamen in Hebræo לבנון *Lebanon*, & in versione nostra *Libanus* dicitur. Quid *Antilibanus* sit video parum constare, neque satis consententia ab auctoribus adferri. Hieronymus hic non videtur montis nomen, sed *regionis* facere *supra Libanum* in dimidia tribu Manasse Trans-Jordanina, nec procul Damasco. Adrichomius & Brochardus juxta Mare Mediterraneum montem faciunt, sic ut fere nonnullis locis mare contingat, aliis tamen locis duobus aut tribus milliaribus recedat, uno milliari vel sesquimilliari Sidone dissitum. Alii in quibus est Serarius ad c. 1. Jos. 4. v. 7. duos montes *Libanum* & *Antilibanum* esse, qui fere juxta mare oriantur, indeque longo tractu ab Occidente in Orientem porrigantur Damascum usque: eum autem, qui Borealior est *Libanum* appellari, qui Australior *Antilibanum*. Quæ, meo judicio, sententia proxime ad veritatem accedit. Itaque duo hic statuo: unum *Libanum* & *Antilibanum* in Scriptura uno communi nomine *Libani* censeri. Id indicant Interpretes Septuaginta, qui toties *Antilibanum* posuerunt, cum in Hebræo & versione nostra esset *Libanus*. Alterum *Antilibanum* esse illum montem, qui e duobus illis Australior est, proximeque Terram Promissam contingebat: *Libanum* Borealiorem fuisse, & a Terra Promissa paulo semotiorem. Id autem probari potest primo, quia hoc indicant Septuaginta Interpretes, qui quotiescumque de terminis Borealibus Terræ Promissæ sermo est, ubi nos *Libanum* habemus, constanter *Antilibanum* ponunt. Secundo Ptolemæus diserte ponit *Libanum* Borealiorem, *Antilibanum* Australiorem, sive in suis tabulis, sive l. 5. Geograph. c. 15. ubi Libanum in extremis magis Orientalibus asserit habere partes, seu gradus latitudinis 33. & $\frac{1}{4}$ Antilibanum vero in extremo limite magis Orientali gradus, 32. & $\frac{1}{2}$. Idipsum Strabo l. 16. indicat: *Duo sunt*, inquit, *montes, qui eum faciunt qui concavus angulus dicitur, quasi inter sese pares, Libanus & Antilibanus, paulo ultra mare incipientes. Libanus ultra Tripolitanum mare, circa Dei faciem: Antilibanus ultra mare Sidonium: desinunt vero ad Arabiæ montes qui sunt ultra Damascum, & eos qui ibi Trachonitæ dicuntur*. Quæ descriptio necessario exigit, ut *Antilibanus* sit Australior, cum *Libanus* incipiat ultra Tripolim, vel Tripolitanum mare, quod est Sidone Borealius, *Antilibanus* vero ultra mare Sidonium: itemque totum illum procursum ab occasu in ortum Damascum usque & Trachonitas, quem nos hisce montibus attribuimus, & ipse attribuit. Rursum idem Strabo eodem lib. paulo post: *Mediterranea*, inquit, *ultra hanc* (Phœniciam scilicet) *usque in Arabes, inter Gazam & Antilibanum Judæa nominatur*. Hæc, paulo pluribus, quia res est obscurior, nosque alibi, sicubi res exiget ad hunc locum remittemus.

[6] Α'νεκα) Legendum ex *Hieronymo*, Α'νεγέβ. Α. νότον. Σ. μεσημβρίας. Nam singularibus literis passim hic eorum Interpretum nomina signantur. CLERICUS.

HIERONIMUS. ΕΥΣΕΒΙΟΣ. EUSEBIUS.

dita in honorem Antipatri patris, ab eodemque cognominata, ut refert Josephus lib. 16. Ant. c. 9. & 1. Belli c. 16. Eamdem cum *Capharsalama*, cujus mentio fit, 1. Machab. VII. vers. 31. faciunt Zieglerus & Adrichomius. Rursum & Adrichomius eamdem facit cum *Dora* urbe maritima. Tyrius etiam urbem maritimam facit *Antipatrida*, quam ait nunc vocari *Arsur*. At animadverto hæc parum esse certa, præsertim cum nihil horum asserat Josephus, imo satis clare indicet hanc de novo civitatem fuisse conditam. Adde Ptolomæum *Antipatridem* & *Doram* aperte distinguere: *Doram* enim Phœniciæ adscribit, *Antipatridem* Judææ; *Doram* tum in tabulis, tum lib. 5. c. 15. 16. *Antipatride* Borealiorem facit: quin & utramque plusculum a mari remotiorem, quod de *Dora* admitti posse non videtur, cum eam diserte Scriptura juxta mare ponat. Cur autem *Antipatris* non videatur esse eadem quæ *Capharsalama*, facit hæc ratio, quod *Capharsalama*, videatur vicus fuisse, idemque Hierosolymæ vicinus, ut e 1. Machab. VII. vers. 31. colligitur, quod de *Antipatride* non videtur dici posse. Ex quibus liquet nihil certo ac definite de urbis hujus situ asseri posse: malim tamen Gulielmo Tyrio adstipulari, qui eam maritimam facit inter Cæsaream & Joppen lib. 9. c. 19. & lib. 10. c. 6. 14. 22. & ex *Antipatride* navigio itum esse in Joppen eodem c. 22. refert. Itaque vel ad ipsum maris littus fuisse necesse est, vel flumine allui (quod posterius videtur Josephus asserere, ubi de *Antipatride* loquitur lib. 16. Ant. c. 9. & 1. Belli c. 16. eam enim amne circumflui dicit) hoc est exiguo fluviolo, e quo deinde in vicinum mare lapsus sit, quemadmodum & in sua Terræ Sanctæ Chorographia expressit Christianus Schrot apud Ortelium.

[1] *ANUA, in tribu Zabulon. Est & alia villa Anua euntibus de Neapoli Æliam in decimo milliario.*

Ἀνουά, κλήρου Ζαβουλών· καὶ ἄλλη δέ ἐστι κώμη Ἀνουά, ἀπιόντων ἀπὸ νέας πόλεως ἐπὶ Αἰλίαν τὴν, σημείοις διεστῶσα ιέ.

ANUA, sortis Zabulon. Alius est vicus Anua euntibus Neapoli Æliam quindecim distans milliaribus.

[2] *ADORABI, terminus Judææ provinciæ ad Orientem respiciens tribus Judæ. Est autem & vicus huc usque grandis novem millibus a Neapoli contra Orientem descendentibus ad Jordanem & Hierico, per eam quæ appellatur Acrabitene: Sed & confinium Amorrhæorum Acrabitene dicitur: de quo loco non exterminavit alienigenas tribus Nephtalim: ut in Judicum libro scriptum est.*

Ἀκραββείν, ὅριον τῆς Ἰουδαίας ἀνατολικόν, φυλῆς Ἰούδα· Κώμη δέ ἐστὶ μόγις διεστῶσα νέας πόλεως (σημείοις θ′) ἐν ἀνατολαῖς κατιόντων ἐπὶ τὸν Ἰορδάνην ὡς ἐπὶ Ἰεριχὼ διὰ τῆς καλουμένης Ἀκραβαττήνης· λέγεται δὲ καὶ ὅριον τῶν Ἀμορραίων Ἀκραββείν· ἀφ' ἧς οὐκ ἐξῆρε τοὺς ἀλλοφύλους ἡ φυλὴ Νεφθαλείμ, ὡς ἐν κριταῖς.

ACRABBIN, terminus Judææ orientalis, tribus Juda. Est autem vicus vix distans Neapoli (novem millibus) in orientali plaga, descendentibus in Jordanem, ut in Hiericho, per eam, quæ vocatur Acrabattine: dicitur etiam terminus Amorrhæorum Acrabbin: de quo loco non exterminavit alienigenas tribus Nephthali, ut in libris Judicum habetur.

[3] *AOPSITHE, vel APHUSOTH, quod Aquila in libertatem vertit.*

Ἀοφσίφ, ἢ Ἀφουσώθ, Ἀκύλας τῆς ἐλευθερίας.

AOPHSIPH, seu APHUSOTH. Aquila (vertit) libertatis.

APADNO, cujus fit mentio Daniel XI. vers. ult. locus in quo sedem regiam & thronum collocabit Antichristus; qui alius non putatur ab ipsa Hierusalem, quæ forte nomen illud tunc accipiet a throno ejus scilicet Antichristi; sonat enim *Apadno*, *thronum ejus*, teste D. Hieronymo, literula una NUN redundante.

APAMEA, fit mentio hujus, Judith. III. Sunt autem diversæ *Apameæ*, sed illa cujus ibi

---

NOTÆ.

[1] Hæc *Noa* in versione nostra appellatur. Jos. 19. v. 13. IDEM.

[2] Plane hæc vox corrupta est, ut sequentia apud Hieronymum docent, legendum autem *Acrabi*, vel potius *Acrabis*. Ibi vero fuisse *Acrabim*, vel *Acrabathene*, in extremis Judææ montibus juxta Idumæam, qui partim ad Meridiem, partim ad Orientem sunt Judæ tribui, liquet e 1. Machab. 5. v. 3. *Et debellabat Judas filios Esau qui erant in Idumea, & eos qui erant in Acrabathane.* Neque hæc *Acrabathena* alia est ab eo loco qui in Scriptura appellatur *ascensus scorpionis*, vel *scorpionum* potius, nam semper plurali numero in Scriptura effertur, Num. 34. v. 4. Jos. 15. v. 3. Judic. 1. v. 36. quibus locis habetur in Hebræo עקרבים *Acrabbim*, quod *scorpiones* significat: locus, ut existimo, ita dictus a multitudine scorpionum. Neque est alia *Arabathene*, cujus meminerit Scriptura. Fuit tamen & in Samaria, urbs *Acrabata*, & toparchia dicta *Acrabathene*, cujus meminit hic Hieronymus secundo loco; Josephus vero non uno loco 2. Belli 11. & c. 25. & c. 28. & 3. Belli 2. & 5. Belli 7. Cujus etiam meminit Plin. lib. 5. c. 14. Fuerit ne etiam prior illa *Acrabathene* in toparchiam redacta non constat; videtur tamen Josephus 5. Belli 7. etiam meminisse *Acrabathenæ* toparchiæ juxta Idumeam. Tertiam quæ hic nominatur *Acrabathene* non agnosco in tribu Nephtalitica; neque hoc asserit Scriptura Judicum libro cap. videlicet 1. v. ult. eo enim alludit, ubi fit mentio *ascensus scorpionis*, qui locus nihil ad Nephtalitas pertinet, ut per se patet si quis locum consulat: est enim idem ille locus in finibus tribus Judæ ad Austrum, vel Orientem, quemadmodum ibi explicamus; qui locus a tribu Nephthalitica maximo distat intervallo. IDEM.

[3] Plane est corrupta prior vox; posterior etiamnum legitur in versione Septuaginta 4. Reg. 15. v. 5. & 2. Paral. 26. v. 22. Ubi pro eo quod Hieronymus dixit, *in domo libera*, ipsi dixerunt, *ἐν οἴκῳ ἀπφουσώθ*, *in domo Apphusoth*, retenta voce Hebræa, mutatisque nonnihil punctis. Sed neque hæc vox ad nomina propria pertinet. BONFRERIUS.

fit mentio videtur esse regio Syriæ. Apud profanos autem auctores Ptolemæum, Strabonem, Dionysium, Eustathium, Stephanum de urbibus, legimus *Apameam* urbem in Syria, non tamen regionem; sed facile fit ut urbes nobiliores toti in vicino regioni nomen imponant, præsertim siqua urbi alicui primariæ in alias jurisdictio est.

APHARA, urbs in tribu Benjamin, Jos. XVIII. quæ hic infra APHRA nominatur.

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
| --- | --- | --- |
| [1] *APHEC, civitas, quam Rege trucidato expugnavit Jesus.* | Ἀφὰκ, πόλις, ἣν ϗ αὐτὴν ἐπολιόρκησεν Ἰησοῦς τὸν βασιλέα αὐτῆς ἀνελών. | APHAC, civitas, quam eandem expugnavit Jesus interfecto ipso rege. |
| [2] *APHEC, sortis, Aser, in qua habitatores pristini permanserunt.* | Ἀφὴκ, κλήρου Ἀσὴρ, ἀφ' ἧς οὐκ ἐξῆραν τοὺς ἀλλοφύλους. | APHEC, sortis Aser, de qua non exterminarunt alienigenas. |
| [3] *APHEC, Juxta Ændor Jezraelis, ubi dimicavit Saul.* | Ἄφερ, πλησίον Ἀενδὼρ τῆς [9] Ἰεζαβὲλ, ἔνθα ὁ πόλεμος συνέστη τῷ Σαούλ. | APHER, prope Ændor Jesabelis, ubi bellum conflictum est adversum Saul. |
| [4] *APHECA, terminus Amorrheorum super Jordanem in sorte tribus Ruben: sed & usque hodie est castellum grande Apheca nomine juxta* [5] *Hippum urbem Palæstinæ.* | Ἀφεκὰ, ὅριον τῶν Ἀμοῤῥαίων ὑπὲρ τὸν Ἰορδάνην, ὃ γέγονε φυλῆς Ῥουβὶν, ϗ νῦν ἐστὶ κώμη Ἀφεκὰ λεγομένη μεγάλη περὶ τὴν Ἵππην πόλιν τῆς Παλαιστίνης. | APHECA, terminus Amorrhæorum supra Jordanem, qui fuit tribus Ruben, & nunc est quæ Apheca dicitur, castellum grande circa Hippen civitatem Palæstinæ. |
| [6] *APHES DOMIM, ubi dimicavit Saul, pro quo Aquila posuit, in finibus Domini.* | Ἀφεσδομὶμ, ἔνθα ἐπολέμει Σαοὺλ ἐν πέρασι Δομείμ. | APHESDOMIM, ubi dimicabat Saul in finibus Domim. |
| [7] *APHIM, in tribu Benjamin.* | Ἀφνεὶ, κλήρου Βενιαμὶν. | APHIN, sortis Benjamin. |
| [8] *APHRA, in tribu Benjamin. Est & hodie vicus in quinto milliario Bethelis ad Orientem respiciens.* | Ἀφρὰ, κλήρου Βενιαμὶν, ϗ νῦν ἔστι κώμη Ἀφρὴλ ἀπό: * * * * * | APHRA, sortis Beniamin, & nunc est vicus Aphrel in: ****** |
| [10] *APHRAIM, civitas tribus Issachar, est hodieque villa Affarea nomine in sexto milliario legionis contra Septemtrionem.* | Αἰφραὶμ, πόλις κλήρου Ἰσσάχαρ. ϗ ἔστι κώμη Ἀφραὶμ νῦν καλουμένη ἀπέχουσα Λεγεῶνος ἐν βορείοις μιλίοις ἕξ. | EPHRAÆM, civitas sortis Issachar. Estque vicus Aphraim dictus, distans Legeone ad Septentrionem sex millibus. |

APHRICA. Vide AFRICA.

---

NOTÆ.

[1] De hac in APHECA. IDEM.

[2] De hac in APHECA paulo post. IDEM.

[3] De hac etiam proxime in APHECA. IDEM.

[4] Tres in Scriptura invenio civitates isto *Aphec* nomine appellatas, & iisdem literis in Hebræo expressas: unam in tribu Aser, cujus hic secundo loco Hieronymus mentionem facit, deque ea habetur Jos. 19. v. 30. & Judic. 1. v. 31. ubi & illud habes quod hic de ea Hieronymus asserit, nempe *ex ea pristinos habitatores minime expulsos*, eademque Jos. 13. v. 4. dicitur *Apheca*. Altera est in tribu Juda, cujus fit mentio 1. Reg. 4. v. 1. & c. 29. v. 1. eademque Jos. 15. v. 53. appellatur *Apheca*. De hac an de altera illa in tribu Aser loquatur primo loco Hieronymus est obscurum, cum tantummodo Regem *Aphec* a Josue interfectum Scriptura asserat Jos. 12. v. 18. Tertia *Aphec* in Scriptura est ea quæ fuit in Syria, cujus fit mentio 3. Reg. 20. & 4. Reg. 13. Aliam in tribu Issachar ponit hic Hieronymus, & post eum Adrichomius, sed, ut arbitror, non satis firmo e Scriptura fundamento, uti ostendimus 1. Reg. 29. v. 1. Quin & Adrichomius etiam hanc postremam in Issachar confundit cum ea quæ in tribu Juda, & altera quæ in Syria; cum *Aphec* in Syria perspicue statuatur e 4. Reg. 13. altera in tribu Juda præter locum Jos. 15. e 1. Reg. 4. manifeste statuitur, cum ponatur vicina lapidi adjutorii, quem locum Adrichomius in tribu Dan reponit; ego in tribu Juda: quomodo vero locus, qui in tribu Dan, vel in tribu Juda est, vicinus esse potuit urbi in tribu Issachar? itaque de *Aphec* in tribu Issachar non potest intelligi locus ille 1. Reg. 4. v. 1. etsi eum locum Adrichomius ad marginem, ubi de *Aphec* agit, in tribu Issachar annotet. Quod autem addit postremo loco Eusebius vel Hieronymus *Apheca* esse *terminum Amorrhæorum super Jordanem iu sorte tribus Ruben*, vix assentiri possum, cum id nullo Scripturæ loco firmari possit fuisse *Aphec* vel *Apheca* in tribu Ruben, & locus Scripturæ ad quem alludit Eusebius, cum ait fuisse *terminum Amorrhæorum*, plane evincat istam *Apheca* fuisse in tribu Aser, cum ita loquatur Scriptura Jos. 13. v. 4. *Maara Sidoniorum usque Apheca, & terminos Amorrhæi*; quibus verbis, satis indicat se loqui de *Aphec*, quæ vicina erat Sidoniis, quæque consentanee ad illum locum Judic. 1. v. 31. dicitur non fuisse erepta Chananæis. IDEM.

[5] *Hippum urbem* ) Sic ediderunt ex MSS. Parisienses Benedictini, cum antea legeretur *oppidum*. CLERICUS.

[6] אפס דמים *Ephes Dammin*, in Hebræo locus appellatur 1. Reg. 17. v. 1. ubi itidem Hieronymus cum Aquila, in *finibus Domium* dixit. Idem locus detracta prima litera, sed invariata significatione 1. Paral. 11. v. 13. Dicitur *Phesdomim*, etiam ab interprete nostro. Locus est in tribu Juda, nam Socho & Azeca, quarum ibidem 1. Reg. 17. fit mentio, constat fuisse in tribu Juda. Vide quæ nos dicturi sumus ad 1. Reg. 17. v. 1. & 2. Reg. 23. v. 9. BONFRERIUS.

[7] Videtur *Aphin* poni pro eo quod in nostra versione, Jos. 18. v. 24. *Ophni* dicitur, quam supra in voce *Adasa* verisimiliter eam esse statuimus quæ *Gophna*, vel *Gusna* est appellata, iterumque infra in voce GOPHNA dicemus. IDEM.

[8] Hæc *Aphara* in versione nostra dicitur, Jos. 18. v. 23. IDEM.

[9] Pro Ἰεζαβὲλ repone hic Ἰεζραὴλ quæ urbis nomen est, cum Jezabel feminæ pessimæ nomen sit. IDEM.

[10] Hæc *Hapharaim* in versione nostra dicitur, Jos. 19. v. 19. BONFRERIUS.

1 Hæc

HIERONYMUS. ΕΥΣΕΒΙΟΣ. EUSEBIUS.

APOLLONIA, Macedoniæ oppidum Ptolemæo & Melæ, ad Ionicum mare situm.

APPII FORUM, Act. XXVIII. oppidum in via Appia ultra Ariciam, ut aperte indicat Horatius Satyr. l. 1. Sat. 5. Ab Antonino inter tres tabernas & Tarracinam collocatur, Roma distantem 51. milliaribus Italicis.

[1] *AR, locus vel oppidum Arnonis, quod a Septuaginta per extensam vocalem ἤρ dicitur.*

Ἄρ, τόπος τοῦ Ἀρνωνᾶ· παρὰ δὲ τοῖς ὁ Νὴρ ὀνομάζεται.

AR, locus Arnona: porro apud Septuaginta nominatur Ner.

ARA, Medorum vel Assyriorum regio, 2. Paralipom. v. vers. ultimo. Utrumque addo, quia de ea certi quidquam nihil statui potest.

ARAB, urbs in tribu Juda. Josue XV. vers. 52.

[2] *ARABA, Aquila planam, Symmachus campestrem interpretatur. Porro est & alia villa Araba nomine in finibus Diocæsareæ, quæ olim Saphorine dicebatur, & alia tribus millibus a Scythopoli contra Occidentem.*

Ἀραβά, πεδιὰς καλεῖται κ̀ ἀνωτέρω· ἔστι δὲ κ̀ κώμη καλουμένη Ἀραβὰ ἐν ὁρίοις Διοκαισαρείας, κ̀ ἀπὸ τριῶν σημείων Σκυθοπόλεως, ἄλλη πρὸς δυσμάς.

ARAVA, planities vocatur etiam superius. Est autem & alius vicus dictus Arava in finibus Diocesareæ, & in tertio lapide a Scythopoli alia versus Occidentem.

[4] Ἀραβά, Ἀκύλας, κενὸν, ἄλσον ἐν τῇ πεδιάδι. Θεοδοτίων, ἐν δυσμαῖς πάλιν ἐν τῇ ἀοικήτῳ.

ARABA, Aquila (vertit) vacuum, inanem in campestribus. Theodotio, in plaga occidentali rursum in terra inhabitabili.

ARABIA, Judææ contermina regio, dividitur in Arabiam Petræam, Desertam, & Felicem, de qua multa & bene scripsit Adrichomius, quæ tu consule.

[3] *ARABOTH MOAB, ubi secundo numeratus est populus, quod Aquila interpretatur humilia, sive æqualia Moab: hanc habens consuetudinem, ut eremum propter planitiem ὁμαλὴν, id est, æqualem interpretetur & planam. Denique Symmachus pro Araboth Moab campestria Moab transtulit: & est usque hodie locus juxta montem Phogor euntibus a Libiade in Esbum Arabiæ contra Hierico, qui ita appellatur Araba. Hanc ut supra, Aquila transtulit planam, Symmachus interdum campestrem, interdum inhabitabilem, Theodotion occidentalem.*

Ἀραβὼθ Μωάβ, ἔνθα δεύτερον ἠριθμήθη ὁ λαὸς πρὸς ὁμαλὰ Μωάβ, ἐπὶ τὴν πεδιάδα τῆς Μωάβ, ἥ ἐστιν ἐπὶ τοῦ Ἰορδάνου κατὰ Ἱεριχώ· κ̀ ἔστι τόπος εἰς δεῦρο δεικνύμενος παρὰ τῷ ὄρει Φογὼρ, ὃ παράκειται ἀνιόντων ἀπὸ Λιβιάδος ἐπὶ [5] Ἰεβοὺς τῆς Ἀραβίας ἀντικρὺ Ἱεριχώ.

ARABOTH MOAB, ubi secundo numeratus est populus ad plana Moab, super planitiem terræ Moab, quæ est versus Jordanem contra Jericho. Estque locus, qui huc usque ostenditur juxta montem Phogor, qui vicinus est ascendentibus Libiade in Jebus Arabiæ contra Hiericho.

ARACH, urbs regni Nemrod, qui regnavit in Babylone, Gen. x. vers. 10. Videtur fuisse in Mesopotamia, vel, ut alii volunt, in Armenia.

ARAD. Vide ARAT.

---

NOTÆ.

[1] Hæc Moabitarum metropolis urbsque regia, de qua & infra in *Arnon*, & in *Moab*. Hanc distinguendam esse ab *Aroer*, quæ aliqnando etiam Moabitarum fuerat contra nitente Adrichomio ostendimus, Deuter. 2. v. 36. Sed & fortissimo argumento probari potest, quia satis constat Israelitas *Aroer* possedisse & inhabitasse, fuisseque in tribu Gad: at *Ar* semper Moabitis mansit, planeque vetitum fuit eodem supra Cap. 2. Deuter. v. 9. ne ullam partem terræ Moab (quam videlicet tunc adhuc possidebant) Israelitæ invaderent, ubi & diserte de AR additur. IDEM.

[2] Multis locis usurparunt Septuaginta Interpretes illam vocem *Araba*, vel iu plurali *Araboth* retenta voce Hebraica pro eo, quod Hieronymus *solitudinem* vel *campestria* vertit. Exempla sunt Num. 26. v. 3. & 63. item 2. Reg. 17. v. 16. & 4. Reg. 14. v. 25. & c. 25. v. 4. & 5. Altera *Araba*, cujus hic meminit Hieronymus *in finibus Diocæsareæ*, seu *Saphorines*, videtur esse illa, quæ in versione nostra 3. Reg. 4. v. 10. appellatur *Araboth*, ut nos ad eum locum dicemus. IDEM.

[3] De *Araboth* paulo ante diximus. Itaque quæ Septuaginta Interpretes *Araboth Moab* appellant, non alius est locus ab eo, quem Hieronymus Numerorum libro & Deuteronomio *campestria Moab* appellat. Ista autem altera populi dinumeratio, cujus hic fit mentio, habetur Num. 26. IDEM.

[4] Conjungit hæc præcedentibus Hieronymus; hunc locum supra modum corruptum in manuscripto Eusebii hoc modo, ut potuimus, probabilem conjecturam secuti, castigavimus. IDEM.

[5] Pro Ἰεβοὺς repone Ἐσβοὺς, quæ in versione nostra dicitur *Esebon*. IDEM.

[1] Ali-

HIERONYMUS. ΕΥΣΕΒΙΟΣ. EUSEBIUS.

ARADA, manſio una filiorum Iſrael in deſerto, Num. XXXIII. verſ. 24. de qua Hieronymus hic agit in *Charada*.

ARADOS, cujus meminit Lib. 5. Machab. Cap. XV. verſ. 23. Videtur eſſe illa *Aradus*, quam Ptolemæus, Plinius, Stephanus, Arrianus faciunt Phœniciæ inſulam.

ARAM, Num. XXIII. verſ. 7. pro Meſopotamia ponitur, uti ad eum locum diximus, licet ea vox non ſpecialiter *Meſopotamiam* ſignificet, ſed *Syriam*, cujus pars erat Meſopotamia.

ARAMA, urbs in tribu Nephtali, Jos. XIX. verſ. 36. De eadem diximus ſupra in AMATH.

[1] *ARARAT, Armenia, ſiquidem in montibus Ararat arca poſt diluvium ſediſſe perhibetur, & dicuntur ibidem uſque hodie ejus permanere veſtigia. Meminit & horum montium Hieremias in viſione contra Babylonem. Joſephus quoque in primo Judaicarum Antiquitatum libro ſæcularlum literarum hiſtorias proferens: Animadvertens, inquit, Noe terram diluvio liberatam ſeptem alios dies abire permiſit. & univerſa animalia, beſtiaſque patentibus clauſtris emittens ipſe cum ſua prole egreſſus eſt, immolans Deo hoſtias, gaudenſque cum liberis. Hunc locum Armenii exitum vel egreſſum vocant. Siquidem ibi cultores illarum regionum arcam primum ſediſſe teſtantur, & lignorum quædam ſupereſſe monumenta. Arcæ hujus & diluvii omnes qui barbaras ſcripſere hiſtorias teſtantur: quorum unus eſt Beroſus Chaldæus, qui ſuper diluvio referens, hæc locutus eſt: Dicitur hujus navis in Armenia propter montem Carduenorum pars aliqua permanere, & quoſdam bitumen ex ea avellentes circumferre, quo utuntur vel maxime qui luſtrantur, & ſe expiant. Sed & Hieronymus Ægyptius, qui Antiquitates Phœnicum pulchro ſermone conſcripſit, & Mnaſeas & multi alii. Nicolaus quoque Damaſcenus in nonageſimo ſexto libro refert: Eſt in Armenia ſuper Myniadem mons nomine Bearis, ad quem multos in diluvio confugiſſe autumant, ibique ſalvatos eſſe. Alios vero in arcæ alveo ſupernatantes, ad ejus*

Ἀραράτ· ἡ Ἀρμενία, ἐν ὄρεσιν Ἀραράτ, ἔνθα ἡ κιβωτὸς καθίσαι λέγεται· ϗ φασὶν εἰς δεῦρο δείκνυσθαι ἐπὶ τῶν ὀρέων Ἀρμενίας λείψανα τῆς κιβωτοῦ· Μέμνηται ϗ Ἱερεμίας τῆς Ἀραράτ ἐν τῇ κατὰ Βαβυλῶνος ὁράσει· ϗ Ἰώσηππος δὲ ἐν τῇ πρώτῃ τῆς Ἰουδαϊκῆς ἀρχαιολογίας τὰ περὶ τὸν τόπον ἱστορῶν παρατίθεται ϗ ἀπὸ τῶν ἔξω μάρτυρας ὧδε ῥήμασιν αὐτῶν γράφων· μαθὼν δὲ Νῶε ἀπηλλαγμένην τὴν γῆν τοῦ κατακλυσμοῦ, μείνας ἄλλας ἑπτὰ ἡμέρας πάντα ζῶα τῆς λάρνακος ἐξαφίησιν, αὐτός δὲ μετὰ τῆς γενεᾶς προελθὼν ϗ θύσας τῷ Θεῷ συνευωχεῖτο τοῖς οἰκείοις· Ἀποβατήριον μέντοι τὸν τόπον τοῦτον Ἀρμένιοι καλοῦσιν· ἐκεῖ γὰρ ἀνασωθείσης τῆς λάρνακος ἔτι νῦν αὐτοὶ οἱ περιχώριοι τὰ λείψανα δεικνύουσιν· τοῦ δὲ τοῦ κατακλυσμοῦ τούτου ϗ τῆς λάρνακος μέμνηνται πάντες οἱ τὰς βαρβαρικὰς ἱστορίας ἀναγεγραφότες· ὧν ἐστι ϗ Βήρωσος ὁ Χαλδαῖος, διηγούμενος γὰρ τὰ περὶ κατακλυσμὸν οὕτω πως διέξεισιν· λέγεται δὲ ϗ τοῦ πλοίου ἐν Ἀρμενίᾳ πρὸς τῷ ὄρει τῶν Κορδιαίων ἔτι μέρος τι εἶναι, ϗ κομίζειν τινὰς τῆς ἀσφάλτου ἀφαιροῦντας· χρῶνται δὲ μάλιστα οἱ ἄνθρωποι τῷ κομιζομένῳ πρὸς τοὺς ἀποτροπιασμούς· Μέμνηται δὲ τούτων ϗ Ἱερώνυμος ὁ Αἰγύπτιος ὁ τὴν ἀρχαιολογίαν τὴν [2] Φοινικικὴν συγγραψάμενος· καὶ [3] Βυασέας ϗ ἄλλοι πλείους· καὶ ὁ Νικόλαος δὲ ὁ Δαμασκηνὸς ἐν τῇ ἐννενηκοστῇ καὶ ἕκτῃ βίβλῳ ἱστορεῖ περὶ αὐτῶν λέγων οὕτως. ἔστι νῦν ὑπὲρ τὴν Μινυάδα μέγα ὄρος κατὰ τὴν Ἀρμενίαν Βάρις λεγόμενον, ἐφ' ὃ πολλοὺς συμφυγόντας ἐπὶ τοῦ κατακλυσμοῦ λόγος ἔχει περισωθῆναι, ϗ τινὰ ἐπὶ λάρνακος ὀχούμενον ἐπὶ

ARARAT. Armenia in montibus Ararat, ubi arca ſediſſe dicitur: ajuntque huc uſque oſtendi in montibus Armeniæ reliquias arcæ. Meminit & Hieremias Ararat in viſione contra Babylonem. Joſephus quoque primo Judaicarum Antiquitatum de loco texens hiſtoriam adducit etiam prophanos teſtes ita verbis eorum ſcribens: Cum vero Noe didiciſſet terram diluvio liberatam, expectatis ſeptem aliis diebus univerſa animantia emittit ex arca; ipſeque cum ſua progenie progreſſus & immolatis Deo hoſtiis ſeſe cum domeſticis oblectabat. Locum hunc deſcenſorium, vel egreſſum Armenii vocant: illic enim regionum illarum indigenæ ſervatæ ſurſum arcæ reliquias etiam nunc oſtendunt. Porro diluvii & arcæ meminere quotquot barbarorum hiſtorias conſcripſerunt: quorum unus eſt Beroſus Chaldæus, res enim diluvii commemorans ſic alicubi diſſerit: Dicitur & hujus in Armenia navigii propter montem Carduænorum eſſe pars aliqua, ſed & quidam bitumen evellere & efferre (dicuntur:) Ii autem viri utuntur eo, quod inde vehunt ad piacula & luſtrationes. Meminit etiam horum Hieronymus Ægyptius, qui Phœnicum Antiquitates conſcripſit, & Byaſeas, & alii complures. Nicolaus quoque Damaſcenus libro nonageſimo ſexto de his ita refert: Eſt nunc ſupra Minyadem mons magnus in Armenia dictus Baris, ad quem multos tempore diluvii confugiſſe, &

NOTÆ.

[1] Aliquando hac voce *Ararat* pro Armenia utuntur tam Interpretes Septuaginta, quam Hieronymus in ſuis verſionibus, voce ſcilicet retenta, quæ in Hebræo textu habetur; aliquando tam hic, quam illi Armeniam pro eadem voce ponunt. BONFRERIUS.

[2] Φοινικικὴν) Sic legendum & hic, & apud *Joſephum*, nam ex voce Φοίνιξ poſſeſſivum nomen eſt Φοινικικός, non Φοινικός. Vide *Stephanum* Byzantinum, in voce Φοινίκη. CLERICUS.

[3] Βυασέας] Lege ex *Joſepho* & *Hieronymo* Μνασέας. Quædam ad verſionem hujus loci Hieronymianam notavimus in *Quæſt. Hieronymiana* III. IDEM.

1 *Arad*

HIERONYMUS. | ΕΥ'ΣΕ'ΒΙΟΣ. | EUSEBIUS.

*verticem perveniſſe, & uſque ad multas ætates ligna arcæ monſtrari ſolita: quos quidem ego puto non eſſe alios, niſi eos quos Moyſes legifer Judæorum in ſuis voluminibus edidit.*

τὴν ἀκρώρειαν ὀκεῖλαι, καὶ τὰ λείψανα τῶν ξύλων ἐπὶ πολὺ σωθῆναι· Γένοιτο δ' ἂν οὗτος, ὄντινα ϗ Μωϋσῆς ἀνέγραψεν ὁ Ἰουδαίων νομοθέτης.

ſervatos eſſe memorant, quendam quoque arca vectum ad verticem montis appuliſſe, ac lignorum reliquias ad multas ætates fuiſſe conſervatas. Fuerit autem hic quem Moyſes Judæorum legislator literis prodidit.

[1] *ARAT, eſt civitas in qua habitaverunt filii Obab ſoceri Moyſis in medio Iſraelis.*

Ἀρὰμ, πόλις ἔνθα κατῴκησαν οἱ υἱοὶ Ἰοθὼρ, τοῦ Ἰωὰβ πενθεροῦ Μωϋσῆ ἐν μέσῳ Ἰσραήλ.

ARAM, civitas in qua habitarunt filii Jothor, qui fuit filius Joabi ſocer Moyſis in medio Iſrael.

[2] *ARATH, civitas olim Amorrhæorum vicina deſerto Cades: & uſque nunc oſtenditur villa ab oppido Malatis in quarto lapide, a Chebron viceſimo in tribu Juda.*

Ἀραμὰ, πόλις Ἀμορραίων παρακειμένη τῇ ἐρήμῳ καλουμένη Κάδδης. καὶ ἐστὶν εἰς ἔτι νῦν κώμη ἀπὸ τετάρτου σημείου Μαλααθὶ, τῆς δὲ Χεβρὼν ἀπὸ εἴκοσι, φυλῆς Ἰούδα.

ARAMA, civitas Amorrhæorum ſita apud eremum, quæ vocatur Cades: & eſt uſque hodie vicus in 4. lapide ab (oppido) Malaathi, a Chebron vero in viceſimo, tribus Juda.

[3] *ARATH, terminus Judæ diſtans a Chebron millibus viginti ad meridiem, de quo ſupra poſitum eſt.*

ARBATÆ, locus circa Galilæam. 1. Machab. v. verſ. 23.

[4] *ARBELA, terminus Judæ ortum ſolis reſpiciens. Eſt & uſque hodie vicus Arbel trans Jordanem in finibus Pellæ civitatis Palæſtinæ, & alius hoc vocabulo in campo prægrandi diſtans ab oppido Legionis millibus novem.*

Ἀρβηλὰ, ὅριον ἀνατολικὸν τῆς Ἰουδαίας· ἔστι δὲ καὶ κώμη τὶς Ἀρβηλὰ πέραν τοῦ Ἰορδάνου ἐν ὁρίοις Πέλλης πόλεως Παλαιστίνης· καὶ ἄλλη δὲ Ἀρβηλὰ κεῖται ἐν τῷ μεγάλῳ πεδίῳ τῆς Λεγεῶνος, διεστῶσα σημείοις θ'.

ARBELA, terminus orientalis Judææ. Eſt item & quidam vicus Arbela ultra Jordanem in finibus Pellæ civitatis Palæſtinæ. Alia item Arbela ſita eſt in magno campo Legionis diſtans milliaribus novem.

ARBELLÆ. Vide proxime ARBELA.

[5] *ARBOCH, corrupte in noſtris codicibus Arboch ſcribitur, cum in Hebræo legatur Arbee, id eſt, quatuor; eo quod ibi quatuor Patriarchæ Abraham, Iſaac, & Jacob ſepulti ſunt, & Adam magnus, ut in libro Jeſu ſcriptum eſt: licet eum quidam conditum in loco Calvariæ ſuſpicentur.*

Ἀρκὼ, αὕτη ἐστὶ Χεβρὼν κώμη νῦν μεγίστη μητρόπολις οὖσα τὸ παλαιὸν τῶν ἀλλοφύλων, ϗ γιγάντων οἰκητήριον, καὶ βασίλειον μετὰ ταῦτα Δαβίδ· ἐνεκληρώθη δὲ φυλῇ Ἰούδα, ϗ πόλις ἦν ἱερατικὴ μία τῶν φυγαδευτηρίων ἀπ' Αἰλίας, ἐν νότῳ, διεστῶσα σημείοις β' πρὸς εἴκοσι· ἡ δρῦς Ἀβραὰμ ϗ τὸ μνῆ-

ARCO, hæc eſt Chebron vicus nunc maximus, quæ olim fuit metropolis alienigenarum, & gigantum domicilium, regia deinde David. Sorte vero obvenerat tribui Juda, & civitas erat ſacerdotalis una urbium refugii ab Ælia ad meridiem ſita, diſtans milliaribus duobus

N O T Æ.

[1] *Arad* in verſione noſtra appellatur vel *Hered*, de qua & nos ſupra in *Ader*. Hiſtoria de Cinæis filiis Hobab, quæ hic tangitur, habetur Judic. Cap. 1. ubi tamen non in civitate illa dicuntur habitaſſe, ſed ad ejus meridiem, neque enim in urbibus habitabant Cinæi. BONFRERIUS.

[2] De hac voce ſequenti. IDEM.

[3] Eadem eſt priore & poſteriore loco *Arath*, ut ex ipſa deſcriptione & diſtantia a Chebron colligitur: deinde eſſe terminum Judæ, & eſſe vicinam deſerto Cades eadem ſunt. Nunc non *Arath*, ſed *Arad*, Num. 34. v. 4. habent Septuaginta Interpretes, & ſi conſonantes literas inter ſe permutes fiet *Adar*, quomodo in Hebræo & verſione noſtra ibi habetur. Vide ſup. in ADDARA. IDEM.

[4] *Arbelæ*, quam hic deſcribit Hieronymus primo loco, nullum eſt in Scriptura veſtigium, vel ubi deſcribuntur termini tribus Judæ, Joſ. 15. vel alibi. Infra in *Bela* Hieronymus indicat eſſe eumdem locum cum *Arbela* hoc loco. Porro *Bela* ibi in terminis tribus Judæ non videtur alia quam *Bala* ſeu Segor ad mare mortuum, de qua & plura in *Bala*. Altera *Arbela* juxta Pellam trans Jordanem etiam in Scriptura nuſquam nominatur. Poſtrema vero *Arbela* hic ab Hieronymo indicata videtur eſſe illa quæ *Arbellæ* dicuntur, 1. Machab. 9. v. 2. quam & *Arbela* vocat Joſephus, dicitque Galilææ oppidum eſſe. Adrichomius tres *Arbelas* in eo tractu diſtinguit, unam in tribu Nephtalim, alteram in tribu Zabulon, tertiam in tribu Iſſachar: ſed ego unicam puto ſufficere, quæ vel in tribu Zabulon, vel Iſſachar, vel Manaſſe fuerit, ubi erat & iſta *urbs Legio* in trium tribuum harum confinio, & *campus magnus*, quorum hic mentionem facit Hieronymus. IDEM.

[5] Nuſquam *Chebron* vel *Hebron* in verſione noſtra abſolute *Arbee* appellatur, ſed *Cariatharbe*, vel *civitas Arbee*. Unde autem hæc civitas ita appellata ſit, an a quatuor (nam & *Arbee* hoc Hebræis ſignificat) horum Patriarcharum ſepultura, aliunde, quod longe probabilius cenſemus, diximus Gen. 23. v. 2. & Joſ. 14. v. ult. De Hebron vero filio Caleb, a quo vult nomen accepiſſe hanc civitatem poſt ingreſſum in Terram Promiſſam habes 1. Paral. 2. v. 42. 43. Merito tamen id revocari in dubium poteſt, ab eo ne nomen hoc acceperit; qua de re nos egimus Gen. 23. v. 1. Fuit autem *Hebron* fere in totius tribus Judæ meditullio. Inter Sacerdotales civitates numeratur, Joſ. 21. & 1. Paral. 6. De ea & infra agit Hieronymus in *Chebron*. IDEM.

HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS.

*Hæc autem est eadem Chebron olim metropolis Philistinorum, & habitaculum Gigantum, regnumque postea David in tribu Juda, civitas sacerdotalis, & fugitivorum. Distat ad meridianam plagam ab Ælia millibus circiter viginti duobus: quercus Abraham, quæ & Mambre usque ad Constantii regis imperium monstrabatur, & Mausolæum ejus impræsentiarum cernitur. Cumque a nobis jam ibidem Ecclesia ædificata sit a cunctis in circuitu gentibus terebynthus superstitiose colitur: eo quod sub ea Angelos Abraham quondam hospitio susceperit. Hæc ergo primum Arbee, postea a Chebron uno filiorum Chaleb sortita vocabulum est.*

μα αὐτόθι θεωρεῖται, ϗ θρησκεύεται ἐπιφανῶς πρὸς τῶν ἐχθρῶν ἡ θερέβινθος· ὅτι ὑπ' αὐτῆς πάλαι τῷ Ἀβραὰμ ἐπιξενωθέντες οἱ ἄγγελοι· πρῶτον δὲ Ἀρβὼ καλουμένη, ὕστερον ἐκλήθη Χεβρὼν, ἀπὸ Χεβρὼν ἑνὸς τῶν υἱῶν Χαλέβ, ὡς ἐν παραλειπομένοις.

supra viginti. Cernitur ibidem quercus Abrahæ & monumentum, palamque superstitiose colitur ab adversariis terebinthus: propterea quod sub ea quondam Angeli fuerint hospitio excepti ab Abraham. Prius autem Arbo dicta, postmodum vocata est Chebron, a Chebrone uno e filiis Chaleb, quemadmodum in Paralipomenon libris.

[1] *ARCEM, refert Josephus hanc esse Petram urbem nobilem Palæstinæ.*

Ἀρκὲμ, κατὰ Ἰώσηππον, αὕτη ἐστι Πέτρα πόλις ἐπίσημος τῆς Παλαιστίνης.

ARCEM, opinione Josephi: hæ est Petra civitas nobilis Palæstinæ.

ARCHIATAROTH, Jos. XVI. eadem urbs quæ paulo post *Atharothaddar* vocatur, quemadmodum nos probamus ad illud caput vers. 2. Vide supra in ADARA.

[2] *AREAATAD, locus trans Jordanem: in quo planxerunt quondam Jacob tertio ab Hierico lapide, duobus millibus a Jordane, qui nunc vocatur Betagla, quod interpretatur locus gyri, eo quod ibi more plangentium circumierint in funere Jacob.*

AREA NACHON, vel AREA CHIDON, ad quam cum perventum esset, quo tempore fœderis arca adducebatur a Davide ex Cariathiarim in Hierusalem, Oza a Deo percussus fuit, quod manum arcæ sustentandæ, quæ nonnihil declinaverat, admovisset, 2. Reg. VI. & 1. Paral. XIII. Sunt autem *Nachon* & *Gbidon* ejusdem viri duo nomina.

[3] *AREA ORNAN, hæc est Hierusalem.*

Ἀλλὼν ὅριον (repone ἅλων Ὀρνὰν) αὕτη ἐστὶν Ἱερουσαλήμ.

AREA ORNAN, hæc est Hierusalem.

[4] *AREBBA, in tribu Juda.*

Ἀρεμβὰ, φυλῆς Ἰούδα.

AREMBA, tribus Juda.

ARECON, urbs in tribu Dan. Jos. XIX. vers. 46.

AREOPAGUS, locus Athenis, in quo judicia capitalia exercebantur, a quo Judices Areopagitæ sunt dicti, qui olim sapientes, & incorrupti audierunt.

[5] *ARES ASCENUS, pro quo Aquila interpretatur saltuum & Symmachus montium.*

---

NOTÆ.

[1] De hac nulla in Scriptura mentio. Petram civitatem Arabiæ primariam, non Palæstinæ, vocatam fuisse *Arcem* scribit Josephus 4. Antiq. c. 4. BONFRERIUS.

[2] De *Area Atad* diximus Gen. 50. v. 10. ubi esse constituendum hunc locum eis Jordanem probavimus, in tribu videlicet Benjamin non procul Hiericho, de qua & infra in BETHAGLA. IDEM.

[3] Hæc pars urbis Jerusalem potius dici debuit, mons videlicet ille Moria a Davide emtus, & antea ab Ornan Jebusæo possessus, in quo postea templum Salomonis ædificatum est. IDEM.

[4] De hac habes Jos. 15. v. 60. IDEM.

[5] Ubi ea voce tanquam propria usi sint Septuaginta non facile credo nunc reperias: videri tamen posset alludi ad Scripturæ locum, Judic. 1. v. 35. ubi & Hieronymus vertit, *in monte Hares*. Accedit quod & ibi Regius Codex Septuaginta Interpretum habeat ἐν τῷ ὄρει τῷ Ἄρει *in monte Hares*, seu *in ascensu*: nam mons ascensu constat, etsi Codices alii eam vocem non habeant. IDEM.

HIERONYMUS. | ΕΥ'ΣΕ'ΒΙΟΣ. | EUSEBIUS.

[1] *ARETH, fons apud quem Gedeon castrametatus est.*

Α'ρεδ, πηγὴ, ἔνθα παρενέβαλε Γεδεὼν.

ARED, fons, ubi castrametatus est Gedeon.

[2] *ARGOB, regio Og regis Basan, super Jordanem, quæ cecidit iu sortem dimidiæ tribus Manassæ: & est usque hodie vicus circa Gerasam urbem Arabiæ quindecim ab ea distans millibus contra Occidentem, qui Arga appellatur.*

Α'ργόβ, χώρα βασιλείας [5] Ω῎ν ὑπὲρ τὸν Ι'ορδάνην, ἣν ἔλαβον οἱ ἀπὸ φυλῆς Μανασσῆ· κεῖται δὲ εἰς ἔτι νῦν κώμη πέριξ Γερεσὰν πόλιν τῆς Α'ραβίας, ὡς ἀπὸ σημείων ιέ πρὸς δυσμάς. καλεῖται δὲ νῦν Ε'ργὰ, ἑρμηνεύει δὲ αὐτὴν ὁ Σύμμαχος περίμετρον.

ARGOB, regio regni On trans Jordanem, quam ceperunt posteri Manasse. Est autem usque hodie vicus circa civitatem Geresam Arabiæ quasi in decimo quinto lapide versus Occidentem · nunc vero vocatur Erga: interpretatur eam Symmachus Perimetrum seu dimensum circuitum.

ARIE, quæ vox Hebræis *leonem* significat, est itidem loci nomen (ut *Argob*) in eadem Samaria urbe, Lib. 4. Regum, Cap. xv. vers. 25. juxta versionem nostram; nam alii itidem ut vocem præcedentem volunt esse viri proprium nomen. Hujus nominis rationem non facile est assignare, uti præcedentis; verisimile tamen est, *Arie* seu *Leonem* vocatum locum, seu quod in eo leones regii alerentur, seu per metaphoram, quod in eo habitarent homines potentes & primarii regis principes: hujusmodi enim viros potentes Hebræi *Leones* per metaphoram vocant.

[3] *ARIEL, hujus quoque Esaias meminit, quam Aquila & Symmachus interpretati sunt Leonem Dei. Hanc esse putant quidam Areopolim, eo quod ibi nunc usque Ariel idolum colant, vocatum* ἀπὸ τῦ Α῎ρεως, *id est a a Marte: unde & civitatem dictam suspicantur. Mihi autem videtur juxta consequentiam, textumque Prophetiæ Ariel ibi allegorice Hierusalem sive templum significare, hoc est Leonem Dei, quod forte regnum fuerit & potens. De hoc in libris Hebraicarum quæstionum plenius dictum est.*

Α'ρινὰ, ἣ καὶ Α'ριὴλ· Α'κύλας, Σύμμαχος Λέοντα ταύτην εἶναι φασὶ τὴν Α'ρεόπολιν· Ε'πειδὴ καλοῦσιν εἰς ἔτι καὶ νῦν Α'ριὴλ τὸ εἴδωλον αὐτῶν, οἱ τὴν Α'ρεόπολιν οἰκοῦντες ἀπὸ τοῦ σέβειν τὸν Α῎ρεα, ἐξ οὗ καὶ τὴν πόλιν ὠνόμασαν.

ARINA, quæ & Ariel. Aquila, & Symmachus Leonem hanc esse dicunt Areopolim. Quandoquidem usque hodie vocent Ariel Idolum suum qui Areopolim incolunt, a colendo Marte, a quo & civitatem nominarunt.

[4] *ARIM, in tribu Benjamin. Est & villa juxta Diospolim,*

Α'ρὴμ, κλήρυ Βενιαμὶν, καὶ ἔστι νῦν κώμη περὶ Διόσπολιν.

AREM, sortis Benjamin, & est nunc vicus circa Diospolim.

N o t æ.

[1] De eodem fonte supra egit Hieronymus in voce *Aared*, & nos ibidem; in versione nostra vocatur *Aared*. Ex hac voce & aliis similibus, quæ pluries cum aliqua mutatione literarum repetuntur, satis liquet Eusebium vel Hieronymum diverso modo reperisse easdem voces scriptas in diversis Codicibus Septuaginta Interpretum, vel certe in diversis Scripturæ locis non eodem modo fuisse a Septuaginta Interpretibus hæc urbium nomina expressa, quod posterius etiam non semel locum habet in Hieronymi versione. Addo vero nec in Hebræo eadem semper puncta affigi, & olim, cum punctis carerent, facile potuisse modo hæc, modo illa puncta affigi. Hæc tamen vox cum nonnisi semel reperiatur in Scriptura, Judic. 7. v. 1. non potest diversæ hujus lectionis causa reddi, nisi varia in diversis Codicibus lectio. Idem.

[2] Non videtur regio *Argob* arctanda ad regionem Trans-Jordaninam super Jordanem, quam postea possedit dimidia tribus Manasse Trans-Jordanina, sed extendenda ad totam illam regionem, quam possedit eadem illa dimidia tribus usque ad montem Galaad, ad quem versus Orientem pervenisse non dubium est. Id autem probari potest e pluribus Scripturæ locis, quæ totam sortem dimidiæ illius tribus Manasse definiunt sexaginta civitatibus magnis & muratis: at eædem sexaginta civitates tribuuntur regioni *Argob*. Deuter. 3. v. 4. & 3. Reg. 4. v. 13. Sed & tota nominis istius regionis ratio, quam hic probare videtur Hieronymus, probarine debeat nonnihil ambigo: crediderim potius, etsi res sit obscura, dictam regionem *Argob* a rege aliquo Amorrhæorum, qui in ea regione regnaverit; eoque nomine forte dictum eum, qui primus eam regionem invasit: satis enim constat initio Amorrhæos & Chananæos non tenuisse Trans-Jordaninam regionem, sed jure belli eam occupasse. Est & *Argob* loci nomen in urbe Samaria, 4. Reg. 15. v. 25. qui non aliunde videtur nomen accepisse, quam a Galaaditis, qui e regione *Argob* venerant, ut ibidem verbis sequentibus insinuatur. Et hoc juxta versionem nostram; nam alii nomen viri proprium esse volunt. Idem.

[3] Apud Isaiam *Ariel* videtur accipi pro ipsa civitate Hierosolyma, apud Ezechielem pro altari templi, vel parte ipsius superiore. Bonfrerius.

[4] Non *Arim*, sed *Iarim* nunc legitur Jos. 18. v. ult. in versione Septuaginta: in Hebræo tamen est עָרִים *Arim*. Eam vocem videntur Septuaginta ut propriam accepisse, cum tamen videatur esse appellativa, cui in versione nostra respondet vox, *civitates*: est enim vox עָרִים *Arim* pluralis numeri. Quod autem addit *esse usque hodie villam juxta Diospolim, quæ appellatur Bethariph*; res ipsa plane videtur exigere, ut postrema illa vox *Betariph* mendosa sit, & pro ea reponenda sit *Betharim*; alias enim nullam cum voce *Arim* affinitatem habebit. Sonat autem *Betharim* domum urbium. Idem.

[5] Pro Ω῎ν repone Ω῎γ, hujus enim in Scriptura dicitur fuisse regio Argob. Idem.

| HIERONYMUS. | ΕΥ'ΣΕ'ΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
| --- | --- | --- |
| *quæ usque hodie appellatur Betaripb.* | | |
| [1] *ARIMA, ubi Scriptura dicit sedisse Abimelech.* | Α'ριμά ἔνθα ἐκάθισεν ὁ Α'βιμέλεχ. | ARIMA, ubi resedit Abimelech. |

ARIMATHÆA, vel Arimathia. Vide ARMATHA SOPHIM paulo post.

| HIERONYMUS. | ΕΥ'ΣΕ'ΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
| --- | --- | --- |
| [2] *ARITH, ubi sedit David. Est villa Arath nomine ad Occidentem Æliæ,* | Α'ρὶθ, ἔνθα ἐκάθισε Δαβὶδ· κώμη Α'ρὰθ, Αἰλίας πρὸς δυσμάς. | ARITH, ubi sedit David. Villa Arath ad Occidentalem Æliæ plagam. |
| [3] *ARMA, ad quem locum spoliorum partem misit David.* | | |

ARMAGEDON, cujus fit mentio Apoc. XVI. verf. 16. ad quem Antichristus & Diabolus suos exercitus contra fideles & Deum congregaturi sunt in prælium: qui locus ubi futurus sit prorsus ignoratur; ex vocis tamen affinitate nonnulli probabilem conjecturam accipiunt futurum in terra Israelitica; *Maggedo* enim urbs fuit in dimidia tribu Manasse Cis-Jordanina non procul torrente Cisson & monte Thabor, huic voci si præponas הר *har*, hoc est, mons vel עיר *hir*, hoc est *urbs* fiet *Harmageddo*; vel *Hirmageddo*. Forte *Harmageddo*, seu mons *Mageddo* non alius est a monte Thabor, cui Mageddo esse vicinam colligitur ex Judic. v. verf. 19.

| HIERONYMUS. | ΕΥ'ΣΕ'ΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
| --- | --- | --- |
| [4] *ARMAKABOB, in tribu Simeon.* | | |
| [5] *ARMATHA SOPHIM, civitas Elchanæ, & Samuelis in regione Tamnitica, juxta Diospolim, unde fuit Joseph, qui in Evangeliis ab Arimathia esse scribitur.* | Α'ρμαθὲμ σειφὰ πόλις Ε'λκανὰ καὶ Σαμουήλ· κεῖται δὲ αὐτὴ πλησίον Διοσπόλεως, ὅθεν ἦν Ι'ωσὴφ ἐν Εὐαγγελίοις ἀπὸ Α'ριμαθείας, | ARMATHEM SIPHA, civitas Helcanæ & Samuelis. Porro ea sita est prope Diospolin, unde erat Joseph (qui dicitur) in Evangeliis ab Arimathia. |
| [6] *ARMENIA, in Esaia, quæ est Ararat.* | Α'ρμενία, Η'σαΐας, [8] Α'ρασά, Σαρασά. | ARMENIA, Esaias, Arasa, Sarasa. |

ARMON, Amos. IV. verf. 3. Chaldæo Paraphraste & Hieronymo ad eum locum sunt montes Armeniæ.

| HIERONYMUS. | ΕΥ'ΣΕ'ΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
| --- | --- | --- |
| [7] *ARNON, rupes quædam in sublime porrecta in finibus Amorrhæorum inter Moab & Amorrhæos. Moab vero Arabiæ civitas est, quæ nunc Areopolis nominatur: ostendunt regionis illius accolæ locum vallis in prærupta demersæ satis horribilem & periculosum, qui usque nunc a plerisque Arnonas appellatur: extenditurque ad Septemptrionem Areopoleos: in quo & militum ex omni parte præsidia distribu-* | Α'ρνῶν, [9] τὸ ἐξέχον ἀπὸ τῶν ὁρίων τῶν Α'μοῤῥαίων· κεῖται δὲ μεταξὺ Μωὰβ καὶ τοῦ Α'μοῤῥαίου· καὶ ἔστιν ὅριον Μωὰβ, ἥτις ἐστὶν Α'ρεόπολις τῆς Α'ραβίας· δείκνυται δὲ εἰς ἔτι νῦν τόπος φαραγγώδης σφόδρα χαλεπὸς ὁ Α'ρνὼν ὀνομαζόμενος παρατείνων ἐπὶ τὰ βόρεια τῆς Α'ρεοπόλεως, ἐν ᾧ καὶ φρούρια πανταχόθεν φυλάττει στρατιωτικά, διὰ φοβερὸν τοῦ τόπου· τὸ παλαιὸν δὲ ἦν Σηὼν τοῦ τῶν Α'μοῤῥαίων βασιλέως ἀφελομένου αὐτὴν τοὺς | ARNON, locus eminens a finibus Amorrhæorum. Situs est inter Moab & Amorrhæum. Et est terminus Moab quæ est Areopolis Arabiæ. Porro ostenditur etiam nunc locus admodum præceps & præruptus difficilis ac periculosus, qui nominatur Arnon, & extenditur ad Septentrionem Areopoleos, in quo præsidia militaria ex omni parte agunt excubias propter horrorem loci. Fuit olim |

NOTÆ.

[1] Ita appellatur locus Judic. 9. v. 41. in versione Septuaginta Interpretum, qui in nostra versione appellatur *Ruma* non procul urbe Sichem: qua de re nos ad eum locum. IDEM.

[2] Saltus nomen est in tribu Juda, in quem David Saulem fugitans, auctore Gad Propheta venit; in versione nostra vocatur *Haret*, 1. Reg. 22. v. 5. IDEM.

[3] Rem hanc proditam habes 1. Reg. 30. in fine, ubi urbem hanc v. 30. habes in versione nostra vocitatam *Arama*; aliis Scripturæ locis appellatur *Horma*, *Harma*, vel *Herma*. IDEM.

[4] Hæc vox omnino corrupta est. Libri alii paulo melius habent *Armakaboth*. In libris Septuaginta Interpretum fere etiam nunc corrupte legitur, vel unica voce *Betmachereb*, vel divisa *Bethmar & Chasboth*: Regius tamen Codex habet *Bethamarchaboth*, quod cum Hebræo nostraque versione consentit, Jos. 19. v. 5. ubi in nostra versione vocatur *Bethmarchaboth*, in Hebræo ה interposito *Bethhammarchaboth*, quod significat domum quadrigarum. IDEM.

[5] Hæc in versione nostra 1. Reg. 1. v. 1. *Ramathaim sophim* appellatur; alibi sæpius *Ramatha*; præposito autem ה, fit *Haramatha*, inde *Arimathia*. Urbs fuit in tribu Ephraim tribui Judæ, Dan, & Benjamin contermina. IDEM.

[6] Vide supra in ARARAT. IDEM.

[7] *Arnon* non tantum rupes est, sed etiam torrens ex eadem rupe veniens, dividens Amorrhæorum ditionem trans-Jordanem a Moabitis ante Israelitarum in Terram Promissam; postea vero dividens eosdem Moabitas ab Israelitis trans Jordanem habitantibus: unde passim hi in Scriptura dicuntur *possedisse totam terram trans Jordanem a torrente Arnon usque ad montem Hermon*. Magnam ejusdem regionis cis *Arnonem* partem olim Moabitæ & Ammonitæ possederant, sed ab Amorrhæis inde pulsi fuerant. BONFRERIUS.

[8] Respicit Eusebius ad Isaiæ 37. v. ult. sed ad locorum nomina istæ voces non pertinent. IDEM.

[9] Τὸ ἐξέχον) Hoc est, *exortum*, nam subauditur ὕδωρ, aut ῥεῦμα aut tale quidpiam. Vult Eusebius *Arnonem oriri a finibus Amorrhæorum*, non esse *rupem in sublime porrectam in finibus Amorrhæorum*, ut habet *Hieronymus*; qua de diximus ad vocem *Arnon*, in Notis ad Indicem Geographicum Sansonis. CLERICUS.

| HIERONYMUS. | ΕΥ'ΣΕ'ΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| *ta, plenum ſanguinis & formidinis teſtantur ingreſſum. Hic quondam Moabitarum fuit, & poſtea Seon rex Amorrhæorum jure belli eum obtinuit: ſed & terra filiorum Iſrael trans Jordanem incipiens ab Arnone uſque ad montes Hermon & Libanum extenditur.* | Μωαβίταις· ἐντεῦθεν γέγονε τῆς τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ κατασχέσεως τὰ ἐπέκεινα τοῦ Ἰορδάνου ὅρια παρατείνοντα ἀπὸ Ἀρνῶν ἕως ὄρους Ἀερμὼν ϗ Λιβάνου. | Seon regis Amorrhæorum, qui eam Moabitis eripuit. Inde facti ſunt poſſeſſionis filiorum Iſrael termini ultra Jordanem qui extenduntur ab Arnon uſque ad montem Aermon & Libanum. |
| [1] *ARNONIM, juxta Eſaiam viæ nomen eſt in viſione contra Moab, pro quo Aquila Oronaim poſuit, & Symmachus Oranim.* | Ἀρωννιείμ, ἐν ὄρεσι τῆς κατὰ Μωαβίτιδος· ϗ νῦν ἐστὶν Αἰγαλεὶμ κώμη πρὸς νότον Ἀρεοπόλεως διεστῶσα σημείοις ή. | ARONNIIM, in montibus contra regionem Moabitidos: & nunc eſt Ægalim vicus ad auſtrum Areopoli diſtans octo milliaribus. |
| | Ἀρωνιείμ, Ἡσαΐας, ὁδὸς Αἰρωναίμ. | ARONIIM, Eſaias, via Æronaim. |
| [2] *AROER, oppidum Moabitarum: quod ſitum eſt ſuper ripam torrentis Arnon poſſeſſum olim a gente veterrima Omniim: & poſtea retentum a filiis Lot, id eſt Moabitis, cum priores accolas ſubvertiſſent: & oſtenditur uſque hodie in vertice iſtius montis.* | Ἀροήρ, ἥ ἐστὶν ἐπὶ τοῦ χείλους χειμάῤῥου Ἀρνὼν πόλις Μωὰβ, ἣς εἶχον ποτὲ οἱ [5] Ὀμμεὶν ἔθνος ἀρχαῖον ὃ ἀνεῖλον οἱ υἱοὶ Λὼτ οἱ ἀπὸ Μωὰβ, καὶ δείκνυται εἰς δεῦρο ἐπ' ὀφρύος τοῦ ὄρους κειμένη· ὅτε χειμάῤῥους ὁ διὰ φάραγγος ἐπὶ τὴν νεκρὰν θάλασσαν ἐκπίπτων· γέγονε δὲ ἡ Ἀροὴρ κλήρου φυλῆς Γὰδ, καὶ λέγεται εἶναι κατὰ πρόσωπον Ῥαββά. | AROER, quæ eſt ſuper ripam torrentis Arnon civitas Moab, quam occuparunt aliquando filii Ommin, gens antiqua, quam interfecerunt filii Loth, qui a Moab oriundi: & huc uſque oſtenditur in ſupercilio montis ſita: ac torrens qui per præruptam vallem in mare mortuum delabitur: fuit porro Aroer ſortis tribus Gad, diciturque eſſe contra faciem Rabba. |

ARPHAD. Vide quæ proxime ſequitur ARPHATH.

| HIERONYMUS. | ΕΥ'ΣΕ'ΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [3] *ARPHATH, urbs Damaſci, quam expugnavit rex Aſſyriorum, ſicut in Eſaia, Hieremia, & Libris Regnorum ſcribitur.* | Ἀρφὰδ, πόλις Δαμασκοῦ, ἣν ἐπολέμησε βασιλεὺς Ἀσσυρίων, ἐν Ἡσαΐᾳ, ϗ Ἱερεμίᾳ ϗ ταῖς βασιλείαις. | ARPHAD, civitas Damaſci, quam bello cepit rex Aſſyriorum, in Eſaia, Hieremia, & Libris Regnorum. |

ARUBOTH, 3. Reg. IV. verſ. 10. ubi ſit obſcurum eſt; crediderim in Galilæa & tribu Zabulon fuiſſe: ſed eam rem ibi diſputabimus. Vide ſupra ARABA.

| HIERONYMUS. | ΕΥ'ΣΕ'ΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [4] *ARUIR, ubi dimicavit Jephte, eſt hodieque villa in monte ſita viceſimo ab Ælia lapide ad Septemtrionem.* | Ἀρουὴλ, ἔνθα ἐπολέμησεν Ἰεφθὲ· ϗ ἔστι κώμη ἀπὸ σημείων ς'· Αἰλίας ἐν τῷ ὄρει πρὸς βοῤῥᾶν. | ARUI, ubi dimicavit Jephte; & eſt vicus diſtans Ælia ſex milliaribus in monte ad Septemtrionem. |

NOTÆ.

[1] Hæc in verſione noſtra apud Prophetas *Oronaim* vocatur. Sitne viæ nomen, an urbis apud Moabitas merito dubitari poteſt, & dubitare ſe ſatis oſtendit Hieronymus ad Iſaiæ 15. Malim ego urbis nomen eſſe, id enim magis conforme eſt iis quæ habet Hieremias c. 48. v. 5. & quamquam Iſaias c. 15. v. 5. *in via Oronaim* dixerit; facile tamen per *viam Oronaim* intelligi poteſt via, qua itur ad urbem *Oronaim.*

[2] Eſt hæc urbs ab *Ar* Moabitarum metropoli diſtinguenda, ut ſupra in AR diximus: Quos hic *Omniim* vocat (voce quantum arbitror mendo vitiata) *Emim* verſio noſtra appellat Deuter. 2. v. 10. 11. Illud hic mirum Hieronymum dicere *uſque hodie*, hoc eſt, ad ſua tempora eam urbem *in vertice iſtius montis* oſtendi, cum ea urbs nullo modo videatur in monte conſtituenda, nedum in montis vertice: ſiquidem in montis vertice torrentes eſſe non ſolent, ſed vel in valle, vel in montis deſcenſu; hæc autem urbs ſita erat ſuper ripam torrentis *Arnon.* Adde diſerte aſſeri Joſ. 13. v. 9. & 16. hanc urbem ſitam fuiſſe *in vallis medio*. Item 2. Reg. 24. v. 5. dicitur *Aroer* eſſe *in valle Gad.* IDEM.

[3] Hæc in verſione noſtra ARPHAD appellatur; quemadmodum & in Hebræo. Eſſe autem in Syria Damaſcena indicat etiam Jeremias c. 49. v. 23. Hieronymus tamen ad Iſaiæ 10. *Arphad* in Chaldæa, ſeu in campo Sennaar juxta Babylonem reponit. IDEM.

[4] Idem locus eſt, qui ſupra *Aroer* dictus eſt, ita enim diſerte habetur, Judic. 11. v. 33. non modo in Hebræo, noſtraque verſione, ſed etiam nunc in verſione Septuaginta, omnibuſque eorum Codicibus, ut mirum ſit hic ſcribi *Aruir*. Illud item mirum quomodo rurſum locum hunc *in monte* ponat ſeu Euſebius, ſeu Hieronymus; ſed de ea re ſupra diximus. Item illud mirum quod ad Septemtrionem Æliæ ſeu Hieroſolymæ ponat, cum potius videatur ad Orientem fuiſſe, cum Mare Mortuum, atque adeo & Arnon torrens ſe exonerans in Mare Mortuum, ad cujus ripam ſita erat *Aroer*, ad Orientem Hieroſolymæ eſſent. BONFRERIUS.

[5] Ὀμμεὶν) Legendum ſine dubio in verbis *Hieronymi*, *Ommin*, vel *Ommim*, ex Deut. 11. v. 10. & ſic habent antiqui ejus Codices. IDEM.

[1] Hanc

**HIERONYMUS.**

[1] *ASAEL, hujus meminit Zacharias Propheta.*

[2] *ASAN, in tribu Juda eſt uſque hodie vicus nobilis Bethaſam ad Æliam pertinens in decimo quinto ab ea milliario.*

[3] *ASDOD, in ſorte tribus Judæ, quæ nunc vocatur Azotus, in qua derelicti ſunt Gigantes, qui appellabantur Enakim, & eſt uſque hodie inſigne oppidum Palæſtinæ.*

**ΕΥ'ΣΕ'ΒΙΟΣ.**

Α'σὴλ, ταύτης Ζαχαρίας μέμνηται.

Α'σὰν, φυλῆς Ἰούδα· ᾗ ἔστι νῦν κώμη Θηβασὰ καλȣμένη ἐν ὁρίοις Αἰλίας πρὸς δυσμὰς ἀπὸ σημείων ις'.

Α'εδὼδ, ἣ καὶ Α'ζωτος, ἐν ᾗ [6] κατελεύθησαν οἱ Ενακεὶμ, ἣ νῦν ἐστι πολίχνη ἐπίσημος τῆς Παλαιστίνης· ἦν δὲ κλήρȣ φυλῆς Ἰούδα.

**EUSEBIUS.**

ASEL, hujus Zacharias meminit.

ASAN, tribus Juda. Et eſt nunc vicus qui vocatur Thebaſa in finibus Æliæ, ad occidentem in 16. lapide.

ÆDOD, quæ & Azotus, in qua comprehenſi filii Enacim, quæ nunc eſt inſigne oppidulum Palæſtinæ: Fuit autem ſortis tribus Juda.

ASEBAIM, 1. Eſdræ 11. verſ. 57. Idem locus eſt ( ſi tamen loci nomen ) qui 2. Eſdræ VII. verſ. 59. dicitur *Sebaim*: videtur autem locus eſſe in regione Babylonica; hi enim omnes e Babylonica regione redierant. Dixi autem, ſi tamen loci nomen eſt; nam ſi attendamus textum Hebraicum, poteſt eſſe cognomen illius Nathinæi, qui iſtic proxime nominatus fuerat; vel potius nomen patronymicum plurale ab urbe vel loco, unde hi Babylone receſſerant, ita ut loci nomen ſit *Seba*, omnes vero illi Nathinæi *Sebaim*, ſeu *Sebaitæ* a loco dicantur.

**HIERONYMUS.**

[4] *ASECA, in tribu Juda.*

[5] *ASEBECH, hanc Eſaias Propheta futuram in Ægypto vaticinatur: ſciendum autem quod in Hebræo pro hoc nomine ſcriptum ſit* חרס, *quod a ſiccitate quidam interpretantur in ſolem: & alii in teſtam transferunt, volentes vel Heliopolim ſignificari, vel Oſtracinem. Sed & hujus rei diſputationem, quia*

**ΕΥ'ΣΕ'ΒΙΟΣ.**

Α'φακὰ, φυλῆς Ἰούδα.

**EUSEBIUS.**

APHACA: tribus Juda.

N O T Æ.

[1] Hanc vocem quaſi propriam leges, Zachariæ 14. v. 5. in verſione Septuaginta Interpretum, quæ eſt in emendatioribus Codicibus; nam quæ in Romano eſt Codice *Jaſod* plane vitioſa eſt, neque cum Hebræa אצל *Atſal* ſeu *Aſal* congruit. Eam vocem Hebræam appellative cum Symmacho vertit Hieronym. *proximum*: plerique tamen præter Septuaginta Interpretes nomen quaſi loci proprium Hieroſolymæ, vel in loco ſuburbano ejus urbis faciunt, Aquila, Theodotio, Tigurini, Vatablus, Pagninus, & fere Hebræi, Hebraiceque periti. IDEM.

[2] Habes eam attributam tribui Judæ, Joſ. 15. v. 42. ſed fuiſſe eidem tribui ablatam datamque Simeonitis colligitur ex ejuſdem libri c. 19. v. 7. fuiſſe Sacerdotalem civitatem indicat liber 1. Paral. c. 6. v. 59. Legimus & lacum *Aſan*, 1. Reg. 30. v. 30. de quo infra in BESARAN. Porro *Aſan* eamdem eſſe urbem, quæ alibi Jeta vel Jota appellatur, probamus Joſ. 21. v. 16. Significat *Aſan* fumum. IDEM.

[3] Hæc eſt altera e quinque Philiſthæorum Satrapiis, quæ in verſione noſtra ſemper *Azotus* nuncupatur Aſcalone borealior ſi Adrichomio credimus, mediaque inter omnes quinque Satrapias; ſin ordinem ſequamur quem Scriptura inter has Satrapias videtur aſſignare, Joſ. 13. v. 3. ubi a Gazæis meridiem verſus incipiendo paulatim ad borealiores Satrapias procedit ( nam Gazam extremam verſus meridiem fuiſſe conſtat, Accaronem extremam verſus Septemtrionem ibi Joſ. 13. Scriptura aſſerit ) videtur ſequi Azotum proxime Gazam ſequi verſus Boream procedendo. Fateor hoc de Azoto minime eſſe certum, & contra illum Satrapiarum ordinem facere id quod mox ex Joſepho ſubjiciam: quocirca nec in tabula mea Chorographica quidquam in hac re mutandum cenſui. Adde multos præter Adrichomium Azotum Aſcalone borealiorem facere, Jacobum de Vitriaco in ſua hiſtoria Hieroſolym. Jacobum Zieglerum in ſua Palæſtina, Maginum in ſua Palæſtinæ tabula, Marinum item Sanutum in ſua Palæſtinæ tabula. Hæc quidem Azotus Joſ. 15. attribuitur tribui Judæ, ſed Joſephus 5. Ant. c. 1. eam cum Accarone & Geth tribui Judæ fuiſſe avulſam, Danitiſque attributam vult, relictis tantummodo tribui Judæ Aſcalone & Gaza, quod eſt ſatis probabile; alias enim non videtur quomodo ſors tribus Dan ſpatium habuiſſet terræ ſufficiens verſus mare ut ſeſe extenderet: quidquid ſit ſatis conſtat neque tribum Juda, neque tribum Dan eam poſſediſſe, ſaltem poſſeſſione ſtabili. De *Enacim Gigantibus ibi derelictis* nuſquam, quod ſciam, proditur: fuerunt quidem Gigantes apud Philiſthæos, ſed hi non Enacim, ſed Raphaim erant, iique non Azoti, ſed in Geth paſſim habitaſſe dicuntur. IDEM.

[4] Hæc *Azeca* in verſione noſtra, Joſ. 15. & alibi ſæpius dicitur. Ad eum uſque locum perſequente Joſue lapidibus grandinis e cœlo miſſis obruti ſunt Chananæi, Joſ. 10. eſſe in extremis finibus tribus Judæ in confinio etiam tribus Ephraim colligitur e 1. Reg. 19. v. 22. conjuncto cum 1. Reg. 17. v. 1. IDEM.

[5] Hæc vox quaſi propria habetur apud Septuaginta Interpretes, Iſaiæ 19. v. 18. *Civitas Aſedech* ( vel *Aſedec* ) *vocabitur una civitas*. Verum cum hæc vox barbara non poſſit aliunde quam ex Hebræo eſſe mutuata, in Hebræo autem habeatur חרס *cheres*, quod ſignificat ſolem; ſeu הרס, *heres*, quod deſtructionem notat: poteſt etiam ſignificare ס pro ש, quæ ſunt literæ inter ſe facile commutabiles; hinc nata diverſitas iſta translationum, ut alii *civitas ſolis* verterint, quæ Græcis *Heliopolis* dicitur, Ægypti nominata civitas etiam in Scriptura, quæ alibi און *On* appellatur, de qua & nos egimus, Gen. 41. v. 45. & infra de ea in voce *Heliopolis* agetur; alii vero *civitas teſtæ*, vel *teſtarum*, reddiderint, quæ eſt altera in Ægypto vel in ejus confiniis civitas ab hujuſmodi teſtis, vel ariditate inſtar teſtarum dicta *Oſtracine*: de qua & nos nonnulla, Judic. 1. v. 35. alii & quidem plurimi illud verterunt *civitas deſtructionis*; in plurimis enim Hebræis Codd. legitur עיר ההרס. Hieronymus in Iſaia *Civitas ſolis* vertit. IDEM.

[6] Κατελεύθησαν ) Mendum eſt typographicum, nam in Codice Regio eſt κατελήφθησαν, hoc eſt, *comprehenſi ſunt*, ut habet *Bonfrerius*. Sed rectius legit Hieronymus κατελείφθησαν, *relicti ſunt*, Librariuſque temere τȣ̃ H & τȣ̃ EI ſonos miſcuit, ut ſæpe factum. CLERICUS.

1 Quod

| HIERONYMUS. | ΕΥ'ΣΕ'ΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| *longior eſt, in libris Hebraicarum quæſtionum reperies.* | | |
| [1] *ASEDOTH, urbs Amorrhæorum, quæ cecidit in ſortem tribus Ruben: appellatur autem addito cognomento Aſedoth Phaſga: quod in lingua noſtra reſonat abſciſſum.* | Ἀ'σηδὼθ, πόλις τῶν Ἀ'μοῤῥαίων ἣ γέγονε φυλῆς Ῥ'ȣβὶν· λέγεται δὲ Ἀ'σηδὼθ Φασγὼ, ὅ ἐστὶ λαξευτή. | ASEDOTH, civitas Amorrhæorum quæ fuit tribus Ruben. Dicitur autem Aſidoth Phaſgo, quod eſt exciſa. |
| [2] *ASEDOTH, alia hæc civitas, quam expugnavit Jeſus Rege ejus interfecto.* | Ἀ'σηδὼθ, ἄλλη αὕτη πόλις, ἣν ἐπολιόρκησεν Ἰ'ησοῦς τὸν βασιλέα αὐτῆς ἀνελών. | ASEDOTH, alia hæc civitas, quam expugnavit Jeſus interfecto ipſius rege. |
| [3] *ASEM, in tribu Symeon.* | Ἀ'σὰρ, πόλις κλήρȣ Συμεών. | ASAR, civitas ſortis Simeon. |
| [4] *ASEMONA, caſtra filiorum Iſrael in deſerto.* | Ἀ'σεμωνὰς, σταθμὸς τῶν υἱῶν Ἰ'σραὴλ ἐπὶ τῆς ἐρήμȣ. | ASEMONAS, ſtatio filiorum Iſrael in deſerto. |
| [5] *ASEMONA, civitas in deſerto ad Meridiem Judææ dividens Ægyptum, & ſortem tribus Judæ ad mare uſque tendentem.* | Ἀ'σεμωνὰ, πόλις ἐν τῇ ἐρήμῳ ἀπὸ νότȣ Ἰ'ουδαίας διοεἴζȣσα Αἴγυπτον τὴν εἰς θάλασσαν διέξοδον φυλῆς Ἰ'ούδα· καὶ ἀνωτέρω, σταθμός. | ASEMONA, civitas in eremo a meridie Judææ terminans Ægyptum & exitum tribus Juda ad mare: ſupra ſtatio. |
| ASENA. Vide *Aſenna* & *Aſna*. | | |
| *ASENNA, in tribu Juda.* | Ἀ'σεννὰ, φυλῆς Ἰ'ούδα. | ASENNA, tribus Juda. |
| [6] *ASENNA, in tribu Simeon.* | Ἀ'σεννὰ. φυλῆς Συμεών. | ASENNA, tribus Simeon. |
| [7] *ASER, civitas tribus Manaſſe: nunc demonſtratur villa deſcendentibus a Neapoli Scythopolim in decimo quinto lapide juxta viam publicam.* | Ἀ'σὴρ, πόλις φυλῆς Μανασσῆ, καὶ νῦν ἐστὶ ἡ καλȣμένη κώμη, κατιόντων ἀπὸ νέας πόλεως ἐπὶ Σκυθόπολιν ἐν πεντεκαιδεκάτῳ σημείῳ πρὸς αὐτῇ λεωφόρῳ. | ASER, civitas tribus Manaſſe, & eſt modo qui dicitur vicus deſcendentibus Neapoli Scythopolim in decimo-quinto lapide ad ipſam viam publicam. |
| ASERGADDA, urbs in tribu Juda, Joſ. xv. verſ. 27. | | |
| [8] *ASERNAI, terminus Judæ.* | Ἀ'σερνὰ, ὅριον ϗ αὐτὸ τῆς Ἰ'ουδαίας. | ASERNA, terminus & hic Judææ. |
| [9] *ASEROTH, pars eremi,* | Ἀ'σηρὼθ, μέρος τῆς ἐρήμȣ, ἔνθα | ASEROT, pars eremi ubi |

NOTÆ.

[1] Quod in fine hic addit Hieronym. *quod in lingua noſtra reſonat abſciſſum*, refert tantum ad poſtremam vocem *Phaſga*, non *Aſedoth*: hæc enim aquarum effuſiones ſignificat. Itaque *Aſedoth Phaſga* ſignificat effuſiones & defluxus aquarum iſtius montis *Phaſga*, ſeu locus in quem effunduntur aquæ iſtius montis, qui non eſt alius quam valles ſubjectæ, & montis radices. Subinde Hieronym. in noſtra verſione cum Septuag. Interpretibus retinuit utramque vocem Hebræam *Aſedoth Phaſga*, ut Joſ. 12. v. 3. & Cap. 13. v. 20. Debent autem hæ voces conjungi ſine interpoſito commate, cum ſit ejuſdem loci vox compoſita, ut ſatis aperte hic indicat Hieronymus: alias vero Hieronymus priorem vocem appellative vertit *ad radices montis Phaſga*, ut Deuter. 3. v. 17. & 4. v. 49. ubi Interpretes Septuaginta conſtanter *Aſedoth Phaſga* retinent. Neque vero negari poteſt loci urbiſque nomen id proprium fuiſſe, cum inter urbes tribus Ruben numeretur *Aſedoth Phaſga*, Joſ. 13. v. 20. Vide quæ de *Aſedoth Phaſga* diximus, Deut. 3. v. 17. De *Phaſga* ſup. hic diximus in *Agri ſpecula*, & inf. dicetur in *Phaſga*. BONFRERIUS.

[2] Hujus fit mentio etiam ſub nomine *Aſedoth* in noſtra verſione, Joſ. 10. v. 40. & c. 12. v. 8. quamquam ſatis ſit probabile iis locis non eſſe nomen proprium, ſed appellative ſumi oportere, uti ad Joſ. 16. explicamus. IDEM.

[3] Ea eſt quæ Joſ. 19. v. 3. *Aſem*, Hebraice עצם *Atſem* (quod robur, vel os oſſis ſignificat) appellatur. Quidam libri corrupte *Aſar* pro *Aſem* habent. Hic apud Hieronymum. IDEM.

[4] In verſione noſtra locus hic in deſerto, in quo fuit una filiorum Iſrael manſio, dicitur *Heſmona*, Num. 33. v. 29. & nequis eumdem cum ſequenti eſſe hunc locum putet, diverſimode uterque locus in Hebræo ſcribitur, hic quidem חשמנה *Chaſchmona*: de altero mox dicetur. IDEM.

[5] Ita etiam in verſione noſtra appellatur hic locus, Num. 34. v. 4. 5. & Joſ. 15. v. 4. eſtque terminus totius Judææ verſus Meridiem & Occidentem, hoc eſt in utriuſque ferme plagæ communi angulo. Hebraice dicitur עצמון *Hatſmon*. IDEM.

[6] Eadem utraque videtur *Aſenna* tribui Judæ primum, deinde Simeonis attributa, ſive eadem ſit quæ ſupra *Aſan* eſt dicta, ſive altera potius nomine *Aſena* in verſione noſtra, Joſ. 15. v. 33. vel altera *Eſna* ibidem v. 43. tamen nuſquam legimus Simeonis tribui attributas, ſed *Aſan*. Hæc vox apud Septuaginta diverſimode in diverſis Codicibus exprimitur *Aſſa*, *Aſena*, *Aſenna*. Scribitur *Aſan* per ע initio, *Aſena* vel *Eſna* per א. IDEM.

[7] De hac urbe in dimidia tribu Manaſſe habes, Joſue 17. v. 7. urbi orientalis terminus iſtius tribus, ducitur ab *Aſer Machmetath*. Non poteſt autem ibi nomine *Aſer* intelligi tribus Aſer, cum *Machmetath* in communibus ſit terminis hujus dimidiæ tribus, & tribus Ephraim. IDEM.

[8] Videtur ſignificari locus ille, qui in verſione noſtra, Joſ. 15. v. 3. dicitur *Eſron*, ſed voce non parum corrupta. In Codice Romano apud Septuag. Interpretes etiamnum legitur *Aſoron*. Eſt autem in termino Judæ Auſtrali. IDEM.

[9] Hic locus in verſione noſtra, Num. 11. v. 35. & 33. v. 17. vocatur *Haſeroth*, ubi & fuit una Iſraelitarum in deſerto manſio. *Mariæ & Aaronis murmuratio* adverſus Moyſem habetur Num. 12. Quod autem addit de *Eveis* ſeu *Hevæis* habitantibus *in Aſeroth uſque ad urbem Gazam*, credo verba eſſe Euſebii, cum mox videatur hoc corrigere Hieronymus. Ego vero non dubito *Aſerim* ſeu, ut in verſione noſtra eſt, Deuter. 2. v. 23. *Haſerim*, diſtingui ab *Haſeroth*, uti ex iis quæ ad eum locum Deuter. 2. diximus, perſpicue colligi poteſt, & nos infra in HASERIM dicemus. IDEM.

| HIERONYMUS. | ΕΥ'ΣΕ'ΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| *ubi Maria, & Aaron contra Moysen locuti sunt; habitaverunt autem quondam Evæi in Aseroth usque ad urbem Gazan. Verum hæc loca non Aseroth, sed Aserim appellari Hebræi putant.* | Μαριὰμ καὶ Ἀαρὼν κατελάλησαν Μωυσέως· κατῴκουν δὲ οἱ Εὐαῖοι ἐν Ἀσηρὼθ ἕως Γάζης. | Maria & Aaron contra Moysen locuti sunt. Habitarunt autem Evæi in Aseroth usque Gazam. |

ASIA, una e quatuor orbis partibus late longeque patens, Europæ a partibus borealibus conjuncta, ab Africæ continenti Isthmo Ægyptiaco inter Mare Mediterraneum & sinum Arabicum discreta: an alicubi Americæ continenti conjungatur etiamnum incertum.

| HIERONYMUS. | ΕΥ'ΣΕ'ΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [1] *ASIONGABER, in hoc loco classis Josaphat vi tempestatis attrita est. Fertur autem ipsa esse Essia haud procul ab Ailath in mari rubro.* | Ἀσιὼν Βαβαὶ, ἢ καὶ Ἀσιὼν Γαβὲρ, ἔνθα συνετρίβησαν αἱ νῆες Ἰωσαφάτ· αὕτη λέγεται εἶναι Ἀσία ἡ παρὰ τὴν Αἰλὰ, πλησίον τῆς ἐρυθρᾶς θαλάσσης. | ASION BABÆ, quæ & Asion Gaber, ubi contritæ sunt naves Josaphat. Hæc dicitur esse Asia juxta Ælam prope rubrum mare. |
| [2] *ASIROTH, civitas Sisaræ principis Jabis. Est autem Jabis trans Jordanem nunc villa pergrandis a civitate Pella sex millibus distans pergentibus Gerasam.* | Ἀρισὼθ, πόλις Σισαρὰ ἄρχοντος Ἰάβις· ἡ δὲ Ἰάβις ἐπέκεινα τοῦ Ἰορδάνου, νῦν ἐστι μεγίστη πόλις, Πέλλης πόλεως διεστῶσα σημείοις ϛʹ ἀνιόντων ἐπὶ Γερασάν. | ARISOTH, civitas Sisaræ principis Jabis. Jabis vero trans Jordanem, nunc est civitas maxima distans urbe Pella milliaribus sex ascendentibus Gerasan. |
| [3] *ASNA, in tribu Juda.* | Ἀσνα, φυλῆς Ἰούδα. | ASNA, tribus Juda. |
| [4] *ASOR, civitas regni Jabin, quam solam incendit Jesus: quia metropolis erat omnium regnorum Philisthiim. Est & alia villa usque hodie Asor in finibus Ascalonis contra Orientem ejus, quæ cecidit in sortem tribus Juda: cujus & Scriptura meminit, appellans eam ad distinctionem veteris Asor novam.* | Ἀσὼρ, πόλις βασιλείας Ἰάβειν, ἣν μόνην ἐνέπρησεν Ἰησοῦς, ὅτι αὕτη ἦν μόνη ἄρχουσα πασῶν τῶν βασιλειῶν τῶν [6] ἀλλοφύλων· ἔστι δὲ καὶ εἰς ἔτι νῦν κώμη λεγομένη Ἀσὼρ ἐν ὁρίοις Ἀσκαλῶνος τοῖς εἰς ἀνατολὰς, ἣ γέγονε φυλῆς Ἰούδα· καὶ οἶδεν ἡ γραφὴ Ἀσὼρ τὴν καινήν. | ASOR, civitas regni Jabim, quam solam incendit Jesus, quia hæc sola imperabat omnibus regnis alienigenarum. Porro est hodie vicus, qui dicitur Asor, in finibus Ascalonis qui sunt ad Orientem, quæ fuit tribus Juda. Novit item Scriptura Asor novam. |
| [5] *ASOR, in tribu Nephthalim, quam rex Assyriorum populasse scribitur.* | Ἀσὼρ, κλήρου Νεφθαλεὶμ, καὶ ταύτην ἀνεῖλεν ὁ βασιλεὺς Ἀσσυρίων. | ASOR, sortis Nephthali, & hanc evertit rex Assyriorum. |

ASPHAR, lacus in deserto Thecue intra tribus Judæ fines, I. Machab. IX. vers. 33.

NOTÆ.

[1] Ex hoc eodem loco in extremis finibus Idumææ ad Mare Rubrum seu sinum Arabicum solvebant naves Salomonis, quæ navigabant in Tharsis & Ophir, 3. Reg. 9. v. 26. & 2. Paral. 8. v. 17. In hoc eodem portu naves Josaphat confractæ sunt, cum & ipse ibidem auri deportandi causa classem adornasset, 3. Reg. 22. v. 49. & 2. Paral. 20. v. 36. 37. Fuisse autem in terra Edom ad Mare Rubrum liquet e locis paulo ante allatis 3. Reg. 9. & 2. Paral. 8. quod nullo modo expressit Adrichomius, qui Idumæam multo angustioribus terminis conclusit. BONFRERIUS.

[2] Hæc in versione nostra Judic. 4. v. 2. vocatur *Haroseth gentium*, congruitque vox illa *Haroseth* cum Hebræo, ut proinde hic videatur literarum facta commutatio: & vero nonnulli Codices inemendatiores habent nunc quidem *Asiroth*, plures tamen & emendatiores, *Arisoth*. Quid autem *Haroseth* significet, & unde ei urbi id nomen fuerit impositum ad illum Script. locum Judic. 4. disquirimus. Qui *Jabis* hic dicitur, in versione nostra *Jabin* appellatur; at, quod mirere, videtur id Hieronymus vel Eusebius loci nomen facere, cum tamen e Judic. 4. satis constet viri & regis proprium nomen esse. IDEM.

[3] Hæc in versione nostra vocatur *Esna*, Jos. 15. v. 43. IDEM.

[4] Duos habes eodem nomine reges Chananæos in Scriptura, qui in Asor regnarunt, Jos. 11. & Judic. 4. ut proinde mirum sit hic dici *Asor* fuisse *metropolim omnium regnorum Philisthiim*, Chananæorum enim dici debuit, videlicet Septemtrionalium. Cecidit autem *Asor* illa, in qua uterque Jabin regnavit in sortem tribus Nephthalim, ut omnes exigunt circumstantiæ; eademque tribui Nephthali adscribitur, Jos. 19. v. 36. Fuisse ad Samachonitem lacum testis est Josephus lib. 5. Ant. c. 6. a quo plus nimio removet Adrichomius. Est & alia gemina *Asor* in tribu Juda, Jos. 15. v. 23. & 25. quarum posterior ad prioris distinctionem appellatur *Asor nova*, unaque earum verisimiliter fuit illa, cujus hic posterius Hieronymus meminit. Addo vero & tertiam *Asor* in eadem tribu Juda, quæ alio nomine Hesron dicitur, Jos. 15. v. 25. Est & *Asor* in tribu Benjamin, 2. Esdræ 11. v. 33. Quin & in Hieremia c. 49. v. 28. 30. *Asor* legimus in Cedar seu Ismaelitide regione. Porro in harum omnium urbium nominibus nulla quoad scriptionem in Hebræo est distinctio. Significat autem hæc vox *atrium*, vel *habitaculum*. IDEM.

[5] Hæc ab illa, quam paulo ante diximus in tribu Nephthalim fuisse, non est diversa, sed una eademque. Istam autem, cujus hic meminit, Assyriorum populationem habes, 4. Reg. 15. v. 29. IDEM.

[6] Τῶν ἀλλοφύλων) Hac voce intelliguntur quidem sæpe, in versione LXX. Interpretum, Philisthæi, ut jam antea monuimus ad vocem *Ailath*; verum hoc in loco sic verti non potuit, cum hic agatur de tractu quem numquam habuere Philisthæi. Vide quæ hic habet *Bonfrerius*, qui tamen erroris Hieronymiani originem non vidit. CLERICUS.

Repone in Judæa vel Samaria. BONFRERIUS.

1 De

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [1] *ASSEDIM, in tribu Nephthalim.* | Ἀσεδέμ, κλήρου Νεφθαλείμ. | ASEDIM, ſortis Nephthali. |
| [2] *ASSEREMOTH, in Hieremia, pro quo in Hebræo ſcriptum eſt Sademoth, quod Aquila interpretatur ſuburbana.* | Ἀσαδημώθ, ἐν Ἰερεμίᾳ τὸ ἑβραϊκὸν Σαδημώθ Α, τὰ προάστεια. | ASADEMOTH, in Hieremia Hebraicum Sademoth Aquila ( vertit ) ſuburbana. |
| [3] *ASSIMA, oppidum in terra Judæ, quod ædificaverunt hi, qui ad eam venerant de Emat.* | Ἀσιλάθ, ταύτην ἔκτισαν οἱ ἀπὸ Αἱμὰθ ἐν τῇ Ἰδουμαίᾳ. | ASIMATH, hanc condiderunt qui venerunt de Æmath [10] in Idumæa. |

ASSOS, Act. xx. verſ. 14. Troadis regionis oppidum, & juxta Troadem urbem eſt, ut ex eo Actorum loco colligi poteſt. Sed & Plinio *Aſſos Troadis*, dicitur l. 2. c. *96.* & l. *36.* c. 17. quam & Apolloniam vocitatam ſcribit. Eſt & *Aſſos* Cretæ inſulæ locus a parte meridionali. Act. xxvii. verſ. 13.

ASSUR, in Scriptura ſæpe pro Aſſyria, vel gente Aſſyriorum ponitur.

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [4] *ASSURE, civitas Judæ, quam ædificavit Salomon.* | Ἀσσοὺρ, ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ πόλις [8] ἑνὸς τῶν ἀρχόντων. ἣν ᾠκοδόμησε Σολομῶν. | ASSUR, in Judæa civitas unius principum, quam ædificavit Salomon. |
| [5] *ASTAOL, in tribu Juda, & uſque hodie villula vocabulo Aſto inter Azotum, & Aſcalonem permanet.* | Ἀσθαώλ, φυλῆς Ἰούδα. καὶ ἔστι νῦν κώμη Ἀσθὼ καλουμένη, μεταξὺ Ἀζώτου καὶ Ἀσκαλῶνος. | ASTHAOL, tribus Juda. Et eſt nunc vicus qui dicitur Aſtho inter Azotum & Aſcalonem. |
| [6] *ASTAROTH, antiqua civitas Og regis Baſan, in qua habitaverunt Gigantes, quæ poſtea cecidit in ſortem tribus Manaſſe regionis Bataneæ, & ſex millibus ab Adar urbe Arabiæ ſeparata eſt. Porro Adar ab Oſtra viginti quinque millibus diſtat.* | Ἀσταρὼθ, πόλις ἀρχαία τοῦ Ὠγ ἐν ᾗ κατῴκουν οἱ γίγαντες, ἣ γέγονε φυλῆς Μανασσῆ· παράκειται δὲ ἐν τῇ Βαταναίᾳ· Ἀδραὰ πόλις τῆς Ἀραβίας ὡς ἀπὸ σημείων ἕξ· ἡ δὲ Ἀδραὰ τῆς Βόστρης διέστηκε σημείοις κε΄· κεῖται δὲ καὶ ἀνωτέρω Ἀσταρὼθ Καρναείμ. | ASTAROTH, civitas antiqua Og, in qua habitarunt Gigantes, quæ fuit tribus Manaſſe: Porro ſita eſt in Batanæa. Adraa, civitas Arabiæ, quaſi in ſexto milliari ( ab Aſtaroth. ) Adraa vero diſtat Boſtra milliaribus quindecim: ſed & ſuperius ponitur Aſtaroth Carnaim. |
| [7] *ASTAROTH CARNAIM, terra Gigantum quondam* | Ἀσαρὼθ Καρναείν, χώρα γιγάντων [9] ὑπὲρ τὴν Σοδομίτην, οὓς κα- | ASAROTH CARNAIN, regio Gigantum ſupra civita- |

NOTÆ.

[1] De hac habes, Joſ. 19. v. 35. IDEM.

[2] Hanc vocem apud Interpretes Septuaginta habes Hierem. 31. v.ult. quæ reſpondet voci השרמות *haſſeremoth* licet ad marginem notent Maſorethæ legendum השדמות *Haſſedemoth.* Hanc vocem fere alii appellative vertunt, & Aquila quidem, ut hic habetur, *ſuburbana*; alii *campeſtria*, *regiones*, *planities* reddunt. Hieronymus voce diviſa, *regionem mortis* dixit, nam השדי מות *haſſede maveth* iiſdem literis, ſed voce partita ſignificat, *regionem vel agros mortis*. IDEM.

[3] Pro *Aſſima* in noſtra verſione habes *Aſima*, 4. Reg.17. v. 30. At mirum eſt, quiſquis iſta ſcripſerit, *Aſſima* poni hic oppidi vel loci nomen eſſe, cum eo Scripturæ loco tam diſerte indicetur idoli nomen eſſe, quod Samaritæ illi ſibi fabricati ſunt. Adde, quod neque hi Samaritæ in terra Judæ habitarint, quomodo igitur in terra Judæ oppidum ædificarunt? IDEM.

[4] In verſione Septuaginta Interpretum, 3. Reg. 9. v. 15. legimus *Aſſur*, pro quo in verſione noſtra eſt *Heſer*, in Hebræo חצר *Chatſor*, ſive *Aſor*, quæ urbs a Salomone ædificata, vel potius reſtaurata videtur fuiſſe una ex duabus illis in tribu Juda, de quibus ſupra in *Aſor*; quandoquidem utraque illa multo Salomone eſſet antiquior, utpote jam tum Joſue exiſtens temporibus. BONFRERIUS.

[5] Hæc in verſione noſtra appellatur *Eſthaol*, fuitque primo quidem Judæ tribui attributa, Joſ. 15. v. 33. poſtea tamen eidem avulſa, & Danitis attributa, Joſ. 19. v.41. Iſta *Aſto inter Azotum & Aſcalonem*, non poteſt eadem eſſe quæ *Eſthaol*, cui infra in *Eſthaul* alius ſitus aſſignatur. IDEM.

[6] De hac proxime. IDEM.

[7] *Aſtaroth Carnaim* & *Aſtaroth* civitatem Og regis, cujus non ſemel fit in Scriptura mentio, non diverſas, ſed eaſdem eſſe urbes omnino cenſeo in Batanæa regione: idque ipſum indicat quod *Aſtaroth-Carnaim* eſſet habitatio Raphaim, ſeu Gigantum ex Rapha oriundorum, idemque de Og rege Baſan, qui regnavit in Aſtaroth aſſeratur, Joſ. 12. v. 4. & c. 13. v. 12. Fuiſſe videlicet de reliquiis Raphaim. Adde Chodorlahomor & reges ſocios vaſtando paulatim a Septemtrione in Auſtrum proceſſiſſe, atque adeo primum Raphaim, qui in Batanæa erant regione, deinde Zuzim, qui eam regionem tenebant, quæ poſtea fuit Ammonitarum, deinde ad Emim, qui eam, quæ poſtea Moabitarum fuit, occupabant, inde ad Chorræos, qui Idumæam Auſtralem poſſidebant, proceſſiſſe, ac tandem vicinos Pentapolitas eſſe aggreſſos. Quocirca non ſatis apte hic videtur *Aſtaroth Carnaim in ſupercilio Sodomorum* collocari, quod nuſquam Scriptura indicat, ſed potius, ut ex dictis patet, non obſcure inſinuat contrarium. Vide quæ de *Aſtaroth*, & *Aſtaroth-Carnaim* diximus, Gen. 14. v. 5. ubi & nominis rationem inveſtigamus. Pro *ab Oſtra* crediderim legendum a *Boſtra*; ei tamen obſtat, quod *Boſtra* ſeu *Boſra* manifeſte hic diſtinguatur ab *Aſtaroth*, quas tamen eaſdem eſſe urbes veriſimiliter infra in *Beeſthara* colligo. De *Adara* vero, *Adraa* vel *Adar* trans Jordanem in Batanæa nuſquam reperio niſi apud Ptolemæum lib. 5. c. 17. & in tabula quarta Aſiæ, ubi *Adra* vocatur, quæ non procul a Boſtra ponitur, quam non aliam eſſe puto ab *Edrai*. IDEM.

[8] Ἑνὸς τῶν ἀρχόντων ) Recte omiſit hæc verba *Hieronymus*, nam 1. Reg. IV. ubi ἄρχοντες illi, ſeu præfecti Salomonis memorantur, nulla hujus urbis mentio, ſed tantum Cap. IX. 15. ubi inſtaurata a Salomone dicitur. CLERICUS.

[9] Ὑπὲρ τὴν Σοδομίτην) Credo ὑπὲρ τὴν Σοδόμων legendum. BONFRERIUS.

[10] Ὑπὲρ τὴν Σοδομίτης ) Obſervavimus jam Quæſt. Hieronymiana III. §. 15. 16. legendum eſſe ὑπὲρ τὴν Σοδομῖτιν, *ſupra terram Sodomitidem*, hoc eſt, ad ejus ſeptemtriones. In ſequentibus, pro Βαταλαίας, legendum Βασανίτιδος. Vide vocem *Baſan*. CLERICUS.

S. HIERONYMUS. — ΕΥΣΕΒΙΟΣ. — EUSEBIUS.

*in supercilio Sodomorum, quos interfecit Chodorlaomor. Sunt hodieque duo castella in Bataneа hoc vocabulo novem inter se millibus separata inter Adaram & Abilam civitates.*

πέκοψε Χολλογόμορ· καὶ ἔστιν εἰς ἔτι νῦν δύο κῶμαι ἐπὶ τῆς Βαταναίας τῆς καὶ Βατολούας ἀλλήλων διεστῶσαι σημείοις θ'· μεταξὺ Ἀδαρῶν καὶ Ἀβίλης πόλεως.

tem Sodomorum, quos interfecit Chollagomor. Sunt quoque usque hodie duo castella in Batanæa, quæ & Bataloba (dicitur) alterum ab altero distantia novem milliaribus inter Adaras & Abilam civitates.

[1] *ASTEMEC, in tribu Juda, vicus & ipse Judæorum est in Daroma ad Aquilonem loci Anem.*

Ἄνσοεμα, φυλῆς Ἰούδα· κώμη ἐστὶ καὶ αὐτὴ ἐν τῷ Δαρωμᾷ ἐν ὁρίοις Ἀνεών.

ANSOEMA, tribus Juda. Vicus est is in Daroma in finibus Aneon.

ATAROTH. Vide Atharoth.

[2] *ATHACH, ad hunc locum misit partem prædæ David.*

[3] *ATHALIM, civitas in terra Zabulon: de qua fuit & ille Ajalim, qui judicavit populum Israel.*

Αἰαλὶν, πόλις ἐν γῇ Ζαβυλὼν, ὅθεν νῦν Αἰαλὼν ὁ κρίνας τὸν Ἰσραήλ.

AIALIN, civitas in terra Zabulon, unde nunc Aialon qui judicavit Israelem.

ATHAR, urbs in tribu Simeon, Jos. XIX. vers. 7. Forte eadem cum ATHACH, de qua paulo ante eadem Jos. 15. & hæc appellatur.

[4] *ATHAROTH, civitas tribus Benjamin. Sunt autem duæ Atharoth haud procul ab Ælia.*

Ἀταρὼθ, πόλις κλήρου Βενιαμὶν εἰσὶ δὲ δύο εἰς ἔτι νῦν Ἀταρὼθ περὶ τὴν Αἰλίαν.

ATAROTH, civitas sortis Benjamin. Sunt autem duæ usque hodie Ataroth circa Æliam.

[5] *ATHAROTH, juxta Ramam in tribu Joseph.*

Ἀρχιαταρὼθ, πόλις φυλῆς Ἰωσήφ.

ARCHIATAROTH, civitas tribus Joseph.

[6] *ATHAROTH, civitas in tribu Ephraim, nunc vicus ad Aquilonem Sebaste, in quarto ejus milliario Atharus dicitur.*

Ἀταρὼθ, φυλῆς Ἐφραὶμ, καὶ νῦν ἐστὶ κώμη Ἀταροὺθ ἐν ὁρίοις Σεβαστῆς ὡς ἀπὸ δ' μιλίων.

ATAROTH, tribus Ephraim, & nunc est vicus Ataruth in finibus Sebastæ quasi in quarto milliari.

[7] *ATHAROTH, civitas olim Amorrhæorum trans Jordanem,*

Ἀσταρὼθ, πόλις τὸ παλαιὸν τοῦ Ἀμορραίου ἐν τῇ περαίᾳ. ἡ γέ-

ASTAROTH, civitas olim Amorrhæi in ulteriori regione

---

NOTÆ.

[1] Hæc illa videtur, quæ *Isthemo*, vel *Esthamo*, vel *Esthemo* in nostra versione appellatur, civitas Sacerdotalis in tribu Juda, Jos. 21. & 1. Paral. 6. nisi malis (quod ego potius suspicor e voce etiam aliquantulum corrupta apud Eusebium) esse illam quæ Jos. 15. v. 27. in nostro textu dicitur *Hassemon*. IDEM.

[2] Historiam quam hic tangit habes 1. Reg. 30. & urbis hujus nomen ibidem v. 30. Ubi autem ea urbs fuerit, cum alibi nusquam ejus nomen prodatur, obscurum est; pronum est tamen suspicari fuisse in tribu Juda, vel Simeonis, cum pleraque eorum locorum, quæ ibi commemorantur, in eisdem tribubus fuerint, suspicorque eam urbem esse, quæ Jos. 19. v. 7. unius elementi mutatione in tribu Simeonis dicitur *Athar*, nam & utrobique *Asan* urbi alteri conjungitur. IDEM.

[3] Corrupta est vox hæc, uti & Judicis nomen: hic enim Judex, Judic. 12. v. 11. appellatur in versione nostra *Ahialon*, in Hebræo *Elon*, apud Septuaginta *Ælom* vel *Ælon*: urbs autem in qua & mortuus & sepultus fuit in tribu Zabulon, non exprimitur ibidem v. 12. in nostro textu; at diserte exprimitur in Hebræo, Chaldæo & Septuaginta Interpretibus: in Hebræo quidem אילון *Aialon* appellatur; in Chaldaica paraphrasi אילון *Elon*, sic ut a Judicis proprio nomine urbis nomen in ea non distinguatur: apud Interpretes Septuaginta diversimode in variis codicibus, *Elim*, *Ælim*, *Ælom*, pro quo hic valde corrupte legitur *Athalim*. IDEM.

[4] Ego nullam in Scriptura eo nomine urbem invenio, quam in tribu Benjamin certo possis statuere. Est tamen *Atarothaddar*, seu *Archiataroth*, cujus fit mentio Jos. 16. v. 2. & 5. in descriptione terminorum tribus Ephraim, & postea Jos. 18. v. 13. in descriptione terminorum tribus Benjamin, quam in utriusque tribus confinio fuisse satis ex illis locis constat; cui autem potius adscribendum sit non omnino est liquidum, malim tamen tribui Ephraim adscribere, tum quia cum tribus Benjamin ex nomine civitates recenseantur Jos. 18. in fine capitis, nulla *Atharoth* nuncupatur: tum quia licet tribus Ephraim nusquam ex nomine Scriptura urbes recenseat, tamen bis illius *Ataroth* meminit Jos. 16. in descriptione terminorum Ephraim intra paucos versus. Porro eamdem esse *Atharothaddar*, & *Archiatharoth* eodem illo cap. nos ad eum locum probamus. BONFRERIUS.

[5] Eamdem hanc esse existimo cum illa, de qua paulo ante egimus, nam & in tribu Joseph, seu Ephraim ponitur, & juxta Ramam, quæ in tribu erat Benjamin, sed in tribus Ephraim confinio, ut proinde non videatur alia esse posse ab ea, quam paulo ante diximus in utriusque tribus Benjamin & Ephraim fuisse confinio. Nusquam tamen Scriptura juxta Ramam constituit, ex terminorum tamen Ephraim & Benjamin descriptione satis colligitur non potuisse ab ea procul abesse. IDEM.

[6] Hæc alia est a præcedenti, etsi in eadem tribu Ephraim, cum hæc ponatur ad Aquilonem Sebastæ, seu Samariæ, quam satis constat versus Aquilonares fines sitam fuisse: & de hac *Ataroth* accipio, quod habetur, Jos. 16. v. 7. uti ad eum locum explico, etsi locus quem hic *Atharo* assignat, non satis videatur convenire isti *Atharoth*, quam potius ad Orientem ipsi Sebaste constituo. IDEM.

[7] De hac urbe trans Jordanem in tribu Gad habes, Num. 32. v. 3. & 34. quæ & alibi in nostra versione *Etroth* appellatur. Quod autem additur de *filio Salma*, etsi ad nomina locorum propria nihil pertineat, habes 1. Paral. 2. v. 54. Sed in nostro textu obscure: nam qui in nostra versione dicitur *Coronæ domus Joab*, estque nomen viri proprium, in Hebræo nuncupatur *Ataroth Bethioab*, quarum vocum loco earum explicationem Hieronymus posuit, *Ataroth* enim *coronas* significat: Septuaginta Interpretes *Ataroth domus Joab* dixerunt. IDEM.

1 Hæc

HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS.

*quæ poſtea cecidit in ſortem tribus Gad: vocatus eſt autem* ATHAROTH *& filius Salma, ſive Salmo, ut in Paralipomenon ſcriptum eſt.*

θονς κλήρυ φυλῆς Γαδ· ἐκαλεῖτο Ἀσταρὼθ ὑὸς Σαλμὼ ἢ Σαλομῶνος, ὡς ἐν παραλειπομένοις.

(Jordanis) quæ fuit ſortis tribus Gad. Vocabatur Aſtaroth filius Salmo ſeu Salomonis, ut in libris Paralipomenon.

ATHAROTH ADDAR. Vide ADARA, & ATHAROTH paulo ante.

[1] *ATHAROTH SOPHAN, & hæc civitas tribus Gad.*

Ἀσταρὼθ Σωφὰρ, πόλις καὶ αὐτὴ φυλῆς Γαδ.

ASTAROTH SOPHAR, & ipſa civitas tribus Gad.

ATHENÆ, Græciæ urbs nota, & ſapientiæ olim emporium.

[2] *ATHER, in tribu Juda.*

Ἀχερεὶ, φυλῆς Ἰούδα.

ACHEREI, tribus Juda.

ATHMATHA, urbs in tribu Juda, Joſ. xv. verſ. 54. Vide ſupra *Ammatha*.

AVA. Vide AHIA.

AVIM. Vide ANIM.

AVITH, urbis natalis nomen Adad regis Idumæi, Gen. XXXVI. verſ. 35. & I. Paral. I. verſ. 46.

[3] *AULON,* [4] *non Græcum, ut quidam putant, ſed Hebræum vocabulum eſt: appellatur autem vallis grandis atque campeſtris in immenſam longitudinem ſe extendens, quæ circumdatur ex utraque parte montibus ſibi invicem ſuccedentibus, & cohærentibus, qui incipientes a Libano & ultra, uſque ad deſertum Pharam perveniunt. Suntque in ipſo Aulone, id eſt valle campeſtri urbes nobiles Scythopolis, Tiberias, ſtagnumque prope eam: ſed & Hierico, mare mortuum, & regiones in circuitu: per quas medius Jordanes fluit oriens de fontibus Paneadis, & in mare mortuum introiens.*

Αὐλών. πεδιὰς μεγάλη [5] ἐπίμηκος ὁ Αὐλὼν ὡς ἔτι καὶ νῦν καλεῖται αὕτη δὲ περιέχεται ὄρεσιν ἑκατέρωθεν, παρατείνουσιν ἐκ τοῦ Λιβάνου καὶ ἔτι ἄνωθεν ἐπὶ ἐρήμου Φαράν. Εἰσὶ δὲ ἐπὶ Αὐλῶνος πόλεις ἐπίσημοι καὶ ἡ πρὸς αὐτῇ λίμνη, Σκυθόπολις, Ἱεριχὼ, καὶ ἡ νεκρὰ θάλασσα, αἵ τε περὶ αὐτὰς χῶραι, ὧν μέσος Ἰορδάνης φέρεται, ἐξιὼν μὲν ἀπὸ τῶν κατὰ Πανεάδα πηγῶν, εἰς δὲ τὴν νεκρὰν θάλασσαν ἀφανιζόμενος.

AULON, magna planities oblonga Aulon uſque hodie vocatur: porro hæc circundatur utrinque montibus, porrectis a Libano & ſupra ad deſertum Pharan. Sunt autem in Aulone urbes nobiles: & ante eam (ſcilicet vallem) ſtagnum, Scythopolis, Hiericho, & mare mortuum, & quæ in circuitu regiones, per quas medius fertur Jordanes, oriens quidem e fontibus Paneadis, & in ingreſſu maris mortui evaneſcens.

[5] *AVOTHIAIR, quod interpretatur* ἔπαυλις *Air. Hæc eſt in Baſan, in qua ſunt vici ſexaginta in monte Galaad, qui ceciderunt in ſortem dimidiæ tribus Manaſſe: qui locus nunc vocatur Golam in terra Batanea.*

Αὐωθὼ Ἰαείρ, αὕτη ἐστὶν ἡ Βασάν· εἰσὶ δὲ κῶμαι Ἰαεὶρ ἐν τῷ ὄρει Γαλαὰδ ἃς ἔλαβετο ἥμισυ φυλῆς Μανασσῆ· καὶ εἰσὶν ἐν τῇ καλουμένῃ γωνίᾳ τῆς Βατανείας·

AVOTHOIAIR, hæc eſt Baſan. Sunt autem vici Jair in monte Galaad, quos accepit dimidia tribus Manaſſe, & ſunt in loco qui vocatur γωνία, ſeu angulus in Batanæa.

---

NOTÆ.

[1] Hæc in verſione noſtra Num. 32. v. 35. dicitur *Etroth*, poſt quam vocem ſequitur *Sophan*, ſed interpoſita copulativa particula; quæ indicat duo diverſa urbium eſſe nomina; in Hebræo tamen copulativa particula deeſt: verum *Sopham* vel *Saphon* per ſe urbis in ea tribu nomen eſſe ſatis conſtat. IDEM.

[2] Hæc *Ether* in verſione noſtra dicitur, Joſ. 15. v. 42. Eadem tribui Judæ avulſa fuit, & data Simeonis tribui, Joſ. 19. v. 7. Eadem enim eſt quæ ibi *Athar* dicitur, ut ex Hebræo liquet, de qua & nos ſupra in ATHAR diximus. IDEM.

[3] Et nos de *Aulone* valle illuſtriſſima & nominatiſſima diximus pluſcula, Gen. 12. v. 6. Eſt igitur *Aulon*, ut ex Hieronymo ſeu Euſebio hic liquet, vallis longo ductu porrecta a Septemtrione in Auſtrum ad ripam Jordanis, a monte videlicet Libano, ſeu Antilibano uſque ad mare mortuum, quæ & in Scriptura convallis illuſtris appellatur, Hebraice אילון מורה *elon more*; a cujus appellationis prima voce deformatum eſt *Aulon*. IDEM.

[4] *Non Græcum*) Hallucinatum eſſe *Hieronymum* multis oſtendimus contra *Martianæum*, in Hieronymiana Quæſtione I. 6. & V. 14. CLERICUS.

[5] Ἐπίμηκος) Imo ἐπιμήκης, illa enim Græca vox non eſt. Attamen hanc vocem non correxit *Martianæus*. IDEM.

[6] Vocantur hæ etiam in verſione noſtra *Avothjair*, Judic. 10. v. 4. & 3. Reg. 4. v. 13. alias *Havothjair*, Num. 32. v. 41. Deut. 3. v. 14. Cujus vocis compoſitæ explanatio etiam in textu noſtro additur, Num. 32. & Deut. 3. id eſt, *villas Jair*, & Judic. 10. id eſt, *oppida Jair*. Fuerunt vero non quales quales villæ numero ſexaginta, utpote quas lib. 3. Reg. c. 4. v. 13. vocat ſexaginta civitates magnas, atque muratas, quæ habebant ſeras æreas. Acceperunt autem nomen a Jair filio Manaſſe adoptivo, qui videtur totam illam dimidiam Manaſſe tribum Trans Jordaninam cum ſua poſteritate poſſediſſe. Fuerunt autem hæ urbes non in ipſo monte Galaad, ſed juxta montem, a quo hæc regio Galaaditis vel terra Galaad dicta eſt. BONFRERIUS.

HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS.

[1] *AVOTIHAR*, *civitas unius de Principibus Salomonis.*

Α'βωθενναὶρ, πόλις ἑνὸς ἀρχόντων Σολομών.

ABOTHENAER, civitas unius e principibus Salomonis.

AUSITIS, apud Hieremiam Cap. xxv. verſ. 20. Eadem quæ terra Hus in Idumæa.

AURAN, Ezech. XLVII. videtur eſſe regio Trans-Jordanina, non procul Damaſcho: Sed & Joſephus paſſim videtur trans Jordanem Auranitidem ponere, utpote quam ubique conjungit Trachonitidi & Batanææ regionibus trans Jordanem, 15. Antiq. cap. 13. & 17. Ant. c. 13. & 1. Belli c. 4. & 2. Belli c. 17.

AXAPH. Vide ACISAP.

AZA. Vide GAZA.

[2] *AZADADA*, *confinium Judæ reſpiciens ad Aquilonem.*

[6] Α'σαδδά, ὅριον τῆς Ἰουδαίας βόρειον· [7] ἀπέχει δὲ Χεβρῶνος σημείοις κ', πρὸς νότον· κεῖται ἀνωτέρω.

AZADDA, terminus Judææ Septentrionalis: diſtat porro Chebrone XX. milliaribus, ad Auſtrum. Habetur ſuperius.

[3] *AZANOTH*, *terminus Nephthalim, eſt autem & nunc vicus ad regionem Diocæſareæ pertinens in campeſtribus.*

Α'ζανωθὼτ, ὅριον Νεφθαλείμ· κώμη ἐν ὁρίοις Διοκαισαρείας ἐν τῇ πεδιάδι.

AZANATHOTH, terminus Nephthali. Vicus in finibus Diocæſareæ in planitie.

AZANOTTHABOR. Vide Azanoth proxime.

[4] *AZECHA*, *civitas Chananæorum in parte tribus Judæ, ad quam uſque perſecutus eſt Jeſus quinque reges. Sed & hodie vocatur villa Azecha inter Eleutheropolim & Æliam.*

Α'ζηκα, πόλις τῶν Χαναναίων, μέχρις ἧς κατεδίωξεν Ἰησοῦς τοὺς ε' βασιλεῖς, ἥτις γέγονε φυλῆς Ἰούδα· καλεῖται δὲ καὶ νῦν Ε'ζηκα κώμη, ἀνάμεσον Ἐλευθεροπόλεως καὶ Αἰλίας.

AZECA, civitas Chananæorum, ad quam uſque perſecutus eſt Jeſus quinque reges, quæ fuit tribus Juda. Vocatur vero etiam hodie Ezeca vicus inter Eleutheropolim & Æliam.

[5] *AZER*, *ſive Jazer terminus urbis Ammon, quæ nunc Philadelphia dicitur, dividens eam Amorrhæorumque regionem, & eſt in octavo circiter lapide ejus ad ſolis occaſum vicus Jazer uſque in præſentem diem permanens.*

Α'ζὼρ, ὅριον υἱῶν Α'μμὼν τῆς Φιλαδελφίας, διαιρῶν αὐτήν τε καὶ τὴν τῶν Α'μοῤῥαίων χώραν. καὶ ἔστιν ἀπ' ὀκτὼ σημείων Φιλαδελφίας ἐν δυσμαῖς.

AZOR, terminus Philadelphiæ filiorum Ammon, dividens tum ipſam, tum Amorrhæorum regionem: abeſtque Philadelphia octo milliaribus in Occidente.

[8] Α'ζὴρ, κώμη, ἣ καὶ εἰς ἔτι νῦν διαμένει.

AZER, vicus qui uſque hodie permanet.

AZMAVETH, cujus aliquoties fit mentio in libris Eſdræ, pro quo & 2. Eſdræ VII. verſ. 28. dicitur *Bethazmoth*; videtur eſſe urbs in tribu Benjamin, ſemper enim aliis urbibus tribus Benjamin conjungitur. Significat autem *Azmaveth* fortitudinem mortis, & *Bethazmoth* domum fortitudinis mortis.

AZOR, pro *Aſor* ſemel in verſione noſtra legimus, Judic. IV. verſ. 17. Vide ſupra ASOR.

---

N O T Æ.

[1] Non fuit hæc una civitas, quam tenuit ille unus de Principibus Salomonis, ſed omnes illæ ſexaginta civitates, quæ dictæ ſunt *Avothjair*, de quibus paulo ante dictum eſt, ut e 3. Reg. 4. v. 13. liquet. IDEM.

[2] Nullum in Scriptura locum reperias in finibus tribus Judæ ad Aquilonem hoc nomine, ſed ne qui ad hanc vocem aliquo modo accedat quidem, ut liquet e deſcriptis Judæ tribus terminis, Joſ. 15. qui nuſquam alibi deſcribuntur. Videtur locum *Sedada* indicare voluiſſe, cujus fit mentio Num. 34. v. 8. Sed hic locus procul a tribu Juda remotus eſt. IDEM.

[3] AZANOTTHABOR dicitur in verſione noſtra, Joſ. 19. v. 34. IDEM.

[4] De hac & ſupra actum eſt in ASECA. IDEM.

[5] Hæc *Jazer* ubique in verſione noſtra nominatur, de qua & infra in *Jazer* dicetur, ubi eam in decimo ponit Hieronymus Philadelphiæ milliario, quam hic in octavo circiter milliario ejuſdem collocat. Dicitur autem *terminus urbis Ammon*, quod eouſque pertingeret urbis Ammon, ſeu Ammonitarum ditio. IDEM.

[6] Α'σαδδὰ ) Hic duplex eſt mendum, quorum unum videtur Librario, alterum *Euſebio* ipſi tribuendum. Nempe, ſcripſit Librarius Α'σαδδὰ, pro Α'σεργαδδὰ, quæ urbs fuit in finibus meridianis Tribus Judæ, ut liquet ex Joſ. xv. 27. ubi dicitur Hebraice חצר-גדה a LXX. in Codice Alexandrino & ab *Hieronymo* Aſer-gadda. Peccavit vero *Euſebius*, qui eam in finibus borealibus Tribus Judæ collocavit, cum eſſet in auſtralibus, ut ex laudato Joſuæ loco liquet; ſeu memoria eum defecerit, ſeu calami lapſus fuerit. CLERICUS.

[7] Α'πέχει δὲ Χεβρῶνος ) Ex his ipſis verbis ſatis liquet hic aliquid deeſſe, nam urbs, quæ fuiſſet borealis terminus Judææ, non poterat diſtare Chebrone, urbe quæ in mediis Tribus Judæ agris ſita erat, viginti milliaribus ad auſtrum: Sed res liquet ex *Hieronymo*, qui poſtquam dixit *Aſadada* eſſe *confinium Judæ, reſpiciens ad Aquilonem*, ſubjicit: *Arad terminus & ipſe Judæ diſtans a Chebrone*. Itaque hic ſupplendum in Græcis poſt vocem βόρειον: Α'ρὰδ ὅριον καὶ αὐτὸ τῆς Ἰουδαίας, ἀπέχει δὲ, καὶ τὰ ἑξῆς. Vidit hoc *Martianæus*, qui tamen neſcio cur credat hanc urbem eamdem eſſe, quæ *Arama* antea dicta eſt. IDEM.

[8] Hoc apud Euſebium a præcedenti disjunctum, eidem apud Hieronymum conjungitur. BONFRERIUS.

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [1] *AZOTUS, quæ ſupra Aſdod, uſque hodie non ignobile municipium Palæſtinæ, & una de quinque civitatibus Allophylorum, decreta quidem tribui Judæ, ſed non retenta ab ea, quia nequaquam veteres accolas potuit expellere.* | Ἄζωτος, ἡ καὶ Ἀσκαδώδ, πόλις εἰς ἔτι νῦν διαμένουσα τῆς Παλαιστίνης, ἥτις ἦν τὸ παλαιὸν μία τῶν ε σατραπειῶν τῶν ἀλλοφύλων ἡ καὶ ἀφωρίσθη τῷ Ἰούδα οὐ μὴν ἐκράτησεν αὐτὴν ὅτι μὴ ἀνεῖλεν τοὺς ἐν αὐτῇ ἀλλοφύλους. | AZOTUS, quæ & Aſcadod, civitas uſque hodie permanens in Palæſtina, quæ olim erat una e quinque Satrapiis alienigenarum, quæque ſeparata eſt tribui Juda. Non tamen eam tenuit, quia non interfecit alienigenas qui in ea erant. |

Nοτæ.

[1] De hac ſupra in ASDOD diximus. BONFRERIUS.

B

| | | |
|---|---|---|
| [1] *BAAL, trans Jordanem urbs filiorum Ruben.* | Βαὰλ, πέραν τοῦ Ἰορδάνου, πόλις υἱῶν Ῥουβίν. | BAAL, ultra Jordanem, civitas filiorum Ruben. |
| [2] *BAAL, hæc eſt Cariathiarim, id eſt villa Sylvarum, ſive, ut quidam putant, civitas Jarib in tribu Juda, & eſt uſque hodie vicus deſcendentibus ab Ælia Dioſpolim, Cariathiarim, in decimo milliario.* | Βαὰλ, αὕτη ἐστὶ Καριαθιαρεὶμ πόλις Ἰαεὶρ φυλῆς Ἰούδα, καὶ ἔστι κατιόντων ἀπὸ Αἰλίας εἰς Διόσπολιν κώμη Καριαθιαρεὶμ ὡς ἀπὸ σημείων δέκα. | BAAL, hæc eſt Cariathiarim civitas Jair tribus Juda, eſtque deſcendentibus Ælia Dioſpolim in decimo milliario. |
| [3] *BAALA, in tribu Juda.* | Βαὰλ, ἡ καὶ Βαλὰ φυλῆς Ἰούδα. | BAAL, quæ & Bala tribus Juda. |

BAALA, montis nomen, Joſ. xv. verſ. 11. in finibus tribus Judæ.

BAALAM, urbs Levitica in dimidia tribu Manaſſe Cis-Jordanina, 1. Paral. vi. verſ. 70. eadem, ut ad eum locum auguror, quæ Joſ. xxi. verſ. 25. *Gethremmon* appellatur.

| | | |
|---|---|---|
| [4] *BAALASOR, juxta Ephraim, ubi ab Abſalon pecora tondebantur.* | Βααλασὼρ, ἐχόμενα Ἐφραίμ, ἔνθα ἐκείροντο τὰ πρόβατα τοῦ Ἀβεσαλώμ. | BAALASOR, loca contigua Ephraim, ubi tondebantur oves Abſalon. |

BAALATH. Vide paulo poſt BAALETH.

| | | |
|---|---|---|
| [5] *BAAL ERMON, mons circa Libanum in finibus Allophylorum.* | Βααλερμὼν, ὄρος παρὰ τὸν Λίβανον, ὅριον τῶν ἀλλοφύλων. | BAALERMON, mons juxta Libanum, terminus alienigenarum. |

Nοτæ.

[1] Hæc non ſimpliciter *Baal* in verſione noſtra vocatur, ſed *Baalmeon*, Num. 32. Joſ. 13. vel *Beelmeon*, ut 1. Paral. 5. v. 8. Ezech. 25. v. 9. quomodo & infra in hoc libro appellatur. Eſt altera *Baal* ſine addito, ita nuncupata in extremis finibus tribus Simeonis, 1. Paral. 4. v. 33. BONFRERIUS.

[2] Pro *Jarib* reponendum *Jarim*. Videtur autem ea vox ita hic uſurpari, quaſi hoc viri nomen ſit, cum tamen *Cariathiarim* paſſim interpretetur verſio noſtra *urbem ſilvarum*. Porro hæc *Cariathiarim* etiam vocatur *Baal*, vel ut in verſione noſtra eſt *Baala*, Joſ. 15. v. 9. 10. aut etiam voce compoſita *Cariathbal*, Joſ. 15. v. 60. Attribuitur ea urbs Judæ tribui, Joſ. 15. eam tamen in tribu Dan reponit Adrichomius, ſed abſque fundamento, cum nuſquam tribui Dan data legatur, ubique autem Judæ eſſe ſcribitur. Vide dicta Joſ. 15. v. 9. IDEM.

[3] Præter illam ſuperiorem *Baala*, quæ eadem eſt cum urbe *Cariathiarim*, fuitque in tribus Judæ terminis Borealibus; fuit & altera in eadem tribu *Baala* dicta verſus Auſtrum, de qua hic agit, Joſ. 15. v. 29. Forte eadem quæ poſtea, Joſ. 19. v. 3. dicitur *Bala*; quod ſi verum eſt, fatendum erit eam Judæ tribui, ut fere omnes Simeonitis attributæ urbes, ablatam fuiſſe. IDEM.

[4] In verſione noſtra 2. Reg. 13. *Baalhaſor* dicitur. IDEM.

[5] Solent nomine *Allophylorum* intelligi apud Interpretes Septuaginta Philiſthæi; at certum eſt non poſſe eos hic eo nomine intelligi, cum locus hic a Philiſthæis longius abeſſet: erat enim *Baalhermon* (ita enim in verſione noſtra ſcribitur, Judic. 3. v. 3.) vel montis nomen trans Jordanem ad Orientem montis Libani (ſiquidem & mons ita videri poteſt appellari Judic. 3.) idemqne cum monte Hermon, qui *Baal-Hermon* dicatur, quaſi Hermon Baalis, ſeu mons iſtius idoli; vel certe vallis erat nomen ſeu planitiei ad radices montis Hermon, nam *Baal* Hebræis etiam vallis eſt: quæ vallis alibi, vel certe urbs in valle non ſemel dicitur *Baalgad*, eſſeque dicitur ſub monte Hermon, Joſ. 11. v. 17. & c. 13. v. 5. quod ſi verum eſt, dicendum erit illud, *de monte Baalhermon*, non eſſe dictum per appoſitionem, ſed habere formam regiminis, quaſi dicas de monte vallis Hermon; quomodo etiam in Hebræo exprimitur א. Item apud Septuaginta Interpretes, ἀπὸ τοῦ ὄρους τοῦ Βαὰλ Ἑρμών. Idemque manifeſte indicat Chaldæus Paraphraſtes: מטור מישר חרמון *mittur meſchar chermon*, a monte planitiei Hermon. IDEM.

**HIERONYMUS.** | **ΕΥΣΕΒΙΟΣ.** | **EUSEBIUS.**

[1] *BAALETH, in tribu Simeonis.*

Βααλὲθ, κλήρου Συμεών.

BAALETH, sortis Simeon.

[2] *BAALGAD, civitas in campestribus Libani ad radices montis Ærmon, quam & ipsam cepit Jesus.*

Βααλγὼδ, πόλις ἐν τῷ πεδίῳ τοῦ Λιβάνου, ὑπὸ τοῦ ὄρους τοῦ Ἀερμὼν, ἣν καὶ αὐτὴν ἀνεῖλεν Ἰησοῦς.

BAALGOD, civitas in campo Libani ad radices montis Ærmon, quam eandem evertit Jesus.

BAALHASOR. Vide BAALASOR.

BAALHERMON. Vide BAALERMON.

BAALMEON. Vide supra BAAL, & infra BEELMEON.

BAALPHARASIM, locus in quo David divina ope victoriam adversus Philisthæos consecutus est, 2. Reg. v. vers. 20. & 1. Paral. xiv. vers. 11. Rationem nominis (significat enim *Baalpharasim* vallem divisionum) habes ibi assignatam, qua de re & 2. Reg. v. dicemus. Non videtur procul Hierosolyma & valle Raphaim extitisse. Hunc locum Adrichomius nunc eumdem cum valle Raphaim statuit, quæ Hierosolymæ proxima erat, modo ab Hierosolyma ad quatuor amplius milliaria abducit, eundemque facit cum urbe Cariathiarim, qua in re tum in uno, tum in altero loco hallucinatum puto.

BAALSALISA, cujus fit mentio, 4. Reg. iv. vers. 42. videri possit eadem quæ *Segor*; siquidem *Salisa* teste D. Hieronymo in traditionibus Hebraicis in Genesim, non est alia quam *Segor*; quia vero erat in valle, ut e Gen. xix. colligitur, dicta fuerit *Baalsalisa*, quod idem est, quod vallis Salisa. Accedit quod eadem *Segor* alio nomine dicta sit *Bala*, Hebraice בלע *Belah*, quasi dicas absorpta, quod aliquoties, teste D. Hieronymo, terræ motu concussa sit & absorpta: nunc vero literarum metathesi ex בלע *Bela* potest fieri בעל *Baal*, & duorum ejusdem loci nominum conjunctione, *Baalsalisa*. Hieronymus tamen, vel Eusebius, qui hanc urbem non *Baalsalisa*, sed *Bethsalisa* infra vocat, ait *eam* fuisse *in finibus Diospoleos ad Septentrionem in regione Thamnitica:* ex quo videtur colligi fuisse in tribu Ephraim, seu in confinio fere tribus Dan.

[3] *BAALTHAMAR, juxta Gabaa, ubi filii Israel adversum tribum Benjamin iniere certamen: & usque hodie Bethamari in supradictis locis viculus appellatur.*

Βααλθαμάρ. πλησίον Γαβαά, ἔνθα παρετάξαντο οἱ υἱοὶ Ἰσραὴλ εἰς πόλεμον τῇ φυλῇ Βενιαμίν· καὶ καλεῖται ἐν τοῖς τόποις εἰς ἔτι Βησθαμάρ.

BAALTHAMAR, juxta Gabaa, ubi acie structa prodierunt ad prælium filii Israel contra tribum Benjamin: & vocatur in iis locis usque huc Besthamar.

[4] *BABEL, quæ & Babylon, interpretatur confusio. Erat autem civitas regni Nemrod, in qua eorum, qui ædificaverunt turrim, divisæ sunt linguæ: quorum Principem Josephus fuisse Nemrod affirmat, testemque ejus historiæ Sibyllam Græcam exhibens: Locus, inquit, in quo turrim ædificarunt, nunc appellatur Babylon, propter confusionem sermonis eorum, qui altissimam turrim omni studio fabricabantur, siquidem Hebræi confusionem Babel vocant. De hac turri, & diversitate linguarum*

Βαβὲλ, Βαβυλὼν ἑρμηνεύεται σύγχυσις· ἦν δὲ πόλις βασιλείας γίγαντος Νεμρὼδ, ἡνίκα ἐχύθησαν αἱ γλῶσσαι τῶν πύργον ἐπινοησάντων, ὧν ἄρχοντα γεγονέναι φησὶν Ἰώσηππος τὸν Νεμρὼδ, καὶ μάρτυρα δὲ ὁ αὐτὸς τῆς κατὰ τὸν πύργον ἱστορίας τὴν ἑλληνικὴν Σιβύλλαν γράφουσαν· οὕτω πάντων ὁμοφώνων τῶν ἀνθρώπων, πύργον ᾠκοδόμησάν τινες τῶν ἀνθρώπων ὑψηλότατον, ὡς ἐπὶ τὸν οὐρανὸν ἀναβησόμενοι δι' αὐτοῦ· οἱ δὲ θεοὶ ἀνέμους ἐπιπέμψαντες ἀνέστρεψαν τὸν πύργον, καὶ ἰδίαν ἑκάστῳ φωνὴν ἔδωκαν, καὶ διὰ τοῦτο Βαβυλῶνα

BABEL, Babylon interpretatur confusio: fuit autem civitas regni Gigantis Nemrod, quando confusæ sunt linguæ eorum, qui turrim excogitaverunt, quorum principem fuisse Nemrod Josephus asserit; testemque ipse hujus de turri historiæ Græcam Sibyllam ita scribentem: Cum omnes homines essent unius vocis & linguæ, quidam eorum altissimam turrim extruxerunt, quasi in cœlum per eam ascensuri: Dii vero immissis ventis turrim everterunt, & propriam cuique linguam

---

N o t æ.

[1] *Baalath* in versione nostra vocatur, Jos. 19. v. 8. Immo non *Baalath* simpliciter, sed *Baalath Beer Ramath* dicitur. 1. Paral. 4. v. 33. *Baal* nuncupatur, forte eadem quæ postmodum reædificata & munita est a Salomone *Baalath* etiam dicta, 3. Reg. 9. v. 18. utpote in extremis finibus regni sui ad Austrum. Eadem etiam videtur quæ prius Judæ tribui attributa, Jos. 15. v. 24. dicta est *Baloth*, ut ex Hebraica scriptione utriusque vocis admodum probabiliter colligitur. Nisi quis malit illam seu Salomonis, seu tribus Judæ urbem esse alteram in tribu Dan infra, Jos. 19. v. 44. dictam *Baalath*, vel *Balaath*: nam & scriptio Hebraica congruit. Significat autem hæc vox decomposita *Baalath Beer Ramath*, dominam putei excelsi. Idem.

[2] De hac habes Jos. 11. & 13. Videtur autem urbs sita in valle inter montem Libani & montem Hermon, nam & in planitie Libani, & sub monte Hermon fuisse dicitur. Vide supra in *Agad*, & paulo ante in *Baalermon*. Idem.

[3] De hac habes, Judic. 20. v. 33. Significat hæc vox *vallem palmarum*. Bonfrerius.

[4] De *Babel* turri & linguarum confusione habes, Gen. 11. inde & urbs in Chaldæa turri vicina appellata Babylon. Idem.

[1] Lo-

| S. HIERONYM. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| *ſcribit & Sybilla in hunc modum: Cum omnes mortales una lingua loquerentur, quidam ex his altiſſimam turrim ædificaverunt, Cœlum per eam cupientes ſcandere. Dii vero turbines mittentes evertere turrim, & propriam, atque diverſam unicuique tribuere linguam, unde urbem quoque contigit appellari Babylonem.* | συνέβη κληθῆναι τὴν πόλιν. | dederunt. Atque idcirco civitatem vocari contigit Babylonem. |

BABYLON & BABYLONIA, Chaldææ urbis regia.

| | | |
|---|---|---|
| [1] *BAHURIM, locus ad quem uſque proſecutus eſt Michol filiam Saul vir ſuus lacrymans.* | Βαουρείμ, ἔνθα τὴν Μελχὸλ κατέστησεν ὁ ἀνὴρ αὐτῆς. | BAURIM, locus ubi Melchol vir ſuus ſtitit. |
| [2] *BALA, quæ eſt Segor, nunc Zoara nuncupatur, ſola de quinque Sodomorum urbibus Lot precibus reſervata. Imminet autem mari mortuo, & præſidium in ea poſitum eſt militum Romanorum, habitatoribus quoque propriis frequentatur: & apud eam gignitur balſamum & poma palmarum antiquæ ubertatis indicia. Nullum autem moveat quod Segor eadem Zoara dicitur, cum idem ſit nomen parvulæ, vel minoris. Sed Segor Hebraice, Zoara Syriace nuncupatur. Bala autem interpretatur abſorpta: ſuper quo in libris Hebraicarum quæſtionum plenius diximus.* | Βαβλά, καί ἐστι ἡ Σίγωρ, νῦν Ζωαρὰ καλουμένη, μόνη διασωθεῖσα ἀπὸ τῆς τῶν Σοδομιτῶν χώρας, ἡ καὶ εἰς ἔτι νῦν οἰκεῖται, τῇ νεκρᾷ παρακειμένη θαλάσσῃ· καὶ φρούριόν ἐστι στρατιωτῶν· καὶ φύεταί γε παρ᾽ αὐτῇ βάλσαμον, καὶ ὁ φοῖνιξ, δεῖγμα τῆς παλαιᾶς τῶν τόπων εὐφορίας. | BABLA, quæ eſt Sigor, nunc Zoara dicta, ſola ſervata e regione Sodomitarum, quæ etiam uſque hodie habitatur, adjacens mari mortuo: & eſt præſidium militare, naſciturque apud eam balſamum, & palma, indicium antiquæ locorum illorum fertilitatis. |

BALA, urbs in tribu Simeonis, Joſ. XIX. verſ. 3.

BALAAM, inter urbes Leviticas dimidiæ tribus Manaſſe Cis-Jordaninæ numeratur, 1. Paral. VI. verſ. 70.

BALAATH, urbs in tribu Dan, Joſ. XIX. verſ. 44. Hebraice dicitur בעלת *Baalath*.

| | | |
|---|---|---|
| [3] *BALAM, in tribu Juda.* | Βαλαάμ, φυλῆς Ἰούδα. | BALAAM, tribus Juda. |
| [4] *BALANUS, id eſt quercus luctus, ſub qua Rebeccæ nutrix ſepulta eſt.* | Βάλανος, ὑφ᾽ ἣν ἔθαψαν ἀποθανοῦσαν τὴν τροφὸν Ῥεβέκκης. | BALANUS, ſub qua ſepelierunt mortuam nutricem Rebeccæ. |
| [5] *BALANUS, id eſt Quercus Sicimorum, ubi regnavit A-* | Βάλανος Σικήμων, ἔνθα ἐβασίλευσεν Ἀβιμέλεχ· [6] δείκνυται ἐν | BALANUS Sicemorum, ubi regnavit Abimelech, o- |

NOTÆ.

[1] Locus eſt immo oppidulum in tribu Benjamin Hieroſolymæ ad Orientem ab eadem ſemileuca diſtans, multo nominatior a Davidis fuga, qui illac Abſalom fugiens maledictis & lapidibus a Semel appetitus fuit, 2. Reg. 16. IDEM.

[2] De *Bala* paulo ante in *Baalſaliſa* diximus. *Segor* autem parvam ſignificat, cujus nominis rationem habes, Gen. 19. v. 20. 22. Idem eſt *Segor* Hebræis, & *Zoara* Syris; differunt enim voces tantummodo fere terminatione, addito a Syris א, niſi quod primum elementum צ Syri in ז, mutent. IDEM.

[3] Hæc *Baala* dicitur in verſione noſtra, Joſ. 15. v. 29. eadem forte cum præcedente illa *Bala* in tribu Simeonis, uti ſupra diximus in *Baala*, etſi non omnino Hebraica ſcriptio congruat. BONFRERIUS.

[4] Non ſimpliciter *Balanus* ſeu *Quercus* a Septuaginta Interpretibus locus dictus, ſed *βάλανος πένθους*, *Quercus fletus*, Gen. 35. v. 8. IDEM.

[5] Habetur Judic. 9. v. 6. ubi Abimelech rex conſtituitur juxta *quercum, quæ ſtabat in Sichem.* At mirum eſt quod addit Hieronymus etiam ſuo tempore oſtendi eam quercum: quis enim credat quercum, quæ vix ad duo aut tria ſecula perdurare ſolet, ad quindecim ſecula perduraſſe? tot enim ſunt & amplius ab Abimelech ad ætatem Hieronymi. Itaque hoc intelligo de loco quercus, vel quercu alia ibidem enata. IDEM.

[6] *Δείκνυται*) Contigit huic quercui id quod de Mariana Quercu augurabatur *Quintus Cicero*, de Legibus Lib. I. c. 1. ubi de quercu, cujus mentionem fecerat *Marcus Cicero* frater in Mario: *dum Latinæ*, inquit, *loquentur literæ, quercus huic loco non deerit, quæ Mariana dicatur, eaque, ut ait Scævola de fratris mei Mario:*

Caneſcet ſæclis innumerabilibus.

*Niſi forte Athenæ tuæ* (alloquitur T. Pomponium Atticum) *ſempiternam in arce oleam tenere potuerunt; aut quod Homericus Ulyſſes Beli ſe proceram & teneram palmam vidiſſe dixit, hodie monſtrant eamdem, multaque alia multis locis diutius commemoratione manent, quam natura ſtare potuerunt. Quare glandifera illa quercus, ex qua olim evolavit*

Nuncia fulva Jovis miranda viſa figura,

*nunc ſit hæc, ſed cum eam tempeſtas, vetuſtaſve conſumſerit, tamen erit his in locis quercus*], *quam Marianam quercum vocent.* Idem judicium ferendum de *quercu Abimelechi*, deque *quercu Abrahami*, de qua *Euſebius* in voce Ἀρβώ. CLERICUS.

1 Hæc

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| *bimelech, quæ usque hodie ostenditur in suburbano rure Neapoleos, propè sepulchrum Joseph.* | προαστείοις νέας πόλεως, ἐν τῷ τάφῳ Ἰωσήφ. | ſtenditur in ſuburbanis Neapoleos, in ſepulcro Joſeph. |
| [1] *BALETH, in tribu Dan.* | Βαλέθ, κλήρου Δάν. | BALETH, ſortis Dan. |
| [2] *BALILOTH, in tribu Benjamin.* | Βαλθ, πόλις ἣν ᾠκοδόμησε Σολομών. | BALTH, civitas, quam ædificavit Salomon. |
| [3] *BALLATH, urbs quam ædificavit Salomon.* | Βολά, κλήρου Συμεών. | BOLA, ſortis Simeon. |
| [4] *BALLATH. in tribu Simeonis.* | Βαλώθ, φυλῆς Ἰούδα. | BALOTH, tribus Juda. |
| [5] *BALOTH, in tribu Juda.* | | |
| [6] *BAMA, ubi Saul ungendus in Regem cum Samuele cibum ſumſit. Porro Bama Aquila ſemper excelſum tranſtulit.* | Βαμά, ἔνθα συνέφαγε Σαοὺλ τῷ Σαμουήλ, μέλλων χρίεσθαι εἰς βασιλέα· ὁ δὲ Ἀκύλας τὸ ἐν βαμά ὑψώματι ἡρμήνευσεν. | BAMA, ubi comedit Saul cum Samuele ungendus in regem. Aquila autem ἐν βαμά, interpretatus eſt, in exaltatione. |
| [7] *BAMOTH, civitas Amorrhæorum trans Jordanem in Arnone, quam poſſederunt filii Ruben.* | Βαβώθ, πόλις τοῦ Ἀμοῤῥαίου πέραν τοῦ Ἰορδάνου ἐν τῷ Ἀρνωνᾶ, ἣν ἔλαβον υἱοὶ Ἰσραήλ. | BABOTH, civitas Amorrhæi ultra Jordanem in Arnona, quam ceperunt filii Iſrael. |
| BAMOTHBAAL. Vide BAMOTH proxime ante. | | |
| [8] *BANE, in tribu Dan.* | Βάνη, φυλῆς Δάν. | BANE, tribus Dan. |
| [9] *BANEIACAN, in deſerto caſtra itineris filiorum Iſrael.* | Βαννιακάν, ἐπὶ τῆς ἐρήμου σταθμὸς τῆς πορείας τοῦ λαοῦ. | BANEJACAN, in eremo, ſtatio profectionis populi. |
| BARAD. Vide paulo poſt BARATH ſecundum. | | |
| BARASA, urbs in Galaaditide regione, 1. Machab. v. verſ. 26. | | |
| [10] *BARATH, in tribu Dan, uſque hodie prope Azotum Bareca viculus appellatur.* | Βαρακαί, φυλῆς Δάν, εἰς ἔτι νῦν περὶ τὴν Ἄζωτον· νῦν κώμη Βαρβά. | BARACÆ, tribus Dan, uſque hodie circa Azotum, nunc vicus Barba. |
| [11] *BARATH, inter Cades & Bareth hodieque Agar puteus demonſtratur.* | Βαράδ, ἀναμέσον Καδδῆς καὶ Βαράδ, τὸ φρέαρ τῆς Ἄγαρ. | BARAD, inter Caddes & Barad, (eſt) puteus Agar. |
| [12] *BARNE, hæc ipſa eſt,* | Βαρνή, αὐτή ἐστι ἡ Καδὴς Βαρ- | BARNE, hæc eadem eſt |

## N o t æ.

[1] Hæc eſt quam ſupra *Balaath* in verſione noſtra diximus appellari. Idem.

[2] Haud dubie vox hæc corrupta eſt, pro *Baliloth* enim legendum eſt *Galiloth*; ſiquidem ita habent omnes codices Septuaginta Interpretum, Joſ. 18. v. 18. ubi deſcribuntur termini tribus Benjamin: atque ita legendum eſſe patet ex Hebræa voce גלילות *Geliloth*, quam ſervare voluerunt Interpretes Septuaginta quaſi nomen proprium; Hieronymus autem vertit appellative *tumulos*. Sed & Rabbi Kimchi vult totum hoc מעלה אשר נכח גלילות ארמים *mahale aſcher nochach geliloth adummim*, quod Hieronymus vertit, *tumulos qui ſunt e regione Aſcenſus Adommim*, ad nomen loci proprium pertinere: Verum id eſt extra rationem propriorum nominum, ut tam longa texantur, adhibita etiam longiore ex circumſtantiis deſcriptione, præſertim vero inſolens eſt ut nomini proprio inſeratur pronomen illud relativum אשר *aſcher*, *qui*, *quæ*, *quod*. Itaque etſi concedi poſſit *aſcenſum Adommim*, & *Galiloth*, potuiſſe eſſe propria duorum locorum nomina, non videtur tamen admittendum totam hanc longiorem deſcriptionem ad nomen proprium pertinere. Idem.

[3] Hæc Baalath in verſione noſtra nuncupatur, 3. Reg. 9. v. 18. Idem.

[4] Hæc ſimiliter *Baalath* in verſione noſtra vocatur, ſed cum addito *Baalath Beer Ramath*, de qua & nos paulo ante in *Baalath* egimus. Idem.

[5] De hac habes, Joſ. 15. v. 24. Idem.

[6] *Bama* appellative excelſum ſignificat, quomodo etiam appellative reddidit Hieronymus toto illo cap. 1. Reg. 9. ubi epulum illud Samuelis cum Saule deſcribitur v. 12. 13. 14. 19. 25. quibus omnibus locis Interpretes Septuaginta voce *Bama* quaſi propria uſi ſunt. Idem.

[7] Hæc non *Bamoth* ſimpliciter, ſed *Bamothbaal* appellatur, Joſ. 13. v. 17. Eſt & locus in deſerto juxta Moabitas *Bamoth* dictus, Num. 21. v. 19. 20. quem forte eumdem eſſe cum *Bamothbaal* dixi, Num. 21. quod in eadem uterque locus indicatus videatur fuiſſe regione juxta Moabitas: tutius tamen eſt ea loca diſtinguere, quod *Bamothbal* urbs in tribu Ruben fuerit, atque adeo trans Arnon venientibus de deſerto; *Bamoth* vero neque urbs fuiſſe videatur, utpote in deſerto, neque trans Arnon. Idem.

[8] De hac habes, Joſ. 19. v. 45. Bonfrerius.

[9] In verſione noſtra locus hic in deſerto, in quo fuit una manſio filiorum Iſrael, vocatur *Benejaacan*, Num. 33. v. 31. 32. Significat autem hæc vox, *filii Jaacan*: hinc ſemel Hebræam illam vocem ratione alterius vocis additæ vertit Hieronymus quoad priorem illam partem appellative, Deut. 10. v. 6. *ex Beroth filiorum Jacan*, quod verti potuiſſet retenta priore illa voce, & *Beroth* appellative reddito, ex puteis *Benejaacan*. Idem.

[10] De hac habes, Joſ. 19. v. 45. Idem.

[11] *Barad* in verſione noſtra vocatur, eſtque locus in deſerto ad meridiem Terræ Promiſſæ. Habes autem de puteo iſto inter Cades & *Barad*, Gen. 16. v. 14. Idem.

[12] Hæc ubique in verſione noſtra vel *Cades*, vel *Cadesbarne* appellatur; locus eſt in deſerto ad meridiem Judæ, cujus fit mentio, cum deſcribuntur termini totius Terræ Promiſſæ, Num. 34. v. 4. vel termini tribus Judæ, Joſ. 15. v. 3. Ex hoc loco miſſi ſunt exploratores ex ſingulis tribubus, qui explorarent Terram Promiſſam, Num. 13. nam & ibi v. 27. locus ille caſtrorum vocatur *Cades*; ſed & alibi non ſemel locus ille, unde miſſi, & ad quem reverſi exploratores, nominatur *Cadesbarne*, Num. 32. v. 8. Deuter. 1. v. 19. & 46. Joſ. 14. v. 6. 7. Idem.

| HIERONYMUS. | ΕΥ'ΣΕ'ΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| *quæ & Cades Barne in deserto, quod extenditur usque ad urbem Petram.* | νῇ ἐν ἐρήμῳ, τῇ παρατεινούσῃ Πέτρᾳ πόλει. | cum Cades Barne in solitudine, quæ extenditur usque ad urbem Petram. |
| [1] *BASAN, super qua scribitur: & Og regem Basan. Hanc autem Machati cognominavit Avothjair, hoc est ------ ceciditque in sortem dimidiæ tribus Manasse in terra Galaad, hæc est Basanitis, quæ nunc Batanæa dicitur,* | Βασὰν, Ὢγ βασιλέως Βασὰν, ἣν Ὀνομάχαν ἐπωνόμασεν Ἀβωθιαὶρ, ἣν ἔλαβε φυλὴ Μανασσῆ, κειμένη ἐν τῇ Γαλαὰδ· αὕτη Βασανῖτις. ἣ νῦν καλεῖται Βαταναία. | BASAN, Og regis Basan, quam Onomacham nominavit Abothjair, quam cepit tribus Manasse, sita in terra Galaad. Hæc est Basanitis, quæ nunc vocatur Batanæa. |

BASCAMAN, 1. Machab. XIII. vers. 23. urbs videtur esse Cis-Jordanina, non in Galaaditide, ubi eam reponit Josephus & Adrichomius: quomodo enim si Tryphon non venit in Galaaditim, ut ibi asseritur, potuit Jonathan occidere juxta urbem quæ esset in Calaaditide.

BASCATH. Vide BASCHAT proxime.

| HIERONYMUS. | ΕΥ'ΣΕ'ΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [2] *BASCHAT, in tribu Juda.* | Βασκὼθ, φυλῆς Ἰούδα. | BASCOTH, tribus Juda. |
| [3] *BASECHAD, urbs antiqua Judææ.* | | |

BATANÆA. Vide BASAN.

| HIERONYMUS. | ΕΥ'ΣΕ'ΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [4] *BATHNE, in tribu Aser, & nunc appellatur vicus Bethebem in octavo milliario Ptolemaidis contra Orientem.* | Βατναὶ, φυλῆς Ἀσὴρ, καὶ νῦν καλεῖται κώμη Βεβετὲν ἀπὸ ὀγδόου σημείου Πτολεμαΐδος εἰς ἀνατολήν. | BATHNÆ, tribus Aser, & nunc vocatur vicus Bebeten in octavo milliario a Ptolemaide versus Orientem. |
| [5] *BATHUL, in tribu Simeonis.* | Βαθοὺμ, κλήρου Συμεών. | BATHUM, sortis Simeon. |

BAZIOTHIA, urbs in tribu Juda. Jos. xv. vers. 28.

| HIERONYMUS. | ΕΥ'ΣΕ'ΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [6] *BEEAN, civitas Amorrhæorum, quæ & ipsa a filiis Ruben tenta est.* | Βαιὰν, πόλις Ἀμοῤῥαίου, καὶ αὐτὴν ἔλαβον οἱ υἱοὶ Ῥουβίν. | BÆAN, civitas Amorrhæi, & eam ceperunt filii Ruben. |
| [7] *BEELFEGO, quod interpretatur simulachrum ignominiæ. Est autem idolum Moab cognomento Baal super montem Fogor, quem Latini Priapum vocant, & de hoc in libris Hebraicarum quæstionum plenius dictum est.* | Βεελφεγὼρ, ἑρμηνεύεται εἶδος ἀσχημοσύνης· ἔστι δὲ εἴδωλον Μωάβ. ὅ ἐστι Βαὰλ, καὶ ἐπὶ τοῦ Φεγὼρ ὄρους. | BEELPHEGOR, interpretatur simulacrum ignominiæ. Est autem idolum Moab, quod est Baal, & in monte Phegor, |

## NOTÆ.

[1] *Basan* trans Jordanem regio est pinguis pascuis, unde boves & vaccæ Basan, pro quibus Hieronymus vertit *boves & vaccas pingues*. Eadem est regio, ut indicat Hieronymus hic, quæ dicta est *Avothjair*, de quo & supra actum est in *Avothjair;* quamquam non tam ipsa regio dicta sit *Avothjair*, quam oppida in ea regione sita, id enim sonat *Avothjair*, hoc est, oppida Jair, sic dicta a Jair possessore, ut ibi diximus. An autem ista oppida Jair totam *Basan* comprehendant, an vero etiam *Basan* ad Gaditas extendatur, perplexa quæstio est, quam discutiemus, 1. Paral. 5. v. 11. enim vero is locus cum v. seq. & v. 16. plane videtur exigere, ut *Basan* etiam tribum Gad comprehendat. Illud autem mirum dici hic *ita Machati eam regionem cognominasse*, cum Machati non hominis, sed regionis vel potius urbis nomen sit in eadem Trans-Jordanina regione, cujus non semel fit in Scriptura mentio; quam itidem possidere debuerant Manassitæ Trans-Jordanini, sed eam debellare neglexerunt, ut habetur, Jos. 13. v. 13. Itaque dicendum potius id nomen ab ipso Jair oppidis illis impositum, quod disertis verbis asseritur, Num. 32. v. 41. & Deuteron. 3. v. 14. IDEM.

[2] *Bascath* appellatur in nostra versione, Jos. 15. v. 39. IDEM.

[3] Non alia est hæc a præcedente, nam Septuaginta Interpretes ibi juxta varios Codices vocant *Basgath*, *Baschath*, vel *Basechath*. item 4. Reg. 22. v. 1. in nostro textu vocatur *Besecath*. IDEM.

[4] Hæc in versione nostra, Jos. 19. v. 25. vocatur *Beten*. IDEM.

[5] Hæc in versione nostra, Jos. 19. v. 4. vocatur *Bethul* : at 1. Paral. 4. v. 30. vocatur *Bathuel*. IDEM.

[6] Hæc in versione nostra, Num. 32. v. 3. *Beon* appellatur, e nullo tamen Scripturæ loco aperte constat eam fuisse Rubenitis datam, etsi quia ibi supra quatuor urbes, quæ præcedunt, in tribu Ruben erant, idem verisimiliter de hac colligatur. IDEM.

[7] *Beelphegor* dicitur hoc idolum in versione nostra, & ita scribi debet, unde & hic ultima litera videtur excidisse: De quo & nos egimus, Num. 25. v. 3. Sed ea vox ad locorum nomina propria minime pertinet. BONFRERIUS.

HIERONYMUS.

[1] *BEELMEON, trans Jordanem, quam ædificaverunt filii Ruben. Est autem vicus usque nunc grandis juxta Baaru in Arabia, ubi aquas calidas sponte humus effert cognomento Beelmaus distans a Besbus millibus novem, unde & Helisæus Propheta fuit.*

[2] *BEELSEFON, in deserto castra filiorum Israel juxta mare rubrum egredientibus Ægyptum.*

[3] *BEEROTH, sub colle Gabaon, ostenditur hodieque villa ab Ælia pergentibus Neapolim in septimo lapide.*

[4] *BEESTHARA, in tribu Manasse separata Levitis in regionibus Besanitidis.*

[5] *BEL, Idolum Babyloniorum.*

[6] *BELA, terminus Judæ ad Orientem respiciens: De quo & supra sub nomine Arbela diximus.*

ΕΥΣΕΒΙΟΣ.

[7] Βεελμεὼν, πέραν τοῦ Ἰορδάνου, ἣν ᾠκοδόμησαν οἱ υἱοὶ Ῥουβὶν.

Βεελμεὼν, κώμη μεγίστη πλησίον τοῦ ὄρους τῶν θερμῶν ὑδάτων. ἔστι τῆς Ἀραβίας Βεελμαοὺς καλουμένη, διεστῶσα τῆς Ἰεβοῦς σημείοις θ'· ἐντεῦθεν ἦν Ἐλισσαῖος ὁ προφήτης.

Βεελσεφὼν, πρὸς τῇ ἐρήμῳ σταθμὸς τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ, ἐξιόντων ἐξ Αἰγύπτου [8] διὰ τοῦ κλύσματος παρὰ τὴν θάλασσαν.

Βηρὼθ, ὑπὸ τὴν Γαβαών. καὶ ἔστι νῦν κώμη πλησίον Αἰλίας κατιόντων ἐπὶ Νικόπολιν ἀπὸ ζ' σημείων.

Βιεσθαρὰ, φυλῆς Μανασσῆ, Λευΐταις ἀφωρισμένη, ἐν [9] τῇ Βασαννίτιδι.

Βὴλ, εἴδωλον Βαβυλῶνος.

Βηλὰ, ὅριον [10] τῆς Ἰδουμαίας ἀνατολικόν· κεῖται καὶ ἀνωτέρω [11] Ἀβηλά.

EUSEBIUS.

BEELMEON, trans Jordanem, quam ædificaverunt filii Ruben.

BEELMEON, vicus maximus juxta montem calidarum aquarum. Est Arabiæ Beelmaus dictus, distans Jebus novem milliaribus. Hinc fuit Helisæus Propheta.

BEELSEPHON, prope desertum statio filiorum Israel, cum egressi sunt de Ægypto per inundationem juxta mare.

BEROTH, sub (colle) Gabaon. Et est nunc vicus juxta Æliam pergentibus Nicopolim in septimo milliario.

BIESTHARA, tribus Manasse, Levitis separata, in regione Basinnitidis.

BEL, Idolum Babylonis.

BELA, terminus Idumææ orientalis. Extat & superius Abela.

BELMA, locus juxta Bethuliam, Dothain, & Esdrelon, Judith VII. vers. 3. a quo Ho-

NOTÆ.

[1] De *Beelmeon* supra actum est in *Baal.* Pleraque quæ hic dicuntur mihi suspecta sunt, ut & pleraque quæ in ista appendice nominum propriorum in quibusdam libris habentur, quasi ea minime sint Hieronymi; eadem tamen fere habentur apud Eusebium. Atque imprimis, quod *Baalmeon* videatur indicare ab aquis callidis nomen accepisse, quasi *Baalmeon*, (quod significat *habitaculum Baalis*) dictum sit ab aquis calidis, ut insinuare videatur nomen fuisse non בעל מעון *Baalmeon*, sed בעל מים *Baalmaim*, hoc est *aquæ Baalis*, quod omnino falsum est. Deinde quid sit *Besbus*, vel *Baaru*, non facile divines, nisi forte *a Besbus* positum sit pro *ab Esbus*. Deinde illud quod postremum hic asseritur, ex ea fuisse Helisæum Prophetam, falsitatis aperte redargui potest, cum ex 3. Reg. 19. v. 16. plane constet Helisæum fuisse ex Abelmehula civitate cis Jordanem, quæ tamen non procul erat ripa Jordanis. IDEM.

[2] Hic locus in extremis Ægypti erat finibus, juxta Mare Rubrum, e regione cujus fuit facta tertia mansio filiorum Israel, Exodi 14. v. 2. IDEM.

[3] In versione nostra appellatur *Beroth*, eratque in tribu Benjamin, Jos. 18. v. 25. & 2. Reg. 4. v. 2. fuit autem una e quatuor urbibus, quæ subdole cum Gabaonitis fœdus a Josue extorserunt, Jos. 9. v. 17. Est autem *Neapolis*, eadem quæ Sichem, ut proinde constare non possit quod hic de Neapoli dicitur, cum Hierosolyma Neapolim iter esset ad Orientem: Hierosolyma vero Gabaonem iter esset ad Occidentem, vel certe inter Occidentem & Septemtrionem. Sed facilis loci hujus potest esse correctio, si pro *Neapoli* reponatur *Nicopolis*, quod & habet Eusebius. Significat autem *Beroth* puteos. IDEM.

[4] In versione nostra vocatur, Jos. 21. v. 27. *Bosra*: apud Septuaginta Interpretes in diversis Codicibus appellatur ibi *Bosora*, *Beesthra*, *Beesthera*. In Hebræo quoque legimus בעשתרה *Beesthera*. Neque hæc alia videtur civitas; quam quæ alibi in Basanitide appellatur עשתרת *Astharoth*, cum & Hebraica utriusque vocis scriptio consentiat, nisi quod Josue 21. ב servilis litera præfigatur, & loco *Bosra*, quæ Jos. 21. assignatur in illa dimidia tribu Manasse Trans-Jordanina Levitica civitas, 1. Paral. 6. v. 71. nominetur *Astaroth*. IDEM.

[5] Habes de eo apud Hieremiam, Baruch, & Danielem sed id ad locorum nomina propria nihil pertinet. IDEM.

[6] Hæc non videtur alia a *Bala*, seu *Segor*, de qua supra actum est: hæc enim erat in extremis finibus Judæ ad Orientem juxta Mare Mortuum; neque de alia *Bala*, vel *Bela* Scriptura meminit. IDEM.

[7] Hieronymus hanc & sequentem vocem in unum conjungit. *Jebus* hic positum pro *Esbus*. Cætera quæ hic dicuntur sunt mihi admodum de veritate suspecta. Vide quæ ad Hieronymum annoto. IDEM.

[8] Illud διὰ τοῦ κλύσματος merito superfluere videtur, cum nec apud Hieronymum habeatur, & sensum turbet. IDEM.

Διὰ τοῦ κλύσματος) Non puto hæc abundare verba, sed hoc voluisse *Eusebium*, transiisse, nempe, Israelitas per *æstuarium* maris rubri; hoc enim solum potest hic intelligi voce κλύσμα, quod, nimirum, aqua marina κατακλύζεται. *Ezechielus* Poeta de Ægyptiis illic submersis, apud *Eusebium* Præp. Evang. Lib. IX. c. 29.

- - - - καὶ συνεκλύσθη πόρος
Ἐρυθρᾶς θαλάσσης, καὶ στρατὸν διώλεσε.

*Inundatus est transitus Erythræi maris, & exercitum perdidit.* Igitur hic κλύσμα est πόρος, qui postea fuit κεκλυσμένος. Quod cum ita sit, quis ferat *Martianæum* hic habentem: *nescio an hoc significet, quod in eum locum confluxerint Israelitæ quasi aquarum multarum inundatio?* At nemo Græce sciens dubitabit an hæc sententia sit aliena a verbis Græcis, διὰ τοῦ κλύσματος. CLERICUS.

[9] Τῇ Βασαννίτιδι] Imo τῇ Βασανίτιδι, ut habet Editio nupera Parisina. Apud *Hieronymum*, legendum in *regionibus Basanitidis*, aut ut est in memorata Editione *in regione Basanitidis*. IDEM.

[10] Τῆς Ἰδουμαίας) Dubito an debeat hoc mutari in Ἰουδαίας, ut vult *Martianæus*, nam qui fuit terminus Judæ orientalis ad austrum maris mortui, fuit etiam ad eamdem cœli plagam terminus Idumææ, quæ illac contermina fuit Judææ. IDEM.

[11] Ἀβηλὰ) Habet hic *Hieronymus*, *Arbela*; sed Arbela, de qua antea, valde remota fuit ab urbe *Bela*, aut *Bala*. Crediderim *Eusebium* mendosis codicibus deceptum fuisse, & invenisse idem nomen scriptum Βηλὰ & Ἀρβηλά. IDEM.

1 Non

lofernes Bethuliam circumvallavit. Abelinam vocant Brochardus & Adrichomius, eamque leuca una vel paulo amplius Bethulia distantem faciunt.

BENEIAACAN. Vide BANEIACAN.

BENENNOM, vallis, cujus fit mentio, 2. Paral. XXXIII. verf. *6.* vallis erat in suburbano Jerusalem ad Orientem, in qua reges idololatræ, aliiquæ Israelitæ impii filios suos idolo Moloch sacrificabant, & in honorem idoli comburebant. Hebraice autem totum nomen loci est גי בן הנם *gebenhinnon*, quod appellative reddi potest *vallis filii Hinnom* vel *Ennom*; & ita non semel reddit Hieronymus, ut Jos. xv. vers. 8. & 4. Reg. XXIII. vers. 10. Hierem. VII. vers. 31. 32. & C. XIX. vers. 2. *6.* & C. XXXII. vers. 35. vel per pluralem numerum, *vallis filiorum Ennom*, ut Jos. XVIII. vers. *16.* Ex quo satis colligi potest *Ennom* viri nomen fuisse. Subinde illud *ben*, quod filium sonat, omittitur, & appellatur *Gehennom*, seu *vallis Ennom*, quomodo retenta voce Hebræa, sed interpretatione addita versio nostra habet, Jos. XVIII. vers. 16. & sine interpretatione addita, Jos. xv. vers. 8. vel sola interpretatione Latina apposita, ut 2. Esdræ XI. vers. 30. Ab hoc autem loco *Gehennom* dicto Barbaris illis sacrificiis destinato venit nomen *gebenna*.

[1] *BENIT, quam construxerunt Samaritani, qui dè Babylonis regione transierant.*

Βαιθανὶ, ἡ καὶ Βαινὶθ. ταύτην ἔκτισαν οἱ ἀπὸ Βαβυλῶνος Σαμαρεῖται.

BÆTHANNI, quæ & Bænith: hanc condiderunt Samaritæ qui de Babylonis regione (venerant.)

BEON. Vide BEEAN.

[2] *BERA, ubi cum Abimelech Joathan fugisset habitavit, distat autem vicus Bera ab Eleutheropoli octo millibus ad Aquilonem.*

Βηρὰ, ἔνθα φυγὼν Ἀβιμέλεχ Ἰωαθὰμ κατῴκησεν· ἀπέχει ἡ κώμη Ἐλευθεροπόλεως σημείοις η', ἐν τοῖς βορείοις.

BERA, ubi habitavit Abimelech fugiens Joathan. Distat ea villa Eleutheropoli octo milliaribus in parte Septentrionali.

[3] *BERAMOTH, in tribu Simeonis.*

BEREA, 1. Machab. IX. vers. 4. quantum colligi potest, erat in tribu Benjamin, cum & Laisa in tribu esset Benjamin, in qua Judas castra habebat, & Bacchidis exercitus eo animo in *Beream* venerit, ut cum Juda confligeret. Forte eadem quæ *Beroth* in tribu Beniamin.

BEROEA, Macedoniæ urbs, in qua Paulus Evangelium prædicavit.

[4] *BEROTH, in tribu Benjamin.*

[5] *BEROTH FILIORUM JACIN, locus in deserto, in quo obiit Aaron, & ostenditur usque hodie in decimo lapide urbis Petræ, in montis vertice.*

Βηρὼθ υἱῶν Ἰακεὶμ, ἐπὶ τῆς ἐρήμου τόπος, ἔνθα ἐτελεύτησεν Ἀαρὼν, καὶ δείκνυται ἀπὸ ι' σημείων Πέτρας πόλεως ἐπὶ τὴν κορυφὴν τοῦ ὄρους.

BEROTH, filiorum Jacim. In deserto locus, ubi mortuus est Aaron, & ostenditur in decimo lapide ab urbe Petra supra verticem montis.

BEROTHA. Vide BEROTH proxime.

[6] *BERSABEE, in tribu Juda, sive Simeonis, est usque hodie vicus grandis in vicesimo a Chebron milliario vergens ad Austrum: in quo & Romanorum militum præsidium positum est,*

Βηθσαμαὶ, φυλῆς Ἰούδα, ἢ Συμεών· ἔτι καὶ νῦν ἐστὶ κώμη μεγίστη ἀπέχουσα Χεβρὼν σημείοις εἴκοσι πρὸς νότον, ἐν ᾗ καὶ φρούριον στρατιωτῶν ἐγκάθηται, ὅθεν ἀρχὰς εἶχεν τὰ ὅρια τῆς Ἰουδαίας, παρα-

BETHSAMÆE, tribus Juda seu Symeon: adhuc modo est maximus vicus distans Chebrone viginti milliaribus ad austrum, in quo & præsidium militum collocatum est: unde

N O T Æ.

[1] Non *Benit* simpliciter, sed *Soccoth Benith*, legimus apud Septuaginta, 4. Reg. 17. v. 30. in versione vero nostra *Sochotbenoth*. Verum hæc vox ad propria urbium nomina nihil pertinet, cum sit idoli nomen a Babyloniis, qui in Samariam transierant fabricatum. BONFRERIUS.

[2] De hac habes Judic. 9. v. 21. In qua tribu ea fuerit non indicat Hieronymus, nos ad eum locum probabilibus argumentis in tribu Juda reponimus. IDEM.

[3] Hæc est quæ voce decomposita in versione nostra, Jos. 19. v. 8. appellatur *Baalath Beer Ramath*, de qua & nos supra in *Baaleth* & *Ballath* egimus; nam voces illæ hic apud Eusebium divisæ sunt, quæ erant conjungendæ. IDEM.

[4] De hac supra in *Beeroth* diximus. IDEM.

[5] Legendum *Beroth filiorum Jacan*. Fit autem hujus loci mentio, Deuter. 10. v. 6. ubi & de Aaronis morte Scriptura meminit. Supra indicavimus eumdem esse locum qui *Banejacan* dicitur, & in nostra versione Num. 33. *Benejaacan. Beroth* quoque alteram urbem in Syria Soba legimus, 2. Reg. 8. v. 8. e qua magna abstulit spolia de victo rege Adarezer rex David Eadem videtur quæ Ezech. 47. v. 16. *Berotha* appellatur. IDEM.

[6] De Bersabee, nominisque impositione habes Gen. 21. v. 31. & Gen. 26. v. 33. ad quæ loca vide quæ nos diximus. Est autem putei nomen: ab eodem puteo deinde nomen urbi ibi excitatæ impositum. Fuit autem urbs in extremis Judææ ad Austrum finibus; unde nata illa locutio Scripturæ familiaris: *A Dan usque Bersabee*, cum tota terra Judææ significatur. Ea primo Judæ tribui attributa, Jos. 15. v. 28. postea tribui Simeonis data, Jos. 19. v. 2. Significat autem hæc vox, *puteum juramenti*, vel *puteum septem*, supple *aquarum*, vel *puteum abundantiæ*, ut in Genesi locis supra indicatis explicatum est. IDEM.

HIERONYMUS.

*a quo loco termini Judææ terræ incipientes tendebantur usque ad Dan, quæ juxta Paneadem cernitur. Interpretatur vero Bersabee puteus juramenti, eo quod Abraham & Isaac fœdus cum Abimelech sociaverunt jurantes. Nec movere debet quempiam si interdum civitates Judæ easdem in tribu Simeonis, vel Benjamin reperiat. Tribus enim Juda bellicosissimis viris pollens, & crebro adversarios superans in omnibus tribubus tenuit principatum: & idcirco etiam aliarum tribuum sortes in ejus interdum funiculum nuncupantur: alioqui in medio tribus Judæ habitasse Simeonem Scriptura manifeste docet.*

ΕΥ'ΣΕ'ΒΙΟΣ.

τείνοντα ἐπὶ τὴν Δάν, τὴν πλησίον Πανεάδος· ἑρμηνεύεται δὲ Βηρσαβεὲ ἀπὸ τῆς Ἀβραὰμ καὶ Ἰσαὰκ πρὸς τὸν Ἀβιμελὲχ ὁρκωμοσίας· οὐ χρὴ δὲ ταράττεσθαι ἐπὶ τῷ τὰς Ἰούδα λεγομένας πόλεις, τὰς αὐτὰς εὑρίσκεσθαι ταῖς Συμεὼν ἢ Βενιαμίν· Ἐπειδὴ γὰρ ἡ τοῦ Ἰούδα φυλὴ προκατῆρχεν ἐν τοῖς πολέμοις· εἰκότως αὐτῇ μὲν διὰ τὰ κατορθώματα ἡ τῆς χώρας ἐπεστρέφετο κτῆσις, ἐν δὲ τῇ διανομῇ τῶν κλήρων καὶ εἰς ἑτέρας μετεδίδοτο φυλάς· ἐπισημαίνεται δὲ σαφῶς ἡ γραφὴ ὅτι κατῴκησε Συμεὼν ἐν μέσῳ φυλῆς Ἰούδα.

EUSEBIUS.

initia habuere termini Judææ, qui extenduntur usque Dan, quæ est juxta Paneadem. Interpretatur autem Bersabee, a jurejurando Abraham & Isaac cum Abimelech inito. Non oportet porro turbari, quod quæ dicuntur civitates Juda, eædem inveniantur cum civitatibus Symeon seu Benjamin. Cum enim tribus Juda in bellis primum imperium obtinuerit, merito ad eam ob præclara facinora regionis possessio revertebatur. Est vero in distributione sortium, etiam in communionem cum cæteris tribubus veniebat: porro clare Scriptura significat habitasse Simeon in medio tribus Juda.

[1] *BESARAN, ad quem locum David prædæ partem misit.*

[6] Βωσασάν, ἔνθα ἀπέστειλε Δαβὶδ τῶν σκύλων.

BOSASAN, quo misit David partem prædæ.

BESECATH, urbs in tribu Juda, quæ alibi *Baschath* appellatur.

[2] *BESOR, torrens ad quem venit David.*

Βασώρ, χειμάῤῥους, ἔνθα ἦλθε Δαβίδ.

BASOR, torrens, quo venit David.

BESSUR, urbs in tribu Juda, Jos. xv. vers. 58. Vide infra BETSUR.

BETE, urbs Syriæ Soba, quam devicto Adarezer Rege Soba David expugnavit, magnaque inde spolia abstulit, 2. Reg. VIII. vers. 8.

BETEN, urbs in tribu Issachar, Jos. XIX. vers. 25.

[3] *BETH, in tribu Simeonis.*

[4] *BETHABARA, pro quo Symmachus transtulit in locis quæ juxta inhabitabilem sunt, significans eremum.*

[5] *BETHACHAD, vicus Sa-*

Βαιθακὰθ, τῆς Σαμαρείας, ἐν-

BATHACATH, vicus Sa-

---

N O T Æ.

[1] Loci nomen haud dubie est corruptum, legendum enim *Borasan*, sic enim in Hebræo vocatur locus, qui in versione nostra vocatur *Lacus Asan*, 1. Reg. 30. v. 30. Nomine autem *Laci* intellige cisternam vel foveam egesta terra effossam, qui forte non alius est ab ipsa urbe *Asan*, quod ea, utpote in monte sita collectis in cisterna aquis pluviis uteretur. Pro hac voce nunc fere apud Septuaginta Interpretes vitiosissime legitur *Bersabee*: solus Codex regius Βηρασὰν *Berasan* habet. BONFRERIUS.

[2] De hoc torrente habes, 1. Reg. 30. v. 9. 10. 21. cum David Amalecitas prædones persequeretur. Est autem in extremis Judææ ad Occidentem & Meridiem finibus inter Gazam & Rhinocoruram. IDEM.

[3] Nulla eo nomine in tribu Simeonis urbs legitur, Jos. 19. sed cum addito *Bethul*, & *Betklebaoth*. IDEM.

[4] Non dubium est in hac voce irrepsisse mendum, legendumque esse literarum transpositione *Betharaba*, id enim significat *domum solitudinis*, seu *domum deserti*: neque dubium est alludi ad Jos. 15. v. 6. 61. & Cap. 18. v. 22. ubi non tantum in Hebræo & Septuaginta, sed etiam in versione nostra tanquam nomen proprium habetur vox *Betharaba*, estque loci, imo urbis nomen in confinio tribus Judæ & Benjamin: unde & utrique tribui adscribitur, Jos. 15. v. 61. & C. 18. v. 22. & priore quidem loco dicitur esse in deserto; ubi nomine *deserti* intelligitur desertum & campestria Jericho, quorum fit mentio Jos. 5. v. 10. at 4. Reg. 25. v. 5. vocatur planities Jericho: alibi ut 2. Reg. 15. v. 28. & C. 17. v. 16. intelliguntur nomine campestrium deserti eadem campestria Jericho. Est alius locus *Bethabara* dictus, de quo nos dicemus in BETHANIA. IDEM.

[5] Diversimode apud Interpretes Septuaginta in diversis Codicibus legitur, *Bethacad*, *Bethacal*, *Bethachath*, 4. Reg. 10. v. 12. & 14. in Hebræo est בית עקד *Betheked*, quod Hebræi & Hebraice periti passim *domum tonstrinæ* interpretantur, nempe ubi tondebantur oves: Chaldæus Paraphrastes *domum congregationis* dixit: Hieronymus *cameram* vertit. Sed his omnibus adjungitur genitivus, *pastorum*; ut domus tonstrinæ pastorum, vel domus congregationis pastorum, vel camera pastorum sit locus, ad quem convenire solerent pastores seu tondendarum causa ovium, seu alia de causa. Tigurini *casam pastoralem* dixerunt. Est autem locus in quo Jehu fratres Ochoziæ jugulavit, quem in Samaria esse tum hic Hieronymus, tum Scriptura ibi supra v. 12. diserte indicat. Fuisse hujus vocis diversas lectiones indicant Aquilæ & Symmachi versiones: legit enim haud dubie Aquila mutata una literula בית עקל *Bethakal*, id enim significat *domum obliquationis*, *incurvationis*: at Symmachus mutatis duabus prioribus literis in alias affinis soni videtur omnino legisse ביתאחד *bethachad*, hoc est *domum unius* vel *singulorum*, quod Hieronymus de loci angustia interpretatur, ut singulis tantum introitus, idemque difficilis pateret. IDEM.

[6] Βωσασὰν) In Editione nupera Parisina, in verbis *Hieronymi*, legitur *Borasan*; an ex Codicibus MSS. nescio, nam sæpe *Hieronymus* vitiosas *Eusebii* lectiones sequitur. CLERICUS.

HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS.

*mariæ ad quem venit Jehu Rex Iſrael, qui in latiſſimo campo ſitus non amplius quindecim millibus a Legionis oppido ſeparatur: pro quo Aquila interpretatur domum curvantium, Symmachus domum ſingulorum, eo quod anguſtus & humilis introitus ſingulos tantum, & nec ipſos ſtantes ingredi ſuſtineret.*

θα ἦλθεν [7] Ἰού· κώμη ἀπέχουσα [8] τῆς λεγομένης, σημείοις ιέ ἐν τῷ μεγάλῳ πεδίῳ· Ἀκύλας, οἴκῳ κάμψεως· Σύμμαχος, οἴκῳ ἑκάστων.

mariæ quo venit Jehus vicus a dicta (Samaria) diſtans milliaribus quindecim, in magno campo (ſitus) Aquila vertit, in domo curvationis. Symmachus, domo ſingulorum.

BETHACHARAM, vel BETHACHAREM. 2. Eſdræ III. & Hierem. VI. vicus eſt in tribu Juda in monte poſitus inter Hieroſolymam & Thecuam, teſte Hieronymo ad Hierem. VI. ſignificat hæc vox domum vineæ.

[1] *BETHAGAN, via per quam Ochoziam fugiſſe legimus.*

Βαιθαγγάν, ὁδὸς δι' ἧς ἔφυγεν Ὀχόζίας.

BÆTHANGAN, via per quam fugit Ochozias.

[2] *BETHAGLA, tribus Juda. Eſt autem vicus euntibus Gazam de Eleutheropoli in decimo lapide, qui Agla appellatur: & alia villa* BETHAGLA *maritima in octavo a Gaza milliario.*

Βηθαλαίμ, κώμη ἐστὶ [9] σημεὶῳ Ἐλευθεροπόλεως κατιόντων ἐς Γάζαν, Ἄγλα καλουμένη. καὶ ἄλλη Βηθαλαὶμ ἀπὸ ή σημείων, παράλιος.

BETHALAIM, eſt vicus uno milliari diſtans Eleutheropoli deſcendentibus Gazam, dictus Alla. Item alius Bethalim in octavo lapide, maritimus.

[3] *BETHAGO, locus in quo duæ tribus Zabulon & Iſſachar habent confinia.*

Βηθφαγών, συνάπτει τῷ κλήρῳ Ζαβουλὼν καὶ Ἰσσάχαρ.

BETHPHAGON, contigua eſt ſorti Zabulon & Iſſachar.

[4] *BETHAIM, in tribu Benjamin juxta Gai & Bethel contra Machmas: licet plerique eandem putent eſſe Bethel.*

Βηθάν, φυλῆς Βενιαμίν, πλησίον τῆς [10] Γατοῦς καὶ Βεθὴλ ἔναντι Μάχμας.

BETHAN, tribus Benjamin prope Gaten & Bethel e regione Machmas.

[5] *BETHALLA, in tribu Benjamin.*

Βοηθαγλά, φυλῆς Βενιαμίν.

Bœthagla, tribus Benjamin.

[6] *BETHALON, in tribu*

N O T Æ.

[1] Hanc vocem *Bethagan* vel *Bethgan* legimus apud Septuaginta Interpretes, 4. Reg. 9. v. 27. ubi de fuga Ochoziæ agitur; eademque in Hebræo legitur בית הגן *Beth haggan*, quam Hieronymus appellative vertit *domus horti*. IDEM.

[2] Sic & in verſione noſtra addita adſpiratione *Bethagla* appellatur, Joſ. 15. & 18. Significatque hæc vox, *domum gyri*, ſeu *circuli*, quod in eo loco Ægyptii cum Joſepho exequias Jacob Patriarchæ celebrantes, plangendo funus circuierunt, Gen. 50. Idem nempe locus qui prius *Area Atad*, & poſtea ex illo funebri planctu dictus eſt, ut ibidem habetur, *Planctus Ægypti*. Vide ſupra in *Area atad*. Ponit autem hunc locum Hieronymus in tribu Juda; at videtur potius reponendus in tribu Benjamin, cum inter urbes tribus Benjamin recenſeatur, Joſ. 18. v. 21. non autem inter urbes tribus Juda, Joſ. 15. etſi ex iiſdem capitibus omnino ſtatuendum ſit in confinio utriuſque tribus fuiſſe. Quæ deinde de *Agla*, vel *Bethagla*, adduntur juxta Gazam, vel in via qua Gazam itur ad *Bethagla*, cujus in Scriptura fit mentio, nihil pertinent: erat enim *Bethagla*, Joſ. 15. & 18. locus non procul Jordane. BONFRERIUS.

[3] Nullus ejuſmodi locus in deſcriptione tribus Zabulon vel Iſſachar legitur, Joſ. 19. Crediderim non pauca hic male expreſſa, imprimiſque ipſum nomen proprium, & pro *Bethago* reponendum eſſe *Bethdagon*, qui tamen locus non eſt in confinio tribus Zabulon & Iſſachar, ſed in confinio Zabulon & Aſer, & juxta montem Carmelum, Joſ. 19. v. 27. IDEM.

[4] Mihi non dubium eſt eum locum ſignificari, qui in verſione noſtra vocatur *Bethaven*, cujus fit mentio in deſcriptione terminorum tribus Benjamin, Joſ. 18. v. 12. ubi varii Codices Septuaginta varie hoc nomen exhibent βαιθών, βαιθαῦν, βαιθαμύν. Advertendum tamen ibi non ſimpliciter *Bethaven* dici, ſed *ſolitudinem Bethaven*, a loco tamen haud dubie vicino. Legimus quoque *Bethaven* loci nomen, 1. Reg. 13. v. 5. & c. 14. v. 23. a quo an ſolitudini illi nomen factum ſit merito in dubium revocari poteſt, cum *ſolitudo Bethaven*, utpote vicina Bethel, videatur Gabaæ & Machmis Orientalis fuiſſe, illa vero *Bethaven* videatur iiſdem urbibus fuiſſe ad Occidentem, ſed de hac re nos ad 1. Reg. 13. plura. Addendum quoque hic apud Oſee Prophetam *Bethel*, in qua Hieroboami vitulus adorabatur, vocatam fuiſſe *Bethaven*, quod ratione iſtius idololatriæ hoc nomen poſterius e vicina ſumtum melius ipſi conveniret; *Bethel* enim domum Dei ſignificat; *Bethaven* domum iniquitatis, vel idoli. IDEM.

[5] Nullus hujuſmodi locus in tribu Benjamin legitur, ut mirum ſit hæc nomina in multis ita eſſe depravata. Crediderim non alium ſignificari locum, quam Bethel, qui & in tribu Benjamin reponitur, Joſ. 18. qua de re paulo poſt plura in *Bethel*. IDEM.

[6] Neque hæc vox legitur inter loca tribus Benjamin, neque ut hic ſcribitur ſignificare poteſt, *in campeſtribus*, ut proinde neceſſe ſit vocem eſſe omnino depravatam. IDEM.

[7] Ἰού) Sic recte emendavit *onſrerius*, pro Ἰούδας, quod erat in MS. Codice. IDEM.

[8] Τῆς λεγομένης) Mirum eſt eumdem virum doctiſſimum non vidiſſe ex *Hieronymo* hic legendum eſſe τῆς Λεγεῶνος, quod nomen eſt notiſſimæ urbis Palæſtinæ; cum alia manifeſta exemplaris ſui vitia recte emendarit, ut liquet ex *Martianæi* editione. IDEM.

[9] Σημεὶῳ) Recte notavit *Martianæus*, pro hac voce, legendum ex *Hieronymo* Σημείοις ί. Deinde pro Βηθαλαὶμ, legendum ſaltem Βηθαγλαὶμ, ut accedat ad veram appellationem Βηθαγλά. Tandem pro ἀπὸ ή σημείων legendum ἀπὸ Γάζης ή σημείων. CLERICUS.

[10] Γαὶ pro Γατοῦς legendum. BONFRERIUS.

1 Ne-

| HIERONYMUS. | ΕΥ͗ΣΕ΄ΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
| --- | --- | --- |
| *Benjamin, pro qua Symmachus interpretatur in campeſtribus.* | | |
| [1] *BETHALOTH, in tribu Juda.* | Βηθαλὼθ, φυλῆς Ι᾿ούδα. | BETHALOTH, tribus Juda. |
| [2] *BETHAMNARAM, trans Jordanem: quam ædificavit tribus Gad. Eſt hodieque villa Bethamnaris in quinto a Libiade milliario contra Aquilonem.* | Βηθναβρὰν, πέραν τοῦ Ι᾿ορδάνȣ, ἣν ὠκοδόμησε φυλὴ Γὰδ, καὶ ἔστι νῦν κώμη Βηθναβρὶς, ὡς ἀπὸ σημείων ε´ Λιβιάδος, ἐν βορείοις. | BETHNABRAN, ultra Jordanem, quam extruxit tribus Gad, & eſt modo vicus Bethnabris quaſi in quinto lapide a Libiade in plaga Septentrionali. |
| [3] *BETHANA, in tribu Nephtalim: & eſt villa nomine Bathanea in quintodecimo a Cæſarea lapide: in qua dicuntur lavacra eſſe ſalubria: quam & ſupra ſub nomine Anee poſuimus.* | Βηθαναθὰ, φυλῆς Νεφθαλείμ· ϗ ἔστι κώμη Βατναναία ἀπὸ ιε´ σημείων Καισαρείας, ἐν ᾗ λέγεται εἶναι λȣτρὰ ἰάσιμα· κεῖται δὲ ϗ ἀνωτέρω Α᾿ναιά· | BETHANATHA, tribus Nephtali. Eſt item vicus Batanæa in decimo quinto milliario Cæſareæ, in quo dicuntur eſſe lavacra ſalubria. Extat & ſuperius Anæa. |

BETHANAN. 3. Reg. IV. verſ. 9. ubi fuerit aliquantulum obſcurum eſt; ex adjunctis tamen urbibus ſatis colligitur fuiſſe in confinio duarum tribuum Judæ & Dan, & in harum tribuum altera. Significat autem *Bethanan*, *domum gratiæ*, vel *miſericordiæ*.

BETHANATH. Vide BETHANA.

| | | |
| --- | --- | --- |
| [4] *BETHANIA, villula in ſecundo ab Ælia milliario in latere montis Oliveti: ubi Salvator noſter Lazarum ſuſcitavit: cujus monumentum Eccleſia nunc ibidem exſtructa demonſtrat.* | | |

BETHANOTH. Vide BETHALOT.

| | | |
| --- | --- | --- |
| [5] *BETHAPHU, in tribu Juda vicus trans Raphaim millibus quatuordecim euntibus Ægyptum, qui eſt terminus Palæſtinæ.* | Βηθτάφȣ, φυλῆς Ι᾿ούδα, κώμη ἐπέκεινα [7] Ρ῾ουφίας σημείοις ιδ´ εἰσιόντων εἰς Αἴγυπτον, ἣ καὶ ὅριόν ἐστι Παλαιστίνης [8] Ρ῾αβά. | BETHTAPHU, tribus Juda, vicus trans [9] Ruphiam in decimo quarto lapide ingredientibus Ægyptum, qui etiam eſt terminus Palæſtinæ Raba. |

BETHAPHUA. Vide BETHALOT.

| | | |
| --- | --- | --- |
| [6] *BETHARA, quod inter-* | Βεθηρά, ὕδωρ ὃ προκατέλαβε- | BETHBERA, aqua quam |

N O T Æ.

[1] Neque hæc vox ſincera eſt, ſed *Bethmoth* legendum, quam urbem in tribu Juda reperies, Joſ. 15. v. 59. Significat autem hæc vox *domum humiliationum*, ſeu *afflictionum*. IDEM.

[2] Neque vox hæc plane incorrupta eſt; *Bethnamra*, vel *Bethanamra*, habent meliores Codices Septuaginta Interpretum, Num. 32. & Joſ. 15. Noſtra verſio *Bethnemra* appellat. Significat autem hæc vox, *domum Pantheræ*. IDEM.

[3] *Bethanath* in verſione noſtra appellatur, Joſ. 19. v. 38. Significat hæc vox *domum paupertatis*. Pro *Anee*, quod vitioſum eſt, vide *Aniel*, quod & ipſum parum ſincerum eſt. IDEM.

[4] In Evangelio Joannis c. 11. v. 18. dicitur *Bethania abeſſe Hieroſolymis quaſi ſtadiis quindecim*, cui Hieronymus hic congruit, ſtadia enim ſexdecim duo milliaria efficiunt. Eſt & alius locus trans Jordanem *Bethania* dictus, ubi Joannes Baptiſta baptizabat, Joannis 1. v. 28. Si tamen mendo locus caret: multis enim ſubolet mendum irrepſiſſe, & pro *Bethania* legendum eſſe *Bethabara*. Ita enim fere recentiores omnes, ita antiqui non pauci legerunt, aut legendum eſſe putarunt Origenes, Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius, Epiphanius; neque dubito idem ſenſiſſe lib. hoc de locis Hebr. Hieronymum, licet pro *Bethara* paulo poſt mendoſe legatur *Bethbaara* literæ unius tranſpoſitione. Significat autem *Bethabara*, *domum tranſitus*; videtur enim is locus fuiſſe ubi Iſraelitæ Jordanem ſicco pede tranſierunt. *Bethania* autem ſignificat *domum humilitatis*. IDEM.

[5] Nunc apud Septuaginta Interpretes in melioribus Codicibus legitur *Bethaphua*, vel *Beththaphut*: in verſione noſtra *Beththaphua*, Joſ. 15. v. 53. Porro per *Raphaim*, hic, quantum arbitror, intelligit vallem Raphaim, quæ Hieroſolymitanæ urbi ad Occidentem erat proxima. Significat autem *Beththaphua*, *domum pomi*. BONFRERIUS.

[6] Et hæc vox corrupta eſt, in Hebræo *Bethbara* legitur, in verſione noſtra *Bethbera*, quomodo etiam habent Codices Septuaginta Interpretum emendatiores, Judic. 7. v. 24. Significat autem *Bethbera* vel *Bethbara*, *domum comeſtionis*, non *domum aquæ*: poſſet tamen ſignificare *domum putei*, ſi in Hebræo א interpoſito בית בארה *Bethbeera* legeretur.

[7] Ρ῾ουφίας.) Legendum hic eſt Ρ῾αφίας, quæ urbs fuit ad auſtrum Judææ, qua Ægyptus adiri ſolebat. De qua urbe, quoniam non *Martianæo* tantum, ſed etiam *Bonfrerio* nota non fuit, teſtimonia nonnulla Veterum adferre ſupervacuum non erit. *Strabo* Lib. XVI. p. 522. Ed. Genevenſis, in deſcriptione littoris Palæſtinæ, Ægyptum verſus: Μετὰ δὲ Γάζαν Ρ῾αφία, ἐν ᾗ μάχη συνέβη Πτολεμαίῳ τε τῷ τετάρτῳ, καὶ Α᾿ντιόχῳ τῷ μεγάλῳ; *Gazam ſequitur Raphia, ubi Ptolemæus quartus cum Antiocho Magno depugnavit*. *Plinius* Hiſt. Nat. Lib. V. c. 13. *Rhinocoluri & intus Raphea, Gaza* &c. ad quem locum vide notata a *Joanne Harduino*. *Ptolemæus* etiam ibidem *Raphiam* collocat Lib. V. c. 16. Meminerunt etiam nonnullæ Conciliorum ſubſcriptiones Epiſcoporum Raphiæ. Vide *Car. a S. Paulo*, in deſcriptione Patriarchatus Hieroſolymitani. Nemo; niſi fallor, dubitabit quin rem acu tetigerimus, cum Raphia fuerit finis Palæſtinæ ad Ægyptum. Itaque & apud *Hieronymum*, pro *Raphaim* legerim *Raphiam*, metatheſi unius literulæ; nam quamvis *vallis Raphaim* dicatur, tamen ea vallis ſimpliciter *Raphaim* dici non ſolet. CLERICUS.

[8] Ρ῾αβά) Recte *Martianæus* monuit pertinere hanc decurtatam voculam ad *Betharaba* quod ſequebatur, eſtque etiamnum apud *Hieronymum*. Itaque delenda eſt, donec melius *Euſebii* inveniatur exemplar, ex quo lacuna ſuppleatur. IDEM.

[9] *Raphaim* lege pro *Raphiam*. BONFRERIUS.

| HIERONYMUS. | ΕΥ'ΣΕ'ΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| *pretatur domus aquæ sive putei, quum in expeditione bellandi occupavit Gedeon.* | τὸ Γεδεών. | præoccupavit Gedeon. |
| [1] *BETHARABA, in tribu Juda.* | | |
| [2] *BETHARAM, civitas tribus Gad juxta Jordanem: quæ a Syris dicitur Bethramtha, & ab Herode in honore Augusti Libias cognominata est.* | Βηθραμφθά, [7] παρ' Ἀσσυρίοις· αὕτη δὲ ἐστὶν ἡ καλουμένη Λιβιάς. | BETHRAMPHTHA, apud Assyrios: hæc autem est quæ vocatur Libias. |
| [3] *BETHARAN, trans Jordanem, quam ædificavit tribus Gad.* | | |
| [4] *BETHASEPTA, ubi terga vertit Madian.* | | |

BETHAVEN. Vide BETHAIM.

BETHAZMOTH, 2. Esdræ VII. vers. 29. in qua tribu fuerit ægre definias, cum alibi nusquam ejus fiat mentio: ex adjunctis tamen urbibus satis liquet vel in tribu Juda vel Benjamin fuisse, malim in tribu Benjamin, nam eadem plane videtur, quæ alibi in iisdem libris Esdræ appellatur *Azmaveth*, de qua vide in voce *Azmaveth*.

| HIERONYMUS. | ΕΥ'ΣΕ'ΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [5] *BETBAARA, trans Jordanem ubi Joannes in pœnitentiam baptizabat: unde & usque hodie plurimi de fratribus, hoc est de numero credentium, ibi renasci cupientes vitali gurgite baptizantur.* | Βηθααβαρά, ὅπου ἦν Ἰωάννης βαπτίζων πέραν τοῦ Ἰορδάνου· καὶ δείκνυται ὁ τόπος, ἐν ᾧ καὶ πλείους τῶν ἀδελφῶν, εἰς ἔτι νῦν τὸ λουτρὸν φιλοτιμοῦνται λαμβάνειν. | BETHAABARA, ubi erat Joannes baptizans trans Jordanem, & ostenditur ille locus, in quo plures e fratribus usque hodie ambitiose certant lavacrum accipere. |

BETHBERA. Vide *Bethara*. Alibi 1. Paral. IV. vers. 31. *Bethberai* appellatur, si tamen *Bethberai* eadem sit cum *Bethbera*, quod non existimo; siquidem *Bethbera* videtur fuisse viculus in tribu Benjamin non procul Jordane; *Bethberai* urbs in tribu Simeonis. Adde in Hebræo quoad scriptionem nonnullam esse utriusque vocis diversitatem.

BETHBERAI, Vide BETHBERA proxime.

BETBESSE, 1. Machab. IX. vers. 62. 64. urbs in deserto, in qua se Jonathas & Simon adversus Bacchidem communiverunt. Quodnam autem desertum significetur obscurum est: existimo tamen desertum Jericho significari: nam & Josephus eam urbem *Bethalagam* vocat, pro quo credo *Bethaglam* scripsisse, quam satis constat in solitudine Jericho fuisse.

BETHCHAR. Vide BETHCUR proxime.

| HIERONYMUS. | ΕΥ'ΣΕ'ΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [1] *BETHCUR, usque ad hunc locum populus Israel fugientes persecutus est alienigenas, appellans eum lapidem adjutorii.* | Βηθχώρ, ἔνθα κατεδίωξεν ὁ λαὸς τοὺς ἀλλοφύλους· καὶ ἐκλήθη λίθος τοῦ βοηθοῦ. | BETHCHOR, ubi persecutus est populus alienigenas: & vocatus est lapis adjutoris. |

NOTÆ.

[1] De hac supra egimus in *Bethabara*: corrupte enim apud Septuaginta in quodam loco *Bethabara* scribitur; *Betharaba*, quod alio loco legitur, sincerum est. IDEM.

[2] De hac proxime. IDEM.

[3] Eadem urbs est quæ a Septuaginta Interpretibus, Jos. 13. v. 27. *Betharam* appellatur, & quæ Num. 32. v. 36. ab iisdem *Betharan* dicitur; quod utrumque cum Hebræo consentit, nam Jos. 13. per ם in fine scribitur, Num. 32. per ן Utrobique in versione nostra *Betharan* nominatur. Significat autem *Betharan*, *domum conceptionis*; *Betharam*, *domum conceptionis eorum*. IDEM.

[4] Mendum est in hac voce, legendum enim *Bethasetta*, ut meliores castigatioresque habent Codices Septuaginta Interpretum, quodque respondet voci Hebrææ: in versione nostra dicitur *Bethsetta*, Judic. 7. v. 23. Significat autem hæc vox *domum spinæ*, vel potius arboris cujusdam nobis incognitæ, Judæis familiaris, ex cujus lignis fabricatum est tabernaculum fœderis, quæ *ligna Sethim* in Scriptura appellantur. IDEM.

[5] De hoc loco supra egimus in *Bethania*, ubi diximus videri hic mendum in transpositione literarum, reponendumque *Bethabara* pro *Bethbaara*. IDEM.

[6] In codicibus Septuaginta Interpretum *Bethchor* legimus; in versione nostra *Bethchar*, 1. Reg. 7. v. 11. Hic locus videtur fuisse in tribu Juda, erat enim juxta lapidem adjutorii, ut asserit ibi Scriptura. Lapis autem adjutorii seu Abenezer erat in tribu Juda, quod ex duobus colligitur: nam lapis adjutorii erat vicinus Aphec, 1. Reg. 4. v. 1. Erat autem Aphec in tribu Juda. Idem lapis ille erat vicinus Bethsames, ut asserit Hieronymus in *Abenezer*: Bethsames vero constat fuisse in tribu Juda. Varia autem potest *Bethchar* significare, vel *domum fovearum*, vel *domum pascuorum*, vel *domum agni*. BONFRERIUS.

[7] Παρ' Ἀσσυρίοις) Legendum, ut bene *Martianaus*, παρὰ Συρίοις, ex *Hieronymo*. Vide eum ad hanc vocem. IDEM.

S. HIERONYMUS. — ΕΥΣΕΒΙΟΣ. — EUSEBIUS.

[1] BETHDAGON, *in tribu Juda: sed & usque hodie grandis vicus Capherdago inter Diospolim & Jamniam, demonstratur.*

Βηδαγὼν, φυλῆς Ἰούδα, καὶ ἔστι νῦν κώμη μεγίστη Παραδαγὼν μεταξὺ Διοσπόλεως καὶ Ἰαμνίας.

BEDAGON, tribus Juda; & est hodie vicus maximus Paradagon inter Diospolim & Jamniam.

[2] BETHEL, *vicus in duodecimo ab Ælia lapide ad dexteram euntibus Neapolim, quæ primum Luza, id est amygdalum, vocabatur; & cecidit in sortem tribus Benjamin juxta Bethan & Gai, quam expugnavit Jesus Rege illius interfecto.* [3] *Porro quod quidam putant secundum errorem Græcorum voluminum Valaumaulas antiquitus nuncupatum, vehementer errant. Verbum quippe Hebræum, & nomen ipsius civitatulæ pariter miscuerunt, cum Ullam significet prius, id est* πρότερον: *Luza vero amygdalum, & sit sensus: vocabatur autem Bethel prius Luza: Necnon & hoc quod Bethaven aliud oppidum suspicantur, Hebræi putant eandem esse Bethel. Sed ex eo tempore quo ibi ab Hieroboam filio Nabat vituli aurei fabricati sunt, & a decem tribubus adorati vocatum esse Bethaven, id est domum idoli, quæ ante vocabatur domus Dei. Sed & super hoc in libris Hebraicarum quæstionum plenius diximus.*

Βαιθὴλ, καὶ νῦν ἔστι κώμη Αἰλίας ἄποθεν, σημείοις ιβʹ· ἡ δὲ πρότερον ἐκαλεῖτο καὶ Λουζὰ, ἣ γέγονε φυλῆς Βενιαμὶν, πλησίον Βηθῆς [5] τῆς καὶ Νεφθαλεὶμ καὶ τῆς Γαί· καὶ ταύτην δὲ Ἰησοῦς ἐπολιόρκησε, τὸν Βασιλέα αὐτῆς ἀνελών.

BÆTHEL, etiam nunc est vicus procul Ælia duodecim milliaribus. Is autem antea vocabatur Luza, qui fuit tribus Benjamin juxta Bethan terræ Nephthali & Γαὶ, & hanc Jesus expugnavit rege illius interfecto.

[4] BETHEMECH, *quod interpretatur Symmachus locum vallis, est autem sortis Aser.*

Βηθεμὲκ, εἰς τὴν κοιλάδα κλήρου Ἀσήρ.

BETHEMEC, ad vallem sortis Aser.

BETHER, Cantic. II. vers. 17. (ita enim legendum, non *Bethel*,) seu *montes Bether* accipine debeat ut nomen proprium, an ut appellativum, merito ambigitur. Non pauci vertunt *montes divisionis*, id enim Hebræa vox *Bether*, significat, seu ut Interpretes Septuaginta vertere, ὄρη κοιλωμάτων, *montes cavitatum*, non *civitatum*, ut in Flaminii versione habetur: neque legendum κυκλωμάτων, *circuitionum*, ut habet Aldinus & Basileensis Codex. *Montes* por-

---

NOTÆ.

[1] De hac habes, Jos. 15. v. 41. Significat autem *Bethdagon*, *domum Dagonis*: erat autem *Dagon* Philisthæorum Deus. Porro *Capherdago* significat *villam Dagonis*. Si autem, ut insinuat hic Hieronymus, *Bethdagon* is locus fuerit, qui postea *Capherdago* dictus est, satis liquet hanc urbem Philisthæis vicinam fuisse, cum Diospolis, seu Lydda, & Jamnia urbes essent in confinio vel in ipsis finibus Philisthæorum, ut ex iis quæ de his urbibus infra dicentur, constabit. Quocirca credibile est ita appellatam hanc urbem, quod in ea fanum Dagonis fuisset, ejusque in ea cultus viguisset. Est & altera *Bethdagon* in tribu Aser, Jos. 19. v. 27. Quin & *Bethdagon*, 1. Machab. 10. v. 83. sumitur pro ipso Dagonis fano, quod erat in Azoto. IDEM.

[2] *Bethel*, hoc est, *domus Dei*, nominatissima in Scripturis civitas, nomen accepit a Jacob Patriarcha post illam illustrem visionem scalæ a terra ad cœlos usque pertingentis, Gen. 28. v. 19. Habuit autem vicinas civitates *Bethaven* & *Hai*, quas hic *Bethan* & *Gai* appellat. Fueritne *Bethel* in tribu Benjamin an Ephraim; aut etiam an gemina fuerit, una in tribu Benjaminina, altera in Ephraimitica disputavimus ad eum locum, Gen. 28. v. 19. in eoque tandem acquievimus duo fuisse loca vicina, *Luzam* urbem, quæ & postea *Bethel* vel *Bethelluza* conjunctis vocibus dicta est, & *Bethel* locum, in quo visionem illam Jacob habuit, ab eoque nomen illud accepit; & *Bethel* quidem visionis locum, fuisse in tribu Benjamin, urbem vero eamque unicam in tribu Ephraim potius videri reponendam, licet in utriusque tribus confinio, quæ tamen a vicino loco illustriore appellationem communicatione nominis acceperit. IDEM.

[3] *Porro quod quidem putant &c.*) Vide quæ diximus hac de re Quæst. Hieronymianarum v. 8. CLERICUS.

[4] De hac habes, Jos. 19. v. 27. Ea vero *Bethemec* sine adspiratione in fine in versione nostra scribitur. Corrupte nomen proprium *Bethleem* apud Eusebium exprimitur. BONFRERIUS.

[5] Illud τῆς καὶ Νεφθαλεὶμ omnino superfluit, planeque a veritate abit, cum Bethel a tribu Nephtalim abesset quam longissime. IDEM.

[1] De

HIERONYMUS. ΕΥΣΕΒΙΟΣ. EUSEBIUS.

ro *Bether*, seu *divisionis*, aut *cavitatum* dicuntur montes abrupti & inæquales, quarum pars a parte dissecta est relictis in medio cavitatibus petris hinc inde prominentibus, cujusmodi montes nonnisi magna difficultate ab hominibus adeuntur, capreæ vero & cervorum hinnuli celerrime inoffenso corpore transiliunt.

[1] *BETHESDA, piscina in Hierusalem quæ vocabatur* προβατικὴ, *& a nobis interpretari potest pecualis, hæc quinque quondam porticus habuit, ostenduntur que gemini lacus, quorum unus hybernis pluviis adimpleri solet, alter mirum in modum rubeus, quasi cruentis aquis antiqui in se operis signa testatur. Nam hostias in eo lavari a sacerdotibus solitas ferunt, unde & nomen accepit.*

Βηζαθά. κολυμβήθρα ἐν Ἱερουσαλὴμ, ἥτις ἐστὶν ἡ προβατικὴ, τὸ παλαιὸν πέντε στοὰς ἔχουσα· καὶ νῦν δείκνυται ἐν ταῖς αὐτόθι λίμναις διδύμοις· ὧν ἑκατέρα μὲν ἐκ τῶν κατ᾽ ἔτος ὑετῶν πληροῦται· θατέρα δὲ παραδόξως πεφοινιγμένον δείκνυσι τὸ ὕδωρ, ἴχνος, ὥς φασι, φέρουσα τῶν πάλαι καθαιρομένων ἐν αὐτῇ ἱερείων. παρ᾽ ὃ καὶ προβατικὴ καλεῖται διὰ τὰ θύματα.

BEZATHA, piscina Hierosolymis, quæ est Probatica, olim quinque porticus habens. Et nunc ostenditur ibidem in geminis stagnis: quorum alterum quidem annuis imbribus repletur: alterum vero mire rubentem prodit aquam, vestigium, ut ajunt, ferens earum, quæ olim in ea mundabantur, hostiarum; a quo & Probatica (seu pecualis) ob sacrificia vocatur.

[2] *BETHFALI, in tribu Juda.*

Βελφαλὲ, ἡ καὶ Μεθελὲ, φυλῆς Ἰούδα.

BETPHALI, quæ & Metheli, tribus Juda.

[3] *BETHFOGO, urbs filiorum Ruben trans Jordanem juxta montem Fogor contra Hiericho sex millibus supra Libiadem.*

Βεθφογὸρ, πέραν τοῦ Ἰορδάνου, πόλις υἱῶν Ῥουβὶν πλησίον τοῦ Φογὼρ ὄρους, ἀπέναντι Ἱεριχὼ, ἀνωτέρω Λιβιάδος σημείοις ϛ᾽.

BETHPHOGOR, ultra Jordanem civitas filiorum Ruben, juxta montem Phogor, contra Hiericho, sex millibus supra Libiadem.

BETHGAMUL. Hierem. XLVIII. vers. 23. oppidum Moabitarum trans Jordanem.

BETHHAGLA. Vide supra BETHAGLA.

BETHIESIMOTH, & nonnulla contractione *Bethsimoth*, civitas fuit tribus Ruben trans Jordanem in campestribus Moab, Jos. XIII. vers. 20. Significat hæc vox *domum solitudinis*. Eam videtur infra indicare voluisse Eusebius nomine *Bethsimuth*: sed illud mirum, quod eam ad meridianam plagam urbis Jericho constituat, cum potius videatur ad Orientalem plagam ejusdem urbis fuisse. Infra tamen ad vocem ISIMOTH videtur indicare Eusebius se nomine *Bethsimuth* intellexisse desertum illud, quod in versione nostra vocatum est *Jesimoth*, 1. Reg. XXIII. in quo David Saulem fugiens delituit: verum illud Davidis desertum nusquam ne apud Septuaginta quidem Interpretes reperias appellatum *Bethsimuth*, vel *Bethjesimoth*. *

[4] *BETLABAOTH, in tribu Simeonis.*

Βηραμμὼθ, κλήρου Συμεών.

BERAMMOTH, sortis Symeon.

BETHLEBAOTH. Vide BETHLABAOTH proxime.

[5] *BETLEHEM, civitas David in sorte tribus Judæ, in*

Βηθλεὲμ φυλῆς Ἰούδα, Αἰλίας ἀποθεν σημείοις ϛ᾽ πρὸς τὰ νότια,

BETHLEEM, tribus Juda, procul Ælia sex milliaribus

* Si multa Hieronymus prætermittit, ac multa insuper addit: pugnantia igitur docet Clericus cum ait sæpe Hieronymum vitiosas Eusebii, lectiones sequi.

N o t æ.

[1] De Probatica piscina habes, Joan. 5. in quam, aqua ab Angelo mota, qui primus ægrorum descenderet sanus fiebat a quacumque detineretur infirmitate. Joannes ibid. v. 1. dicit hanc piscinam Hebraice (hoc est Syriace, nam vox terminationem habet Syriacam) cognominatam esse nisi quid mendi subsit, *Bethsaida*, quod significat *domum venationis* aut *piscationis*: verum meliorum auctorum sententia est, imprimisque Hieronymi, hic legendum esse *Bethesda* pro *Bethsaida*: nam & Græci Codices *Bethesda* habent, & nonnulli Latini, uti & versio Syriaca. Quid autem significet *Bethesda* non una est sententia, & vero definiri id non potest nisi de Hebraica scriptione constet. Syriaca versio ביתחסדא *Bethchesda* per ח exprimit, significatque *domum misericordiæ*. Alii per א, scribi volunt, significarique *domum effusionis*, quod in eam aquæ templi effunderentur. אשד *esched* enim *effusio* est. Bonfrerius.

[2] Corrupta est haud dubie hæc vox, pro qua in versione nostra & in correctioribus Septuaginta Interpretum Codicibus legimus *Bethpheleth*, Jos. 15. v. 27. Significat autem hæc vox *domum evasionis*. Idem.

[3] Addenda huic voci in fine litera (r) & legenda *Bethfogor*, in nostra versione *Bethfogor* dicitur, Jos. 13. v. 20. urbs est trans Jordanem, Rubenitis attributa. Nomen habuit ab idolo fœdissimo Phogor, seu Beelphegor, qui idem & Priapus censetur, quem ibi aliquando Moabitæ coluerant. Idem.

[4] In nostra versione *Bethlebaoth* appellatur, Jos. 19. v. 6. Significat hæc vox *domum leænarum*. Idem.

[5] Alii, quod in idem redit, duas leucas ab Ælia seu Hierosolyma usque *Bethlehem* ponunt. Illud mirum hic Hieronymum dicere *sepulchrum David in Bethlehem ostendi*; cum e Scriptura constet eum non in *Bethlehem*, sed Hierosolymis in civitate David esse sepultum, 3. Reg. 2. v. 10. & 2. Esdræ 3. v. 16. aperte sepulchrum David Hierosolymæ fuisse indicatur. Eadem *Bethlehem*, quod *domum panis* significat alio nomine *Ephrata*, quod *ubertatem* sonat, dicta fuit: sed Ephrata antiquum nomen fuit, ut liquet e Genesi; *Bethlehem* nomen est recentius inditum, ut credi potest, a Bethlehem filio viri Ephratæ, cujus fit mentio 1. Paral. 2. & 4. Idem.

HIERONYMUS.

*qua Dominus noster atque Salvator natus est in sexto milliario ab Ælia contra meridianam plagam, juxta viam quæ ducit Chebron, ubi & sepulchrum Jesse & David ostenditur, & mille circiter passibus procul turris Ader, quæ interpretatur turris gregis, quodam vaticinio pastores Dominicæ nativitatis conscios ante significans; sed & propter eandem Bethlem regis quondam Judææ Archelai tumulus ostenditur, qui semitæ ad cellulam nostram e via publica divertentis principium est. Vocabatur autem Bethlehem, & filius Ephratæ, id est Mariæ, ut in Paralipomenon plenius legimus. Lege diligenter historiam.*

ΕΥ'ΣΕ'ΒΙΟΣ.

ἐπὶ τὴν φέρουσαν εἰς Χεβρὼν ὁδὸν, ἔνθα [5] τὸ μνῆμα Ἰεσσαὶ καὶ Δαβὶδ δείκνυται· ἐκαλεῖτο δὲ Βηθλεὲμ καὶ ὁ υἱὸς τοῦ Εὐφραθὰ, ὡς ἐν παραλειπομένοις.

EUSEBIUS.

contra meridianam plagam, juxta viam quæ ducit Chebron, ubi monumentum Jessæ & David ostenditur. Vocabatur autem Bethleem filius Euphratæ, ut est in Paralipomenis.

[1] *BETHLEHEM, in tribu Zabulon, ad cujus distinctionem altera Bethlehem appellatur Judæ.*

Βηθλεὲμ, κλήρου Ζαβουλὼν. Ἑτέρα ἐστὶν αὕτη τῆς Ἰούδα.

BETHLEEM, sortis Zabulon: Alia hæc est ab illa Judæ.

BETHMAACHA. Vide proxime BETHMACHA.

[2] *BETHMACHA, usque ad hanc persecutus est Joab perduellem Sabæ, & post hæc eam ab Assyriorum Rege captam legimus. Est autem ascendentibus de Eleutheropoli Æliam in octavo lapide, nunc villa, quæ Mechanum dicitur.*

BETHMAON, Hierem. XLVIII. vers. 23. Moabitarum urbs fuit trans Jordanem, eademque verisimiliter cum *Baalmeon*. Neque obstat quod *Baalmeon* fuerit tribus Ruben: tota enim illa regio, quam tribus Ruben possedit, fuerat Moabitarum, sed inde pulsi fuerant ab Amorrhæis; eandemque regionem videntur rursum Moabitæ possedisse translatis in Assyrios decem tribubus: hinc plures urbes, quæ antea Israelitarum fuerant, Hesebon, Jazer, Dibon, Nabo, Medaba, Cariathaim, Jasa, Mephaath, Sabama, ibi apud Hieremiam Moabitis adscribuntur: Significat *Bethmaon* domum habitationis.

BETHMARCHABOTH. Vide in ARMAKABOB.

[3] *BETHNATH, in sorte tribus Nephthalim. Sed nec de hac pristinos accolas tribus Nephthalim valuit expellere.*

Βαθμὰ, κλήρου Νεφθαλεὶμ. οὐδὲ ταύτης ἐξῆρε τοὺς ἀλλοφύλους.

BATHMA, sortis Nephthali: neque de hac expulit alienigenas.

[4] *BETHNEMRA, urbs tribus Gad juxta Libiadem trans Jordanem.*

Βηθνεμρὰ, πέραν τοῦ Ἰορδάνου πόλις φυλῆς Γὰδ, πλησίον Λιβιάδος.

BETHNEMRA, ultra Jordanem, civitas tribus Gad prope Libiadem.

---

NOTÆ.

[1] De hac habes, Jos. 19. v. 15. BONFRERIUS.

[2] Ea non absolute *Bethmacha* vel *Bethmaacha*, sed *Abela Bethmaacha*, vel *Abel domus Maacha* appellatur, ut nos supra in *Abela Bethmaacha* tetigimus. Eam Eusebius vel Hieronymus in via ponit, qua ascenditur de Eleutheropoli Æliam, atque adeo in tribu Juda; at ego nullo modo existimo ibi collocari posse, sed debere in altera totius Judææ parte constitui, nempe in tribu Nephthali, quemadmodum ego pluribus ad eum locum, qui hic tangitur, ubi refertur quomodo *Joab Sebam persecutus sit usque ad Abela Bethmaacha*, 2. Reg. 20. v. 14. conabor adstruere. IDEM.

[3] Eadem est hæc cum *Bethana* & *Bethanath*, de quibus supra egimus. Quod autem hic tangitur *de non deletis ejus urbis accolis a Nephthalitis*, habes Judic. 1. v. 33. IDEM.

[4] De hac & Hieronymus supra egit, & nos cum illo in voce *Bethamnaram*. IDEM.

[5] Τὸ μνῆμα Ἰεσσαὶ καὶ Δαβὶδ δείκνυται) *Martianæus Hieronymum* defendit, deserto *Eusebio*, vultque *Hieronymum* sepulcrum Davidis dixisse ostendi Bethlehemi, non quod ita senserit, sed tantum quia *Eusebius* sic scripserat. Quanto satius fuerat talia ab *Hieronymo* prætermitti, qui tam multa cæteroquin addit, ac detrahit? CLERICUS.

HIERONYMUS.

[1] *BETHORON, ad quam usque inimicos persecutus est Reges Jesus: quæ cecidit in sortem filiorum Joseph, id est Ephraim: sunt autem duo vici in duodecimo ferme ab Ælia lapide Nicopolim pergentibus, e quibus propter situm unus dicitur Bethoron superior, quem ædificavit Salomon, & alius Bethoron inferior datus Levitis in possessionem.*

ΕΥΣΕΒΙΟΣ.

Βηθθορών, ἔνθα κατεδίωξεν Ἰησοῦς τοὺς βασιλεῖς, ἣ γέγονεν υἱῶν Ἰωσὴφ, τοῦ Ἐφραίμ· [6] καὶ εἰσὶ κῶμαι δύο, ὡς ἀπὸ σημείων Αἰλίας ιβʹ, ἐπὶ τὴν εἰς Νικόπολιν ὁδὸν, ὧν ἡ μὲν καλεῖται Βηθθορὼν ἡ ἀνωτέρα, ἣν ᾠκοδόμησε Σολομων ἡ δὲ κατωτέρα Λευΐταις ἀφωρισμένη.

EUSEBIUS.

BETHTHORON, ubi persecutus est JESUS reges, quæ fuit filiorum Joseph, id est Bphraim. Suntque duo vici quasi in duodecimo ab Ælia lapide, versus viam quæ Nicopolim ducit, quorum alter vocatur Bethoron superior, quem ædificavit Salomon: alter vero inferior, Levitis separatus.

[2] *BETHPHAGE, villula in monte Oliveti, ad quam venit Dominus Jesus.*

Βηθφαγὴ, κώμη πρὸς τῷ ὄρει τῶν ἐλαιῶν, [7] ἔνθα ὁ Χριστὸς τὸν Λάζαρον ἤγειρεν· δείκνυται εἰ ἔτι καὶ νῦν ὁ Λαζάρου τόπος.

BETHPHASGE, vicus ad montem olivarum, ubi Christus Lazarum suscitavit. Ostenditur huc usque Lazari locus.

BETHPHALETH. Vide paulo post BETHPHELET.

[3] *BETHPHASES, in tribu Issachar.*

Βηθφάσις, φυλῆς Ἰούδα.

BETHPHASIS, tribus Juda.

BETHPHELET, urbs in tribu Juda, Jos. xv. vers. 27. quæ & *Bethphaleth*, 2. Esdræ xi. vers. 26. dicitur; de qua & supra actum est in BETHFALI. Significat hæc vox *domum evasionis*, seu *liberationis*.

BETHPHESES. Vide BETHPHASES.

BETHPHOGOR. Vide supra BETHFOGOR. Vide supra BETHFOGO.

BETHSAIDA. Vide BETHZAIDA.

[4] *BETHSALISA, unde venit homo cum muneribus ad Helisæum Prophetam. Est autem villa in finibus Diospoleos, quindecim ferme ab ea millibus distans contra Septentrionem in regione Thamnitica.*

Βαιθσαρισάθ, ἔνθεν ὁ ἄνθρωπος πρὸς Ἐλισσαῖον· ἐν ὁρίοις Διοσπόλεως ἀπὸ σημείων ιεʹ τοῖς πρὸς βορρᾶν ἐν τῇ Θαμνιτικῇ.

BÆTHSARISATH, unde vir ad Helisæum (venit.) in finibus Diospolis, in decimo quinto lapide ad Septentrionem in regione Thamnitica.

BETHSAMES. Vide in sequentibus BETHSAMIS.

[5] *BETHSAMIS, civitas sacerdotalis in tribu Benjamin, quæ usque hodie demonstratur de Eleutheropoli pergentibus Nicopolim in decimo milliario contra Orientalem plagam.*

Βηθσάμες, πόλις ἱερατικὴ, φυλῆς Βενιαμίν· καὶ ἔστι εἰς ἔτι νῦν ἀπέχουσα Ἐλευθεροπόλεως σημείοις ιʹ. πρὸς ἀνατολὰς μεταξὺ Νικοπόλεως.

BETHSAMES, civitas sacerdotalis tribus Benjamin: & est usque hodie distans Eleutheropoli milliaribus decem versus Orientem inter Nicopolim.

NOTÆ.

[1] De duplici *Bethoron*, *superiori* & *inferiori* agimus, Jos. 10. v. 10. ubi probamus utramque in Ephraimitica tribu fuisse, utpote quas ædificavit Sara mulier de tribu Ephraim, 1. Paral. 7. v. 24. & unam quidem nempe *inferiorem* fuisse in finibus Australibus illius tribus, *superiorem* vero in finibus Borealibus. Quod autem hic Eusebius vel Hieronymus *de utraque Bethoron* dicit, nullo modo videtur cum veritate stare posse: neque enim inter Æliam, seu Jerusalem, & Nicopolim, seu Emmaunta hæ urbes esse potuerunt, si fuerunt in tribu Ephraim, ut ante asseritur; neque distantia assignata admitti potest, cum tribus Ephraim, qua parte etiam Hierosolymæ proxima erat, & ab ea minimum distabat, longiori ab ea separaretur intercapedine. Porro Salomon non tantum *Bethoron superiorem* ædificavit, seu instauravit, sed etiam *inferiorem*, ut diserte asseritur 2. Paral. 8. v. 5. immo liber 3. Reg. 9. v. 17. solius *Bethoron inferioris* meminit. Significat autem *Bethoron* domum furoris. Est & *Bethoron* regio Jordani adjacens trans Jordanem, 2. Reg. 2. v. 29. Sed hujus vocis diversa est a præcedenti in Hebræo scriptio. IDEM.

[2] *Bethphage* & *Bethaniam* fuisse loca vicina plane indicat Lucas c. 19. v. 29. eamdemque villulam fuisse ad montem Oliveti tum ibi, tum Matth. 21. v. 1. indicatur. *Bethphage* in ipso montis primo ascensu, vel primo vallis ingressu fuisse ipsa vox indicat, quam Hieronymus & alii passim interpretantur *domum oris vallis*, hoc est, locus quo in vallem ingressus est. IDEM.

[3] Hæc in versione nostra *Bethpheses* appellatur, Jos. 19. v. 21. Mirum est Eusebium eam ponere in tribu Juda. Significat hæc vox *domum oris florentis*. BONFRERIUS.

[4] In versione nostra non *Bethsalisa*, sed *Baalsalisa* habetur, 4. Reg. 4. v. 42. quod itidem Hebræo concordat, de quo nos supra in *Baalsalisa*. Apud Septuaginta Interpretes in Codice Romano locus hic dicitur corrupte *Bætharisa*, in Aldino & Basileensi *Batharlisa*. IDEM.

[5] In versione nostra *Bethsames* appellatur, vel *Bethsemes*. Hieronymus *Bethsames* hic ponit *in tribu Benjamin*, Adrichomius *in tribu Dan*: at ego neutri assentiri possum, contra disertam Scripturæ assertionem, quæ eam ubique ponit *in tribu Juda*, nusquam alibi: nam & 4. Reg. 14. v. 11. *Bethsames* dicitur oppidum Judæ, & 2. Paral. 25. v. 21. dicitur *Bethsames* Judæ, & Jos. 21. & 1. Paral. 6. *Bethsames* inter civitates sacerdotales tribus Judæ numeratur. Significat autem *Bethsames* domum solis. IDEM.

[6] Καὶ εἰσὶ κῶμαι δύο) Ostendimus in Comment. ad Josuæ Cap. x. 10. xvi. 5. alium fuisse situm duplicis Beth-choronis. CLERICUS.

[7] Non in *Bethphage*, sed in Bethania mortem Lazarus obierat. BONFRERIUS.

HIERONYMUS. | ΕΥ'ΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS.

[1] *BETHSAMIS*, *altera in tribu Nephtalim in qua & ipsa cultores pristini remanserunt.*

[2] *BETHSAN*, *ex hoc oppido tribus Manasse accolas pristinos non potuit expellere: & nunc appellatur Scythopolis urbs nobilis Palæstinæ, quam interdum Scriptura nominat domum San, quod in lingua nostra interpretatur inimicus.*

Βηθσάν, ταύτης οὐκ ἐξῆρε τοὺς ἀλλοφύλους ἡ φυλὴ Μανασσῆ· αὕτη ἐστὶ Σκυθόπολις, ἐπίσημος πόλις τῆς Παλαιστίνης· καλεῖ δὲ αὐτὴν ἡ γραφὴ καὶ οἶκον Σὰμ, [5] ὅπερ ἐστὶν οἶκος ἐχθροῦ.

BETHSAN, de hac non exterminavit alienigenas tribus Manasse. Hæc est Scythopolis nobilis urbs Palæstinæ. Vocat autem eam Scriptura domum Sam, quod est domus inimici.

BETHSEMES. Vide BETHSAMES.
BETHSETTA. Vide BETHASEPTA.
BETHSIMOTH. Vide BETHJESIMOTH.

[3] *BETHSIMUTH*, *hoc est domus Isimuth contra Hierico decem ab ea millibus distans in meridiana plaga, juxta mare mortuum.*

Βηθασιμούθ, [6] τόποι τῆς Ἰσμούθ ἀντικρὺ Ἱεριχοῦς ἀπὸ μιλίων ί· πρὸς νότον, παρακειμένη τῇ νεκρᾷ θαλάσσῃ.

BETHASIMUTH, loca Ismuth contra Hiericho in decimo milliario ad Austrum, vicina mari mortuo.

[4] *BETHSUR*, *in tribu Juda, sive Benjamin, & est hodie Bethsoron vicus euntibus nobis ab Ælia Chebron in vicesimo lapide, juxta quem fons ad radices montis ebulliens ab eadem in qua gignitur sorbetur humo; & Apostolorum Acta referunt Eunuchum Candacis Reginæ in hoc esse baptizatum a Philippo. Est & alia villa Bethsur in tribu Juda mille passibus distans ab Eleutheropoli.*

Βεδσούρ, φυλῆς Ἰούδα ἢ Βενιαμίν· κὴ ἔστι νῦν κώμη Βηθσορὼν ἀπὸ Αἰλίας εἰς Χεβρὼν ἐν εἴκοσι σημείοις, ἔνθα καὶ πηγὴ ἀπὸ ὄρους ἐξιοῦσα δείκνυται, ἐν ᾗ λέγεται ὁ εὐνοῦχος Κανδάκης βεβαπτίσθαι ὑπὸ Φιλίππου· Ἔστι δὲ καὶ ἄλλη Βεθσούρ φυλῆς Ἰούδα, Ἐλευθεροπόλεως (ἀπέχουσα σημείοις ά.)

BETSUR, tribus Juda seu Benjamin, estque nunc vicus Bethsoron (euntibus) Ælia Chebronem in vigesimo lapide, ubi etiam fons e radice montis emanans ostenditur, in quo dicitur Eunuchus Candacis fuisse baptizatus a Philippo. Est etiam alia Bethsur tribus Juda, Eleutheropoli (distans mille passibus.)

BETHSURA, cujus fit mentio in Machabæorum libris, arx fuit munitissima ad Hierosolymitanæ urbis meridiem ibi in petra & rupe constituta ad ejusdem urbis defensionem. Fuisse in petra & rupe constitutam ipsum nomen *Bethsur* indicat, quod significat domum petræ. Ex quo facile colligitur fuisse arcem munitissimam & difficillimam expugnatu, quod etiam asserit

---

## NOTÆ.

[1] De altera *Bethsames* in tribu Nephtalim habes, Jos. 19. v. 38. *Non ejecisse* autem *ex ea pristinos incolas* habes, Judic. 1. v. 33. Fit & alterius *Bethsames* mentio in tribu Issachar, Jos. 19. v. 22. IDEM.

[2] Fuit hæc in dimidia tribu Manasse Cis-Jordanina, Jos. 17. non procul Jordane & mari Genesareth, ubi est hujus maris extremus ad Austrum terminus. Non ejecisse autem Manassitas pristinos habitatores habes, Judic. 1. v. 27. Eadem posterioribus temporibus dicta est a Græcis Latinisque auctoribus, Josepho & aliis *Scythopolis* a Scythis incolis, qui eam occuparant, & eam ad Christi Josephique tempora retinuerunt. Appellat etiam *Scythopolim* in Græco auctor Lib. 2. Machab. c. 12. v. 29. ubi Latina nostra versio habet, *Scytharum civitas*; sed & v. seq. etiam habitatores urbis *Scythopolitas* ibidem versio nostra appellat. Quando autem & qua occasione factum sit, ut Scythæ eam urbem occuparint, nos ad Jos. 17. v. 11. inquirimus. Ea distat sexcentis stadiis Hierosolyma, ut habetur 2. Machab. 12. v. 29. quæ circiter leucas triginta efficiunt. Hanc Ptolemæus, immo & alicubi Josephus Cœlesyriæ attribuunt, quod mirum videri possit, cum ea cis Jordanem esset. Illud multo admirabilius hanc in Ptolemæi tabulis trans Jordanem poni, cum e Scriptura & Josepho certo constet cis Jordanem fuisse; pro *Bethsan* subinde Septuaginta dicunt *domum San*. Significat autem *Bethsan* non tantum *domum inimici*, sed etiam significare potest *domum quietis*, aut etiam contra *domum tumultus*. IDEM.

[3] Et hanc non aliam esse ab ea quæ *Bethjesimoth*, vel *Bethsimoth* in versione nostra dicitur, supra diximus, in BETHJESIMOTH. IDEM.

[4] Plane hæc urbs statuenda est in tribu Juda, non Benjamin: nam inter urbes tribus Benjamin nusquam reposita legitur, at in tribu Juda, Jos. 15. v. 58. legimus *Bessur*; ubi in Hebræo est *Bethsur*, quomodo & Septuaginta Interpretes habent: Sed & 2. Paral. 11. v. 7. videtur *Bethsur* recenseri inter urbes tribus Judæ, & aliquot quæ proxime subjiciuntur, ut mirum sit Adrichomium non magis sibi constare, qui *hunc fontem Eunuchi Candacis reginæ* & *Bethsuram* uno in loco in tribu Juda reponit, in alio vero in tribu Dan. Et vero si ibi fuerit ubi Hieronymus suo tempore vicum *Bethsur* ait fuisse, nempe in via qua Hierosolyma Hebronem itur, nec procul Hebrone, necessario in tribu Juda reponi debet, neque tamen potest illa *Bethsur* esse eadem cum *Bethsura*, cujus toties fit mentio in libris Machabæorum, esto utraque sit in tribu Juda, ut ex iis quæ mox dicam de ea patebit. Alteram *Bethsur*, cujus hic meminit Hieronymus, nusquam commemorat Scriptura. IDEM.

[5] Ὅπερ ἐστὶν οἶκος ἐχθροῦ) Nimirum vocis בֵּיתְשָׁן posteriorem syllabam deducebant a שׂנא *schune*, *odio habuit*. Sed cum ea syllaba sæpe, interposito א, scribatur, crediderim potius ביתשאן esse *domum tranquillitatis*; quod esset urbs munita, & in qua tuto habitare licuit. CLERICUS.

[6] Repone hic οἶκος τῆς Ἰσμούθ, est enim nominis explicatio: *Beth* autem Hebræis significat domum. BONFRERIUS.

Τόποι τῆς Ἰσμούθ) Legendum τόπος, non οἶκος, *domus*, hæc enim vocabula sunt Synonyma. In Parisina editione *Hieronymi*, legimus, *domus*, *sive locus Isimuth*. CLERICUS.

1. In

HIERONYMUS. ΕΥΣΕΒΙΟΣ. EUSEBIUS.

Josephus Lib. 12. Antiq. c. 14. quin & Lib. 13. c. 9. locum totius Judææ munitissimum Bethsuram dicit: sed & Liber 2. Machab. c. 11. vers. 5. *Bethsuram* in angusto loco ponit, nempe ad quem difficilis esset aditus. Fuisse autem ad Hierosolymitanæ urbis meridiem plane indicatur, 1. Machab. IV. vers. ult. ubi dicitur *ad custodiendam Bethsaram, ut haberet populus munitionem contra faciem Idumææ*, & postea c. VI. vers. 31. Antiochus Eupator cum exercitu veniens in Judæam per Idumæam prius *Bethsuram* appellit, eamque expugnare nititur priusquam Hierosolymam aggrediatur; erat ergo *Bethsura* urbi qua parte Idumæa respiciebatur; Idumæa autem urbi & toti Judææ erat ad meridiem. Hanc *Bethsuram* cum priore illa *Bethsur*, de qua agit Hieronymus, confundit Adrichomius. At inter has ponendam esse distinctionem res ipsa evincit: siquidem illa *Bethsur* Hieronymi, ubi erat fons ille, in quo baptizatus fuit Eunuchus Candaces reginæ, distabat viginti milliaribus Hierosolyma, at *Bethsuram* Machabæorum arcem ponit Adrichomius ad vallem Raphaim uno tantum milliario distantem Hierosolyma inter Hierosolymam scilicet & Bethlehem: addo vero non integro milliari urbe absuisse, cum 2. Machab. XI. vers. 5. dicatur quinque tantummodo stadiis Hierosolyma absuisse.

BETHTHAPHUA. Vide BETHAPHU.

BETHUL. Vide BATHUL.

BETHULIA, a *Bethul* omnino diversa est, ne quis forte vel nominis affinitate, vel ex eo quod Judith, quæ erat de tribu Simeonis, habitaret in *Bethulia*, decipiatur, cum & *Bethul* in tribu legamus Simeonis in extremis Judææ ad Austrum finibus: *Bethulia* enim Galilææ civitas erat in planitie Galilææ seu campo magno Esdrelon juxta Esdrelon & Dothain urbes Galilææ, quæ omnia colligi possunt primo toto libro Judith, præsertim c. VII. vers. 13. De ea ita Brochardus: *A Nephthalim, de qua in Tobia, tres sunt leucæ ad Dothain castrum sub monte Bethuliæ, ubi Joseph erravit, cum quæreret fratres suos*. Ex Abelina est una leuca ad montem *Bethuliæ*, ubi Judith occidit Holofernem, qui mons fere per totam cernitur Galilæam, habens adhuc pulchra quædam ædificia, sed plures ruinas. A *Bethulia* est una leuca ad civitatem Tiberiadis, eundo scilicet inter Orientem & Austrum supra mare Galilææ, a qua mare Galilææ dictum est mare Tiberiadis.

BETHZACHARAM, 1. Machab. VI. vers. 32. 33. aliud nihil erant quam fauces angustæ: ita enim locum illum describit Josephus 13. Antiq. c. 14. *Judas*, inquit, *cognito regis adventu omissa oppugnatione regi cum copiis obviam profectus castra posuit circa fauces quasdam dictas Bethzacharia*. Similia habet 1. Belli c. 1. *In loco vero*, inquit, *cui Bethzachariæ nomen est, qua transitus erat angustior* &c. Significat vero hæc vox *domum recordationis*. Ubi autem fauces hæ fuerint est paulo obscurius.

| HIERONYMUS | ΕΥΣΕΒΙΟΣ | EUSEBIUS |
| --- | --- | --- |
| [1] *BETHZAIDA, civitas est Galilææ Andrææ, Petri, & Philippi Apostolorum, prope stagnum Genesareth.* | Βηθσαιδὰ, πόλις Ἀνδρέυ καὶ Πέτρυ καὶ Φιλίππυ· κεῖται δὲ ἐν τῇ Γαλιλαίᾳ τῇ πρὸς τῇ [3] Γεννησαρέτῃ λίμνῃ. | BETHSAIDA, civitas Andrææ, & Petri, & Philippi. Sita est in Galilæa ad stagnum Genesaret. |

BETHZECHA, 1. Machab. VII. vers. 19. quo Bacchides relicta Hierosolyma castra sua applicuit, ex quo confici videtur non procul absuisse Hierosolyma, eam tamen Adrichomius nescio quo argumento in dimidia tribu Manasse Cis-Jordanina collocat: de ea re difficile est certi quidquam constituere. Josephus 13. Antiq. c. 17. vicum facit. Forte non alia est a *Bezec* in tribu Juda, de qua paulo post. Potest hæc vox significare *domum munditiei*.

BETONIM, urbs in tribu Gad, Jos. XIII. vers. 26.

BEZEC. Vide BEZECH proxime.

| HIERONYMUS | ΕΥΣΕΒΙΟΣ | EUSEBIUS |
| --- | --- | --- |
| [2] *BEZECH, urbs regis Adonibezech, & hodieque duæ villæ sunt nomine Bezech vicinæ sibi in septimo decimo lapide a Nea-* | Βεζὲκ, πόλις Ἀδωνιβεζέκ· καὶ νῦν εἰσι κῶμαι δύο Βεζὲκ, πλησίον ἀλλήλων, νέας πόλεως ἀπέχυσαι σημείοις ιζ' κατιόντων ἐπὶ Σκυθό- | BEZEC, civitas Adonibezec. item sunt nunc duo vici Bezec sibi mutuo vicini, Neapoli distantes septemdecim mil- |

NOTÆ.

[1] In versione nostra *Bethsaida* scribitur. Hujus nulla in Veteri Testamento, sed in Novo tantum mentio, ut vel hinc satis appareat posterioris ævi civitatem fuisse. Significat autem *Bethsaida* domum venationis, vel etiam piscationis seu proprie, seu nonnulla catachresi, cum piscatio etiam quoddam venationis genus sit. BONFRERIUS.

[2] Illa *Bezec* (ita sine adspiratione in versione nostra legitur) quæ Regis Adonibezec fuit, necessario in tribu Juda constituenda est, ob id enim & tribus Juda bello adversus Chananæos redintegrato, Judic. 1. eam cepit & expugnavit. Ab illa haud dubie diversæ sunt geminæ illæ aliæ *Bezec*, quæ omnino in dimidia tribu Manasse Cis-Jordanina videntur constituendæ ex iis quæ de illis dicit Hieronymus. Unius istarum meminit Scriptura, 1. Reg. 11. v. 8. quam necesse est non procul absuisse Jordane. Significat hæc vox *fulgur*, *coruscationem*. IDEM.

[3] Γεννησαρέτῃ) Præstat cum Parisiensi Γεννησαρέτιδι, nam λίμνη est fœminini generis. Aut legendum Γεννησὰρ τῇ λίμνῃ, ut in voce *Capharnaum*. CLERICUS.

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕ'ΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| *poli descendentibus Scythopolim.* | πόλιν. | liaribus descendentibus Scythopolim. |

BITHYNIA, Asiæ minoris regio.

BOEN. Vide BOON.

| | | |
|---|---|---|
| [1] *BOLA, in tribu Simeonis.* | Βολὰ, κλήρȣ Συμεών. | BOLA, sortis Symeon. |

BONIPORTUS, locus ad mare in Creta insula, Act. XXVII. vers. 8.

| | | |
|---|---|---|
| [2] *BOON, in tribu Benjamin.* | Βοὸν, φυλῆς Βενιαμὶν ἐις τὴν πεδιάδα. | BOON; tribus Benjamin ad campestria. |
| [3] *BORCONNI, quod vertit Aquila in spinas, Symmachus in tribulos.* | Βορκοννεὶμ, Α᾽κύλας τρέπει, ἐις ἀκάνθας· Σύμμαχος, ἐις τριβόλȣς. | BORCONNI, Aquila vertit, in spinas. Symmachus in tribulos. |
| [4] *BOROOTH, in tribu Benjamin.* | | |
| [5] *BOSES, nomen petræ, de qua in libris Hebraicarum quæstionum diximus.* | Βωσῆς, ὄνομα πέτρας. | BOSES, nomen petræ. |
| [6] *BOSOR, in deserto trans Jordanem, quæ cecidit in sortem tribus Ruben ad Orientalem plagam Hierichuntis, civitas Sacerdotalis & fugitivorum. Hæc est Hostra metropolis Arabiæ. Appellatur autem & alia Bosor civitas Esau in montibus Idumææ, cujus Esaias recordatur dicens: Quis est iste qui venit de Edom, fulvida vestimenta ejus ex Bosor.* | Βοσὼρ, ἐν τῇ ἐρήμῳ, πέραν τοῦ Ι᾽ορδάνȣ, τῆς φυλῆς Ρ᾽ȣβὴν, ἀπὸ ἀνατολῶν Ι᾽εριχὼ, πόλις ἱερατικὴ καὶ τῶν φυγαδευτηρίων· Αὕτη ἐστὶ Βόστρα, ἡ νῦν μητρόπολις τῆς Α᾽ραβίας· Ε᾽στι δὲ καὶ ἄλλη νῦν Βοσὼρ πόλις τοῦ Η᾽σαῦ ἐν ὄρεσι τῆς Ι᾽δȣμαίας, ἧς μέμνηται Η᾽σαΐας λέγων· τίς οὗτος ὁ παραγενόμενος ἐξ Ε᾽δὼμ, ἐρύθημα ἱματίων αὐτοῦ ἐκ Βοσόρ. | BOSOR, in deserto trans Jordanem, tribus Ruben, ab oriente Hiericho, civitas sacerdotalis & fugitivorum. Hæc est Bostra, quæ nunc metropolis Arabiæ. Est & alia nunc Bosor civitas Esau in montibus Idumææ, cujus meminit Isaias dicens: Quis hic veniens ex Edom, rubor vestimentorum ejus ex Bosor. |

BOSPHORUS. Hujus mentio fit in versione nostra apud Abdiam, vers. 20. pro quo in Hebræo est ספרד *Sepharad*, quam vocem in suis versionibus retinuerunt Aquila, Symmachus & Theodotion, immo quantum arbitror Septuaginta Interpretes *Sephrata*, vel potius *Sephrada*, (ita enim videtur legendum ut Hebræo respondeat) licet nunc & jam olim Hieronymi tempore insigni mendo legeretur *Ephrata*, quam versionem miratur Hieronymus. Ipse vero a Judæo edoctus censet *Sepharad* esse *Bosphorum*. Judæi recentiores, Arias Montanus, & quidam alii recentiores pro *Hispania* pugnant, eam enim volunt significari nomine *Sepharad*, eoque obtorto Chaldæum collo trahunt, quasi ipse ibi *Hispaniam* velit; nam & Latinus interpres ibi *Hispaniam* vertit: at unde habent אספמיא *Ispamia*, ibi apud Chaldæum Paraphrastem esse Hispaniam? Maneat igitur ipsis sua conjectura, quam libenter ipsis permitto, quamque nec Hieronymus, nec Judæus ille Doctor ipsius tempore probaturus fuit, ut vel hinc satis pateat

N O T Æ.

[1] Ita habent Septuaginta Interpretes, Jos. 19. v. 3. pro eo quod in versione nostra *Bala* habetur. BONFRERIUS.

[2] BOEN in versione nostra habetur, Jos. 15. v. 6. & Jos. 18. v. 17. Verum id non tam loci nomen est, quam viri cujusdam e tribu Ruben. Loci nomen est *Abenboen*, seu *lapis Boen*, de quo nos supra egimus in ABENBOEN. IDEM.

[3] Haud dubie vox hæc corrupta est; nam & in Septuaginta Interpretibus nunc fere legimus, Judic. 8. v. 7. & 16. (ad quem locum hic alluditur) Βαρκηνὶμ vel Βαρκηνεὶμ, ubi Septuaginta Interpretes retinuerunt vocem Hebræam, instar videlicet nominis proprii; est enim in Hebræo ברקנים *Barcanim*: quam tamen Aquila & Symmachus appellative verterunt, & cum iis Hieronymus, qui iis locis *supra tribulos* reddidit. Itaque hæc vox ad nomina locorum propria nihil pertinet. IDEM.

[4] Ea *Beroth*, Jos. 18. v. 25. appellatur. De eadem jam supra in BEEROTH & BEROTH actum est. IDEM.

[5] Scopuli seu prominentis rupis nomen est inter Machmas & Gabaa, 1. Reg. 14. v. 4. Potest vox hæc significare *lutum*, vel, ut Hieronymus explicat, *in ipso floruit*. IDEM.

6. Existimo vel librarii, vel memoriæ lapsum esse quod hæc civitas dicatur civitas sacerdotalis; Levitica enim, non sacerdotalis fuit, ut e Jos. 21. & 1. Paralip. 6. liquet; præsertim cum nulla fuerit Sacerdotalis civitas extra tribum Juda & Beniamin. Fuit autem hæc in deserto, hoc est in campestribus Moab trans Jordanem. Pro *Hostra* hic apud Hieronymum legendum est *Bostra*, seu *Bosra*; ita enim etiam appellatur in Scriptura, Hierem. 48. v. 24. Altera *Bosor* in Idumæa (nam ita appellant subinde Interpretes Septuaginta) in versione nostra semper *Bosra* appellatur. Ex hac S. Job fuit, Gen. 36. v. 33. & 1. Paral. 1. v. 44. si tamen is natus in Idumæa Australi, quod non existimo: ex quo colligi poterit fuisse & aliam *Bosram* in Idumæa Orientali juxta montem Galaad, antequam inde emigrarent Idumæi, vel etiam postea. Vide supra BEESTHARA. Porro contra *Bosram*, quæ in Idumæa Australi, prophetant Isaias c. 34. Hierem. c. 49. Amos c. 1. Potest hæc vox varia significare, *vindemiam*, *munitionem*, *siccitatem*, *penuriam*. IDEM.

1 Hæc

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|

hanc Judæorum recentioris ævi, hoc est imperitorum opinionem esse. [1] Hieronymo adhæreo, qui ea voce, utpote Assyria, etiam locum apud Assyrios, vel certe sub eorum imperio non procul ab ipsis positum intellexit, cujusmodi est Bosphorus, non Cimmerius, sed Thracius: siquidem & Hieronymus ad Zachariæ x. satis indicat non tantum ad Medos & Persas, sed etiam in Bosphorum Thracium & Septemtrionalem plagam ab Assyriis & Chaldæis Israelitas fuisse translatos, eamque receptam esse apud Hebræos opinionem.

BOSRA. Vide BEESTHARA, & BOSOR.

| HIERONYMUS | ΕΥΣΕΒΙΟΣ | EUSEBIUS |
|---|---|---|
| [2] *BOTNIN, trans Jordanem civitas Gad: quæ usque hodie similiter appellatur.* | Βοθνία, ἡ καὶ Βοτνεὶν, πέραν τοῦ Ἰορδάνου, πόλις φυλῆς Γὰδ, καὶ εἰς ἔτι νῦν ὁμοίως ἐν τοῖς τόποις χρηματίζει. | BOTHNIA, quæ & Botenin ultra Jordanem, civitas tribus Gad, & adhuc hodie similiter in iis locis vocatur. |
| [3] *BOZ, in terra Cedar, sicut scribit Hieremias.* | Βώζαν, γῆ Κεδὰρ ἐν Ἱερεμίᾳ. | BOZAN, terra Cedar in Hieremia. |
| [4] *BUBASTUS, civitas Ægypti juxta Ezechielem.* | Βούβαστος, πόλις Αἰγύπτου ἐν Ἰεζεκιήλ. | BUBATUS, civitas Ægypti in Ezechiele. |
| [5] *BUNOS, hoc est collis præputiorum, locus in Galgalis ubi circumcidit Jesus.* | Βουνὸς ἀκροβυστιῶν, τόπος ἐν Γαλγάλοις, ἐν ᾧ περιέτεμεν Ἰησοῦς τὸν λαὸν, ὡς ἀπὸ δύο σημείων Ἱεριχοῦς, ἔνθα δείκνυνται εἰς ἔτι νῦν οἱ λίθοι, οὓς ἤνεγκαν ἀπὸ τοῦ Ἰορδάνου, | COLLIS PRÆPUTIORUM, locus in Galgalis, in quo circumcidit Jesus populum, quasi in secundo lapide ab Hiericho, ubi ostenduntur adhuc hodie lapides quos tulerunt de Jordane. |
| [6] *BUTHAM, castra filiorum Israel in deserto, quæ & Etham nuncupatur.* | Βουθὰν, σταθμὸς τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ ἐπὶ τῆς ἐρήμου, ἡ καὶ Ἀθάμ. | BUTHAN, statio filiorum Israel in deserto, quæ & Atham. |
| BUZ. Vide BOZ. | | |
| [7] *BYBLOS, civitas Phœnices, cujus meminit Ezechiel, pro qua in Hebræo continetur Gabel.* | Βύβλος, πόλις Φοινίκης ἐν Ἰεζεκιὴλ, ἀνθ' οὗ τὸ ἑβραϊκὸν ἔχει Γοβέλ. | BYBLOS, civitas Phœniciæ in Ezechiele: pro quo Hebraicum habet Gobel. |

## NOTÆ.

[1] *Hieronymo adhæreo* &c.) At ipse *Hieronymus* in Abdiæ v. 20. postquam Judæi Magistri sententiam protulit, aliud conjicit: *Quia ergo*, inquit, *Lingua Assyriorum terminus, qui Hebraice vocatur* GABUL, *dicitur* Sepharad, *hunc sensum esse conjicio: transmigratio Jerusalem, quæ in cunctis terminis, regionibusque divisa est, urbes austri, id est tribus suæ recipiet.* Multo sane rectius, quam Judæus ille, qui בספרד *bispharad*, ex sola affinitate soni Bosporum esse temere conjectabat. Nam nemo nescit, neque ad Cimmerium neque ad Thracium Bosporum missos esse Judæos a Babyloniis, ante Abdiæ tempora. Cimmerium enim Bosporum numquam subegerunt Babylonii, sed Scythæ eo tempore tenuerunt. Thracii etiam finitimas oras; Cyrus demum Persarum Rex subegit, ut docet *Herodotus* Lib. 1. Eo numquam Jerosolimitas misit, aut inde revocavit. Sic vertendus Prophetæ locus: *Captivi harum copiarum Israelitarum* possidebunt *quod erat Chananæorum Sareptam usque, & captivi Jerosolimitani quod est in finibus ditionis: possidebunt*, nempe, *urbes meridianas*, quod pluribus ad eum Prophetam ostendemus. Itaque hinc prorsus abigendus *Bosporus*. CLERICUS.

[2] Hæc *Betonim* in versione nostra, Jos. 13. v. 26. vocatur; a Septuaginta Interpretibus, ut nunc ibidem eorum Codices præferunt *Botanim*. Significat hæc vox *fructus terebinthi*, vel *resinam terebinthinam*. IDEM.

[3] *Buz* in versione nostra appellatur, Hierem. 25. v. 23. At nunc in versione Septuaginta Interpretum Ῥῶς legimus. Significat hæc vox *contemtum*. BONFRERIUS.

[4] De hac habes apud Ezechielem, cap. 30. v. 17. IDEM.

[5] Septuaginta Interpretes non absolute Βουνός, quod *collem* significat, dixerunt, neque eam vocem ut propriam videntur accepisse, licet cum addito nihil repugnet quasi proprium nomen sumi, dixerunt enim Βουνὸς τῶν ἀκροβυστιῶν *collis præputiorum*, quomodo itidem & Hieronymus vertit, Jos. 5. v. 3.

[6] Appellatum *Buthan* hunc locum apud Septuaginta Interpretes invenimus, Num. 33. v. 6. quem alibi *Ethom* appellant; nostra versio semper *Etham*. Ibi fuit secunda mansio cis Mare Rubrum. IDEM.

[7] Ezechielis 27. v. 9. versio nostra habet: *Senes Giblii*, apud Septuaginta Interpretes habetur: *Senes Bibliorum*, mutatione unius elementi. In Hebræo habetur גבלים *Giblim*. Urbis nomen in Scriptura est *Gebal*, estque in Phœnicia urbs supra Sidonem ad Aquilonem, a qua cives & incolæ *Giblii* dicti sunt. Fatendum tamen etiam apud profanos auctores, ut Plinium, *Bibli* in Phœnicia fieri mentionem, ut verisimile sit, maxime posterioribus temporibus, eamdem urbem ita fuisse appellatam. De hac re plura, Jos. 13. v. 5. Addo his geminæ *Bybli* in Phœnicia mentionem fieri apud Strabonem l. 16. quas videtur etiam Ptolemæus conjunxisse, ubi Phœniciæ civitates refert, sed priorem altero nomine *Gabalam* nominat, posteriorem *Palæobiblum*, seu *antiquam Biblum*. Stephanus quoque tam *Gaballam*, quam *Byblon* in Phœnicia civitatem agnoscit. IDEM.

HIERONYMUS. | ΕΥ'ΣΕ'ΒΙΟΣ. | EUSEBIUS.

## C

[5] ΚΑβσεὴλ, ὅθεν Βαναίας υἱὸς Ἰωδαὲ, [6] ἐπὶ τὸ Φοινίκιον πέλαγος, ἡ διαιροῦσα Παλαιστίνην Φοινίκης, ἔνθα ἐκαθέζετο Ἠλίας.

CABSEEL, unde Banaias filius Judæ, ad Phœnicium mare, quæ dividit Palæstinam a Hhœnice, ubi consedit Elias.

CABSEEL, urbs in tribu Juda, Jos. xv. vers. 21. Significat hæc vox *Dei congregationem*.

CABUL, urbis nomen in tribu Aser, sed in extremis ejus finibus, Jos. xix. vers. 27. Est & terra *Chabul*, 3. Reg. ix. vers. 13. de qua ad eum locum, & hic paulo post in voce CHABUL. Nulla utrimque in vocis Hebraicæ scriptione est distinctio. Significat hæc vox *compedem*.

[1] *CADEMOTH, desertum, ex quo loco misit legatos Moyses ad Seon Regem Amorrhæorum.*

Καδημὼθ, ἔρημος ἐξ ἧς πρέσβεις ἀπέστειλε Μωϋσῆς πρὸς Σηών.

CADEMOTH, desertum, ex quo legatos misit Moyses ad Seon (regem.)

[2] *CADEMOTH, civitas filiorum Ruben.*

Καδημὼθ, πόλις τῶν υἱῶν Ῥουβὶν Λευίταις ἀφωρισμένη.

CADEMOTH, civitas filiorum Ruben separata Levitis.

[3] *CADES, ubi fons est judicii, & Cadesbarne, in deserto quæ conjungitur civitati Petræ in Arabia, ibi occubuit Maria: & Moyses rupe percussa aquam sitienti populo dedit. Monstratur ibidem usque in præsentem diem sepulchrum Mariæ; sed & Principes Amalech ibi a Chodorlaomor cæsi sunt.*

Καδδὴς Βαρνὴ, ἔρημος ἡ παρατείνουσα Πέτρᾳ πόλει [7] τῆς Παλαιστίνης, ἔνθα ἀναβᾶσα ἐτελεύτησε Μαριὰμ, καὶ Μωϋσῆ διαστὰς παίει τὴν πέτραν, καὶ ὕδωρ παρέχει διψῶντι τῷ λαῷ· καὶ δείκνυται εἰς ἔτι νῦν τὸ μνῆμα τῆς Μαρίας αὐτόθι, ἔνθα καὶ τοὺς ἄρχοντας Ἀμαλὴκ κατέκοψε Χοδολλαγόμωρ.

CADDES BARNE, desertum quod extenditur usque Petram urbem Palæstinæ, quo cum ascendisset Maria mortua est, & Moyses postquam secessisset, percutit petram, & aquam præbet sitienti populo. Ostenditur etiam hodie monumentum Mariæ ibidem, ubi principes Amalec cecidit Chodolagomor.

[4] *CADES, civitas, quam cepit Jesus rege ipsius interfecto: est autem in sorte tribus Judæ.*

Καδδὴς, ἔνθα ἡ πηγὴ τῆς κρίσεως.

CADDES, ubi fons judicii.

---

N o t æ.

[1] Hujus fit mentio, Deuter. 2. v. 26. Significat hæc vox plurali numero *loca Orientalia*. Bonfrerius.

[2] Fuit hæc Levitica civitas, 1. Paral. 6. v. 79. quæ in versione nostra, Jos. 21. v. 39. aliud nomen, nempe *Jethson* habet. Hebræa ibi vel diminuta sunt, vel siqui Codices omnia expressa habent, ii habent *Cademoth*. Eadem urbs *Cedimoth* appellatur, Jos. 13. v. 18. Dubitari posset sitne hic locus diversus a præcedente: certe si diversus, videntur ab invicem non multum remoti: videtur tamen distinxisse Hieronymus, nec immerito; prior enim ille in deserto fuit: & quantum colligi potest ex Deuter. 2. trans Arnonem, hic autem in terra habitata, & cis Arnonem. Idem.

[3] Videtur hic Hieronymus confundere *Cades* & *Cadesbarne*, nonnullique alii confundunt: Et vero subinde *Cadesbarne* in Scriptura solo nomine *Cades* appellatur: nihilominus *Cades*, ubi fuit fons judicii, seu aqua contradictionis, de qua agitur Num. 20. fuisse diversam a *Cadesbarne* mihi non dubium est. *Cadesbarne* enim erat in deserto Pharan juxta Amalecitas & Amorrhæos in extremis finibus totius Judææ ad Austrum, ut e Num. 34. v. 4. & Jos. 15. v. 3. colligitur. Sic ut Idumæos haberet sibi ad Orientem: at *Cades* altera, ubi aqua fuit contradictionis, & Maria soror Moysi occubuit, fuit in deserto Sin, Num. 21. v. 1. ad Orientem ipsis Idumæis, a Septemtrione habens Moabitas. De hac eadem *Cades* intellige quod hic dicit *de principibus Amalec*, diserte enim Scriptura Gen. 14. v. 7. loquitur de *Cades* in qua erat fons Misphath, seu judicii. Verum ibi Genes. 14. dicitur percussa a Chodorlahomor tota regio Amalecitarum, quæ non potest dici percussa in *Cades*, cum ibi non habitarint Amalecitæ, sed cum Chodorlahomor & reges socii essent in itu ut venirent in *Cades*. Significat hæc vox *sanctitatem*. Vide Commentarios nostros ad Num. 20. v. 13. Bonfrerius.

[4] Gemina fuit in Terra Promissa *Cades*, una in tribu Judæ, cujus fit mentio Jos. 15. v. 23. altera in tribu Nephthali priore multo celebrior in Scriptura, quæ vel *Cades*, vel *Cedes* appellatur; in Hebræo vero nulla in harum urbium nominibus est distinctio. Ex quibus merito dubitari potest an ille rex *Cades* a Josue cæsus, Jos. 12. v. 22. regnarit in *Cades* tribus Judæ, an vero in *Cades* tribus Nephthalim; ego sane in hoc posterius inclino, propterea quod *Cades* tribus Judæ nullus videatur fuisse nominis. De hujus nominis significatione dictum est in voce *Cades* præcedenti. Idem.

[5] Καβσεὴλ) Verum est hanc fuisse patriam Benajæ, Jehojadæ filii, ut liquet ex 2. Samuel. xxiii. v. 20. Sed is situs ejus urbis fuit, quem dicit *Bonfrerius*. Elias etiam iter instituit non Phœniciam versus, sed in Idumæam vel in Arabiam desertam, 1. Reg. xix. v. 3. & seqq. in versione LXX. Intt. est versu 4. de Elia: ἐκάθισεν ὑποκάτω ῥαθμὲν, quod postremum vocabulum nomen est arboris aut virgulti. Forte in Codice *Eusebii* fuit pro ΡΑΘΜΗΛ errore scribæ ΚΑΒΣΕΗΛ. Sed non intelligo cur *Idumææ Phœniciam* substituerit, nisi significationem vocis ארום, *edom*, verterit Græce φοινικίαν, quod *rubrum* sonat. Verum satis est conjecturarum, quibus ne erroris quidem de urbis situ ratio redditur. Vide infra *Capseel*. Clericus.

[6] Scriptura diversum plane ab Eusebio situm huic urbi adscribit, in tribu videlicet Juda a meridie juxta terminos Edom, Jos. 15. Illud item de Elia nusquam Scriptura commeminit. Bonfrerius.

[7] Παλαιστίνης) Constat *Petram* fuisse non Palæstinæ, sed Arabiæ urbem. Vide vocem *Petra*, suo loco. Itaque hoc fuerit mendum oscitantis librarii, notior enim hæc fuit urbs, quam ut situs ejus *Eusebio* ignotus esset. Scripserit ergo Ἀραβίας, ut legisse videtur *Hieronymus*. Vide quæ habet infra *Eusebius* in Ῥεκὲμ, quæ eadem cum *Petra*, ubi hanc urbem in Arabia collocat. Clericus.

1 Cor-

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
| --- | --- | --- |

CADESBARNE. Vide CADES primum, & ſupra BARNE.

| | | |
| --- | --- | --- |
| [1] *CADOMI, torrens juxta quem Debbora bellum geſſit.* | Κάδης, πόλις ἣν εἷλεν Ἰησοῦς τὸν βασιλέα αὐτῆς ἀνελὼν, ἣ γέγονε φυλῆς Ἰούδα. | CADES, civitas quam cepit Jeſus, rege ipſius interfecto, quæ fuit tribus Juda. |

CÆSAREA, quæ antea Stratonis turris appellabatur, ſita ad mare Occidentale inter Doram & Joppen, maxima civitatum Judaæ, teſte Joſepho l. 3. Belli c. 14. Hanc urbem vetuſtate fere collapſam reparavit Herodes Aſcalonita, muris, turribus, regia, theatro, amphitheatro, portu commodo inſtruxit, & in honorem Cæſaris *Cæſaream* appellavit. Vide Joſephum l. 1. Belli c. 16.

CÆSAREA PHILIPPI, quæ Dan antea appellabatur, & poſtea Paneas appellata eſt, ſita juxta Jordanis fontes non procul monte Libano; id autem nomen accepit a Philippo Tetrarcha Ituræ & Trachonitidis, cum in ea tetrarchiæ ſuæ ſedem poſuiſſet, eamque reſtauratam variis ſtructuris exornaſſet: & *Cæſaream* quidem in honorem Tiberii Cæſaris; *Cæſaream* autem *Philippi* ad nomen ſuum immortalitati conſecrandum appellari voluit.

CALANO. Vide infra CHALAUNE.

CALVARIÆ mons. Vide GOLGOTHA.

CALUMNIA, putei ab Iſaaco effoſſi nomen. Gen. XXVI. verſ. 20.

CAMERA PASTORUM. Vide BETHACAD.

| | | |
| --- | --- | --- |
| [2] *CAMON, civitas in qua ſepultus eſt Jair cum primum judicaſſet populum Iſrael. Appellatur autem hodie vicus Cimana in campo latiſſimo ſex millibus a Legione, ad Septemtrionalem plagam pergentibus Ptolemaidem.* | Καμὼν, πόλις Ἰαεὶρ, ἔνθα ἐτάφη κρίνας τὸν Ἰσραὴλ, καὶ ἔστι νῦν Καμμωνὰ κώμη ἐν τῷ μεγάλῳ πεδίῳ, ἀπέχουσα Λεγεῶνος ϛ' ἐν βορείοις ἀπιόντων εἰς Πτολεμαΐδα. | CAMON, civitas Jair, in qua ſepultus eſt, cum judicaſſet Iſraelem, eſtque modo & Cammona vicus in magno campo, diſtans Legeone milliaribus ſex in parte ſeptentrionali pergentibus Ptolemaidem. |

CAMPESTRIA DESERTI. Vide CAMPESTRIA JERICHO proxime.

CAMPESTRIA JERICHO. Horum fit mentio Joſue IV. & V. alibi *Campeſtria deſerti* appellantur, 2. Reg. XV. & XVII. alibi rurſum *planities Jericho* dicuntur, 4. Reg. XXV. verſ. 5. Hierem. XXXIX. verſ. 5. *Solitudo Jericho*. Solitudo erat, quæ interjacebat, totumque fere ſpatium occupabat, quod erat ab Jeruſalem in Jericho; de qua & Joſephus lib. 5. Ant. 4. c. 4. in fine, ubi de Jerichunte loquens ait: *Totum habet ab Hieroſolymis ſpatium deſertum atque ſaxoſum*. Hinc & illæ viæ ab Jeruſalem in Jericho viatoribus periculoſæ, & ſæpe latronibus infeſſæ; de quibus & intelligendum illud Chriſti, Lucæ X. verſ. 30. *Homo quidam deſcendebat ab Jeruſalem in Jericho, & incidit in latrones*.

CAMPESTRIA MEDABA. Vide proxime CAMPESTRIA MOAB, & infra in voce MEDABA.

CAMPESTRIA MOAB, planities & ſolitudo trans Jordanem, in ea regione quam olim Amorrhæus Moabitis eripuerat, in qua fuit ultima Iſraelitarum manſio; ex hac enim Jordanem tranſmiſerunt. Eadem *Campeſtria Medaba*, & *planities* quæ ducit *Medaba* dicitur, Joſuæ XIII. verſ. 9. & 16. Vide infra in MEDABA.

CAMPESTRIA PHARAN, eſt pars deſerti Pharan; ſeu inculta ibi planities, quæ neque in valles deprimitur, neque in colles attollitur.

CAMPUS MAGNUS, alio nomine *campus Megeddo* vel *Eſdrelon* dictus, item *planities Galilææ*, vaſta eſt planities in inferiore Galilæa, incipiens juxta Mageddo & torrentem Ciſon, indeque magnam partem Galilææ inferioris & tribus Zabulon permeans, longitudine ad decem patens milliaria, latitudine ad mare Galilææ & Jordanem extenſa. Vide quæ dicemus 4. Reg. XXVIII. verſ. 19.

CAMPUS MAGNUS, alio nomine in Scriptura etiam dictus *Campus Eſdrelon*, vel *Campus Mageddo*; ab aliis etiam *planities Galilææ* nuncupata, vaſta eſt in Galilæa planities ad oc-

NOTÆ.

[1] Corrupta videtur hæc vox, hoc loco, pro qua in Hebræo קרומים *kedumim*, in verſione noſtra *Gadumim*, in verſione Septuaginta Interpretum καδημείν, vel καδημίμ legitur, Judic. 5. v. 21. niſi quod Romanus Codex habeat χειμάῤῥους ἀρχαίων, *torrens antiquorum*. Dicimus autem ad eum locum torrentem *Cadumim* non alium eſſe a torrente Ciſon, cujus nominis rationem etiam nos ibi inveſtigamus. IDEM.

[2] Iſta CAMON, in qua ſepultus eſt Jair, videretur potius collocanda in Galaaditica regione, cum ipſe eſſet Galaadites, quod fecit Adrichomius, atque adeo ad Orientalem plagam Legeonis, quæ non multum diſtabat a monte Thabor, de qua & nos ſuo loco. Si qua autem ſit *Camon* in magno Galilææ campo cis Jordanem, inter Legeonem & Ptolemaidem, quod hic ab Euſebio ſeu Hieronymo dicitur, haud dubie diverſa eſt ab illa *Camon*, in qua Jair Judex ſepultus eſt. Jud. 10. v. 5.

cidentem ſtagni Geneſareth longe lateque extenſa, verſus Occidentem quidem uſque ad Mageddo & torrentem Ciſon, verſus Orientem vero uſque ad Aſdrelon, quæ urbs vicina eſt Bethuliæ, & ſtagnum Geneſareth. Adrichomius illi decem milliaria longitudinis attribuit.

[1] *CAMSAIM, in tribu Ephraim.*

[2] *CANA, uſque ad Sidonem majorem: eſt quippe, & altera minor, ad cujus diſtinctionem major hæc dicitur, fuit autem Cana in tribu Aſer, ubi Dominus noſter atque Salvator aquam convertit in vinum, unde & Nathanael verus Iſraelita Salvatoris teſtimonio comprobatur: & eſt hodie oppidulum in Galilæa gentium.*

[7] Κανὰν, ἕως Σιδῶνος [8] τῆς μεγάλης, κλήρυ Α'σήρ· ἐν ταύτῃ ὁ Κύριος ἡμῶν κ̀ Θεὸς Ι'ησοῦς Χριστὸς τὸ ὕδωρ εἰς οἴνυ φύσιν μετέβαλεν· ἐντεῦθεν δὲ ἦν καὶ Ναθαναήλ.

CANAN, uſque ad Sidonem majorem, tribus Aſer. In hac Dominus noſter & Deus Jeſus Chriſtus aquam in vini naturam mutavit. Hinc fuit Nathanael.

[3] *CANA, in tribu Ephraim.*

Κανὰ, φυλῆς Ε'φραείμ.

CANA, tribus Ephraim.

[4] *CANATH, vicus Arabiæ, qui nunc Cannatha dicitur: quam cum cepiſſet Naban appellavit Nabotholiam. Fuit autem in tribu Manaſſe, regione Trachonitidis juxta Boſran.*

Κανὰθ, κώμη τῆς Α'ραβίας εἰς ἔτι νῦν Κανα̣θὰ λεγομένη, ἣν ὠνόμασε [9] Ναβὼθ, καὶ γέγονε φυλῆς Μανασσῆ· κεῖται δὲ καὶ εἰς ἔτι νῦν ἐν Τραχωνίτιδι πλησίον Βοστρῶν.

CANATH, vicus Arabiæ, qui etiam modo dicitur Canatha, quem de ſuo nomine vocavit Naboth, & fuit tribus Manaſſe Situs eſt etiam hodie in Trachonitide juxta Boſtras.

[5] *CANE, in tribu Manaſſe.*

Κανὲ, φυλῆς Μανασσῆ.

CANE, tribus Manaſſe.

CAPHARA, urbs in tribu Benjamin, Joſ. XVIII. verſ. 26. quæ & alibi *Cephira* appellatur, vel *Caphira*. Hæc vox *villam* ſignificat.

[6] *CAPHARNAUM, juxta*

Καφαρναοὺμ, παρὰ τὴν Γεννη-

CAPHARNAUM, ſecus

## NOTÆ.

[1] Et in hac voce mendi eſt ſuſpicio, Καβσαείμ legimus apud Septuaginta in correctioribus libris, in noſtra verſione *Cibſaim*, Joſ. 21. v. 22. quæ cum Hebraica ſcriptione concordant. Fuit autem Levitica civitas in tribu Ephraim, quæ alio nomine 1. Paral. 6. v. 68. *Jecmaam* appellatur. Significat hæc vox *geminam congregationem*: eſt enim dualis numeri ea vox. BONFRERIUS.

[2] Multa hic obſcura ſunt, quæ de *Cana* dicuntur, & involuta, quod multa videantur tribui *Canæ majori*, quæ tribuenda ſunt *minori*: nam *Cana minor* eſt illa, in qua Chriſtus aquam mutavit in vinum, de eadem erat Nathanael; eadem erat Galilææ oppidum. Hæc igitur omnia quæ poſterius habentur, conveniunt *Canæ minori*, non *majori*. Credo autem totam hanc intricationem & obſcuritatem naſci, quod aliqua hic loco ſuo ſint mota; ita quippe legendum arbitror: *Cana uſque ad Sidonem majorem. Fuit autem Cana in tribu Aſer. Eſt quoque & altera minor, ad cujus diſtinctionem, major hæc dicitur, ubi Dominus noſter atque Salvator*, &c. Itaque *Cana major* in tribu Aſer fuit, *Cana minor* in tribu Zabulon & Galilæa inferiore. Prima illa verba; *uſque ad Sidonem majorem*; ſumta ſunt e Joſ. 19. v. 28. quæ hic ad rem non multum faciunt, ſatiuſque fuiſſet ad perſpicuitatem abeſſe; ſignificat hæc vox *poſſeſſionem*, vel *calamum*. IDEM.

[3] Quod in Hebræo eſt נחל קנה *nachal Cana*, Joſ. 16. v. 8. Hieronymus appellative *vallem arundineti* dixit, Septuaginta Interpretes in emendatioribus Codicibus *torrentem Cana* dicunt (nam נחל *nachal*, *vallis* vel *torrens* verti poteſt.) Codex Romanus truncata priore voce *Chelcana* dixit, Joſ. 17. v. 9. ubi ejuſdem vallis arundineti ſit mentio, fere magis corrupta eſt verſio Septuaginta Interpretum, habent tamen Aldinus & Baſileenſis Codex *torrentem Cane*, quomodo etiam legit auctor hujus libri locorum Hebraicorum paulo poſt in *Cane*. Fuit autem *torrens Cana*, vel *vallis arundineti* (*cana* enim arundinem vel calamum ſonat) in confinio duarum tribuum Ephraim & Manaſſe. IDEM.

[4] De hac habes Num. 32. v. ult. ubi urbis nomen eſt *Chanath*, viri vero nomen qui eam cepit eſt Nobe, a quo & Nobe eadem civitas appellata dicitur ſuo nomine urbi impoſito. Fuit autem in dimidia tribu Manaſſe Trans-Jordanina. An dici debeat *urbs Trachonitidis regionis* petendum eſt ex iis quæ de Trachonitide & Ituræa dicemus in voce Ituræa. Pro *Naban* hic crediderim legendum *Nabach*. Eadem eſt hujus vocis cum præcedenti *Canà* ſignificatio. IDEM.

[5] *Torrentem Cane* dicunt Septuaginta Interpretes, Joſ. 17. v. 9. quem locum *vallem arundineti* dixit Hieronymus. Vide quæ paulo ante de *Cana* in tribu Ephraim dicta ſunt. Itaque idem locus eſt, quem hic in tribu Manaſſe, ibi in tribu Ephraim ponit, quia in utriuſque tribus erat confinio: neque vero Script. alterutri tribui torrentem præ altera adſcribit. IDEM.

[6] Loco eſt opportuniſſimo ſita ad initium ſtagni Geneſareth, ubi minor Jordanes in ſtagnum influit. In ea fere Chriſtus habitavit, & cum diſcipulis ſuis verſatus eſt, urbemque ac totam regionem vicinam ſui luce Evangelii & miraculis colluſtravit. Significat hæc vox ſi ultima ſyllaba ſcribatur per ע *villam pulchram*, ſi per א quomodo exprimitur in verſione Syriaca, *villam conſolationis*, quod poſterius belle cum allatis a Chriſto Evangelicis promiſſionibus congruit. Eſt & apud Joſephum *Capharnaum* fontis uberrimi nomen juxta eamdem *Capharnaum* urbem 3. Belli c. 18. BONFRERIUS.

[7] Κανὰν ἕως, ita voces dividendæ, ut ex Hieronymo liquet, etſi in manuſcripto ſit, Κανανέως. IDEM.

[8] Τῆς μεγάλης ) Non intelligo cur *Hieronymus* eumque ſequutus *Bonfrerius* verterint μεγάλην, *majorem*, quæ vox ſtatuit aliam eſſe Sidonem minorem. Sidon in Scriptura dicitur *magna* רבה *rabbath*, quia erat Phœniciarum urbium maxima. Vide *Sam. Bochartum* Phalegi Lib. IV. cap. 35. Suſpicarer legendum, apud *Hieronymum*: CANA, *uſque ad Sidonem magnam. Major, nempe, eſt; eſt & altera minor* &c. Supererit tamen error *Euſebii* & *Hieronymi*, affirmantium Chriſtum mutaſſe aquam in vinum in majore Cana, cum hoc contigerit in minore. CLERICUS.

[9] Ναβὼθ ] Nomen ignotius Ναβὼχ ſolemni librariorum inſcitia, mutatum in notius Ναβὼθ; nam hic vir Num. XXXII. 42. vocatur Hebraice נבה *nobabh*, deque ſuo nomine ſic urbem vocavit.

1 Hæc

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| *ſtagnum Geneſareth uſque hodie oppidum in Galilæa gentium ſitum in finibus Zabulon & Nephthalim.* | σαρίτην [4] λίμνην, εἰς ἔτι νῦν ἐστι κώμη ἐν τῇ Γαλιλαίᾳ τῶν ἐθνῶν, ἐν ὁρίοις Ζαβουλὼν καὶ Νεφθαλείμ. | ſtagnum Geneſareth, uſque hodie vicus eſt in Galilæa gentium, in finibus Zabulon & Nephthali. |

CAPHARSALAMA, 1. Machab. VII. verſ. 31. locus fuit, quantum colligi poteſt, non procul Hieroſolyma, quandoquidem qui in eo loco victi fuerant & fugati a Juda de Nicanoris exercitu Hieroſolimam refugerint. Significat hæc vox *villam pacis*. Sed & Joſephus *Capharſalama* Lib. 13. Antiq. c. 18. Κώμην, ſeu vicum nominat. Eamdem facit Adrichomius *Capharſalama* cum Antipatride & Dora, quæ Hieroſolyma paulo erat remotior, quam & juxta mare ſtatuit, Joppeque vicinam facit, ſed vereor ut hoc ſatis probari poſſit. Vide ſupra ANTIPATRIS.

CAPHETETHA, Græce *Caphenatha*, murus Hieroſolymitanus qui ad Orientem erat, & torrentem Cedron ſpectabat, 1. Macchab. XII. verſ. 37.

CAPHIRA. Vide CAPHARA.

CAPHTORIM, ii ſunt quos verſio noſtra Deuter. II. *Cappadoces* vocat, & regio e qua profecti ſunt *Caphtor* in Hebræo dicitur, in verſione noſtra *Cappadocia*. Quis populus ſit *Caphtorim* (quos non alios eſſe exiſtimamus quam Philiſthæos) & quæ regio *Caphtor*, inquirimus ad illum locum, Deuter. II. verſ. 23.

CAPPADOCIA, Aſiæ Minoris eſt regio: & de hac intelligenda ſunt loca Novi Teſtamenti, quæ *Cappadociæ* meminerunt. Altera eſt *Cappadocia* in Veteri Teſtamento, quæ Hebraice *Caphtor* dicitur, de qua proxime in *Caphtorim* diximus. Deuter. autem II. verſ. 23. definimus aliquas in Nilo eſſe inſulas.

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [1] *CAPSEEL, in tribu Juda.* | Καψεήλ, φυλῆς Ἰούδα. | CAPSEL, tribus Juda. |
| [2] *CARCAR, ubi filii erant Zebeæ & Salmana, quos interfecit Gedeon, & eſt uſque hodie caſtellum cognomento Carcaria, unius diei itinere a Petra diſtans.* | Καρκα, ἔνθα Ζεβεὲ καὶ Σαλμανὰ οὓς ἀνεῖλε Γεδεὼν, καὶ ἔστι νῦν Καρκαία φρούριον ἀπέχον Πέτρας τῆς πόλεως μόνην ἡμέραν. | CARCA, ubi Zebee & Salmana quos interfecit Gedeon, eſtque nunc Carcaria præſidium diſtans ab urbe Petra itinere diei unius. |
| [3] *CARCHEDON, id eſt Carthago, cujus Eſaias & Ezechiel in viſione Tyri recordantur: pro quo in Hebraico Tharſis ſcriptum eſt. Sed & de hac in libris Hebraicarum quæſtionum plenius diximus.* | Καρχηδών. Ἠσαΐας ἐν ὁράσει Τύρου· καὶ Ἰεζεκιὴλ, παρ᾽ ᾧ Θάρσις ἐς τῷ ἑβραϊκῷ κεῖται. | CARCHEDON, Carthago. Iſaias in viſione Tyri · & Ezechiel, apud quem Tharſis in Hebræo extat. |

CAREHIM, videtur ſi verſionem noſtram ſequimur, viculus aliquis ignobilis fuiſſe in tribu Benjamin, 1. Paral. XII. verſ. 6. erat enim iſte Jesbaam, qui dicitur fuiſſe de *Carehim* Benjaminita, ut e verſ. 2. ejuſdem capitis colligi poteſt. At alii ex Hebræo vertunt *Coritæ*, ut ſit nomen patronymicum a *Core*, quod videntur etiam Septuaginta Interpretes ſecuti. At mirum eſſet eos qui dicti ſint ex Benjamin, & de fratribus Saul, *Coritas* appellari.

CARIA, Aſiæ Minoris regio.

NOTÆ.

[1] Hæc in verſione noſtra *Cabſeel* appellatur, Joſ. 15. v. 21. de qua & nos ſuo loco ſupra. IDEM.

[2] Hujus loci nulla fit mentio in verſione noſtra, e qua tamen excidiſſe non inanis eſt ſuſpicio; habetur enim in Hebræo, Chaldæo, & Septuaginta Interpretibus, Judic. 8. v. 10. Eſt autem, ut tota Gedeonis indicat profectio, & Hieronymiana hic deſcriptio, locus in Trans-Jordanina regione, idemque, quantum ſuſpicor, in tribu Gad. Ibi *Zebee* & *Salmana* (non filii eorum, ut hic apud Hieronymum legitur) cum reſiduis copiis quieſcentes aggreſſus Gedeon fudit; regeſque illos cepit. Vide quæ nos ad illum locum plura. IDEM.

[3] Habes de hac apud Iſaiam c. 23. v. 1. & 14. apud Ezechielem c. 27. v. 12. & 28. v. 13. quibus omnibus locis in Hebræo habetur תרשיש *Tharſis*. Itaque quæ ibi apud Iſaiam in Hebræo dicuntur *naves Tharſis*, ab Hieronymo in verſione noſtra, *naves maris*, Interpretes Septuaginta πλοῖα Καρχηδόνος, *naves Carthaginis* dixerunt: apud Ezechielem vero utroque loco, ubi in Hebræo habetur: *Tharſis negotiatores*, Septuag. habent, ἔμποροι Καρχηδόνιοι, *negotiatores Carthaginenſes*, quomodo item Ezech. 27. vertit Hieron. at ipſe altero loco *negotiatores Tharſis* dixit. Ex quibus colligere licet quotieſcumque cum Tyro agitur apud Prophetas, & de navigatione ſermo eſt, Septuag. Interpretes nomine *Tharſis* Carthaginem intelligere, propterea quod cum illa tamquam amica colonia frequentiſſima exerceret commercia: alias enim nomine *Tharſis* non ſolam Carthaginem intelligi in Scriptura, ſed quaslibet vel inſulas vel loca tranſmarina diximus ad Geneſ. 10. v. 4. IDEM.

[4] Τὴν Γεννησαρίτην λίμνην) Eſt in Pariſina τὴν Γεννησὰρ τὴν λίμνην. Legendum τὴν Γεννησὰρ λίμνην, aut τὴν Γεννησαρῖτιδα λίμνην. Utroque modo loquitur *Joſephus*. Vide Antiquit. Judaic. Lib. XVIII. c. 3. & de Bello Judaic. Lib. III. c. 32. CLERICUS.

| HIERONYMUS. | ΕΥ᾿ΣΕ᾿ΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [1] *CARIATH, vicus qui sub Gaba metropoli fuit.* | Καριάθ, πόλις ὑπὸ Μητρόπολιν Γαβαθά. | CARIATH, civitas sub metropoli Gabatha. |
| [2] *CARIATHAIM, civitas quam exstruxerunt filii Ruben. Nunc autem est vicus Christianis omnibus florens juxta Medebam urbem Arabiæ & appellatur Corajatha, in decimo milliario supradictæ urbis contra Occidentalem plagam, vicinus ejus loci, qui appellatur Bare.* | Καριαθιείμ, πόλις ἣν ᾠκοδόμησαν οἱ υἱοὶ Ῥουβὴν, καὶ νῦν ἐστιν ὅλη Χριστιανῶν κώμη παρὰ Μηδαβὰν πόλιν τῆς Ἀραβίας [7] λεγομένην Καριάθα ἀπὸ ι σημείων τῆς Μηδαβὰν πρὸς δυσμὰς, ἐπὶ τὸν Βάριν. | CARIATHIIM, civitas quam ædificarunt filii Ruben, & nunc est vicus totus Christianorum juxta Medaban urbem Arabiæ quæ dicitur Carias in decimo milliario Medabæ versus occidentem ad Barin. |
| [3] *CARIATHARBE, id est, villulæ quatuor, quæ & Chebron.* | Καριαθιρβῶ, αὕτη ἐστὶ Χεβρών. κεῖται καὶ ἀνωτέρω. | CARIATHIRBO, hæc est Chebron. Extat & supra. |
| [4] *CARIATHBAAL, civitas Jarim in tribu Juda.* | Καριαθβαὰλ, αὕτη πόλις [8] Γαρκὴ φυλῆς Ἰούδα. | CARIATHAN, hæc est civitas Jarce tribus Juda. |
| [5] *CARIATHIARIM, quæ & Cariathbaal, civitas saltuum, una de urbibus Gabaonitarum pertinens ad tribum Juda, euntibus ab Ælia Diospolim in milliario nono. De hac fuit Urias Propheta, quem interfecit Joachim in Hierusalem, sicut scribit Hieremias. Sed & in libris Paralipomenon filius Sabal appellatur Cariathiarim.* | Καριαθιαρείμ, [9] ἣ καὶ Καριαθβαὸδ, ἣ καὶ πόλις Ἰαείρ, μία τῶν Γαβαωνιτῶν, φυλῆς Ἰούδα, μεταξὺ Αἰλίας καὶ Διοσπόλεως ἐπὶ τῆς ὁδοῦ κειμένη ἀπὸ σημείων θ' Αἰλίας. Ἐντεῦθεν ἦν Οὐρίας ὁ προφήτης, ὃν ἀνεῖλεν Ἰωακεὶμ ἐν Ἱερουσαλὴμ, ὡς ἐν Ἱερεμίᾳ· Ἐκαλεῖτο δὲ Καριαθιαρεὶμ καὶ ὁ υἱὸς τοῦ Σωβὰλ, ὡς ἐν παραλειπομένοις. | CARIATHIARIM, quæ & Cariathbad, seu etiam civitas Jair, una Gabaonitarum, tribus Juda, inter Æliam & Diospolim, in itinere sita nono lapide ab Ælia. Inde erat Urias Propheta, quem interfecit Joachim Hierosolymis, ut est in Hieremia. Vocabatur autem Cariathiarim & filius Sobal, ut est in Paralipomenis. |

CARIATHSENNA, urbs in tribu Juda, Jos. xv. vers. 49. Eadem vocata est *Dabir*, ut ibidem habetur: item *Cariathsepher*, quod significat civitatem literarum, ut nostra versio explicat, Jos. xv. vers. 15. Nos de omnibus istis nominibus, significatione, origine plura diximus, Jos. x. vers. 38. & Jos. xv. vers. 49.

CARIATHSEPHER. Vide proxime CARIATHSENNA.

| | | |
|---|---|---|
| [6] *CARIOTH, in regione* | Καριὼθ ἐν χώρᾳ Μωὰβ, ὡς | CARIOTH, in regione |

NOTÆ.

[1] Habes *Cariath* urbem in tribu Benjamin, Jos. 18. v. 28. cui proxime præmittitur Gabaa. Ipsa vox *Cariath* urbem significat. IDEM.

[2] De urbe *Cariathaim* in tribu Ruben habes, Num. 32. v. 37. & Jos. 13. v. 19. Significat autem hæc vox *duas urbes*, vel *urbem geminam*, forte quod duabus quasi urbibus, quarum singulæ diversas portas & mœnia habebant, constaret; quemadmodum nos Atrebati in Belgio nostro videmus; neque insolens est urbem duabus quasi constare partibus, quarum una superior, altera inferior urbs appelletur, vel una urbis antiquæ, altera urbis novæ nomen obtineat. Eadem urbs fuerat aliquando Emim, Gen. 14. v. 5. quos Moabitæ expulerunt, eorumque regionem obtinuerunt, Deuter. 2. v. 20. Moabitas Amorrhæi, e tota illa Trans-Jordanina regione cis Arnonem expulerunt Amorrhæos Israelitæ: sed tandem Moabitæ postliminio videntur eam regionem occupasse translatis in Assyrios decem tribubus, interque cæteras urbes hanc *Cariathaim* recuperasse, unde & Hierem. 48. & Ezechiel c. 25. contra Moab prophetantes hujus urbis inter cæteras meminerunt. Est & alia *Cariathaim* Levitica civitas in tribu Nephthali, 1. Paral. 6. v. 76. quæ Jos. 21. v. 32. appellatur *Carthan.* IDEM.

[3] De *Cariatharbe*, quæ eadem est cum *Hebron*, supra dictum est in ARBOCH. An a quatuor, an aliunde hanc appellationem sortita sit, petendum ex iis quæ Gen. 23. v. 2. diximus, & quæ Jos. 14. v. ult. dicemus. BONFRERIUS.

[4] De hac habes sub nomine *Cariathbaal*, (quod significat civitatem Baal) Jos. 15. v. 60. ubi & additur eamdem esse quæ *Cariathjarim*, cujus vocis etiam explicatio ibidem subjicitur, nempe *urbs silvarum*, id enim sonat *Cariathjarim*, quod hic Hieronymus dixit, *civitas Jarim.* Itaque per *Jarim* hic ne intelligas nomen aliquod viri proprium. Eadem urbs habuit & tertium nomen *Baala*, ut habetur eodem Jos. 15. v. 9. De hac rursum proxime sub nomine CARIATHJARIM. IDEM.

[5] De *Cariathjarim* habes non uno loco in Scriptura, sed imprimis Jos. 15. v. 9. & 60. in quo utroque loco habes ejus vocis significationem explicatam, quam & Hieron. hic interpretatur *civitatem Saltuum*. Hieronymus eam reponit in tribu Juda, & merito; id enim passim tota Scriptura sonat, Jos. 15. v. 60. 18. v. 14. Judic. 18. v. 12. & 1. Paral. 13. v. 6. ut mirum sit contra nitente Scriptura nullo argumento Adrichomium eam reponere in tribu Dan. Fuit tamen in confinio tribus Benjamin, atque adeo in terminis tribus Judæ Borealibus, ut colligitur e Jos. 15. v. 9. & c. 18. v. 14. Hæc una fuit e quatuor urbibus, quæ se cum Gabaonitis Josue dediderunt, Jos. 9. Quod hic habes de *Uria Propheta*, qui in hac urbe natus fuerat, occiso a Joakim rege Juda habes apud Hierem. c. 26. v. 20. & deinceps. De *Sobal patre Cariathjarim* habes 1. Paral. 2. v. 50. Sed id ad rem præsentem nihil pertinet, cum ibi *Cariathjarim* viri nomen sit proprium. In urbe *Cariathjarim* ad annos plures mansit arca fœderis, a Samuele usque ad Davidis tempora 1. Reg. 7. & 1. Paral. 13. De eadem urbe nos egimus ad Jos. 15. v. 9. IDEM.

[6] Hujus fit mentio in Prophetiis contra Moab, Hierem. 48. v. 24. 41. & Amos. 2. v. 2. Est altera *Carioth* in tribu Juda, Jos. 15. v. 25. Significat hæc vox *civitates*; est enim pluralis numeri. IDEM.

[7] Λεγομένην Καριάθα) Legendum ex *Hieronymo* λεγομένην Καριαθά, neque enim *Medeba* מדבה vocabatur Καριαθὰ קריתה, sed quæ duali numero antea dicebatur Καριαθαείμ, קריתים, *Kirjathajim*. Male etiam, apud *Hieronymum*, legitur *Corajatha*: legendum enim *Cariatha*, ut ex dualis prolatione liquet. CLERICUS.

[8] Pro Γαρκὴ, hic repone Ἰαρείμ. Est enim eadem civitas Cariathbaal & Cariathjarim. BONFRERIUS

[9] Ἣ καὶ Καριαθβαὸδ, ἣ καὶ πόλις Ἰαείρ) Lege ἣ καὶ Καριαθβαὰλ, ἣ καὶ πόλις Ἰαρείμ, קרית יערים CLERICUS.

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| *Moabitarum, ficut Hieremias fcribit.* | Ἱερεμίας. | Moab, ut Hieremias (fcribit.) |

CARITH. Vide infra CHORATH.

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [1] *CARMELUS, ubi quondam Nabal Carmelius fuit, & nunc villa eft Carmelia nomine decimo lapide oppidi Chebron vergens ad Orientalem plagam: ubi & Romanum præfidium eft pofitum.* | Κάρμηλος, ἔνθα ἦν Ναβὰλ, κώμη ἐστὶ εἰς ἔτι νῦν Χερμαλλὰ ὀνομαζομένη, ἥτις ἑρμηνεύεται Κάρμηλος, ἀπὸ δεκάτου σημείου Χεβρὼν πρὸς ἀνατολάς, ἔνθα φρούριον ἐγκάθηται. | CARMELUS, ubi erat Nabal, vicus eft ufque hodie qui dicitur Chimalla, quem interpretantur Carmelum in decimo lapide Chebron ad Orientem, ubi præfidium refidet. |
| [2] *CARNAIM ASTAROTH, nunc vicus eft grandis in angulo Bataneæ, & appellatur Carnea trans fluenta Jordanis, traduntque ibi fuiffe domum Job.* | Καρναεὶμ Ἀσταρὼθ, ἔστι νῦν κώμη μεγίστη τῆς Ἀραβίας, ἥτις ἐστὶν ἡ Βατανaία λεγομένη ἐπέκεινα τοῦ Ἰορδάνου, ἔνθα ὡς ἐκ παραδόσεως τοῦ Ἰὼβ τὸν οἶκον ἐπιδεικνύουσιν· ἔστι δὲ καὶ ἄλλη ἐν ὁρίοις Αἰλίας Καρναία λεγομένη κώμη. | CARNAIM Aftaroth, nunc eft vicus maximus Arabiæ quæ eft quam dicunt Batanæam trans Jordanem, ubi tanquam ex traditione oftendunt domum Jobi. Eft & alius in finibus Æliæ vicus qui dicitur Carnæa. |

CARNION. Vide proxime CARNAIM.

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [3] *Carta, in tribu Zabulon feparata Levitis.* | Καρθα, πόλις Ζαβουλὼν, Λευΐταις ἀφωρισμένη. | CARTHA, civitas Zabulon feparata Levitis. |
| [4] *CARTAM, in tribu Nephthali feparata Levitis.* | Καρθὰμ, πόλις φυλῆς Νεφθαλείμ, Λευΐταις ἀφωρισμένη. | CARTHAM, civitas tribus Nephthali, feparata Levitis. |

CARTHA. Vide CARTA.

CARTHAGO, celeberrima urbs Africæ in peninfula tefte Strabone Lib. *16.* fita, Tyriorum olim colonia, quæ de imperio diu cum Roma certavit; fubacta tandem, & Romanorum effecta colonia.

CARTHAN. Vide CARTAM.

CASALOTH. Vide ACHASELUTH.

CASBON, urbs in Galaaditide, I. Machab. v. verf. *36.*

CASIS VALLIS, urbis nomen in tribu Benjamin, Jof. XVIII. verf. 21. ubi Hebraice dicitur עמק קציץ *Emek Keziz*, quarum vocum prior עמק vallem notat.

CASPHIN, urbs, quæ a turbis habitabatur, gentium promifcuarum, quamque Judas Machabæus expugnavit, 2. Machab. XII. verf. 13. ubi ea fita fuerit obfcurum eft: Adrichomius eam Jamnia novem ftadiis diffitam in tribu Dan reponit, exiftimans fe id e Scriptura colligere: at fatendum eft id e Scriptura colligi non poffe; videtur tamen ea civitas in Palæftino illo & maritimo tractu reponenda; ibi enim fere gentiles habitabant, cum Judæi interiora incolerent.

CASPHOR, urbs in Galaaditide, I. Machab. v. verf. *26.*

N o t æ.

[1] Hujus *Carmeli* in tribu Juda meminit Scriptura, I. Reg. 15. v. 12. & toto cap. 25. ejufdem libri, fuiffeque nomen montis & urbis in eodem monte probabimus, I. Reg. 15. v. 12. & urbis quidem *Carmel* in tribu Juda fit mentio, Jof. 15. v. 55. Sed eft *Carmelus* mons alter multo in Scriptura nobilior, in quo habitavit Elias juxta mare, unde & *Carmelus maris* appellatur, Jof. 19. v. 26. in quo & propheta admiranda quædam opera patravit, quæ fub finem Lib. 3. Reg. referuntur. Attingitur ifte mons *Carmelus* a tribus tribubus, ab Occidentali & Boreali plaga a tribu Afer, ab Oriente a tribu Zabulon, ab Auftro a dimidia tribu Manaffe Cis-Jordanina: ut indicat Jofephus, faltem ex parte lib. 5. Ant. c. 1. & nos probamus partim Jof. 17. v. 10. partim c. 19. v. 14. Abeffe Ptolemaide centum viginti ftadiis ex Jofepho refert Adrichomius; id autem habes apud Jofephum lib. 2. Belli c. 9. ubi totidem ftadiis *Carmelus* mons removetur verfus Auftrum a Ptolemaide, quæ Borealior eft. Jofephus lib. 3. Belli c. 2. ait *montem iftum olim fuiffe Galilæorum; tunc autem*, hoc eft, fuo tempore *fuiffe Tyriorum*. Fuiffe vero hos montes fœcundos & frugum ubertate infignes indicat ipfum nomen *Carmel*, quod Hebræis fignificat fpicam plenam, fed adhuc viridem & teneram, atque inde ad locum feracem, & hujufmodi fpicis confitum idem nomen accommodatur: eamdem ubertatem paffim denotant Scripturæ loca, in quibus eadem vox feu proprie feu appellative ufurpatur, Ifaiæ 16. v. 10. & Cap. 29. v. 17. & Cap. 32. v. 15. & Cap. 35. v. 2. Hierem. 2. v. 7. & Cap. 48. v. 33. Sitne autem tertius aliquis locus trans Jordanem *Carmelus* dictus vel in Moabitide regione merito revocari poteft in dubium, ex Ifaiæ Cap. 16. v. 10. & Hierem. Cap. 48. v. 33. ubi hi Prophetæ vaticinantes adverfum Moab dicunt: *Auferetur, vel ablata eft lætitia & exultatio de Carmelo.* Nihilominus ego malim iis locis eam vocem effe appellativam, & fignificare quemlibet locum apud Moabitas ubertate infignem. Idem.

[2] De hac urbe in Galaaditide jam antea dictum eft in *Aftaroth Carnaim*, ubi & oftendimus eam effe quæ alibi *Aftaroth* voce pofteriore non addita appellatur. Quemadmodum vero *Aftaroth* non addita voce altera alibi nuncupatur, ita & *Carnaim* aliquando appellatur non addita voce illa priore, ut I. Machab. 5. v. 26. 43. 44. ubi ex circumftantiis, cum res tota trans Jordanem agatur, & in Galaaditide, fatis colligitur non aliam ab *Aftaroth*, vel *Aftaroth-Carnaim* eam urbem effe. Eadem voce paulifper corrupta *Carnajon* dicitur, 2. Mach. 12. v. 21. 26. Eadem enim iftic Judæ Machabæi victoria refertur, quæ I. Machab. 5. proditur, ubi ea urbs *Carnaim* dicta fuit. Bonfrerius.

[3] De hac habes Jof. 21. v. 34. ubi *Cartha* in verfione noftra appellatur. Idem.

[4] Carthan in verfione noftra dicitur, Jof. 21. v. 32. Eadem I. Paral. 6. v. 76. *Cariathaim* appellatur. Idem.

HIERONYMUS. | ΕΥ'ΣΕ'ΒΙΟΣ. | EUSEBIUS.

[1] *CATATA CHRYSEA, id eſt, ad aurea; ſunt autem montes auri fertiles in deſerto procul undecim manſionibus a Choreb, juxta quos Moyſes Deuteronomium ſcripſiſſe perhibetur: ſed & metalli æris Phano, quod noſtro tempore corruit, montes venarum auri plenos olim fuiſſe vicinos exiſtimant.*

Κατὰ τὰ χρυσέα ὄρη ἐστὶ χρυσοῦ ψηγμάτων ἔμπλεα ἐπὶ τῆς ἐρήμου ιά· ἡμερῶν ὁδὸν ἀπέχοντα τοῦ ὄρους Χωρὴβ, παρ' οἷς ὁ Μωϋσῆς τὸ δευτερονόμιον γράφει· λέγεται δὲ [6] ἐμφαίνειν χαλκοῦ μετάλλοις τὸ παρακεῖσθαι ὄρη χρυσοῦ μετάλλων.

CATA CHRYSEA, montes ſunt pleni ramentis auri in deſerto via dierum undecim diſtantes a monte Choreb, apud quos Moyſes Deuteronomium ſcribit. Fertur autem veriſimile montes aurei metalli quondam vicinos fuiſſe æris metallis.

CATETH, urbs in tribu Zabulon. Joſ. xix. verſ. 15.

[2] *CEDAR, in Ezechiel principes Cedar, ſed & Eſaias & Hieremias in viſione Arabiæ hujus vocabuli recordantur. Eſt autem regio in eremo Saracenorum a filio Iſmaelis Cedarita cognominata.*

Κηδὰρ, ἐν Ἰεζεκιὴλ, ἄρχοντες Κηδάρ· καὶ ἐν Ἡσαΐᾳ, καὶ ἐν Ἱερεμίᾳ ἐν ὁράσει τῆς Ἀραβίας· ἔστι δὲ χώρα [7] Ἀβραάμ.

CEDAR, in Ezechiele, principes Cedar, in Iſaia quoque & Hieremia in viſione Arabiæ: eſt regio Abrahæ.

[3] *CEDEM, in Ezechiel, quod Aquila & Symmachus interpretantur orientem.*

Κεδὲκ, ἐν Ἰεζεκιὴλ· Ἀκυλ· Σύμμ· ἀνατολῶν.

CEDEC, apud Ezechielem. Aquila, Symmachus (vertunt) plagæ orientalis.

[4] *CEDES, ſortis Nephthalim, civitas Sacerdotalis atque fugitivorum in Galilæa ſuper montem Nephthalim. Sed & hanc cepit rex Aſſyriorum, quæ nunc Cidiſſus appellatur in viceſimo Tyri milliario juxta Paneadem.*

[8] Κεδὲς, πόλις ἱερατικὴ καὶ φυγαδευτήριον, ἐν τῇ Γαλιλαίᾳ ἐν τῷ ὄρει Νεφθαλείμ· καὶ ταύτην εἷλεν ὁ βασιλεὺς Ἀσσυρίων· αὕτη ἐστὶ [9] Κυδοσσὸς, ἀπέχουσα Τύρου σημείοις ή, παρακειμένη Πανεάδι.

CEDES, civitas ſacerdotalis, & refugii in Galilæa, in monte Nephtali, & hanc cepit rex Aſſyriorum. Hæc eſt Cydiſſus, diſtans Tyro octo millibus paſſuum, vicina Paneadi.

CEDIMOTH. Vide CADEMOTH.

CEDRO. Vide CEDRON proxime.

[5] *CEDRON, appellatur tor-*

Κεδρὼν, χειμάῤῥους, ἡ φάραγξ

CEDRON, torrens ſeu val-

---

N O T Æ.

[1] Vox Græca eſt, quam uſurpant Septuag. Deut. 1. v. 1. quam tamen Latini iſtius verſionis Interpretes non retinent, ſed ad unum omnes *auriſodinas* dixerunt. In Hebræo eſt די זהב *Dizahab*, quod loci videtur eſſe nomen proprium in deſerto, id tamen a reipſa ſumtum fuiſſe credibile eſt: ſonat autem ea vox *auri abundantiam*. Hieronymus omiſſa copulativa particula, quæ eam vocem cum præcedenti conjungit, dixit: *Ubi auri eſt plurimum*. IDEM.

[2] Inter Iſmaelitarum filios *Cedar* ſecundo genitus fuit, Gen. 25. v. 13. & 1. Paral. 1. v. 29. a quo apud Iſmaelitas, ſeu Saracenos nomen accepit urbs hæc in ea regione primaria. Ponit & Brochardus *Cedar* alteram in Idumæa Orientali ſeu Galaaditide; itemque cum Brochardo Adrichomius: & de hac *Cedar* probabile mihi eſt ſermonem eſſe Judith 1. v. 8. quandoquidem & pro *Cedar* in Græco ibi ſit Galaad. IDEM.

[3] Hebræis קדם *Kedem* eſt Oriens. Hanc vocem retinuerunt quaſi propriam Septuaginta Interpretes, Ezech. 25. v. 4. & 10. ubi pro eo quod Hieronymus dixit filios Orientales, vel filios Orientis, Septuaginta dixerunt υἱοὺς Κεδὶμ, filios Cedem. BONFRERIUS.

[4] Eadem & *Cades* appellatur, deque ea in *Cades* egimus: verum hic perperam Sacerdotalis civitas aſſeritur, cum nulla civitas ſacerdotalis fuerit extra ſortem tribus Judæ vel Benjamin: Fuit tamen Levitica civitas, & refugii, Joſ. 20. & 21. & 1. Paral. 6. Eſt & alia *Cedes* Levitica item civitas in tribu Iſſachar, 1. Paral. 6. v. 72. quæ Joſ. 21. v. 28. videtur *Ceſion* appellata. IDEM.

[5] Hujus torrentis aquæ colligebantur ex omnibus quaquaverſum in circuitu Jeruſalem poſitis montibus; eo enim, videlicet ad partem urbis Orientalem utpote humillimam decurrebant omnium iſtorum montium aquæ. Fluebat autem hic torrens per vallem Joſaphat, quæ erat inter urbem & montem Oliveti a Septemtrione in Auſtrum, quæ vallis etiam *vallis Cedron* appellatur: inde multis auctus fontium & piſcinarum aquis curſum verſus Orientem reflectit, & in mare mortuum ſe effundit. Significat autem *Cedron* obſcuritatem, forte quod is torrens nigris turbidiſque aquis flueret, vel a nigris procellis ſua incrementa accerſeret. Eſt & *Cedro* vel *Cedron* civitas verſus Philiſthæorum regionem, qua in Azotum itur, 1. Machab. 16. v. 9. quam reædificavit Cendebæus, ut ibidem habetur; ad ipſum enim debet referri illud, *quam ædificavit*, cum ex cap. præcedenti conſtet ipſi fuiſſe imperatum a rege Antiocho, ut ædificaret *Cedronem*, eique mandato eum paruiſſe: nam ubi cap. 15. v. 39. 40. verſio noſtra habet *Gedorem*, Græca eodem modo ut cap. ſeq. habent Κεδρὼν. Ex quo & illud probabiliter e noſtra verſione colligi poteſt hanc Cedronem non eſſe aliam ab ea quæ alibi *Cador*, *Cedor*, *Gador*, vel *Gedera* appellatur, urbs in tribu Juda, Joſ. 15. v. 36. mutato primo elemento in ſatis affinem literam ג in ק. IDEM.

[6] Ἐμφαίνειν χαλκοῦ) Græcum hoc non eſt, λέγεται ἐμφαίνειν, *fertur veriſimile*. Legendum ex *Hieronymo*, ἐν Φαινοῖ, *in Phænone*. Negat *Martianæus*, in notis ad hunc locum, ubi fuerit Metallum æris Phanum, quod tempore *Hieronymi* corruit, apud Geographos uſquam reperire ſe potuiſſe. Miror, nam *Euſebius* & *Hieronymus* perſpicue docuerunt infra, in *Fenon*, aut *Phinon*, & nobiliſſimæ fuerunt hæ fodinæ æris in Palæſtina, aut in Idumæa, de quibus multa Patrum loca collegerat dudum *Sam. Bochartus* Hierozoici Parte 2. Lib. III. c. 13. De hoc eodem loco egerat etiam *Lucas Holſtenius*, in notis in Geographiam Sacram *Caroli a S. Paulo*, ad Patriarchatum Antiochenum. Sed ignoſcendum hoc *Martianæo*, quod *Hieronymi* verba emendatiora hic nobis exhibuerit, quæ ex ejus editione hic expreſſa ſunt. Vide & ad *Dedan*. CLERICUS.

[7] Pro *Abraham* hic repone *Iſmael*, qui Abrahæ filius fuit. BONFRERIUS.

[8] Quæ de Cedes dicuntur ſumenda ſunt ex Κατανίων, cui permixtæ ſunt. IDEM.

[9] Κυδοσσὸς) Sic video legi in Editione Pariſina, ex MS. ut videtur. Apud *Joſephum* de Bello Jud. Lib. IV. c. 9. urbs

hæc

| HIERONYMUS. | ΕΥ'ΣΕ'ΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| *rens sive vallis. Cedron juxta Hierusalem ad Orientem plagam est: cujus & Joannes Evangelista meminit.* | Κεδρών, παράκειται τῇ Ἱερουσαλήμ. | lis Cedron, sita est juxta Hierusalem. |
| [1] *CEDSON, in tribu Ruben urbs separata Levitis.* | | |

CEELATHA, Num. XXXIII. vers. 22. Locus in deserto, in quo fuit una ex mansionibus Israelitarum per desertum.

| | | |
|---|---|---|
| [2] *CEILA, in tribu Juda, ubi quondam sedit David: & nunc villula Ceila ad Orientalem plagam Eleutheropoleos pergentibus Chebron, quasi octavo milliario, in qua sepulcrum Abbacuc demonstratur.* | Κειλὰ, φυλῆς Ἰούδα, ἔνθα Δαβὶδ ἐκαθέσθη, καὶ εἰς ἔτι νῦν κώμη Κηλὰ πρὸς ἀνατολὰς Ἐλευθεροπόλεως ἀπιόντων εἰς Χεβρὼν, ὡς ἀπὸ σημείων ιζ'· τὸ μνῆμα Ἀββακοὺμ τοῦ προφήτου αὐτόθι δείκνυται. | CEEILA, tribus Juda, ubi sedit David, & usque hodie vicus est Cela versus orientalem plagam Eleutheropolis pergentibus Chebronem quasi in decimo septimo milliario; ostenditur ibidem sepulcrum prophetæ Abbacum. |

CEILON, regio Arabiæ, quantum colligi potest, inter Ismaelitarum regionem & Euphratem, Judith. II. vers. 13.

CENCHRÆ, vel CENCHREÆ Corinthiorum navale est apud Ptolemæum. Ejus fit mentio, Act. XVIII. vers. 18. & Epistolæ ad Romanos, XVI. vers. 1.

| | | |
|---|---|---|
| [3] *CENE, regio Principum Idumæorum.* | Κενέζ, χώρα ἡγεμόνων Ἐδώμ. | CENEX, regio Principum Edom. |

CENERETH, vel CENEROTH, urbs in tribu Nephthali ad mare Genesareth, Jos. XIX. vers. 35. a qua & *mare Cenereth*, vel *Ceneroth* idem *mare Genesareth* in Scriptura appellatur, Num. XXXIV. vers. 11. Jos. XI. vers. 2. & c. XIII. vers. 27. Debuit ea vel eadem esse cum Capharnaum, vel in eodem prope loco sita, cum tribu Nephthali tantummodo extrema pars maris Genesareth, quæ versus Boream est, attingeret. De hac rursum infra in *Chennereth*; ita enim hoc libro appellat Hieronymus, quam eamdem facit cum Tiberiade, quod ægre adstrui potest, ut ibi dicemus. Ab hac *Ceneroth*, vel *Cenneroth* tota regio vicina seu ad mare Galilææ, seu juxta Jordanem minorem, qua parte in mare Galilææ influit, dicitur *Terra Ceneroth*, 3. Reg. XV. vers. 20.

| | | |
|---|---|---|
| [4] *Ceni, regio Philisthiim.* | Κινὶ, χώρα [5] ἀλλοφύλων. | CENI, regio alienigenarum |

CENNEROTH. Vide CENERETH paulo ante.

CEPHIRA. Vide CAPHARA.

CERETHI, populi nomen & regionis, 1. Reg. XXX. vers. 14. quam a Philisthæis, Philisthæorumque regis diversam non esse puto, uti ad eum locum docebimus.

CESELETHTHABOR. Vide ACHASELUTH.

CESIL, nomen urbis in tribu Juda, Jos. XV. vers. 30.

CESION, urbs in tribu Issachar, Jos. XIX. vers. 20. eadem civitas Levitica, Jos. XXV. vers. 28.

CETHIM, videtur Cyprus insula primum dicta; postea tamen id nomen ad quasvis insulas, vel loca transmarina, Italiam, Græciam in Scriptura accomodari cœptum est, qua de re nos plura, Gen. X. vers. 4.

CETHLIS, urbis nomen in tribu Juda, Jos. XV. vers. 40.

NOTÆ.

hæc vocatur Κυδοισσὰ, diciturque non procul fuisse a Gischala, & sic describitur: *μεσόγειος δὲ ἐστι Τυρίων κώμη καρτερὰ, διὰ μίσους ἀεὶ καὶ πολέμου Γαλιλαίοις, ἔχουσα πλῆθός τε οἰκητόρων, καὶ τὴν ὀχυρότητα τῆς πρὸς τὸ ἔθνος διαφορᾶς ἐφόδιον: mediterraneus est pagus validus, semper infensus & infestus Galilæis, habens multitudinem incolarum, & munitionem opportunam dissidiis quæ sunt cum ea gente.* CLERICUS.

[1] Hæc omnino videtur esse illa, quæ in versione nostra, Jos. 21. v. 36. *Jethson* appellatur. IDEM.

[2] Habes de hac urbe in tribu Juda, Jos. 15. v. 44. quam & David a Saule profugus, Philisthæorum obsidione liberavit; parumque abfuit quin & ipse in eadem a Saule opprimeretur, nisi inde mature profugisset, 1. Reg. 23. IDEM.

[3] Nusquam in Scriptura fit mentio *Cene* pro Idumæorum regione, ne in Septuaginta quidem, quod sciam, Interpretum versione: videtur *Cene* positum pro *Cenez*, quod nomen tamen non tam regionis videtur esse nomen in terra Idumæorum, quam Ducis, qui in ea principatum obtinuit, cujus fit mentio, Gen. 36. v. 11. 15. 42. a quo tamen, sicut a Theman, nomen uni parti regionis Idumæorum adhærescere potuit. Verum Eusebius videtur omnia illa principum Idumæorum nomina pro urbium nominibus sumsisse. IDEM.

[4] Fit *Ceni* mentio, 1. Reg. 27. v. 10. & c. 30. v. 29. e quibus tamen locis nemo facile sibi persuadeat eam esse regionem Philisthinorum, sed tribus Judæ potius versus meridiem regionis vel certi tractus nomen esse: quod exinde patet, quod ejus loci incolæ essent Davidis amici, quibus & prædæ portionem mittit, ibi supra c. 30. immo tantum abest ut Philisthæi essent, quin potius eorum hostes essent, iidemque Judæi, cum hos maxime a se impeti & injuriis affici vellet David videri apud regem Achis, 1. Reg. 27. BONFRERIUS.

[5] Ἀλλοφύλων) Kenæi *alienigenæ* quidem erant, sed non *Philisthæi*, ut recte animadvertit *Bonfrerius*. Quid *Hieronymum* fefellerit alibi jam diximus. CLERICUS.

1 De

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [1] *CETHRON, in tribu Zabulon, in qua pristini remansere cultores.* | Κέτρων, οὐκ ἐξῆρεν ἀπὸ ταύτης ἀλλοφύλους Ζαβουλών, | CETRON, non sustulit ex hoc alienigenas Zabulon. |

CETRON. Vide CETHRON proxime.

| | | |
|---|---|---|
| [2] *CHABOL, terminus Aser.* | Χαβών, φυλῆς Ἰούδα. | CHABON, tribus Juda. |
| [3] *CHABON, in tribu Juda.* | | |
| [4] *CHABRATA, quod interpretatur Aquila* καθ' ὁδὸν, *id est, juxta viam quæ ducit in Ephrata, id est, in Bethlehem, ubi cum Rachel Benjamin peperisset occubuit. Super hoc verbo quid nobis videatur in libro Hebraicarum quæstionum diximus.* | Χαβραθά, Ἀκύλας, καθ' ὁδὸν, εἰς Ἐφραθὰ τῆς Βηθλεέμ [12] ἄγουσαν. | CHABRATA, Aquila, juxta viam, quæ in Ephratha Bethleem ducit. |

CHABUL, terra, regio viginti comprehendens oppida in Galilæa, quam Salomon regi Hiram obtulit. 3. Reg. IX. vers. 11. ab eodemque Hiram; quod ea ipsi non placerent, hoc nomen acceperunt. Quid autem sibi hoc nomen velit, ad eum locum dicetur.

| | | |
|---|---|---|
| [5] *CHALAB, de hac cultores pristinos Aser non potuit expellere.* | Χωβάρ, ὅριον Ἀσήρ· Ἀσὴρ οὐκ ἐξῆρεν ἐκ ταύτης τοὺς ἀλλοφύλους. | CHOBAR, terminus Aser. Aser non sustulit hinc alienigenas. |
| [6] *CHALACH, urbs Assyriorum, quam ædificavit Assur egrediens de terra Senaar.* | Χαλάχ, πόλις Ἀσσυρίων, ἣν ᾠκοδόμησεν Ἀσσοὺρ, ἐξελθὼν ἐκ γῆς Σεννάρ. | CHALAC, urbs Assyriorum, quam ædificavit Assur egressus de terra Sennar. |
| [7] *CHALANNE, civitas regni Nemrod in Babylone, cujus & Esaias meminit dicens: & Chalanne, ubi turris ædificata est.* | Χαλάννε, πόλις βασιλείας Νεβρὼδ ἐν Βαβυλῶνι. κεῖται καὶ ἐν Ἠσαΐᾳ Χαλάνη, οὗ ὁ πύργος ᾠκοδομήθη, | CHALANNE, civitas regni Nemrod in Babylone. Invenitur & in Isaia Chalane, ubi turris ædificata est. |
| [8] *CHALANNE, ubi turris ædificata est; juxta Esaiam, sicut diximus.* | Χαλάννη, οὗ ὁ πύργος ᾠκοδομήθη, ὡς Ἠσαΐας. | CHALANNE, ubi turris ædicata est, ut scribit Isaias. |

CHALANO. Vide CHALANNE proxime.

CHALDÆA, Asiæ regio ad Euphratem, cujus caput Babylon.

CHALE. Vide paulo ante CHALACH.

CHALI, urbis vel loci nomen in finibus tribus Aser, Jos. XIX. vers. 25.

CHAMAAM. Vide proxime CHAMOAN.

| | | |
|---|---|---|
| [9] *CHAMOAN, villula juxta Bethlehem.* | Χαμωάρ, κώμη πρὸς Βηθλεέμ. | CHAMOAR, vicus juxta Bethleem. |
| [10] *CHAMOS, idolum Moab.* | Χαμώς, εἴδωλον Μωάβ. | CHAMOS, idolum Moab. |

CHANATH, eadem urbs, quæ alio nomine dicta est *Nobe* in dimidia tribu Manasse TransJordanina, Num. XXXII. vers. 42. Vide infra in NABBE.

| | | |
|---|---|---|
| [11] *CHAPHTIS, in tribu Juda.* | Χαφθίς. φυλῆς Ἰούδα. | CHAPHTHIS, tribus Judæ. |

NOTÆ.

[1] De hac habes Judic. I. v. 30. sed in nostra versione *Cetron* scribitur. IDEM.

[2] Hæc in versione nostra *Cabul* appellatur, Jos. 19. v. 27. de qua & nos supra in *Cabul*. IDEM.

[3] Hæc in versione nostra *Chebbon* appellatur, Jos. 15. v. 40. IDEM.

[4] Quid sit *Chabrata* apud Septuaginta Interpretes (quod ad locorum nomina minime pertinere puto) fuse diximus ad Gen. 35. v. 16. IDEM.

[5] Hæc in versione nostra *Ahalab* appellatur, Judic. I. v. 31. IDEM.

[6] Hæc in versione nostra *Chale* appellatur, Gen. 10. v. 11. IDEM.

[7] De hac habes Gen. 10. v. 10. Eadem & *Chalane* appellatur, Amos. 6. v. 2. *Calano* Isaiæ 10. v. 9. Septuaginta Interpretes sua versione Isaiæ 10. videntur indicare eam ibi fuisse, ubi turris Babel fuit ædificata; Hieronymus ad Amos. 6. ait: *Chalane Ctesiphontem suo tempore fuisse appellatam*. IDEM.

[8] Non alia hæc a præcedenti. IDEM.

[9] Hæc in versione nostra vocatur *Chamaam*, Hierem. 41. v. 17. IDEM.

[10] Hujus in Scriptura frequens est mentio, sed ad locorum nomina nihil pertinet. IDEM.

[11] Videtur hoc nomen esse corruptum; nullam enim ejus nominis urbem legimus in tribu Juda, ne in codicibus quidem Septuaginta Interpretum, quos habemus. Forte ex *Cethlis*, *Chithlis*, vel *Chathlis*, quo nomine urbs in ea tribu legitur, factum fuerit *Chaphtis*. BONFRERIUS.

[12] Ἄγουσαν] Hæc vox abest a MS. in quo post Βηθλεέμ, teste *Martianæo*, hæc sequuntur: ἔνθα τεκοῦσα Ῥαχὴλ τὸν Βενιαμὶν ἐτελεύτησε, quæ cur omissa sint a *Bonfrerio* nescio. Supplementum vocis ἄγουσαν necessarium non est, sed emendandus erat articulus τῆς ante Βηθλεέμ & mutandus in τὴν, ut liquet ex *Hieronymo*. CLERICUS.

I *Ara-*

| HIERONYMUS. | ΕΥ͗ΣΕ΄ΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|

CHARACA', urbs trans Jordanem apud Tubianæos, feu in terra Tob, 2. Machab. XII. verf. 17.

| | | |
|---|---|---|
| [1] *CHARADDA*, *caftra filiorum Ifrael*. | Χαραδδὰς, σταθμὸς τῶν υἱῶν Ἰσραήλ. | CHARADAS, ftatio filiorum Ifrael. |

CHARAN. Vide CHARRAN.

| | | |
|---|---|---|
| [2] *CHARCHAMIS*, *civitas juxta flumen Euphratem*. | Χαρχαμὶς, πόλις παρὰ τὸν ποταμὸν Εὐφράτην. | CHARCHAMIS, civitas juxta fluvium Euphratem. |
| [3] *CHARMEL*, *unde Nabal Carmelus fuit*, *de qua & fupra*. | Χαλμὲρ, φυλῆς Ἰούδα, κώμη μεγίστη ἐν τῷ Δαρωμᾷ, ὅθεν ἦν Ναβὰλ πλησίον Χεβρὼν πρὸς νότον, ἔνθα φρούρια κάθηται στρατιωτῶν· κεῖται καὶ ἀνωτέρω. | CHALMER, tribus Juda, vicus maximus in Daroma, unde fuit Nabal, juxta Chebron, ad Auftrum, ubi præfidia militum fedent. Extat & fupra. |
| 4 *CHARRAN*, *civitas Mefopotamiæ trans Edeffam*, *quæ ufque hodie Charra dicitur*, *ubi Romanus cæfus eft exercitus*, *& Craffus dux captus*. | Χαρρὰν, αὕτη ἐστὶν εἰς ἔτι νῦν ἐπὶ τῆς Μεσοποταμίας Καῤῥὰ καλουμένη πόλις. | CHARRAN, hæc eft ufque hodie in Mefopotamia Carra quæ vocatur civitas. |
| 5 *CHARRAN*, *civitas Affyriorum in regione Themam juxta Efaiam*. | | |
| 6 *CHARRI*, *ad quem locum perfecutus eft Joab res novas molientem Sibam*. | Χαῤῥὴ, ἔνθα ἐδίωξε τὸν Σαβεὲ ὁ Ἰωάβ. | CHARRI, ubi perfecutus eft Sabee Joabus. |

CHASALOTH. Vide paulo poft in CHASELATABOR, & CHASELATH.

| | | |
|---|---|---|
| 7 *CHASLON*, *in tribu Juda*, *& in finibus Æliæ*, *villa pergrandis*. | Χαλασὼν, φυλῆς Βενιαμὶν, ἐν ὁρίοις Αἰλίας κώμη μεγίστη. | CHALASON, tribus Benjamin, in finibus Æliæ vicus maximus. |
| 8 *CHASELATABOR*, *in tribu Zabulon*. | Χεσελαθθαβὼρ. κλήρου Ζαβουλών. | CHESELATHTHABOR, fortis Zabulon. |
| 9 *CHASELATH*, *juxta Thabor terminus Zabulon*. | Χασελοῦς τοῦ Θαβὼρ ὅριον Ζαβουλών. κεῖται καὶ ἀνωτέρω Χεσσαλοῦς. | CHASELUS Thabor, terminus Zabulon. Extat fupra Cheffalus. |

CHASPHIA, locus apud Chaldæos, 1. Efdræ VIII. verf. 17.

---

NOTÆ.

[1] *Arada*, locus hic unius manfionis filiorum Ifrael in deferto appellatur, Num. 33. v. 24. in noftra verfione. In Hebræo eft חרדה *Charada*, in codicibus Interpretum Septuaginta nunc legimus Χαραδάθ. IDEM.

[2] Juxta Euphratem hæc urbs diferte ponitur, 2. Paral. 35. v. 20. & Hierem. 46. v. 2. Jofephus Lib. 10. Antiq. c. 7. *Charcabefam* nominat. IDEM.

[3] Vide fupra in *Carmelus*. IDEM.

4 Eadem in verfione noftra *Charran* vel *Charan* vel *Haran* appellatur. In ea Abraham cum patre de Ur Chaldæorum profugus antequam migraret in terram Chanaan habitavit, nec nifi mortuo patre inde difceffit. Act. 7. v. 4. IDEM.

5 *Haran* quoque hæc appellatur, 4. Reg. 19. v. 12. & Ifaiæ 37. v. 12. Non videtur tamen Affyriorum civitas, cum iis locis recenfeantur loca ab Affyriis expugnata. Adde fi erat in Theman, hoc eft, vel ad meridiem, vel apud Idumæos (ibi enim erat Theman) quomodo civitas Affyriorum, qui Judææ ad Septemtrionem erant? Crediderim ego hanc *Charran* apud Ifaiam, & Lib. 4. Regum, non effe a præcedenti *Charram* diverfam. Eft tamen & *Charan* altera apud Affyrios, vel Medos inter Ecbatana & Niniven, cujus fit mentio, Tobiæ 11. v. 1. nim. in Vulgata Verfione. IDEM.

6 Habetur ea vox in verfione Septuaginta Interpretum, 2. Reg. 20. v. 14. ubi enim verfio noftra habet, *Omnefque viri electi*, verfio Septuaginta Interpretum habet: καὶ πάντες ἐν Χαῤῥὶ, vel Χαριρὶ, *& omnes in Charri* vel *Chariri*. In Hebræo nulla iftiufmodi vox refpondet, habetur enim וכל הברים *vecol-habberim*, quod ad modum nominis proprii etiam vertit Pagninus: *& omnia loca Berim*; & Tigurini: *& omnia loca quæ dicebantur Berim*. Septuaginta Interpretes (fi tamen hæc ipforum verfio, quæ merito fufpecta eft, quod vix commodum fenfum efficiat) & Hieronymus videntur legiffe hanc vocem interpofito ח, nempe בחורים *bechurim*, id enim electos fignificat, & paffim ea vox in Scriptura pro juvenibus & robuftis hominibus ponitur: Septuaginta tamen Interpretes videntur primam hujus vocis literam fervilem feciffe, & pro præpofitione *in* accepiffe, reliqua velut nomen proprium fumfiffe. Sed in re obfcura ftandum pro noftra verfione. Itaque vox hæc ad nomina locorum propria nihil pertinet. IDEM.

7 *Cheslon* in verfione noftra appellatur, Jof. 15. v. 10. Erat autem in extremis finibus tribus Juda ad Aquilonem, nec procul Ælia feu Hierofolyma, ut ait hic Hieronymus. Vocem hanc *ftultitiam* interpretari poteft. IDEM.

8 Hæc *Cefeleththabor* in verfione noftra appellatur, Jof. 19. v. 12. Eadem quæ *Cafaloth* alibi in verfione noftra dicitur, & mox hic proxime *Chafelath*. Videtur potius in tribu Iffachar fuiffe, quam in tribu Zabulon: fuit tamen in tribus Zabulon confinio. Vide fupra in *Achafeluth*. IDEM.

9 *Cafaloth* in verfione noftra appellatur, Jof. 19. v. 18. Eadem quæ paulo ante *Chafelatabor*, vel *Cefeleththabor* dicta fuit, de qua & in *Achafeluth* videndum. IDEM.

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [1] *CHAZBI, ubi geminos Judæ filios Thamar edidit. Ostenditur autem nunc locus desertus juxta Odollam in finibus Eleutheropoleos. De hoc in libris Hebraicarum quæstionum plenius a nobis disputatum est.* | Χασβεὶ, ἔνθα [7] ἐπήχθησαν τῷ Ἰούδα παῖδες· δείκνυται νῦν ἐν ὁρίοις Ἐλευθεροπόλεως ἔρημος πλησίον Ὀδολλάμ. | CHASBI, ubi Judæ additi sunt filii. Ostenditur modo, in finibus Eleutheropolis locus desertus juxta Odollam. |

CHEBBON, urbis nomen in tribu Juda, Jos. xv. vers. 40.

| | | |
|---|---|---|
| [2] *CHEBRON, quæ quondam vocabatur Arbe, licet male in Græcis codicibus habeatur Arboch; condita est autem ante septem annos quam Tanis urbs Ægypti conderetur. Fuit autem & metropolis Enakim, quos gigantes & potentes intelligere debemus.* | Χεβρὼν, τὸ παλαιὸν ἐκαλεῖτο Ἀρβόκ· ἔκτισται δὲ προτέρα Τάνεως Αἰγύπτου ἔτεσιν ἑπτά· κεῖται δὲ καὶ ἀνωτέρω, καὶ δεδήλωται· ἦν δὲ καὶ βασιλικὴ πόλις τοῦ Ἐνακίμ. | CHEBRON, olim vocabatur Arboc. Condita est prior civitate Taneos in Ægypto septem annis. Extat & supra ac ostensa est. Fuit vero etiam regia civitas Enacim. |

CHELMAD, regionis nomen juxta Assyrios, quantum ex adjunctis colligi potest, Ezech. xxvii. vers. 23. Chaldæus Paraphrastes ibi diserte habet כורי *Madai*, quod *Mediam* significat, uti & nos ex Josepho, Hieronymo & aliis docuimus, Gen. x. vers. 2.

CHELMON, locus juxta Esdrelon & Bethuliam in Galilæa inferiore, Judith. vii. vers. 3.

| | | |
|---|---|---|
| [3] *CHELON, quæ & Ælon oppidum Moab, sicut & in Hieremia scribitur.* | Χελὼν, καὶ Ἐλὼν, πόλις Μωάβ, ὡς ἐν Ἱερεμίᾳ. | CHELON, & Elon, civitas Moab, ut Hieremia. |

CHENE, regio in Asia juxta Mesopotamiam, quantum ex adjunctis regionibus colligi potest, Ezechiel. xxvii. vers. 23.

| | | |
|---|---|---|
| [4] *CHENNERETH, mare, ubi est terminus Judææ in tribu Nephthalim. Sed & oppidum quod in honorem Tiberii Cæsaris Herodes rex Judææ postea instauratum appellavit Tiberiadem, ferunt hoc primum appellatum nomine.* | Χενερὲθ, θάλασσα, ὅριον τῆς Ἰουδαίας· κλήρου Νεφθαλείμ. | CHENERETH, mare (ubi) terminus Judææ: sortis Nephthali. |
| [5] *CEPHIRA, vicus ad civitatem pertinens Gabaon in tribu Benjamin.* | Χεφειρὰ, πόλις ὑπὸ τὴν Γαβαὼν, φυλῆς Βενιαμίν. | CHEPHERRA, civitas infra Gabaon, tribus Benjamin. |
| [6] *CHEPHRI, in tribu Benjamin.* | Χεφρὶ, φυλῆς Βενιαμίν. | CHEPHRI, tribus Benjamin. |

CHERUB, in regione Babylonica, in qua Judæi aliqui captivitatis tempore habitaverant, 1. Esdræ ii. vers. 59. & 2. Esdræ vii. vers. 61.

---

NOTÆ.

[1] Et nos paulo fusius egimus ad Gen. 38. v. 5. ubi sane versio nostra nullum loci nomen habet, sed omnia appellative sumsit. IDEM.

[2] Hæc (præterquam 1. Machab. 5. v. 65. ubi *Chedron* nomen habetur) in nostra versione *Hebron* appellatur, urbs Sacerdotalis in tribu Juda, & in meditullio fere totius Judæ tribus; urbs in Scriptura nobilis, & a rebus multis illustris, seu a Patriarcharum commoratione, seu a Davidis regia, quam ibi habuit priusquam totius Israelis regnum obtineret, cum videlicet in sola tribu Juda imperaret. Quinque a Bethlehem milliaribus distare *Hebronem* asserit D. Radzivilus, sed intelligenda milliaria Germanica vel Polonica majora, cum Bethsur supra in vigesimo ab Ælia lapide *Hebron* euntibus statuatur. Unde *Hebron* dicta sit disputavimus ad Gen. 23. v. 2. Eadem dicta non *Arbe* vocabulo simplici, sed composito *Cariatharbe*, de cujus nominis origine dictum a nobis supra in *Arboch*, & ad Gen. 23. v. 2. De hujus urbis antiquitate vide quæ a nobis dicta Num. 13. v. 23. Quod autem de ejus antiquitate hic dicit, annis videlicet septem Tani urbe Ægypti regia esse antiquiorem, sumtum est e Num. 13. v. 23. & Josepho 1. Antiq. cap. 9. BONFRERIUS.

[3] Hæc in versione nostra *Helon* appellatur, Hierem. 48. v. 21. IDEM.

[4] *Cenereth* vel *Ceneroth* mare appellatur in nostra versione, de quo & nos supra. Quod autem dicit hic esse *terminum Judææ*, intelligo de termino versus Orientem totius terræ Trans-Jordaninæ, quam Judæi possidebant. De *oppido* vero, quod addit Hieronymus, *fuisse urbem illam quam postea instauratam Herodes*, Antipas scilicet *in honorem Tiberii Cæsaris Tiberiadem appellavit*, non existimo nullo modo veritati congruere; sed neque Hieronymus id asseveranter dicit, sed, *ferunt* inquit. Id autem dici non posse existimo e Scriptura manifestum esse, cum *Cenereth* urbs in Scriptura constituatur in tribu Nephthali, Jos. 19. v. 35. at Tiberiadem certum est non fuisse intra fines tribus Nephthali, sed Zabulon potius. IDEM.

[5] Hæc *Cephira*, *Caphira*, vel *Caphara* in versione nostra appellatur, de qua supra suis locis dictum est. IDEM.

[6] Hæc videtur ea esse quæ in versione nostra dicitur *Aphara*, Hebraice הפרה *Haphara*, Jos. 18. v. 23. IDEM.

[7] Ἐπήχθησαν) Male pro ἐτέχθησαν, *nati sunt*, ut recte *Martianæus* CLERICUS.

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| CHESLON. Vide CHASLON. | | |
| [1] *CHETIM, terra Chetim, Cyprus dicitur, in qua civitatem condidit Luza. Nam & urbs hodieque Cypri Citium appellatur.* | Χεττιείμ, γῆ Χεττιείμ, ἡ Κύπρος, [8] ἔνθα πόλις ἐκτίσθη Λουζά. | CHETHIIM, terra Chettiim Cyprus, ubi civitas condita est Luza. |
| CHIDON AREA. Vide AREA CHIDON. | | |
| [2] *CHILON, in terra Juda.* | Χελών, φυλῆς Ἰούδα. | CHILON, tribus Juda. |
| [3] *CHIMARRUS, id est, torrens Cedron (de quo & supra) inter montem Oliveti, & Hierusalem, ubi Dominum Salvatorem Joannes Evangelista narrat traditum.* | Χειμάῤῥους Κέδρων, πρὸ τῆς Ἱερουσαλήμ, ἔνθα ὁ Χριστὸς παρεδόθη, ὥς φησιν ὁ εὐαγγελιστὴς Ἰωάννης. | TORRENS Cedron, ante Hierusalem, quo loco Christus est traditus, ut ait Joannes Evangelista. |
| 4 *CHISIL, in tribu Juda.* | Χοιλή, φυλῆς Ἰούδα. | CHOELLE, tribus Juda. |
| CHIUS, Ægæi maris insula. | | |
| 5 *CHOBA, ad lævam partem Damasci. Est autem Chobaa villa in iisdem regionibus habens accolas Hebræos, qui credentes in Christum omnia legis præcepta custodiunt, & a principe Hereseos Ebionitæ nuncupantur. Contra istiusmodi dogma Paulus Apostolus scribit ad Galatas.* | Χωβά, ἥ ἐστιν ἐν ἀριστερᾷ Δαμασκοῦ· ἔστι δὲ καὶ Χωβὰ κώμη ἐν τοῖς αὐτοῖς μέρεσιν, ἐν ᾗ εἰσιν Ἑβραῖοι οἱ εἰς Χριστὸν πιστεύσαντες Ἐβιωναῖοι [9] καλούμενοι. | CHOBA, quæ est in læva Damasci. Est autem etiam Choba vicus in iisdem partibus, in quo sunt Hebræi qui in Christum credentes Ebionæi vocantur. |
| [6] *CHOBAR, flumen Babyloniorum, sicut in Ezechiele & Hieremia scribitur.* | Χωβάρ, ποταμὸς Ἀσσυρίων ὡς ἐν Ἰεζεκιήλ. | CHOBAR, fluvius Assyriorum, ut in Ezechiele. |
| 7 *CHOMARIM, ubi Josias simulacra combussit.* | Χωμαρρεί, ὅτι κατέκαυσεν ἐκεῖ τὰ εἴδωλα Ἰωσίας. | CHOMARRI, (locus ita dictus) quod ibi combusserit idola Josias. |

## NOTÆ.

[1] *Cethim* in versione nostra dicitur, de qua & nos supra suo loco. Quod autem in ea dicatur hic Luza condita, fit allusio ad historiam, quæ refertur Judic. I. v. 26. ubi dicitur Chananæus quidam prodita civitate sua Bethel, vel Luza Ephraimitis, abiisse in terram *Hetthim*, & ibi aliam civitatem Luzam nomine exædificasse. Verum terram illam *Hetthim* non esse Cyprum, vel *Cethim* Scripturæ, cum alio modo Hebraice scribatur, ad illum locum Judic. I. ostendo. IDEM.

[2] Hæc non videtur alia ab ea, quæ Jos. 15. v. 51. *Olon.* Jos. 21. v. 15. *Holon*, & I. Paral. 6. v. 58. *Helon*, in Hebræo חלן *Cholon* vel חילן *Chilen* dicit BONFRERIUS.

[3] Vox Græca est *χείμαῤῥος* significans in genere *torrentem*, non in particulari *torrentem Cedron*: sed neque usquam Septuaginta Interpretes ea in ea significatione particulari utuntur, nisi addita voce *Cedron*; aliquando etiam loco *χείμαῤῥος* Hebræam vocem retinent, & dicunt *Nachal Cedron*, ut Hierem. 31. v. 40. IDEM.

[4] Hæc in versione nostra, Jos. 15. v. 30. *Cesil* appellatur. IDEM.

[5] In versione nostra *Hoba* appellatur, Gen. 14. v. 15. ubi & ad lævam Damasci; hoc est, partem Aquilonarem constituitur. IDEM.

[6] De hoc fluvio maxime meminit Ezechiel, apud quem multi Judæorum e transmigratione habitabant, ubi & Ezechiel nonnullas suas revelationes habuit, imprimisque illustrem illam de quatuor animalibus Cap. I. IDEM.

[7] Habes hanc vocem in versione Septuaginta Interpretum, 4. Reg. 23. v. 5. loci tamen nomen non est, sed rei potius combustæ. Hieron. in nostra versione pro eo quod Septuaginta Interpretes dixerunt καὶ κατέκαυσε τοὺς χωμαρίμ, *& combussit Chomarim*, habet: *& delevit aruspices*: item Pagninus, Vatablus, Latinus Chaldaicæ paraphrasis Interpres, aliique, Hebræa voce כמרים *chemarim* intelligunt Sacerdotes & sacrificulos: fuisseque rem huic affinem indicant quæ ibi subjiciuntur: *& eos qui adolebant Baal & Soli & Lunæ*. Sed de his suo loco. IDEM.

[8] Ἔνθα πόλις ἐκτίσθη) Codex MS. habet ἔνθα πολιν ἔκτισε, quod legebatur etiam tempore *Hieronymi*, quamquam mendose; debet enim esse, si sic legamus, nominativus aliquis, qui videtur in fine fuisse, ἀνὴρ Βαιθήλ, aut simile quid ex Jud. I. 26. *Eusebius*, ut recte observavit *Bonfrerius*, miscuit כתים *Chethim*, quo nomine quidam Veteres Cyprum dictam voluerunt, cum חתים *Hhitthim*, quæ fuit familia Chananæorum. Mirum est *Hieronymum* errorem hunc non emendasse, imo vero etiam confirmasse, cum addiderit de suo: *Nam & urbs hodieque Cypri Citium*, aut *Cittium nuncupatur*. Sic est enim manifeste legendum, non *Cypricittium*, ut una voce perabsurde legit Benedictinus Parisiensis. Nemini non notum est *Cittium* Cypri oppidum, vel ob Zenonem Dialecticorum Principem, qui in eo natus erat. *Luza* quidem nulla fuit in insula Cypro, sed ubi fuerit hæc nova *Luza* non constat, nam Chitthæorum familia non uno forte in loco habitavit. Potissimas tamen sedes habuit ad austrum Judææ, ut diximus ad Gen. x. 15. Forte, sicut conjicit *Bonfrerius*, in Commentario ad Judices, eadem ac Λύσσα fuit Arabiæ urbs, de qua *Josephus* Antiq. Jud. Lib. XIV. c. 2. in fine. CLERICUS.

[9] Καλούμενοι) In versione *Hieronymi*, flagitio Typothetarum, erant tantum hic duæ primæ syllabæ vocis *custodiunt*, reliquis omissis; quæ ex Parisina Editione restituimus. CLERICUS.

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [1] *CHORATH, torrens trans Jordanem, ubi absconditus est Elias e regione ejusdem fluminis.* | Χορρὰ, χειμάῤῥυς ἐπέκεινα τοῦ Ἰορδάνου. | CHORRA, torrens trans Jordanem. |
| [2] *CHOREB, mons Dei in regione Madian, juxta montem Sina supra Arabiam in deserto: cui jungitur mons & desertum Saracenorum, quod vocatur Pharan. Mihi autem videtur quod duplici nomine idem mons nunc Sina, nunc Choreb vocetur.* | Χωρὴβ, ὄρος τοῦ Θεοῦ ἐν τῇ χώρᾳ Μαδιάμ· παράκειται τῷ ὄρει Σινᾶ ὑπὲρ τὴν Ἀραβίαν ἐπὶ τῆς ἐρήμου. | CHOREB, mons Dei in regione Madian. Vicinus est monti Sinæ supra Arabiam in deserto. |
| [3] *CHOROZAIN, oppidum Galilææ, quod Christus propter incredulitatem miserabiliter deplorat ac plangit. Est autem nunc desertum in secundo lapide a Capharnaum.* | Χωραζεὶν, κώμη τῆς Γαλιλαίας ἣν ὁ Χριστὸς [8] ταλανίζει κατὰ τὸ εὐαγγέλιον· καὶ νῦν ἐστιν ἔρημος, διεστῶσα τῆς Καφαρναοὺμ σημείοις [9] ιβ΄. | CHORAZIN, vicus Galilææ, quem Christus misere deplorat juxta Evangelium: ac nunc est desertus, distans Capharnaum duodecim passuum millibus. |

CHORÆI seu HORRÆI fuit populus, qui priscis temporibus Idumæam Australem incoluit, a qua ab Idumæis ante adventum Israelitarum in Terram Promissam expulsi sunt, ut habetur, Deuter. II. vers. 12. & nos diximus Genes. XIV. vers. 12. & c. XXXVI. vers. 20.

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [4] *CHOTA, regio Assyriorum.* | Χωθὰ, χώρα [10] Ἀσσυρίων. | CHOTHA, regio Assyriorum. |

CHUB, Africæ regio, Ezech. XXX. vers. 5.

CHUN, urbs Syriæ Soba, e qua David æris spolia abstulit, 1. Paral. XVIII. vers. 8.

CIBIAIM, urbs Levitica in tribu Ephraim, Jos. XXI. vers. 22. quæ 1. Paral. VI. vers. 68. videtur *Jecmaam* appellari.

CILICIA, Asiæ minoris regio.

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [6] *CINA, in tribu Juda.* | Κινὰ, φυλῆς Ἰούδα. | CINA, tribus Juda. |
| [5] *CISION, in tribu Issachar civitas separata Levitis.* | Κισὼν, κλήρου Ἰσσάχαρ, πόλις Λευΐταις ἀφωρισμένη. | CISON, sortis Issachar, civitas Levitis assignata. |
| [7] *CISON, torrens juxta mon-* | Κισὼν, χειμάῤῥους πλησίον τοῦ | CISON, torrens juxta mon- |

NOTÆ.

[1] Hic in versione nostra *Carith* appellatur, 3. Reg. 17. v. 3. 5. ibi Elias a corvis panem ei deferentibus pastus est. Hieronymus, vel Eusebius hic trans Jordanem statuit, Adrichomius cis Jordanem in tribu Ephraim, eo fere loco ubi conjungitur tribus Ephraim tribui Benjamin juxta Jordanem. Videtur hæc opinio veritati propior: si enim hic torrens fuisset trans Jordanem, non fuisset a Deo dictum Eliæ cis Jordanem existenti: *Vade contra Orientem, & absconde te in torrente Carith, qui est contra Jordanem*, sed *qui est trans Jordanem*: & forte hic ab Hieronymo, *contra Jordanem* scriptum est, quod in *trans Jordanem* mutatum est. IDEM.

[2] In versione nostra *Horeb* appellatur; ita dictus ab ariditate & siccitate, quam vox illa Hebræis significat. Sitne autem inter Horeb & Sinai nomen distinctio statuenda, eam quæstionem pertractavimus, Exodi 3. v. 1. De hujus montis distantia a finibus Australibus Terræ Promissæ, vide quæ nos diximus, Deut. 1. v. 2. & quæ dicemus 3. Reg. 19. v. 8. IDEM.

[3] Hæc *Corozain* in versione nostra appellatur. Mirum est hic asseri *Galilææ civitatem*, cum Galilæa omnis cis Jordanem esset: hæc autem omnium fere quod sciam sententia, trans Jordanem ad stagnum Genesareth sita fuisse asseratur. Capharnao distantem facit Adrichomius duabus leucis versus Orientem; totidem vel paulo amplius Brochardus. Fuit una e Decapoleos civitatibus. IDEM.

[4] Hæc in versione nostra *Chutha* appellatur, 4. Reg. 17. v. 24. Regionem *Chutham*, & a flumine Chutho, ait Josephus, cognominatam, sed ipse Persidis regionem facit, e qua fuit Cuthæorum illa colonia, qui translatis in Assyrios Israelitis Samariam inhabitarunt, & ab ea Samaritani dicti sunt. BONFRERIUS.

[5] De hac habes Jos. 15. v. 22. IDEM.

[6] Hæc in versione nostra *Cesion* appellatur, Jos. 19. v. 20. Fuit urbs Levitica, Jos. 21. v. 28. IDEM.

[7] *Cison* vel *Cisson* dicitur hic torrens in nostra versione. Victoriam autem illam Barac & Deboræ adversus Sisaram habes Judic. 4. Hujus torrentis aquæ e monte Tabor colliguntur: habet autem geminum alveum, duplicemque rivum in plagas oppositas abeuntem; unus ad Orientem decurrit in mare Galilææ, quem *minorem Cison* vocari dicit Adrichomius; alter ad occasum fluens in mare magnum effunditur, quem *majorem* dici Adrichomius asserit. Juxta priorem illum, qui in Orientem fertur, vult ipse illam de Sisara reportatam victoriam: at ego existimo potius juxta alterum torrentis alveum pugnatum, quod meo judicio non infirmo argumento colligo, nempe quia ibi dimicatum est juxta torrentem, ubi dimidia tribus Manasse torrentem attingit, & tribum Zabulon, ut indicat Debora in suo cantico Judic. 5. v. 19. ubi *in Tanach juxta aquas Mageddo* dicit *pugnatum fuisse*: hæc autem loca erant in dimidia tribu Manasse: non potuerunt autem esse juxta torrentem a parte Orientali, quia intercedebat ibi tribus Issachar inter tribum Zabulon & dimidiam tribum Manasse, eademque tribus pertingebat usque ad montem Tabor, nec ulla ratione permittebat, ut ab ea parte dimidia tribus Manasse *torrentem Cison* attingeret. IDEM.

[8] Ταλανίζει) Non est *miserabiliter deplorat ac plangit*, sed *miseram prædicat*: ut μακαρίζειν non est felicitatem gratulari, sed *felicem prædicare*. Vide Matth. XI. 21. IDEM.

[9] ιβ΄) Lege ex *Hieronymo* β΄. Ejus ultima verba, *Est autem* &c. deerant in Bonfreriana editione, suntque ex Parisina. IDEM.

[10] Ἀσσυρίων) Assyrios vocat qui tempore Prophetarum parebant Assyriis. Populi fuerunt ad ortum Babyloniæ siti, ut multi ostenderunt, dicunturque aliter *Cossæi*. Vide *Polyæni* Stratagem. Lib. IV. C. III. 31. *Arrianum* Lib. VII. & *Diodorum* Lib. XVII. CLERICUS.

1 De

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| *tem Thabor, ubi contra Sisaram dimicatum est.* | ὄρυς, ἔνθα ἐπολέμησεν Δεβόῤῥα. | tem, in quo pugnavit Debora. |

CISTERNA BETLEHEM, quæ juxta ejus urbis portam erat, 2. Reg. XXIII. verſ. 15. 16. & 1. Paral. XI. verſ. 17. 18.

CISTERNA SIRA, 2. Reg. III. verſ. 26. a qua Abner a Joab in Hebron doloſe ad cædem revocatus eſt. Ea videtur non procul Hebron collocanda, atque adeo non alibi quam in tribu Juda.

CIVITAS PALMARUM. Vide, URBS PALMARUM.

CIVITAS SALIS, Hebraice עיר מלח *Hir melach*, urbs in tribu Juda, Joſ. XV. verſ. 62. ſuſpicor eamdem eſſe cum Segor, cum toto iſto cap. nulla ipſius Segor inter urbes tribus Juda fiat mentio. Merito autem *civitas ſalis* dicta, ſive quia mari ſalſo proxima, ſive quia juxta eam uxor Loth in ſtatuam ſalis converſa fuit.

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [1] *CLAUTOMON, id eſt, fletuum locus; a planctu nomen accepit.* | Κλαυθμών, χώρα ἀλλοφύλων, τόπος οὕτω καλούμενος. | CLAUTHMON, regio alienigenarum, locus ita vocatus. |
| [2] *BOA, quæ eſt juxta Ægyptum.* | [5] Κὼδ, πλησίον Αἰγύπτου. | COD, prope Ægyptum. |
| [3] *COELAS Titanorum, id eſt, vallis Gigantum, adverſus quos præliatus eſt David.* | Κοιλὰς τιτάνων, οἷς ἐπολέμησε Δαβίδ. | COELAS TITANUM; cum quibus pugnavit David. |
| [4] *COELAS, id eſt, vallis Joſaphat inter Hieruſalem & montem Oliveti. Lege Prophetam Joel.* | Κοιλὰς Ἰωσαφὰτ, μεταξὺ κεῖται Ἱερουσαλὴμ, καὶ τοῦ ὄρυς τῶν ἐλαιῶν. | VALLIS JOSAPHAT, jacet inter Hieruſalem & montem Olivarum. |

COELESYRIA, ſeu *cava Syria*, ſic dicta, quod fere inter montes ſita eſſet, inter Libanum videlicet & Antilibanum, hanc enim proprie *Cæleſyriam* eſſe, quæ hiſce duobus montibus comprehenditur, aſſerit Strabo Lib. 16. Alii tamen ulterius extendunt, ut Ptolemæus, idque ſatis patet ex urbibus, quas *Cæleſyriæ* adſcribit, nempe ut comprehendat etiam quidquid eſt inter Libanum & montem Hermon, itemque regionem ad radices montis Hermon & Galaad, aliquouſque ſaltem. Hinc complectebatur partem illam Syriæ, quæ a mari occiduo Damaſcum

## NOTÆ.

[1] De hoc loco habes, Judic. 2. ubi v. 1. 5. in noſtra verſione *locus flentium*, vel *lachrymarum* appellatur, Græce κλαυθμῶν, vel numero plurali κλαυθμῶνες. Hebr. בכים *Bochim*, hoc eſt, *flentes*, vel בכה *bacha*, ſeu בכא *bacha*, hoc eſt, *fletus*: hæc enim omnia nomina a fletu ſumta ſunt, quorum nominum rationes habes ibi, ſupra Judic. 2. Ubi locus iſte fuerit diſputamus ad Judic. 2. v. 1. Demonſtramuſque contra Adrichomium, qui locum hunc ponit in tribu Benjamin procul Hieroſolyma, nempe juxta Galgala, cum ponendum eſſe in tribu Juda juxta Hieroſolymam a parte Occidentali ultra vallem Raphaim. IDEM.

[2] Ex hoc colligi poteſt Euſebium & Hieronymum etiam apud Septuaginta Interpretes legiſſe *Coa*, 3. Reg. 10. v. 28. & 2. Paral. 1. v. 16. ubi & verſio noſtra *Coa* habet: etſi nunc in Codicibus Septuaginta Interpretum *Thecue*, vel *Ecue* legatur. Paſſim Rabbini & Rabbinorum aſſeclæ Hebræam vocem, quæ ibi habetur מקוה *mickue* appellative accipiunt, varieque illam explicant, qua de re ad 3. Reg. 10. v. 28. nos Hieronymo & Septuaginta Interpretibus adhærentes, ut proprium nomen accipimus, quamvis forte aliis punctis legerint, quam modo legatur, & primam literam ſervilem eſſe voluerint cum puncto Dages literæ ſequenti infixo, ut præpoſitioni *de* reſpondeat. Nolim autem voce *Coa* intelligi Ægæi maris inſulam eo nomine (ſiquidem & inſula hæc Straboni *Coa* dicitur, alias *Coos*) hæc enim erat a Judæa remotior: ſed regionem aliquam Judæis vicinam, quæcumque tandem illa ſit, de qua nihil hic Euſebius vel Hieronymus definit, niſi quod *juxta Ægyptum* fuerit. Et vero apud Ptolemæum legimus *Co* urbem Ægypti, & apud Stephanum *Cos*, de qua tamen non commode hoc accipiatur, cum præceſſerit de Ægypto, niſi dicamus illud *Et*, cum dicitur, *& de Coa*, valere idem quod *imprimis*. Malim de *Coa* vel *Cua* Arabiæ felicis oppido apud Ptolemæum id accipere, quæ etiam nec ab Ægypto, nec a Judæa procul eſt remota. IDEM.

[3] Græce κοιλὰς vallis eſt: hanc igitur vallem, quæ in Hebræo ſemper dicitur עמק רפאים *Emec Rephaim*, Septuaginta Interpretes diverſimode vertunt, *vallem Raphaim*, *vallem Gigantum*, *vallem Titanum*: & quidem hoc poſtremo modo appellant, 2. Reg. 5. v. 18. & 22. ſemel retenta etiam voce priore Hebræa, *Emecraphaim* appellarunt, Joſ. 18. v. 16. Semel item Iſaiæ 17. v. 5. totum appellative reddiderunt, *in valle dura*. Hieronymus in noſtra verſione ſemper, *vallem Raphaim* vel Gigantum dixit. Fuit autem id nomen a Raphaim Gigantibus valli huic inditum; unde & qua occaſione obſcurum eſt: videtur omnino e Joſ. 15. & 18. jam id nomen habuiſſe ante ingreſſum Iſraelitarum in Terram Promiſſam. Fuit autem hæc vallis, una ſui parte prope ipſi urbi Hieroſolymitanæ contigua ad plagam Occidentalem. Ejus autem initium erat in ipſo confinio tribus Judæ & Benjamin ad Occidentem montis Moria, ut ex Joſue 15. v. 8. & Cap. 18. v. 16. colligitur, quæ inde verſus Auſtrum in longum extenſa Bethlehem uſque perveniebat, ut ex Joſepho VII. Antiq. Cap. 10. docemus ad Joſ. 15. v. 8. Ex quo fit ut tota hæc vallis relinquatur in tribu Juda: ut mirum ſit Hieronymum ſeu Euſebium in tribu Benjamin eam infra ponere in voce *Emecraphaim*, vel ad Septemtrionalem plagam Hieruſalem, in voce *Raphaim*. Neque rem aſſecutus eſt Adrichomius, qui eam quidem ad Occidentem ponit, ſed a Septemtrionali urbis etiam inferioris parte ad meridiem extenſam, atque adeo magna ſui parte in tribu Benjamin. Quod autem *de Davide* hic dicitur, legimus quidem *Davidem* ſæpius *adverſum Philiſthæos dimicaſſe*, quibus permiſti erant nonnulli Gigantes de genere Raphaim; at illud dici non poteſt *Davidem adverſus illos Raphaim pugnaſſe*, a quibus nomen huic valli inditum eſt, cum multo tempore ante Davidem vallis hæc id nomen habuerit. IDEM.

[4] Eadem & *vallis Cedron*, Joſepho Lib. 6. Belli Cap. 3. ad urbis Orientem, immo & in Script. non ſemel *convallis Cedron* fit mentio. Habes de *valle Joſaphat* apud Joelem Cap. 3. BONFRERIUS.

[5] Κὼδ) Mendum eſt, ut diximus, pro Κώα. Vide ad Indicem *Samſonis*. IDEM.

[1] *Cy-*

HIERONYMUS. ΕΥΣΕΒΙΟΣ. EUSEBIUS.

usque inter Libanum & Antilibanum posita erat, item Damascum Syriæ, partem regionis Ammoniticæ & Galaaditicam regionem, nam & Philadelpha, quæ metropolis erat Ammonitarum, & urbes Galaaditidis, Gerasa, Gadara, Canatha, imo & Scythopolis a Ptolemæo *Cœlesyriæ* annumerantur. Sed in eo visus est errasse Ptolemæus, quod Scythopolim trans Jordanem statuat.

COLLIS PRÆPUTIORUM, in Galgalis locus sic dictus, Jos. v. vers. 3. ab Israelitarum renovata circumcisione, & circumcisorum ibi collectis, abjectisque præputiis.

COLLIS HACHILA, in tribu Juda in deserto Maon, in quo David absconsus est Saulem fugiens, & a Saule fere comprehensus, 1. Reg. XXIII. vers. 19. & XXVI. vers. 1. qui & *Gabaa Hachila* dicitur eodem supra cap. XXVI. vers. 3. nam *Gabaa* collem significat.

COLLIS AQUÆDUETUS, ex adverso vallis, qua itur in desertum Gabaon, de quo dictum est supra in *Amma*.

COLLIS CARIATHIARIM, locus editior in urbe Cariathjarim, 1. Paral. XIII. vers. 6. qui & *Gabaa* (quod collem sonat) dicitur 1. Reg. VII. vers. 1. & 2. Reg. VI. vers. 3. 4. ubi erat domus Abinadab, in qua annis pluribus mansit arca fœderis, hoc est, annis fere quinquaginta a Samuelis principatu usque ad Davidis regnum super totum Israelem.

COLLIS GAREB. Vide infra GAREB.

COLLIS REMMON, quod sonat collem malogranati, de quo loquitur, vel ad quem alludit Zacharias Cap. XIV. vers. 10. Fuit ea quæ alio nomine *Petra Remmon* dicta est, Judic. XX. & XXI. Fuit autem in tribu Juda, quandoquidem a Zacharia ponatur ad Austrum Jerusalem. Vide infra ubi de PETRA REMMON.

COLOSSÆ, unde Colossenses dicti, cujus urbis & meminit Paulus ad Colossenses scribens Cap. 1. vers. 2. urbs Phrygiæ fuit, Xenophonte teste, Plinio, Strabone, Herodoto, Orosio; non Rhodus, ut quidam putaverunt: siquidem Paulus in sua ad Colossenses epistola meminit Loadiceæ & Hierapolis, quæ itidem Phrygiæ erant civitates, & suam Laodicensibus vult legi Epistolam.

CONVALLIS CEDRON. Vide supra COELAS secundo.

CONVALLIS ILLUSTRIS, eadem quæ *Aulon* supra ab Hieronymo dicitur, de qua & nos plura, Gen. XII. vers. 6.

CONVALLIS MAMBRE, quæ juxta Hebron (nam Hebron in monte sita erat, ut e Jos. XIV. vers. 12. & Cap. XX. vers. 7. liquet) ubi habitavit Abraham, sic dicta a Mambre Amorrhæo Abrahæ amico, cujus fit mentio in Gen. sæpius. Vide Gen. XIII. vers. 18. & Cap. XIV. vers. 13. Immo *Mambre* videtur sine alio addito eadem vallis appellata, Gen. XXIII. vers. 19.

COOS, cujus fit mentio, 1. Machab. XV. vers. 23. vel *Cous* in Actis Apostolorum, insignis Ægæi maris insula non procul Halicarnasso.

CORINTHUS, urbs Achaiæ in medio Isthmi Peloponesiaci posita.

COROZAIN. Vide supra CHOROZAIN.

COUS. Vide COOS.

CRETA, maris mediterranei insula satis nota, olim centum urbes habuisse credita.

CUTHA. Vide CHOTA supra.

CYPRUS, mediterranei maris insula nobilissima ad hanc usque diem nomen suum retinens e regione Syriæ posita.

| HIERONYMUS | ΕΥΣΕΒΙΟΣ | EUSEBIUS |
|---|---|---|
| [1] *CYRENE, in finibus Ægypti: ad quem locum rex Assyriorum transtulit Damascenos.* | [2] Κυρίνη, ἔνθα ἀπῴκισε βασιλεὺς Ἀσσυρίων τὴν Δαμασκόν. | CYRINE, locus, in quem Rex Assyriorum, populum Damascenum migrare jussit. |

N O T Æ.

[1] *Cyrene*, cujus fit mentio in Novo Testamento, haud dubie illa est, quæ trans Ægyptum est, & Ægypto contermina. At *Cyrenen* illam, cujus in Veteri Testamento 4. Reg. 16. Amos 1. & 9. fit mentio, & Hebraice קיר *Kir* dicitur, esse illam quæ in finibus Ægypti est, non facile mihi persuasero. Quis enim credat Assyrium regem traductum Damascenos in regionem non sibi subjectam? porro numquam leguntur Assyriorum Reges subegisse Ægyptum, quam primus Nabuchodonosor rex Chaldæorum in suam redegit potestatem; nedum ulteriores regiones regique Ægypti subjectas. Deinde Josephus diserte asserit ab Assyrio rege in superiorem Mediam Damascenos esse translatos Lib. Antiq. IX. Cap. 13. IDEM.

[2] Κυρίνη) Hebraice קיר *Kir*, quæ videtur urbs fuisse Mediæ. Vide *Sam. Bochartum* Phalegi Lib. IV. c. 32. CLERICUS.

| HIERONYMUS. | ΕΥ'ΣΕ'ΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|

## D

DABERETH. Vide paulo post DABRATH.

| HIERONYMUS. | ΕΥ'ΣΕ'ΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [1] *DABIR, in tribu Juda, quæ vocabatur civitas literarum, hanc præoccupavit Othoniel frater Caleb, interfectis in ea filiis Enakim. Fuit Sacerdotibus separata. Porro Othoniel quidam arbitrantur filium fratris Caleb.* | Δαβὲρ, φυλῆς Ἰούδα, πόλις καλουμένη γραμμάτων, ἣν προκατελάβετο Γοθονιὴλ ἀδελφὸς Καλὲβ, υἱοὺς ἀνελὼν τοὺς Ἐνακεὶμ ἐξ αὐτῆς, ἣ γέγονεν ἱερατική. | DABIR, tribus Juda, civitas quæ vocabatur literarum, quam præoccupavit Gothoniel frater Caleb, interfectis filiis Enacim ex ea, quæ fuit sacerdotalis. |
| [2] *DABIRA, civitas in tribu Dan, cujus Regem interfecit Jesus. Est autem & alia villula Judæorum in monte Tabor regionis ad Diocæsaream pertinentis.* | Δαβειρὰ, ἧς τὸν βασιλέα ἐπάταξεν Ἰησοῦς, ἣ γέγονε φυλῆς Δάν. καὶ νῦν ἐστι ἑτέρα κώμη Ἰουδαίων ἐν τῷ ὄρει Θαβὼρ, ἐν ὁρίοις Διοκαισαρείας. | DABIRA, cujus regem percussit Jesus quæ fuit tribus Dan; & nunc est alter vicus Judæorum in monte Thabor in finibus Diocæsareæ. |
| [3] *DABOR, super Jordanem civitas Amorrhæorum.* | Δαβὴρ, ὑπὲρ τὸν Ἰορδάνην, πόλις τῶν Ἀμοῤῥαίων. | DABIR, super Jordanem civitas Amorrhæorum. |
| [4] *DABRATH, in tribu Issachar urbs separata Levitis.* | Δαβραὰθ, φυλῆς Ἰσσάχαρ, πόλις Λευΐταις ἀφωρισμένη. | DABRATH, tribus Issachar, civitas Levitis assignata. |
| [5] *DADAN, in regione Cedar, de qua scribit Hieremias.* | [8] Δαδὰν, ἐν γῇ Κηδὰρ, ὡς Ἱερεμίας. | DADAN, in terra Cedar, ut Hieremias (scribit.) |
| [6] *DAENNA, in tribu Juda: eadem autem est, quæ & Dabir civitas literarum.* | Δεννὰ, [9] αὕτη ἐστὶ φυλῆς Ἰούδα, τῇ πόλει τῶν γραμμάτων αὐτή. | DENNA, hæc est tribus Juda, eadem cum civitate literarum (Dabir.) |
| [7] *DAHIVA, sive Dahiud in tribu Juda.* | Δαὸδ, φυλῆς Ἰούδα. | DAD, tribus Juda. |

DALMANUTHA, apud Marcum Cap. 8. vers. 10. regio trans mare Galilææ juxta Gerasam. Eadem a Matthæo Cap. xv. vers. ult. dicta *Magedan*, (nim. in Vulgata Versione, & in quibusdam Græcis Exemplaribus; alias in plerisque Codicibus Græcis legitur Μαγδαλά.) de qua infra Hieronymus, ubi videtur etiam apud Marcum pro *Dalmanutha* legisse *Magedan*.

DALMATIA, pars Illyridis, quæ Macedoniam respicit, nunc *Sclavonia* dicitur.

---

NOTÆ.

[1] Hæc aliis nominibus dicta est *Cariathsepher*, hoc est, civitas literarum, & *Cariathsenna*, Jos. 15. v. 15. & 49. Fuit civitas Sacerdotalis, Jos. 21. v. 15. & 1. Paral. 6. v. 58. Vide supra in *Cariathsenna*. *De Othoniele* qui *cepit hanc urbem* habes, Jos. 15. a v. 16. & Judic. 1. a v. 11. Est & altera *Dabir* in extremis finibus tribus Gad trans Jordanem, Jos. 13. v. 26. Dicitur autem *Dabir* a loquendo, vel eloquendo, quasi ibi eloquentiæ locus, vel gymnasium esset, seu, ut aliud urbis nomen indicat, civitas literarum. *De interfectis in ea filiis Enakim* Scriptura nusquam meminit, sed de sola Hebron id asserit. BONFRERIUS.

[2] Atqui nullam usquam in tribu Dan legimus *Dabir*, vel *Dabiram*, seu ubi ex professo illius tribus urbes ex nomine recensentur. Jos. 19. seu alibi. *Dabir*, cujus Regem interfecit Josue, Jos. 12. v. 13. non est alia ab ea, quæ erat in tribu Juda, ut liquet e Cap. 11. v. 21. *De altera in monte Tabor villula* eodem nomine nulla est in Scriptura mentio. IDEM.

[3] Hæc est illa, quam paulo ante diximus in versione nostra vocari *Dabir*, trans Jordanem, ad quem locum verisimile est hic Hieronymum alludere: Amorrhæi enim in tota illa regione Trans-Jordanina dominati sunt: sed addit hic Hieronymus sitam fuisse *super Jordanem*. IDEM.

[4] Hæc in versione nostra *Dabereth* appellatur, in tribu Issachar Levitica civitas, Jos. 21. v. 28. & 1. Paral. 6. v. 72. Fuit tamen in confinio tribus Zabulon, ut liquet e Jos. 19. v. 12. IDEM.

[5] *Dedan* in versione nostra appellatur apud Hieremiam, & Ezechielem, sed nusquam, quod sciam, indicatur hæc esse *in regione Cedar* seu Ismaelitide, sed Hieremias Cap. 49. v. 8. & Ezechiel Cap. 25. v. 13. eam diserte in Idumæa ponunt. Sed & ipse Hieronymus infra *Dedan* in Idumæa ponit. Legimus quidem & *Dedan* apud Hierem. Cap. 25. v. 23. Sed in qua regione ea sit, ibi non satis declaratur, nisi quod ei subjiciatur Thema, quæ videtur urbs fuisse apud Ismaelitas, cum unus filius Ismaelis diceretur Thema, Gen. 25. IDEM.

[6] Hæc in versione nostra *Danna* appellatur, Jos. 15. v. 49. nunc in Codicibus Septuaginta Interpretum commutato affini elemento ד in ר legitur *Renna*. At mirum est hic asseri *eam eamdem esse cum Dabir civitate literarum*; id enim de ea in Scriptura non asseritur, sed de altera quæ mox ei subjicitur *Cariathsenna*. IDEM.

[7] Nulla in versione nostra hoc nomine urbs in tribu Juda legitur, imo ne in versione quidem Septuaginta Interpretum hoc tempore. Sed neque Hebræa quidquam tale præferunt, ut proinde mihi persuasum sit hanc vocem supra modum esse corruptam, cum nusquam ne affine quidem aliquid legatur. IDEM.

[8] Δαδὰν ἐν γῇ Κηδὰρ) Duplex fuit Dedan, quarum una in Idumæa, cujus *Bonfrerius* hic meminit, altera vero in Arabia erat apud Kedarenos Arabas. Vide *Sam. Bochartum* Phalegi Lib. IV. c. 6. qui ad probandum esse Dedanem in Arabia hoc loco uti potuisset. CLERICUS.

[9] Αὕτη ἐστὶ φυλῆς Ἰούδα) Hoc est, *hæc est tribus Judæ*. Quod sequitur: *τῇ πόλει τῶν γραμμάτων αὐτή*, vitiosum est, nam *αὐτή* deest in MS. nec potest verti *eadem ac urbs literarum*. Deleto vero *αὐτή*, videtur hiulca esse oratio, ita ut desit *πλησίον*, *prope*, aut aliquid simile. IDEM.

1 Non

### HIERONYMUS.

[1] *DAMASCUS, nobilis urbs Phœnices. Eodem autem vocabulo & Masech ancillæ Abraham filius appellatus est. Porro Masech quid sibi velit plenius in libris Hebraicarum quæstionum disputavi. Hic tantum interpretis sum functus officio, non quod ancillam Abrahæ Masech nuncupatam probem.*

[2] *DAMNA, in tribu Zabulon civitas separata Levitis.*

[3] *DAMNABA, civitas Balach filii Beor regis Edom, post quem regnavit Job, licet mihi videatur longe aliter; & est usque hodie villa Damnaba in octavo milliario Areopoleos pergentibus Arnonem, & altera Damnaba super montem Phogor in septimo lapide Esbus.*

[4] *DAN, viculus est quarto a Paneade milliario euntibus Tyrum, qui usque hodie sic vocatur, terminus Judææ provinciæ contra Septemtrionem. De quo & Jordanis flumen erumpens a loco sortitus est nomen. Jor quippe* ῥεῖθρον, *id est, fluvium sive rivum Hebræi vocant.*

### ΕΥ̓ΣΈΒΙΟΣ.

Δαμασκὸς, πόλις ἐπίσημος Φοινίκης· οὕτω δὲ καὶ τῆς Μαζὲκ οἰκογενοῦς τοῦ Ἀβραὰμ ὑιὸς ἐκαλεῖτο.

Δαμνὰ, φυλῆς Ζαβυλὼν πόλις Λευΐταις ἀφωρισμένη.

Δαναβὰ, πόλις Βαλὰκ ὑιοῦ Βεὼρ βασιλέως Ἐδὼμ, μεθ' ὃν ἐβασίλευσεν Ἰώβ· καὶ ἔστι νῦν κώμη Δαννεὰ ἀπὸ η' σημείων τῆς Ἀρεοπόλεως· ἑτέρα δὲ ἐπὶ τοῦ Φογὼρ ὄρυς ἀπὸ ζ' σημείων τῆς Ἐσβοῦς.

Δὰν, οὕτω καλυμένη κώμη Πανεάδος ἀπὸ σημείων δ'· κατὰ τὴν ὁδὸν τὴν ἐπὶ Τύρον, ἥτις καὶ ὅριον τῆς Ἰυδαίας ὑπῆρχεν, ἔνθεν δὲ καὶ ὁ Ἰορδάνης ἔξεισιν.

### EUSEBIUS.

DAMASCUS, nobilis urbs Phœnices. Sic autem & Mazec vernaculæ Abrahami filius vocabatur.

DAMNA, tribus Zabulon, civitas Levitis separata.

DANABA, civitas Balac filii Beor regis Edom, post quem regnavit Job. Estque nunc vicus Dannea in octavo milliario Areopoleos: & alius in monte Phogor in septimo lapide Jebus.

DAN, ita dictus vicus Paneade (distans) quatuor milliaribus propter viam quæ ducit Tyrum, qui etiam erat terminus Judææ, inde porro Jordanis erumpit.

---

DANNA, urbs in monte in tribu Juda, Jos. xv. verf. 49.

DAPHCA, una mansio filiorum Israel in deserto, Num. xxxiii. verf. 12. 13.

---

N o t æ.

[1] Non tam Phœnices, quam Syriæ videtur *Damascus* urbs esse: unde passim in Scriptura *Syriam Damasci* legimus. Et quamquam Phœnice etiam Syriæ pars esset, at non videtur ullo modo Phœnice *Damascum* usque porrecta, cum tantum fere urbes & loca comprehendat, quæ juxta mare sunt. Dico fere, siquidem & Paneas, seu Cæsarea Philippi a Ptolemæo & Hieronymo in Cap. 16. Matthæi Phœniciæ attribauntur. Neque vero Ptolemæus Phœniciæ *Damascum* attribuit, sed Cœlesyriæ. Sentiat tamen de hac re quisque ut volet, quandoquidem & Tertullianus Lib. 3. contra Marcionem Cap. 13. eam Syrophœnici annumeret; immo & aliquando Arabiæ fuisse attributam scribat: *Damascus*, inquit, *Arabiæ retro deputabatur, antequam transscripta esset in Syrophœnicem*. Fuit autem, ut scribit Strabo Lib. 16. *Damascus urbs insignis, omnium fere nobilissima, quæ in ea sunt regione*: Julianus in epistolis *eam totius Orientis* vocat *oculum*. Sita fuit inter Libanum & montem Hermon, Syriæ Damascenæ caput, & regia regum Damasci. Forte ita dicta a *Damasco* illo Eliezer Abrahami vernaculo, Gen. 15. v. 2. Quæ hic in libro de locis Hebraicis habentur priora verba usque ad *Porro Maseeh*, verba sunt Eusebii: reliqua Hieronymi, quibus recte improbat Eusebii sententiam, qui *Masech* ancillam Abrahæ facit. De *Masec* vel *Meschek* & nos diximus ad Gen. 15. v. 2. ubi & nos diximus *Damascum* idem esse quod *sanguinem*, seu *filium procuratoris*. Idem.

[2] De hac habes, Jos. 21. v. 35. Bonfrerius.

[3] DENABA hæc urbs dicitur Genes. 36. v. 32. in nostra versione; regisque istius Idumæi nomen est *Bala*, non *Balach*. Porro verba ista; *post quem regnavit Job*, verba sunt Eusebii, qui in ea fuit sententia, S. Job Idumæum, Idumæorumque regem extitisse, in qua & nos sententia sumus, Gen. 36. v. 33. quæ vero hic verba sequuntur: *licet mihi videatur longe aliter*, verba sunt Hieronymi, qui in contraria fuit sententia, Job minime Idumæum fuisse, sed a Nachor fratre Abrahæ descendisse, qua de Hieronymi sententia etiam nos ibidem supra. Idem.

[4] Hæc antiquitus *Lesem*, vel *Lais*, nuncupata fuit, postea *Dan* dicta ex nomine Patriarchæ, nomine scilicet a Danitis imposito, vel composita voce *Lesemdan*, cum in ea loca suscepissent expeditionem, & securos incolas improviso oppressissent, Jos. 19. v. 47. totamque hanc expeditionem habes susius descriptam Judic. 18. Itaque urbs hæc plane extra sortem tribui Dan assignata fuit, inter tribum videlicet Nephthalim, & dimidiam tribum Manasse Trans-Jordaninam juxta Libanum & Jordanis fontes, eo videlicet loco ubi duo fontes Jor & Dan concurrunt, Jordanemque minorem conflant. Ibi terminus fuit totius Judææ ad plagam Borealem; unde nata illa locutio: *A Dan usque Bersabee*. In ea Hieroboam unum e vitulis aureis, quos conflaverat, posuit, 3. Reg. 12. v. 29. Eadem urbs Christi tempore dicta fuit *Cæsarea Philippi*, de qua & nos supra: postea tandem Hieronymi tempore dicta est *Paneas*, ut mirum sit hic Hieronymum (si tamen id Hieronymi sit, quod non existimo) scribere *Dan esse in quarto a Paneade milliario*: siquidem eamdem esse *Dan*, *Cæsaream Philippi*, & *Paneadem* certa est & indubitata Hieronymi sententia, imprimis ad Ezech. 27. *Ex nomine*, inquit, *Patriarchæ Dan, & tribus, & locus in quo habitavit tribus nomen accepit: ubi hodie Paneas, quæ quondam Cæsarea Philippi vocabatur*. Item in Amos. 8. *Dan in terminis terræ Judaicæ, ubi nunc Paneas est*. Item in Matth. 16. *Philippus iste est frater Herodis Tetrarcha Ituræ & Trachonitidis regionum: qui in honorem Tiberii Cæsaris Cæsaream Philippi, quæ nunc Paneas dicitur, appellavit*. Idem.

HIERONYMUS. ΕΥΣΕΒΙΟΣ. EUSEBIUS.

DAPHNE, Antiochiæ ſuburbanum, de quo Strabo Lib. *16.* & Hieronymus ad Ezech. XLVII. locus delitioſus, nemoris amœnitate conſpicuus, uberrimo fonte irriguus; *Daphne* dictus ob frequentes ibi lauros, qua de re ibi ſupra Hieronymus, & nos de ea plura attulimus ad Num. XXXIV. verſ. 11. & de hac *Daphne* intelligendus eſt locus Scripturæ, 2. Machab. IV. verſ. 33. Eſt alia *Daphne* vel *Daphnis* intra Terræ Promiſſæ fines juxta Semechonitem lacum, per quem Jordanes fluit, locus item amœnus & delitioſus, vel in eo loco fons: ob idque & a priore illa *Daphne Antiochena* forte nomen accepit. Hujus loci fit mentio, Num. XXXIV. verſ. 11. ubi nos de eo plura, etſi Hieronymus ad Ezech. XLVII. etiam locum illum de *Daphne Antiochena* accipiat.

[1] *DAROM, hujus meminit Ezechiel, quod Symmachus vertit in Aphricum.*

Δαρὼμ, [6] Σύμμαχος, εἰς Λίβα· ἐν Ἰεζεκιὴλ.

DAROM, Symmachus (vertit) in Africum in Ezechiele.

DAROMA. Vide DAROM proxime.

[2] *DASBATH, in tribu Zabulon.*

Δαμασὲ. φυλῆς Ζαβυλών.

DAMASE, tribus Zabulon.

[3] *DASSEM, urbs Aſſyriorum nobilis, quam exſtruxit Aſſur inter Ninivem & Chalad.*

Δασὲμ, πόλις Ἀσσυρίων μεγίστη, ἣν ᾠκοδόμησεν Ἀσσοὺρ, ἀνάμεσον Νινευὴ καὶ Χαλὲχ.

DASEM, civitas Aſſyriorum maxima, quam exſtruxit Aſſur inter Ninivem & Chalech.

DATHEMAM, arx & propugnaculum in Galaaditide, 1. Machab. v. verſ. 9.

DEBBASETH. Vide paulo ante DASBAD.

DEBERA, in terminis tribus Judæ Aquilonaribus, Joſ. XV. verſ. 7.

[4] *DEBLATAIM, in terra Moab, ſicut ſcribit Hieremias.*

Δεβλαθαὶμ, ἐν γῇ Μωὰβ, ὡς Ἰερεμίας.

DEBLATHAIM, in terra Moab, ut (ſcribit) Hieremias.

DEBLATHA, Ezech. VI. verſ. 14. urbs in extremis Judææ finibus, etſi ubi fuerit non ſatis uſpiam explicatum ſit; niſi forte eadem ſit quæ *Deblathaim* in confinio Iſraelitarum & Moabitarum. Significat hæc vox *palatham*, ſeu *maſſam caricarum*, vel *ficorum*.

DEBLATHAIM. Vide paulo ante DEBLATAIM.

[5] *DEBON, quæ & Dibon in ſolitudine caſtra filiorum Iſrael. Eſt & alia Dibon villa pergrandis juxta Arnonem, quæ cum prius fuiſſet filiorum Moab, & poſt eam Seon rex Amorrhæorum jure belli tenuiſſet, a filiis Iſrael capta, atque poſſeſſa in*

Δαβὼν, ἢ Διβὼν, ἐπὶ τῆς ἐρήμου σταθμὸς τῶν υἱῶν Ἰσραήλ· ἔστι δὲ καὶ ἄλλη εἰς ἔτι νῦν κώμη παμμεγέθης παρὰ τὸν Ἀρνωνᾶν, ἣν τὸ παλαιὸν οὖσαν τῶν υἱῶν Μωὰβ, καὶ μετὰ ταῦτα Σηὼν, τοῦ Ἀμορραίου, οἱ υἱοὶ Ἰσραὴλ ἀπέλαβον, καὶ γέγονε φυλῆς Γάδ· Μέμνηται

DABON, ſeu Dibon, in ſolitudine manſio filiorum Iſrael. Eſt & alius hodie vicus prægrandis ultra Arnonem, qui cum fuiſſet olim filiorum Moab, deinde Seon Amorrhæi, eam filii Iſrael receperunt, fuitque tribus Gad. Meminit ejus Iſa-

---

NOTÆ.

[1] DAROM vocem tanquam propriam retinuerunt Interpretes Septuaginta, Ezech. 20. v. 46. ubi & Hieronymus Symmachum ſequutus vertit *Africum*. Eſt autem Africus ſpirans ab occaſu brumali qui Græcis λὶψ dicitur. Alibi ſemper Hieronymus eamdem vocem Hebræam דרום *Darom*, Auſtrum, vel meridiem reddit; Septuaginta etiam Interpretes ubique uno loco excepto νότον verterunt: unus eſt locus Deuter. 33. v. 23. ubi ipſi λίβα Africum reddiderunt, qui tamen etiam ventus eſt inter Occidentem & Meridiem ſpirans. Itaque dubium non eſt *Darom* proprie meridiem & meridianam plagam ſignificare, quam & Syri ac Chaldæi *Daroma* vocant. Hinc intelligas quæ ſit regio vel terræ Judææ tractus, qui paſſim hoc libro de locis Hebraicis ab Euſebio vel Hieronymo *Daroma* appellatur, nempe pars illa Judææ, quæ maxime Auſtralis eſt juxta montes illos, qui Judæam ab Idumæa & Amalecitarum finibus diſterminabat. Sic enim & ipſe Hieronymus ſubinde eam vocem explicat, ut infra in *Duma*; *vicus*, inquit, *grandis in Daroma*, hoc eſt, ad Auſtralem plagam, &c. IDEM.

[2] Hic locus in finibus tribus Zabulon, & tribus Aſer confinio, dicitur in verſione noſtra *Debbaſeth*, Joſ. 19. v. 11. in Codicibus Septuaginta Interpretum *Dabaſthe*. IDEM.

[3] Hæc eſt illa urbs haud dubie, quam Aſſur, ſeu Ninus dicitur ædificaſſe, Gen. 10. v. 12. quæ in verſione noſtra appellatur *Reſen*, quomodo etiamnum legitur in Hebræo רסן: Septuaginta Interpretes videntur legiſſe primo elemento ר in ד commutato *Daſen* vel *Daſem*; at hic geminato S. *Daſſem*. Pro *Chalad* autem legendum *Chalach*, ita enim in Hebræo & Septuaginta Interpretibus appellatur: in verſione noſtra *Chale*. Hanc autem *Reſen* plane exiſtimo in Meſopotamia fuiſſe; habes enim apud Ptolemæum in ea regione urbem *Rheſena*, & alteram *Rheſina*, planeque locus ille hiſce urbibus ædificatis congruit. BONFRERIUS.

[4] Hujus, quæ *Deblathaim* in verſione noſtra dicitur, fit mentio apud Hieremiam Cap. 48. v. 22. in prophetia adverſus Moab. Significat autem *Deblatha* palatham, & *Deblathaim* geminas palathas, ſeu duas maſſas caricarum; forte quod gemina eſſet civitas, & utraque oblongiorem haberet formam quadrangularem, qualis eſt in lateribus, & olim erat in palathis. De palathis dicemus pluſcula, 1. Reg. 25. v. 18. IDEM.

[5] *Dibon* in verſione noſtra ubique appellatur, ſed locus, in quo fuerunt caſtra filiorum Iſrael in ſolitudine, ſeu una manſionum, non *Dibon*, ſed *Dibongad* appellatur, de quo proxime dicetur. Altera vero *Dibon* juxta Arnonem ſæpius commemoratur in Scriptura: & quidem Num. 21. v. 30. indicatur quantum regionis abſtulerint Amorrhæi Moabitis, ab Heſebon ſcilicet uſque *Dibon*, Heſebon quidem verſus partem Borealem, *Dibon* verſus partem Auſtralem. Eadem poſtea vel in tribu Ruben fuit, ut Joſ. 13. habetur, vel in tribu Gad, ut indicatur Num. 32. vel potius in utriuſque tribus confinio, ob idque utrique tribui adſcribitur. Videtur rurſus poſtea Moabitarum fuiſſe, occaſione, uti dixi, migrationis decem tribuum, ut perſpicue colligi poteſt ex Iſaiæ 15. & Hierem. 48. Fuit & alia *Dibon* in tribu Juda, cujus fit mentio 2. Eſdræ 11. v. 25. IDEM.

[6] Σύμμαχος, εἰς Λίβα) Eſt in Codice Σύμμαχος Λίβα. CLERICUS.

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| *partem venit tribus Gad. Meminit hujus Hieremias, & Isaias in visione contra Moab.* | δὲ αὐτῆς Ἡσαΐας ἐν ὁράσει τῇ κατὰ τῆς Μωαβίτιδος, καὶ Ἱερεμίας. | ias in visione contra Moabitidem, & Hieremias. |
| [1] *DEBONGAD, filiorum Israel castra.* | Δαιβὼν Γάδ, σταθμὸς τῶν υἱῶν Ἰσραήλ. | DÆBON GAD, castra filiorum Israel. |
| [2] *DECAPOLIS, sicut in Evangelio legimus. Est autem regio decem urbium trans Jordanem circa Hippum, & Pellem & Gadaram.* | Δεκάπολις, ἐν εὐαγγελίοις· αὕτη ἐστὶν ἡ ἐπὶ περαίᾳ κειμένη ἀμφὶ τὸν Ἵππον καὶ Πέλλαν καὶ Γαδάραν. | DECAPOLIS, in Evangeliis. Hæc est in ulteriori parte (Jordanis) sita circa Hippum, Pellam, & Gadaram. |
| [3] *DEDAN, in tribu Juda.* | Δαλαάν, φυλῆς Ἰούδα. | DALAAN, tribus Juda. |
| [4] *DEDAN, in regione Idumææ super qua scribit Hieremias. Est autem in quarto milliario a Metallofeno contra Aquilonem.* | Δαιδάν, ἐν τῇ Ἰδουμαίᾳ, ὡς Ἱερεμίας· παράκειται [5] τῇ Φαινᾷ ὡς ἀπὸ σημείων δ', πρὸς βορρᾶν. | DÆDAN, in Idumæa, ut (scribit) Hieremias. Sita est prope Phanam, ferme in quarto lapide versus Septentrionem. |

DEDANIM. Vide infra DODANIM.

DELEAN, urbs in tribu Juda, Jos. xv. vers. 38.

DELOS, una e Cycladibus insulis, in quo celebre olim Apollinis oraculum.

DENABA. Vide DAMNABA.

DERBE, urbs in Antiochiana Cappadociæ Ptolemæo. Lycaoniæ urbem facit Scriptura, Act. xiv. vers. 6.

## NOTÆ.

[1] De hac filiorum Israel in deserto mansione habes, Num. 33. v. 45. sed in versione nostra *Dibongad* dicitur. IDEM.

[2] Hujus fit mentio Matth. 4. Marci 5. & 7. Quænam & ubi ista fuerit *Decapolis* non omnino inter auctores constare video: nam Hieronymus hic eam trans Jordanem collocat, & favet Marcus Cap. 5. ubi fugata a Christo legione Dæmonum, immissaque in porcos, qui omnes abierunt in mare præcipites, is qui a Dæmonibus liberatus fuerat prohibitus est a Christo ne ipsum sequeretur, jussusque est ad suos ire, & prædicare quantnm a Deo beneficium accepisset: at mox is dicitur cœpisse prædicare in *Decapoli* quanta sibi fecisset Jesus. Rursum certum est ex Josepho in vita sua *Decapolim* comprehendisse partem Trans-Jordaninæ regionis: nam quæ Justus dux quidam hostiliter grassatus gesserat apud Hippenos & Gadarenos, ut refert ipse initio vitæ suæ, eadem postea sub finem vitæ dicit in *Decapoli* gesta fuisse. Nihilominus statuendum est non sola Trans-Jordanina regione *Decapoleos* fines comprehensos fuisse: videturque id indicari non obscure Marci 7. v. 31. ubi Jesus exiens de finibus Tyri venit per Sidonem ad mare Galilææ inter medios fines *Decapoleos*. Adde satis constare Josephi testimonio Scythopolim, quæ cis Jordanem erat unam e *Decapoli* civitatem fuisse; sic enim ipse de ea Lib. 3. Belli Cap. 16. *Hæc autem civitas Decapoleos maxima, & Tiberiadi vicina est.* Ita *Decapolim* describit Adrichomius: *Decapolis, id est, decem civitatum regio, in Evangelica historia celebris, quæ a decem principalibus urbibus, quibus præter multas alias ea regio maxime fulget, Græco vocabulo nomen accepit. Longitudo ejus triginta milliaribus, latitudo autem paulo minor censetur: a Septemtrione Libanum montem & Damascum, ab Occidente Sidonem urbem, a Meridie civitatem Bethsan, quæ & Scythopolis appellatur, fines habet: ad Orientem vero trans Jordanem & mare Galilææ ultra Gadaram, Hippum, & Pellam sese extendit.* Subdit vero quænam sint decem illæ urbes, a quibus Decapoleos nomen impositum sit: *Porro civitates, a quibus regio Decapolis dicta est, hæ censentur: Cæsarea Philippi, Asor, Cedes Nephtalim, Sephet, Corozaim, Capharnaum, Bethsaida, Jotapata, Tiberias, & Bethsan, quæ alias Scythopolis.* Ita ille, qui si antiquiorem aliquem protulisset, qui hasce urbes Decapoli comprehensas fuisse dixisset, rem magnam fecisset, fidemque majorem sibi conciliasset. Porro is ita usque Damascum, Sidonemque Decapolim extendit, ut tamen eas videatur excludere: alias enim quæ ratio esset cur si illæ *Decapoli* comprehenderentur, cum ex nobilissimæ essent civitates, in decem urbium numero non censerentur? Plin. Lib. 5. Cap. 18. qui etiam hoc notat non esse eamdem de hac Decapolitana regione omnium opinionem, plures enumerat ab Adrichomio diversas, interque cæteras etiam in *Decapoli* Damascum & Philadelphiam comprehendit. Porro omnes decem plurium opinione has facit, Damascum, Opoton, Philadelphiam, Rhaphanam, Scythopolim, Gaddaram, Hippon Dion, Pellam, Galasam, (forte legendum, Gerasam) Canatham. E quo numero quatuor primæ extra Israelitarum regionem constitutæ videntur, Damascus & Opotos in Syria Damascena, Philadelphia in Ammonitica regione, Rhaphana in Chalcide, vel ut ait Ptolemæus, in Cassiotide, reliquæ omnes Judæorum sunt urbes, sed fere Trans-Jordaninæ omnes, excepta Scythopoli. Ego quid in hac re definiam non habeo, nisi quod *Decapoleos* nomine maxime videatur comprehensa regio, quæ erat juxta mare Galilææ, & Jordanem minorem, sive citra, sive trans hæc sita. Item quod Adrichomius hanc regionem nimis videatur extendere, præsertim ad Occidentem Sidonem usque: quomodo enim alias Marci 7. diceretur Christus exisse de finibus Tyri, venisseque per Sidonem ad mare Galilææ inter medios fines *Decapoleos*, si jam ante in finibus Tyri & Sidonis existens erat intra ipsos fines *Decapoleos*? iste enim loquendi modus Evangelistæ satis indicat debuisse Christum finibus Tyri & Sidonis egredi ut veniret in fines *Decapoleos*. Quod ad Plinium attinet, vereor ne *Decapolim* nimis procul ad Septemtrionem extendat, in eaque quatuor illæ extra Israelitarum fines positæ urbes *Decapoli* non debuerint comprehendi. BONFRERIUS.

[3] Ego nullam *Dedan* invenio in tribu Juda, ne in versione quidem Septuaginta Interpretum: crediderim hic suppositum *Dedan* pro *Delcam*, quæ est urbs in tribu Juda, Jos. 15. v. 38. IDEM.

[4] De hac nos diximus supra in *Dadan*. IDEM.

[5] Τῇ Φαινᾷ) Hieronymus a *Metallofeno*. Conjicit *Martianæus* legendum *Metallofano*, ut ad vocem Κατὰ τὰ χρύσεια. Legendum potius in Græco τῇ Φαινοῖ, & in Latino, *Metallo Phæno* sejunctim. Nam *Metallum* hic non massam æris, sed *fodinam Phænonis* significat. Varie tamen scribitur a Patribus hoc nomen, ut observavit *Bochartus*, loco antea laudato. CLERICUS.

1 Ubi

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [1] *DESETH, quod Aquila transtulit parietem: Simmachus murum.* | Δεσὲκ, Ἀκύλας, τοίχῳ· Σύμμαχος, τείχει. | DESEC, Aquila (vertit) pariete: Symmachus, muro. |

DESSAU, castellum in Judæa, 2. Macab. XIV. verf. 16.

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [2] *DIBON, de qua supra, cujus meminit Isaias in visione contra Moab.* | Δηβὼν, μέμνηται ταύτης Ἡσαΐας ἐν ὁράσει κατὰ τῆς Μωαβίτιδος. | DIBON, meminit hujus Isaias in visione contra Moabitidem. |

DIBON GAD. Vide DEBONGAD.

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [3] *DIMONA, in tribu Juda.* | Δειμωνὰ, φυλῆς Ἰούδα. | DIMONA, tribus Juda. |

DIOCÆSAREA. Vide infra SEPHORIS.

DIORYX, Ecclesiastici XXIV. verf. 41. non est fluvii vel loci nomen proprium, sed est Græca vox significans *fossam* vel *rivulum* a fluvio deductum. Itaque *fluvii Dioryx* ibi est fossa hujusmodi, per quam alio fluvii aqua derivatur, estque *Dioryx* nominativi casus. Hæc moneo, ne forte quis imprudens fallatur existimans nomen esse proprium.

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [4] *DIOSPOLIS, civitas Ægypti, sicut scribit Ezechiel.* | Διόσπολις, [7] πόλις Αἰγύπτου, ἐν Ἰεζεκιήλ. | DIOSPOLIS, civitas Ægypti, in Ezechiele. |
| [5] *DISMEMOAB, id est, ad Occidentem Moab, juxta Jordanem contra Hierichum, ubi Balach Rex Moab, & Majores natu Madian Israelem insidiis deceperunt, in quo loco & Moyses Deuteronomium scripsit.* | Δυσμαιμωὰβ, παρὰ τὸν Ἰορδάνην κατὰ Ἱεριχὼ ἔνθα Βαλὰκ βασιλεὺς Μωὰβ, καὶ ἡ γερουσία Μαδιὰν συσκευάζονται τὸν Ἰσραήλ· ἔνθα καὶ Μωϋσῆς τὸ δευτερονόμιον γράφει. | DYSMÆBOAB, (i. e. ad occidentem Moab) ultra Jordanem contra Hiericho, ubi Balac rex Moab, & majores natu Madian Israelem ex insidiis adoriuntur. Hic Moyses Deuteronomium scribit. |

DIVISIO OZÆ. Vide infra PERCUSSIO OZÆ.

DOCH, arx propugnaculum in campo Jericho, 1. Machab. XVI. verf. 15.

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [6] *DODANIM, de qua Esaias in visione scribit Arabiæ. Est autem juxta Areopolim.* | Δωδανὶμ, Ἡσαΐας ἐν ὁράσει τῆς Ἀραβίας· καὶ ἔστι πλησίον Ἀρεοπόλεως. | DODANIM, Isaias in visione Arabiæ. Estque juxta Areopolim. |

---

## NOTÆ.

[1] Ubi hanc vocem usurpaverint Septuaginta Interpretes non statim occurrit: sed neque ulla est vox Hebraica *Deseth*, nedum quæ *parietem* vel *murum* significet, ut proinde vocem hanc corruptam esse necesse sit. Itaque conjectabam alicubi in Hebræo scriptum fuisse דלת *Deleth*, quam vocem alicubi Interpretes Septuaginta retinuerint: ea tamen non *parietem* vel *murum*, sed *ostium in muro* vel *pariete* significat. At postea casu in ipsam vocem *Deseth* apud Interpretes Septuaginta incurri, Isaiæ 16. v. 7. ubi pro eo quod in versione nostra habemus: *qui lætantur super muros cocti lateris*; Septuaginta Interpretes habent, κατοικοῦσι Δεσὲθ, *habitantibus Deseth*, idque in omnibus Codicibus, nisi quod perperam Regius Codex divisa voce habeat Δὲ Σὲθ, quasi *Seth* urbis nomen sit, non *Deseth*. In Hebræo autem ibi neque *Deseth*, neque *Deleth* habetur, sed חרשת *Chareseth*, vel altera voce præposita, quæ murum significat קיר חרשת *Kirchareseth*, quam Rabbi David, aliique non pauci censent urbis proprium nomen esse apud Moabitas; favetque haud dubie versio Septuaginta Interpretum, nisi quod hi pro חרשת *Chareseth* mutatis duobus primis elementis videantur legisse הדשת, *haddeseth*, ut *Deseth* urbis proprium nomen sit, quæ vox tamen appellative nihil significet, quod apud Hebræos rarum est: at *Kirchareseth* significat murum fictilem seu lateritium. IDEM.

[2] De ea dictum est in *Debon*. IDEM.

[3] De hac habes Jos. 15. v. 22. IDEM.

[4] Hujus apud Interpretes Septuaginta fit mentio, Ezech. 30. v. 14. 16. ubi in Hebræo est נא *no*, pro quo Hieronymus semper *Alexandriam* reddit. Sed neque Interptetes Septuaginta constanter *Diospolim* reddunt: nam eodem Cap. v. 15. eamdem vocem Hebræam *Memphim* vertunt. Est tamen & urbs in Ægypto dicta *Diospolis* Straboni Lib. 17. imo & Plinio urbs illustris Lib. 5. Cap. 9. *Diospolis*, inquit, *magna, eadem Thebæ portarum centum nobilis fama*. Est & apud Plinium ejusdem capitis initio, & Ptolemæum Diospolites nomus, seu præfectura in Ægypto. Est & alia *Diospolis* non in Scriptura, sed apud Hieronymum hic in locis Hebr. quæ eadem cum *Lydda*, de qua nos dicemus in *Lydda*. IDEM.

[5] Aliquot locis, in quibus versio nostra habet, *in campestribus Moab*, Septuaginta Interpretes habent ἐπὶ δυσμῶν Μωὰβ, *ad Occidentem Moab*, ut Num. 22. v. 1. & Cap. 33. v. 48. & Cap. 35. v. 1. & Cap. 36. v. 13. alias servata voce Hebræa habent *Araboth Moab*; significat enim ערבה *araba*, & plurali ערבת *araboth* loca campestria seu solitudines, vel Occidentem: unum secutus est Hieronymus, alterum Septuaginta Interpretes; & vero eidem loco utrumque competere potuit, ut videlicet simul incultus esset & infœcundus, itemque ad Occidentem, seu pars maxime Occidentalis regionis Moab; planeque mihi persuasum est ita se rem hic habere; quamquam versio nostra paulo sit commodior. Porro nulla Latina versio habet illud *Dismemoab*, sed e Græco id sumtum est ab Eusebio; nec *Dismemoab* scribi debuit, sed *Dysme Moab* Δυσμὴ Μωὰβ, hoc est, Occidentalis plaga Moab. IDEM.

[6] In versione nostra appellatur *Dedanim*, Isaiæ 21. v. 13. Hanc Adrichomius ponit in Idumæa meo judicio nec recte, nec congruenter vel Scripturæ, vel iis, quæ hoc libro de locis Hebraicis habentur: si enim *juxta Areopolim fuit Dedanim*, Areopolis autem in Moabitide regione fuit juxta Arnonem torrentem, quomodo in Idumæa esse potuit *Dedanim*? Addo etiam potuisse quidem Hieronymi tempore esse hujusmodi oppidum juxta Areopolim; at si quod istiusmodi fuit, non videri esse illud cujus Isaias meminit: plane enim mihi persuadeo *Dedanim* apud Isaiam neque in Moabitide regione, neque in Idumæa fuisse, sed in regione Ismaelitide. Ea res meo judicio e Scriptura est perspicua: ibi enim propheta adversus Arabiam vaticinatur, quo nomine Ismaelitidem regionem intelligit, ut patet, quia cæteræ urbes Thema, Cedar, quarum in eadem prophetia fit mentio, sunt Ismaelitarum urbes. Et quamquam paulo ante prophetatum sit ibidem contra Seir & Idumæos (quæ res potuit Adrichomio errandi occasionem præbere) tamen manifeste propheta v. 13. ab Idumæis ad Arabas seu Ismaelitas transilit. Vide ad *Dadan*. BONFRERIUS.

[7] Πόλις Αἰγύπτου) Multis firmis argumentis ostendit esse Thebas Ægyptias *Bochartus* Phalegi Lib. IV. c. 27. IDEM.

HIERONYMUS. ΕΥ̓ΣΈΒΙΟΣ. EUSEBIUS.

DOMMIM FINES, I. Reg. XVII. verſ. I. Vide ſupra APHESDOMIM.

DOMUS SALTUS LIBANI, a Salomone ædificata. Hanc aliqui collocant in ipſo monte Libano; alii in eo loco unde mons Libani proſpici, & frigidiore ejus aura quis æſtate recreari poſſet: alii in urbis Hieroſolymitanæ agro ſuburbano: alii in inferiore Hieroſolymæ civitate: alii denique in ipſo monte Sion; quod poſtremum omnino ſequendum, quemadmodum e Scriptura, Joſepho, aliiſque luculenter probari poteſt. Sed de hac re plura 3. Reg. VII. verſ. 2. ubi & de ratione nominis diſſeremus.

DOR. Vide DORNAPHET proxime.

[1] *DORNAPHET, quod Symmachus tranſtulit Dor maritima: hæc eſt Dora in nono milliario Cæſareæ Palæſtinæ pergentibus Tyrum, nunc deſerta, quæ cum cecidiſſet in ſortem tribus Manaſſe, eam poſſidere non potuit: quia in ea habitatores priſtini remanſerunt.*

[5] Δὼρ τοῦ Ναφὰθ, αὕτη ἐστὶν ἡ παραλία Δῶρα πρὸς Τύρον ἐκ τῆς Καισαρείας Παλαιστίνης ἀπιόντων· ἣν οὐκ ἔλαβεν ἡ φυλὴ Μανασσῆ, ὅτι μὴ ἀνεῖλε τοὺς ἐν αὐτῇ ἀλλοφύλους.

DOR NAPHATH, hæc eſt maritima Dora Tyrum Cæſaræa Palæſtinæ pergentibus. Quam non cepit tribus Manaſſe, quia non ſuſtulit, qui in ea erant, alienigenas.

DORA, eadem quæ DOR, de qua proxime diximus.

[2] *DOTHAIM, ubi invenit Joſeph fratres ſuos pecora paſcentes: qui & uſque hodie in duodecimo a Sebaſte milliario contra Aquilonis plagam oſtenditur.*

Δωθαεὶμ, ἔνθα εὗρεν Ἰωσὴφ τοὺς ἀδελφοὺς νέμοντας· διαμένει ἐν ὁρίοις Σεβαστῆς, ἀπέχει δὲ αὐτῆς σημείοις ιβʹ· ἐπὶ τὰ βόρεια μέρη.

DOTHAIM, ubi Joſeph invenit fratres paſcentes: permanet in finibus Sebaſtæ, ab eaque diſtat milliaribus duodecim verſus partes Septentrionales.

DOTHAIN. Vide DOTHAIM proxime.

DOTHAN. Vide DOTHAIM.

[3] *DRYS, id eſt, quercus Mambre juxta Chebron; quæ uſque ad ætatem infantiæ meæ, & Conſtantii Regis imperium terebinthus monſtrabatur pervetus, & annos magnitudine indicans, ſub qua habitavit Abraham. Miro autem cultu ab Ethnicis habita eſt, & velut quodam inſigni nomine conſecrata.*

Δρυμαβρῆ, ἡ πρὸς τῇ Χεβρὼν, εἰς ἔτι νῦν δεικνυμένη Τερέβινθος, ἔνθα ἐσκήνου Ἀβραὰμ, ἡ καὶ ὑπὸ τῶν ἐθνῶν θρησκεύεται.

QUERCUS MABRE, juxta Chebron, quæ hodie monſtratur terebinthus in qua habitabat Abraham, quæ ab Ethnicis ſuperſtitioſe colitur.

[4] *DRYS, id eſt, quercus in*

Δρῦς ἡ ἐν [6] Ἐφραθὰ, ἐν κλή-

Quercus quæ in EPHRA-

N O T Æ.

[1] *Dor* in dimidia tribu Manaſſe Cis-Jordanina fuit, ut habetur Joſ. 17. v. 11. & 1. Paral. 7. v. 29. *Dora*, 1. Machab. 15. & apud Joſephum ſæpius appellatur. Ex ea priſtinos incolas exigere Manaſſitæ non potuerunt, ut habetur Judic. 1. v. 27. Ab hac *Dor* urbe inclyta dicta eſt circumjecta quaquaverſum regio, regio *Dor* vel provincia *Dor*; ita appellatur, Joſ. 11. v. 2. & Cap. 12. v. 23. ubi in Hebræo habetur נבות דור *Naphothdor*, vel נפת דור *Naphathdor*, quam vocem retinuerunt in ſua verſione Septuaginta Interpretes, immo & in noſtra verſione 3. Reg. 4. v. 11. *Nephatdor*, pro qua hic, vocibus, quæ ad compoſitionem concurrunt, commutatis, dicitur *Dornaphet*. Significat autem *Dor* generationem, vel peregrinationem. Fuiſſe autem hanc urbem & regionem ad mare, e Joſ. 11. v. 2. & 1. Machab. 15. v. 14. liquet. IDEM.

[2] *Dothain* vel *Dothan* in verſione noſtra dicitur. Hanc multo longius Sebaſthe abducit Adrichomius in tabula ſua chorographica, nempe milliaribus facile quadraginta. Et vero ægre fingi poteſt tam exiguum fuiſſe intervallum, nempe milliaria duodecim, cum duæ intercederent tribus Manaſſe, & Iſſachar, & deinde magna pars tribus Zabulon, in qua *Dothain* ſita erat. Idem tamen qui ſupra Adrichomius in tribu Zabulon parum ſibi conſtans *Dothain* in duodecimo Sebaſthe milliario cum Hieronymo collocat. IDEM.

[3] Hæc in verſione noſtra *convallis Mambre* appellatur; in Hebræo eſt אלון *Elon Mambre*, ſignificat autem Elon *quercum*, *quercetum*, *planitiem*, vel locum quercubus, terebinthis aliiſve ſimilibus arboribus conſitum. Quæ hic habentur, omnia Euſebii Cæſarienſis eſſe ſatis indicant, quæ de ætate ſua & Conſtantio rege Ariano, ſub quo & ipſe Arianus vixit, dicit, cum Hieronymus poſteriori tempore ſub Theodoſio floruerit. Porro quod Euſebius ait *hanc* ſeu *quercum*, ſeu *terebinthum ad ſua uſque tempora perduraſſe*, neſcio an alicui facile perſuaſerit, cum vix videatur quercus aliqua tria quatuorve ſecula ſuperare, ab Abrahamo autem ad Euſebii, vel Conſtantii tempora ſupra bis mille annos fluxerint. IDEM.

[4] De hac quercu habes, Judic. 6. v. 11. 19. Verba autem ſunt Euſebii uſque ad illa: *de hac quid nobis* &c. hinc ad finem verba ſunt Hieronymi. Quod autem Hieronymus quærit, *quomodo Ephrata in tribu Manaſſe eſſe dicatur*; legendum eſt *Ephra* pro *Ephrata*, quemadmodum verſio noſtra habet, imo & Codices Septuaginta Interpretum, Aldinus, Baſileenſis, & Regius, licet Romanus *Ephratha* habeat; ſi autem *Ephra* legamus, jam omnis hujuſmodi ceſſat quæſtio. BONFRERIUS.

[5] Δὼρ τοῦ Ναφὰθ ) Imo *Naphath Dor*, נפת--דור. Videtur duplex fuiſſe Dora, una maritima: altera ad lacum Geneſareth ſita, ut diximus ad Joſ. XI. 2. CLERICUS.

[6] Ἐφραθὰ ) Hebraice עפרה quod Maſſorethæ efferunt *Hophra*, ſed Vulgatus poſt LXX *Ephra*, unde factum *Ephratha*, עפרתה quæ inflexio non mutat nomen, ut norunt Hebraice docti. Sic in Hiſtoria Samſonis, *Thimna* & *Thimnatha* ſunt unum & idem oppidum. Alia multa ſimilia occurrunt. Sed diſtinguitur hoc nomen a nomine Bethlehemi אפרתה *Ephratha*, varietate ſcripturæ. CLERICUS.

I Haud

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| *Ephrata, in tribu Manasse, unde fuit Gedeon. De hac quid nobis visum sit in libris Hebraicarum quæstionum diximus. Quæritur enim quo modo Ephrata in tribu Manasse nunc esse dicatur.* | ρῳ Μανασσῆ, ὅθεν ἦν Γεδεών. | THA, in sorte Manasse, unde fuit Gedeon. |
| [1] *DUMA, in tribu Juda, vicus grandis in Daroma, hoc est, ad Australem plagam in finibus Eleutheropoleos, decem & septem ab ea milliaribus distans.* | Δυμά, φυλῆς Ἰούδα, κώμη μεγίστη νῦν ἐν τῷ Δαρωμᾷ, ἐν ὁρίοις Ἐλευθεροπόλεως ἀπὸ σημείων ιζ´. | DUMA, tribus Juda, vicus maximus nunc in Daroma in finibus Eleutheropolis in decimo septimo lapide. |

DURA, campus provinciæ Babylonis, in quo Nabuchodonosor rex statuam auream, quam fecerat collocavit, Dan. III. vers. I.

NOTÆ.

[1] Hæc in versione nostra *Ruma* appellatur, Jos. 15. v. 52. sed & in versione Septuaginta Interpretum non aliter fere jam legas, præsertim si fideliores consulas codices, quam Ῥυμά (in codice Romano vitiose Ῥεμνά) at in Hebræo etiamnum habetur רומה Duma, & ita videtur olim apud Interpretes Septuaginta legisse Eusebius. Nemo nescit quam sit facilis in Hebræo commutatio duarum istarum literarum ר & ד quæ figura sunt valde affines. Est & *Duma* in nostra versione apud Isaiam, Cap. 21. v. 11. ubi videtur *Duma* poni pro *Idumæa*, nam & *Idumæam* ibi reddiderunt Interpretes Septuaginta. IDEM.

## E

| | | |
|---|---|---|
| [1] *EBEZINTHIA, in tribu Juda.* | Ἐβεζινθία, φυλῆς Ἰούδα. | EBEZIUTHIA, tribus Juda. |
| [2] *EBRONA, in deserto castra filiorum Israel.* | Ἐβρωνά, ἐπὶ τῆς ἐρήμου, σταθμὸς τοῦ λαοῦ. | EBRONA, in solitudine statio populi. |

ECBATANA, Mediæ metropolis Ptolemæo, Straboni, Plinio, Herodoto, & aliis. Fit hujus mentio, Judith. I. vers. I. ubi & ejus conditor Arphaxad fuisse indicatur. Fit etiam hujus mentio, I. Esdræ VI. vers. 2. Videtur & montis nomen in eadem Media esse, Tob. v. vers. 9. Sitne eandem *Ecbatana*, cujus fit mentio 2. Machab. IX. vers. 3. merito dubitari potest; & sunt qui eandem Mediæ urbem esse velint: at mihi id difficile est; quomodo enim Antiocho e Perside & Persepoli redeunti in Syriam, imo fugienti per Mediam iter esset? id enim esset plane a via recedere. Videri igitur possit vel in Perside, vel in Babylonia ea urbs esse.

| | | |
|---|---|---|
| [3] *ECHELA, ubi absconditus est David, nunc vero Echela villa dicitur in septimo ab Eleutheropoli milliario, juxta quam & sepulcrum Habacuc Prophetæ ostenditur.* | Ἐχελά, ἔνθα ἐκρύπτετο Δαβίδ, νῦν δὲ Ἐχελὰ λέγεται κώμη ἀπέχουσα Ἐλευθεροπόλεως σημείοις ζ´. [4] Ἀμβακοὺμ τοῦ προφήτου τὸ μνῆμα πλησίον δείκνυται. | ECHELA, ubi occultabatur David, nunc autem Echela dicitur vicus distans Eleutheropoli septem milliaribus; Ambacum Prophetæ sepulchrum juxta ostenditur. |

NOTÆ.

[1] Haud dubie vox hæc est non parum corrupta: non alia enim est hæc urbs ab ea, quæ in versione nostra, Jos. 15. v. 28. appellatur *Baziothia*; siquidem etiamnum ibi libri incorruptiores Septuaginta Interpretum habent ἰβεζιωθιαί. BONFRERIUS.

[2] Hæc Israelitarum in deserto mansio in versione nostra, Num. 33. v. 34. 35. *Hebrona* appellatur. IDEM.

[3] In versione nostra *Hachila* dicitur collis in tribu Juda, I. Reg. 23. & 26. de quo & nos supra in voce, *Collis Hachila*. Mihi autem persuasum est non esse eum locum quem hic dicit *fuisse in septimo ab Eleutheropoli milliario*: desertum enim Maon, in quo erat iste collis, necesse est majore spatio Eleutheropoli abfuisse versus Orientem & mare mortuum. IDEM.

[4] Ἀμβακοὺμ τοῦ Προφήτου τὸ μνημεῖον) Notat *Martianaus* hoc sepulcrum multis locis diversis monstratum, ut hodie caput S. Joannis Baptistæ: addere potuit, quia verus ejus locus ignorabatur. De hoc dixeris quod de Helena est, apud *Euripidem* vers. 594.

Τοὔνομα γένοιτ' ἂν πολλαχοῦ, τὸ σῶμα δ' οὔ.

*Nomen possit esse pluribus in locis, corpus non item.*

CLERICUS.

HIERONYMUS. ΕΥ'ΣΕ'ΒΙΟΣ. EUSEBIUS.

EDEMA, urbs in tribu Nephtali, Jos. XIX. vers. 36.

[1] *EDEN, sacer paradisi locus ad Orientem, quod in voluptatem, delitiasque transfertur.*

Ε'δέμ, ὁ τοῦ θεῖυ παραδείσυ τόπος εἰς ἀνατολάς· ἑρμηνεύεται δὲ, τρυφή.

EDEM, Divini paradisi locus ad orientem. Interpretes autem vertunt, delitias.

EDER, urbs in tribu Juda, Jos. XV. vers. 21. quam Paulo post EDRE Eusebius appellat.

EDOM, regio seu terra Edom sæpe Idumæa appellatur, ab Esau, qui fuit dictus Edom, quod in ea ejus habitarint posteri.

[2] *EDOMIA, in tribu Benjamin, nunc vero ostenditur villa Eduma in Acrabatene duodecim ferme millibus distans a Neapoli contra Orientalem plagam.*

[10] Ε'δυμία, φυλῆς Βενιαμὶν, καὶ νῦν ἔστι κώμη Ε'δουμὰ ἐν τῇ Α'κραβατινῇ ὡς ἀπὸ ιβ' σημείων πρὸς ἀνατολὰς τῆς νέας πόλεως.

EDUMIA, tribus Benjamin, estque modo vicus Eduma in Acrabatine, quasi in duodecimo milliario ad orientem Neapoleos.

[3] *EDRAI, in tribu Nephthalim,*

Ε'δράει, κλήρυ Νεφθαλείμ.

EDRAI, sortis Nephthali.

[4] *EDRE, in tribu Juda.*

Ε'δραὶ, φυλῆς Ἰούδα.

EDRAI, tribus Juda.

[5] *EGLON, quæ & Odollam in tribu Juda, cujus regem nomine Dabir interfecit Jesus. Est autem nunc villa prægrandis in duodecimo ab Eleutheropoli lapide contra Orientem.*

Ε'γλὼμ, ἡ καὶ Ο'δολλὰμ, ἧς τὸν βασιλέα Δαβεὶρ ἐπάταξεν Ἰησοῦς, φυλῆς Ἰούδα· καὶ νῦν ἔστι κώμη μεγίστη πρὸς ἀνατολὰς Ε'λευθεροπόλεως ἀπὸ σημείων ἰ· κεῖται καὶ ἀνωτέρω.

EGLOM, quæ & Odollam, cujus regem Dabir percussit Jesus, tribus Juda. Estque nunc vicus maximus ad orientem Eleutheropoleos in decimo milliario. Extat & supra.

[6] *ELAM, legimus vallem Ela, quam Aquila & Theodotion interpretantur vallem quercus.*

Η'λὰ, κοιλὰς Η'λὰθ· Α'κύλας, Θεοδοτίων, κοιλὰς τῆς δρυός.

HELA, vallis Helath. Aquila & Theodotion vertunt, vallis quercus.

ELAM, regio. Vide ÆLAM.

[7] *ELATH, regio Principum Edom, & civitas Esau in decimo a Petra milliario contra Orientem.*

Η'λὰθ. χώρα ἡγεμόνων Ε'δὼμ καὶ ἡ πόλις Η'σαῦ, ἀπὸ ἰ. σημείων Πέτρας, πρὸς ἀνατολάς.

HELATH, regio principum Edom, & civitas Esau in decimo lapide Petræ civitatis ad Orientem.

[8] *ELBA, de hac tribus Aser accolas pristinos nequivit expellere.*

Ε'λβὰ, κλήρυ Α'σὴρ, ταύτης οὐκ ἐξῆρε τοὺς ἀλλοφύλυς Α'σήρ.

ELBA, sortis Aser, de hac non expulit Aser alienigenas.

[9] *ELCESE, de quo loco & Nahum propheta fuit, nam appellatur Elcesæus.*

Ε'λκεσὲ, ὅθεν καὶ Ναοὺμ ὁ Ε'λκεσαῖος.

ELCESE, unde & Naum Elcesæus.

N O T Æ.

[1] Significat *Eden* Hebræis voluptatem & delitias: hinc paradisus ille terrestris dictus est paradisus voluptatis; in Hebræo & apud Septuaginta Interpretes, *paradisus in Eden*, Gen. 2. v. 8. vel *paradisus Eden*, ibidem in Hebræo v. 15. & Cap. 3. v. 23. 24. quibus locis Septuaginta Interpretes etiam appellative reddiderunt *παράδεισον τῆς τρυφῆς paradisum voluptatis*. Videtur autem *paradisus Eden* appellatus ab Eden regione, in qua constitutus erat: nam & locus seu regio in qua paradisus erat, Gen. 2. v. 10. appellatur in versione nostra locus voluptatis, at in Hebræo & versione Septuag. Interpretum dicitur *Eden*. Et confirmari hoc potest, quod in Asia fuerit *Eden* regio, eademque juxta Mesopotamiam, ut ex adjunctis locorum nominibus colligi potest, Ezech. 27. v. 23. juxta quæ loca fuisse paradisum terrestrem probabilissimum est. Est & *Eden* apud Isaiam Cap. 37. v. 12. & 4. Reg. 19. v. 12. quæ dicitur esse *in Thalassar* vel *Thelassar*; an vero eadem sit cum illa priori ambigi potest: non video tamen quid necesse sit distinguere, cum Mesopotamia esset in Syria, eique verisimiliter in eadem Syria conjuncta Thalassar: siquidem Thalassar infra Eusebius in Syria collocat. IDEM.

[2] Nullam eo nomine in tribu Benjamin urbem Scriptura commemorat vel in versione nostra, vel Septuaginta Interpretum, neque ullam cui nomen sit affine. BONFRERIUS.

[3] De hac habes Jos. 19. v. 37. Est & alia *Edrai* in regione Trans-Jordanina & Galaaditide, de qua infra sermo est in *Esdrai*. IDEM.

[4] Hæc *Eder* in versione nostra appellatur, Jos. 15. v. 21. IDEM.

[5] De hac habes libro Josue pluribus locis, & quidem cap. 15. v. 39. inter urbes Juda recensetur. *Eglon* porro eamdem esse cum *Odollam* nemo facile mihi persuaserit, cum Scriptura aperte distinguat ibi supra, Jos. 15. v. 35. 39. IDEM.

[6] *Vallem Ela* vocant Septuaginta Interpretes retenta voce Hebraica, 1. Reg. 21. v. 9. quam versio nostra *vallem terebinthi* appellat; *Ela* enim vel *quercum* vel *terebinthum* significat. IDEM.

[7] De *Elath* diximus supra in *Ælath*. Non tam videtur regio, quam urbs in Idumæa, ut ibi supra diximus. IDEM.

[8] Hæc in versione nostra *Helba* appellatur, Judic. 1. v. 31. ubi hoc ipsum habes, quod hic commemoratur. IDEM.

[9] Ubi locus ille sit, utpote cujus nulla usquam alibi fit mentio, paulo obscurius est; Hieronymus tamen in proœmio ad Nahum prophetam ait viculum esse in Galilæa: IDEM.

[10] Ε'δυμία) Sine dubio voluit dicere Ε'δυμὶμ, & sic legit אדמים *adummim*, qui clivus fuit in finibus Benjaminis. Vide Josuam Cap. XVIII. 17. ubi est in Alexandrino Codice LXX. Interpretum Ε'δωμίν. CLERICUS.

HIERONYMUS.

[1] *ELEALE*, *civitas Amorrhæorum in Galaad*, *quæ cecidit in ſortem tribus Ruben*. *Meminit hujus & Iſaias in viſione contra Moab*, *& Hieremias*. *Sed & uſque hodie villa grandis oſtenditur in primo ab Esbus milliario*.

[2] *ELEHATH*, *in tribu Aſer*, *civitas Levitis ſeparata*.

ΕΥΣΕΒΙΟΣ.

Ἐλεάλε, πόλις ἐν τῇ Γαλαὰδ τοῦ Ἀμοῤῥαίε, ἣ γέγονε φυλῆς Ῥεβὶν, ἧς μέμνηται Ἡσαΐας ἐν ὁράσει τῆς Μωαβίτιδος· κεῖται καὶ ἐν Ἱερεμίᾳ· καὶ σώζεται εἰς ἔτι νῦν κώμη μεγίστη οὐ πλεῖον σημείου ἑνὸς ἀπέχουσα τῆς Ἐσεβοῦς.

Ἐθάν, κλήρου Ἀσὴρ, πόλις Λευίταις ἀφωρισμένη.

EUSEBIUS.

ELEALE, civitas in terra Galaad Amorrhæi, quæ fuit tribus Ruben, cujus meminit Iſaias in viſione Moabitidis. Legitur & in Hieremia. Et extat uſque hodie vicus maximus non amplius uno milliari diſtans ab Eſebus.

ETHAE, ſortis Aſer, civitas Levitis ſeparata.

ELEPH, urbs in tribu Benjamin, Joſ. XVIII. verſ. 28.

ELEUTHEROPOLIS, cujus in Scriptura nulla fit mentio; eſt enim urbs poſterioris ævi, & poſt excidium Hieroſolymitanum exſtructa, cujus ſæpe in iſto de locis Hebraicis libro Hieronymus meminit, videtur urbs fuiſſe in tribu Juda ad Philiſthæorum vergens regionem. Vide de hac urbe plura, Judic. IX. verſ. 21.

ELEUTHERUS, Syriæ fluvius Ptolemæo, Straboni, Plinio, Joſepho; cujus & fit mentio 1. Machab. XI. verſ. 7. & Cap. XII. verſ. 30. De hujus fluvii fontibus, progreſſu, oſtiis vellem aliquid certius promere, ſed deſpero me id poſſe, niſi oculatum teſtem nactus fuero, qui ad nos certiora perferat. Adrichomius fluvium hunc ex Antilibano a parte ejus Auſtrali educit, ejuſque oſtium, per quod in mare effundatur, inter Tyrum & Sidonem collocat: at quo id auctore faciat ignoro, præſertim cum Joſephus 15. Antiq. Cap. 4. tam Sidonem, quam Tyrum inter *Eleutherum* fluvium & Ægyptum includat. Reliqui omnes Geographi cum Ptolemæo Geographorum principe ejuſdem fluminis oſtium multo magis ad Boream collocant, nempe ſupra Tripolim ad Septentrionem: & hoc multo certius. Sed in ejus fontibus aſſignandis, cum de ea re Ptolemæus non meminerit, & in ea re Geographi non parum varient, major eſt difficultas. Qui Ptolemaicas nobis expreſſere tabulas Villanovanus & Bertius *Eleutheri* originem ſtatuunt ad radices montis Libani a parte Aquilonari: Maginus in quarta Aſiæ tabula ejus originem accerſit e Boſra ſeu Boſor trans Jordanem, qui deinde inter Libanum & Antilibanum lapſus in duo oſtia dividatur, uno ſupra Tripolim ad Boream, altero infra Tripolim ad Auſtrum. Adrichomius, uti dixi, ex Antilibano, quem tamen ipſe Libanum vocat, a parte Auſtrali ejus originem evocat. Sed ſupra modum dubito an aliquid horum probandum ſit: nam ſi ſupra Tripolim ad Boream ejus oſtium eſt, non videntur ejus fontes eſſe poſſe in Antilibano a parte Auſtrali. Qui e Libano a parte Boreali fluvium hunc prorumpere volunt, totum fluvium nimio intervallo a tota Terra Promiſſa & Amathite regione ſeparant, quam ferat locus ille qui habetur, 1. Machab. XII. verſ. 25. 30. ſatis enim iſte Scripturæ locus indicat fugientibus Jonatham Demetrianis militibus nocte intempeſta, ex Amathite ſcilicet regione, non multo poſt occurriſſe eis flumen *Eleutherum*, quo pertranſito erepta eſt Jonathæ opportunitas eos ulterius perſequendi. E quo loco inclinat animus, ut potius exiſtimem hunc fluvium erumpere ex Antilibano a parte Boreali, ac deinde a parte occidua Libanum monſtem legendo ſupra Tripolim in mare effundi. Hæc mea conjectura in re ſupra modum obſcura, donec aliunde major lux affulgeat.

ELICI, *Elicorum*, Judith. 1. verſ. 6. ſitne urbis nomen ad inſtar Pariſii Pariſiorum, an vero gentis nomen obſcurum eſt. In Græco habetur Ἐλυμαίων. Satis autem conſtat ex Strabone & Ptolemæo *Elymæos* fuiſſe populos Aſſyriæ, & Suſianæ vicinos. Itaque *Elicos* ibi accipi malim etiam pro populo, ut urbs vel regio ſit *Elix*. Hi autem *Elici* vel *Elymæi* ibi ſupra Judith 1. dicuntur eſſe circa Euphratem & Tigrim.

ELIM, locus in deſerto trans mare rubrum, in quo fuit una Iſraelitarum manſio; quo in loco duodecim erant fontes, & ſeptuaginta palmæ, Exodi XV. verſ. 27. Num. XXXIII. verſ. 9. Eſt & *Elim* puteus apud Moabitas, Iſaiæ XV. verſ. 8.

ELISA, Inſulas commemorat Ezechiel Cap. XXVII. verſ. 7. quæ ubi ſint non parva diſputatio eſt, uti ad Gen. X. verſ. 4. annotavimus, dum alii Æolidem, alii Græciam, alii Italiam, alii *Elyſias* ſeu Fortunatas Inſulas, alii alia volunt. Crediderim eſſe inſulas aliquas Mediterranei maris, vel Ægæi.

---

NOTÆ.

[1] De ea habes, Num. 32. v. 3. & 37. Apud Iſaiam vero habes Capp. 15. & 16. apud Jeremiam Cap. 48. e quibus ſatis colligitur rurſum poſtea Moabitarum ditioni adjectam fuiſſe. IDEM.

[2] Corrupte haud dubie hæc vox per (e) in medio ſcribitur, cum per (c) ſcribendum ſit; nam & nunc in Codicibus Septuaginta Interpretum *Chelcath*, vel *Elcath*, vel *Alcath* legitur. In noſtra verſione *Halcath* dicitur, Joſ. 19. v. 25. ubi tribui Aſer ea attribuitur. *Helcath* appellatur, Joſ. 21. v. 31. ubi inter Levitarum iſtius tribus oppida recenſetur. Eadem alio nomine *Hucac*, Ἀκὰκ, *Aſach*, *Hacor*, 1. Paral. 6. v. 75. juxta varios Codices nuncupatur. IDEM.

| HIERONYMUS. | ΕΥ'ΣΕ'ΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [1] *ELLESAR, civitas regis Arioth.* | Ε'λλασὰρ, πόλις βασιλέως Α'ρειὼχ. | ELLASAR, civitas regni Arioch. |

ELMELECH, urbs in tribu Aser, Jos. XIX. verf. 26.

| HIERONYMUS. | ΕΥ'ΣΕ'ΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [2] *ELMONI, locus quispiam interpretatur: pro quo Aquila & Theodotion transtulerunt* τὸν δεῖνα, *quod nos dicere possumus hunc vel illum. Porro licet lector agnoscat quod in principio quoque libri hujus aliqua ex parte perstrinxi, me non omnia quæ transfero comprobare. Sed idcirco quædam juxta auctoritatem Græcam relinquere: quia de his in libris Hebraicarum quæstionum plenius disputavi.* | Ε'λμωνὶ, τόπος τις ἑρμηνεύεται. Α'κύλ. Θεοδ. τὸν δεῖνα. | ELMONI, locus quispiam exponitur. Aquila, Theodotion, hunc vertunt illum. |
| [3] *ELOTH, quam ædificavit rex Azarias.* | Ε'λώθ, ταύτην ᾠκοδόμησεν Α'ζαρίας βασιλεύς. | ELOTH, hanc ædificavit Azarias rex. |
| [4] *ELOLATH, in tribu Juda.* | | |

ELTECON. Vide paulo post ELTHECO.

ELTHECE. Vide quod proxime sequitur ELTHECO.

| HIERONYMUS. | ΕΥ'ΣΕ'ΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [5] *ELTHECO, in tribu Dan separata Levitis.* | Ελθεκὼ, κλήρȣ Δάν. | ELTHECO, sortis Dan. |
| [6] *ELTHEI, in tribu Juda, est hodieque Thecua vicus in nono ab Ælia milliario contra meridianam plagam, de qua fuit Amos Propheta, cujus sepulcrum ibidem ostenditur.* | [8] Ε'κθεκȣὴ, φυλῆς Ἰούδα, καὶ νῦν ἔστι Θεκȣὰ ἀπὸ σημείων ιβ' ἐξ ἀνατολῶν· ἔνθεν ἦν Α'μμὼς ὁ προφήτης, οὗ καὶ τὸ μνῆμα αὐτόθι εἰς ἔτι νῦν δείκνυται. | ECTHECUE, tribus Juda, & nunc est Thecua in duodecimo milliario ex parte orientali. Inde fuit Amos propheta, cujus etiam sepulcrum ibidem usque hodie ostenditur. |

ETHOLAD, urbs in tribu Juda, Jos. XV. vers. 30.

| HIERONYMUS. | ΕΥ'ΣΕ'ΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [7] *ELUL, in tribu Juda. Est & hodie in regione ad Æliam pertinente villula nomine Alula juxta Chebron.* | | |

ELYMAIS, civitas in Perside nobilissima, 1. Machab. VI. vers. 1. quæ eadem & *Persepolis* dicitur, 2. Machab. IX. vers. 2.

---

N O T Æ.

[1] *Ellasar* vel *Elasar* fere nunc legimus in Hebræo & Codicibus Septuaginta Interpretum, Gen. 14. v. 1. pro quo Hieronymus *Pontum* dixit. Sitne autem civitas *Ellasar*, an regio potius, & ubi sita res perquam obscura est, nisi quod in Asia esse constet. Pro *Arioth* autem reponendum est *Arioch*. BONFRERIUS.

[2] Ex hisce omnibus sola illa fere prima verba: *Elmoni locus quispiam interpretatur*; sunt Eusebii: reliqua fere sunt Hieronymi, quibus etiam Eusebii opinionem improbat, indicatque se interpretis officio fungi voluisse, etiamsi quædam non probet. Ex quibus intelligimus si quid perperam in hoc libro dictum sit, non Hieronymo tribuendum, sed Eusebio fere. Porro quod ad vocem *Elmoni* attinet, eam habent Septuaginta Interpretes, 4. Reg. 6. v. 8. Sed recte dictum Eusebii hic Hieronymus improbat; non enim loci nomen est proprium, sed ea voce incertus & indeterminatus locus significatur. In Hebræo est פלני אלמני *peloni almoni*, pro quo Hieronymus in nostra versione, *in loco illo & illo* dixit. Quid Hebræis istis vocibus significetur fusius a nobis explicatur, Ruth. 4. v. 1. IDEM.

[3] Vide supra in *Ælath*. IDEM.

[4] Non aliam arbitror hic urbem voce corrupta indicari, quam quæ in versione nostra, Jos. 15. v. 30. inter urbes tribus Juda *Eltholad* nuncupatur. IDEM.

[5] *Eltheco* etiam in versione nostra appellatur, Jos. 21. v. 23. ubi ea Leviticis urbibus annumeratur. Eadem *Elthece* dicitur, Jos. 19. v. 44. in urbium tribus Dan recensione. *Eltecon*, Jos. 15. v. 59. ubi inter urbes tribus Juda recensetur, sed ei tribui ablata fuit, & Danitis attributa. BONFRERIUS.

[6] Quid commercii vel affinitatis *Thecuæ* cum *Elthei*? de Thecua in tribu Juda, in qua natus Amos Propheta, non uno loco fit in Scriptura mentio; de *Elthei* nusquam, ut proinde necesse sit nescio quid mendi in vocem hanc irrepsisse. Septuaginta Interpretes, Jos. 15. sub finem plures urbes in tribu Juda nominant, quam vel Hebræa, vel versio nostra habeat, & inter cæteras *Theco*, pro qua forte legit Eusebius ETHECO, & ad hanc literam retulit, eoque nomine *Thecuam* intellexit; cujus alioqui eo Cap. Jos. 15. nulla fieret mentio. IDEM.

[7] Hæc in nostra versione *Halhul*, vocales magis aspirando, appellatur, Jos. 15. v. 58. cum in Hebræo sit חלחול *Chalchul*. IDEM.

[8] Ε'κθεκȣὴ) Vocem hanc finxit *Bonfrerius*, si credimus Editioni Parisinæ, ubi in Codice Regio dicitur esse Ε'σσάρ. Apud *Hieronymum*, ibi est corrupte *Eltheca*. Debet in Græcis legi Ε'κθεκȣὲ & *Ecthekue* in Latinis, commentitium enim hoc nomen desumtum est ex Amosi Cap. 1. 1. ubi Propheta dicitur esse ἐν Θεκȣὲ (מתקוע *mitthekoah*) quæ duæ voces in unam sunt conflatæ ab *Eusebio*; qui valde negligenter hæc nomina exscripsit, nec præ imperitia Hebraicæ Linguæ emendare potuit, ut passim liquet. CLERICUS.

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [1] *EMACIM, quod Symmachus & Aquila transtulerunt vallium.* | Ἐνακέιμ, Ἀκύλας, τῶν κοιλάδων. | ENACIM, Aquila (vertit) vallium. |
| [2] *EMAN, terminus Damasci, sicut in Ezechiel legimus, ad Orientem vergens Atheman, & Palmetis, quem cæteri interpretes ediderunt, Thamar.* | Ἡνὰν, ὅριον Δαμασκοῦ ὡς Ἰεζεχιὴλ, ἀπὸ Θαιμὰν καὶ φοινικῶνος, ὡς δὲ οἱ λοιποὶ, Θάμαρ. | HENAN, terminus Damasci, ut Ezechiel, a Thaman & palmeto, ut vero alii, Thamar. |
| [3] *EMATH, quam transierunt exploratores, qui ab Jesu missi sunt.* | Ἐμάθ, ἣ διῆλθον [8] οἱ περὶ τὸν Ἰησοῦν κατάσκοποι. | EMATH, qua transierunt exploratores Jesu. |
| [4] *EMATH, in Esaia Damasci civitas, quam oppugnavit rex Assyriorum. Meminit hujus Zacharias & Ezechiel. In Amos quoque Emath Rabba scribitur, quod nobiscum sonat,* Emath magna. *Diximus de hac & supra, quod nobis videretur hanc esse Epiphaniam juxta Emesam, quæ usque hodie Syro sermone sic dicitur.* | Ἐμάθ, ἐν Ἡσαΐᾳ, πόλις Δαμασκοῦ, ἣν ἐπολιόρκησε βασιλεὺς Ἀσσυρίων· μέμνηται αὐτῆς καὶ Ζαχαρίας· κεῖται δὲ ἐν τῷ Ἰεζεχιὴλ, καὶ ἐν τῷ Ἀμὼς Ἐμὰθ Ῥαββὰ, ὅ ἐστιν Ἐμὰθ ἡ μεγάλη, κεῖται δὲ καὶ ἀνωτέρω· καὶ μήποτε αὕτη ἐστὶν ἡ Ἐπιφάνεια, ἡ πλησίον Ἐμέσσης. | EMATH, in Isaia urbs Damasci, quam expugnavit rex Assyriorum. Meminit hujus & Zacharias. Extat apud Ezechielem & Amos Emath Rabba, quod significat Emath magnam, posita est supra. Et hæc minime est Epiphania, quæ est juxta Emessam. |
| [5] *EMATH, terminus Allophylorum in regione Damasci.* | Ἐμάθ, ὅριον τῶν ἀλλοφύλων, ἐν χώρᾳ Δαμασκοῦ. | EMATH, terminus alienigenarum in regione Damasci. |
| [6] *EMATH, regio Allophylorum. Porro juxta Hieremiam civitas Damasci.* | Ἡμάθ, χώρα ἀλλοφύλων· ὁ δὲ Ἱερεμίας, πόλις Δαμασκοῦ. | HEMATH, regio Allophylorum. At Hieremias, civitas Damasci. |
| [7] *EMATHDOR, in tribu Nephtalim separata Levitis.* | Ἐμμαχδὼρ, κλήρου Νεφθαλεὶμ, Λευΐταις ἀφωρισμένη. | EMMACHDOR, sortis Nephtali Levitis decreta. |

NOTÆ.

[1] Eam vocem habes apud Septuaginta Interpretes, Hierem. 49. v. 4. licet nunc in codicibus, quos habemus mendose legatur *Enacim:* Hebræis enim עמק *Emec* vallis est, plurali עמקים *Amakim* valles, quæ vox ibi in Hebræo apud Hieremiam habetur. Nostra versio ibi habet, *in vallibus*. BONFRERIUS.

[2] Nihil fere non in hisce verbis vitiosum est, & corruptum; pro *Eman* enim legendum est, *Enan:* pro *Atheman*, legendum est, *a Theman*: (ita enim legitur in Septuaginta Interptetibus) alludit enim ad Ezech. 47. a v. 17. & deinceps, & ad Ezech. 48. v. 1. ubi fit mentio atrii *Enan*, vel *Enon*, qui & dicitur esse *terminus Damasci*, sive ad quod porriguntur limites Syriæ Damascenæ. Idem locus Num. 34. v. 9. 10. appellatur *villa Enan*: ubi in Hebræo omnibus hisce locis legimus חצר עינן *chatsar Enan* vel עינון *Enon.* Quemadmodum autem ubi erat terminus Damasci, ita & terminus erat Terræ Promissæ, & funiculi ducti ab Occidente ad Orientem a parte Boreali. Addo vero, ne quis in verbis Eusebii hæreat, illud *a Theman & Palmetis*, &c. usque ad finem, totum sensum sententiæ vitiare, & hoc loco superfluere, cum id ad *villam* vel *atrium Enan* nihil pertineat, ut perspicuum est si quis Ezechielem legat Cap. 47. cum *atrium Enan* sit in fine limitum Septemtrionalium: alter vero locus, qui apud Septuaginta *Theman* vel *Palmetum* dicitur, sit in parte Australi. Dico *Theman* vel *Palmetum:* est enim unus idemque locus, cum unica vox in Hebræo respondeat apud Ezechielem Cap. 47. v. 19. תמר *Thamar*, quod palmam arborem, vel palmetum significat, pro quo corrupte *Theman* aliquis apud Septuaginta Interpretes scripsit, cum non sit verisimile istos Interpretes Hebræam vocem, ejusque explicationem addidisse. IDEM.

[3] *A Moyse* credo voluit dicere; id enim habetur, Num. 13. missos a Moyse exploratores, e quibus & ipse Jesus, seu Josue unus erat, & venisse in *Emath* aut ejus fines habetur v. 22. ut proinde fere certum sit ad eam alludi historiam. Legimus quidem a Josue missos, qui lustrarent terram, eamque describerent, Jos. 18. at hi neque exploratores erant, si proprie loquamur, sed geometræ, neque venisse in *Emath* Scriptura refert. Porro de duplici urbe *Emath* jam supra diximus in *Æmath*. IDEM.

[4] Et nos de ea diximus in *Æmath*. De ea autem expugnata habes, 4. Reg. 18. v. 34. & Cap. 19. v. 13. Item apud prophetas, Isaiam Cap. 10. v. 9. quæ est de futura regis Assyrii superbia prophetia: item Capp. 36. & 37. ubi eadem habes quæ Lib. 4. Reg. Capp. 18. & 19. IDEM.

[5] De hac proxime in voce sequenti. IDEM.

[6] Apud Ezechielem Capp. 47. & 48. Videtur *Emath* terminus Damasci constitui; at nusquam *Allophylorum* vel *regio*, vel *terminus* dicitur: neque vero esse potest, si *Allophyli* proprie sumantur pro Philisthæis, quomodo eam vocem consueverunt usurpare Septuaginta Interpretes; at si hæc vox latius usurpetur pro quibuslibet alienigenis, seu exteris a Judaico genere & religione alienis, nihil vetat *Emath* dici *terminum*, vel *regionem Allophylorum*. IDEM.

[7] Hæc in versione nostra *Hammothdor* appellatur, Jos. 21. v. 32. Eadem *Hamon* dicitur, 1. Paral. 6. v. 76. IDEM.

[8] Οἱ περὶ τὸν Ἰησοῦν κατάσκοποι) Non sunt, ut vertit *Hieronymus*, exploratores qui ab Josua missi sunt. Historia enim Sacra nos docet hosce ad urbem Emath non ivisse, sed tantum Jerichuntem. Intelligendi sunt ii exploratores, qui cum ipso Josua iverunt, ut liquet ex Num. XIII. 22. Nec sane aliud significat Græca loquutio, quam non est adsequutus *Hieronymus*; nam οἱ περὶ τὸν Ἰησοῦν sunt *Jesus & comites*, aut etiam *ipse Jesus*, vel solus. Hoc autem in loco conjungendus est Josua cum aliis, cum in exploratorum numero, ut ex Historia constat, fuerit. Non ex hoc uno loco animadvertere licet *Hieronymum* tam doctum Græce non fuisse, quam multi putant. Vide *Quæstionem Hieronymianam* III. Non necesse est hic repetere, quæ illic dicta sunt. CLERICUS.

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [1] *EMAUS*, *de quo loco fuit Cleophas, cujus Lucas meminit Evangelista. Hæc est nunc Nicopolis insignis civitas Palæstinæ.* | Ἐμμαοῦς, ὅθεν ἦν Κλεώπας, ὁ ἐν τῷ κατὰ Λουκᾶν εὐαγγελίῳ· αὕτη ἐστὶν ἡ Νικόπολις τῆς Παλαιστίνης ἐπίσημος πόλις. | EMMAUS, unde erat Cleophas, qui in Evangelio secundum Lucam (nominetur.) Hæc est Nicopolis urbs Palæstinæ nobilis. |
| [2] *EMEC ACHOR*, *quod interpretatur vallis Achor, id est, tumultus atque turbarum: ubi Acham lapidibus oppressus est, eo quod quædam de anathemate sustulisset. Est autem locus juxta Hierico haud procul a Galgalis. Male ergo quidam putant vallem Achor a nomine ejus, qui lapidatus est, nuncupatam, cum ille Acham dictus sit, & non Achor, vel Achar.* | Ἔμεχ Ἀχώρ, ἑρμηνεύεται κοιλὰς Ἀχώρ, ἔνθα ἐλιθοβόλησαν Ἀχὼρ κλέψαντα τὸ ἀνάθεμα, ἀφ' οὗ καὶ προσωνυμίας ἔτυχεν πλησίον Ἱεριχοῦς· δείκνυται εἰς ἔτι νῦν ὁ τόπος παρὰ τὴν Γάλγαλα. | EMEC ACHAR, exponitur vallis Achor, in qua lapidibus obruerunt Achor, cum anathema furatus esset, a quo appellationem sortita est, juxta Hiericho. Monstratur etiam hodie locus ultra Galgala. |
| [3] *EMECH RAPHAIM*, *id est, vallis Raphaim in tribu Benjamin.* | Ἐμεκραφαείμ, ἥ ἐστιν ἐν κοιλάδι Ῥαφαείμ κλήρου Βενιαμίν. | EMERCAPHAIM, quæ est in valle Raphaim sortis Benjamin. |

EMER, vel EMMER, urbs apud Babylonios, e qua nonnulli de captivitate redierant, 1. Esdræ II. vers. 59. & 2. Esdræ VII. vers. 61.

EMIM, non est locus aliquis, sed populus Gygantææ propemodum staturæ, qui primum Moabiticam regionem incoluerant, quos postea Moabitæ expulerunt, Deuter. II. vers. 10. 11.

EMMAUS. Vide EMAUS.

EMMAUM. Vide EMAUS.

EMMER. Vide EMER.

EMONA, urbs in tribu Benjamin, Jos. XVIII. vers. 24.

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [4] *ENADDA*, *in tribu Issachar. Est autem usque hodie quædam villa Enadda pergentibus de Eleutheropoli Æliam quasi in decimo milliario.* | Ἠναδά, κλήρου Ἰσσάχαρ· ἔστι δὲ κώμη νῦν ἑτέρα Ἠναδὰ ἀπιόντων ἀπὸ Ἐλευθεροπόλεως εἰς Αἰλίαν, περὶ τὸ ι σημεῖον. | HENADA, sortis Issachar. Est autem vicus modo alius Henada pergentibus Eleutheropoli Æliam in decimo circiter milliario. |
| [5] *ENAIM*, *in tribu Juda, hodieque villa est Bethenim circa Terebinthum.* | Ἠναίμ, φυλῆς Ἰούδα, καὶ νῦν ἐστι κώμη Βεθενίμ περὶ τὴν Τερέβινθον. | HENAIM, tribus Juda, estque nunc vicus Bethenim circa Terebinthum. |
| [6] *ENAKIM*, & *in hac interfecit Jesus Enakim Gigantes de regione montana in Chebron. Sed mibi non videtur nomen es-* | Ἐνακείμ, ἐκ ταύτης Ἰησοῦς ἀνεῖλε τοὺς Ἐνακνὶμ ἐκ τῆς ὀρεινῆς ἐν Χεβρών. | ENAKIM, ex hac interfecit JESUS Enacim, de regione montana in Chebron. |

N o t æ.

[1] Hæc *Emmaus* vel *Emmaum* in versione nostra appellatur, locus sic dictus ab aquis calidis, teste Josepho Lib. 4. Belli Cap. 1. חם מים *cham maim* enim aquæ calidæ sunt. Distat ab Hierosolymis stadiis sexaginta, ut Lucas asserit in Evangelio, Cap. 24. v. 13. Josephus Lib. 7. Belli, Cap. 26. triginta tantum stadia ponit, sed vel aliquis in hoc numero error, vel non est audiendus Josephus reclamante Scriptura, nisi quis dicat eum duplo longiora usurpare stadia: & vero argumenta sunt non levia quæ indicant Josephum fere uti longioribus stadiis. Capta a Romanis Hierosolyma hæc *Emmaus* in civitatem aucta est, & *Nicopolis* appellata, quo nomine passim hoc libro de locis Hebraicis indigitatur. Idem.

[2] De hac historia, sublato videlicet anathemate, exorta turbatione, sumto supplicio habes Jos. 7. ubi & in finem versio nostra loco nomen factum esse *vallem Achor* ait, Septuaginta retenta voce Hebræa *Emec Achor* dixerunt, עמק *Emec* enim vallem significat. Porro nomen ejus qui lapidatus est non tantum esse *Achan*, sed etiam *Achar*, vel *Achor*, quod videtur hic negari, comprobavimus, Jos. 7. v. 1. Idem.

[3] Ita hanc vallem appellant Septuaginta Interpretes, Jos. 18. v. 16. alibi aliter reddunt; qua de re nos supra in *Cælas Titanorum*, ubi de hac valle pluscula, quo in loco etiam illud improbamus quod hic dicitur, *hanc vallem fuisse in tribu Benjamin.* Idem.

[4] In versione nostra *Enhadda* appellatur, Jos. 19. v. 21. Si qua fuit ejus nominis villa inter Eleutheropolim & Æliam, ea a priore illa necessario diversa fuit, utpote in tribu Juda. Significat hæc vox *oculum acutum*. Idem.

[5] De hac habes Jos. 15. v. 34. Significat hæc vox *geminos oculos*, vel *duos fontes*. *Bethenim* vero, vel potius *Bethenaim* significat domum oculorum. Quem autem locum nomine *Terebinthi* significare velit, supra modum obscurum est; erat sane in tribu Juda Vallis terebinthi, neque de alia terebintho, quæ loci nomen esse possit in tribu Juda Septuaginta Interpretes meminerunt, ut merito suspicio esse possit de ea hic sermonem esse, uti & infra in voce *Gaddera*. Idem.

[6] Recte hic Eusebium postremis verbis corrigit Hieronymus, nusquam enim vel *Hebron* vel alia eo nomine legitur urbs: at *habitatores Hebron* a Josue & Caleb interfecti *Enacim* dicti sunt, Jos. 11. v. 21. Judic. 1. v. 20. Idem.

HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS.

*ſe loci, ſed habitatorum Chebron.*

ENAN, villa. Vide ſupra EMAN.

[1] *ENASOR, in tribu Nepthalim. Poſita eſt & ſupra Aſor.*

Ἠνάσωρ, κλήρου Νεφθαλείμ· κεῖται καὶ ἀνωτέρω Ἀσώρ.

HENASOR, ſortis Nephtali. Extat & ſuperius Aſor.

[2] *ENDOR, in tribu Manaſſe: ubi Pythoniſſa a Saule rege Judææ conſulitur. Diximus & ſupra de Endor, quæ eſt juxta oppidum Naim, in cujus portis Salvator filium viduæ ſuſcitavit. Eſt autem circa Scythopolim.*

Ἠνδώρ, φυλῆς Μανασσῆ· ἔνθα ἦν ἡ ἐγγαστρίμυθος· καὶ ἀνωτέρω κεῖται Ἐνδώρ· ἔστι δὲ πλησίον Ναΐμ, ἐν ᾗ Χριστὸς τὸν υἱὸν τῆς χήρας ἤγειρεν ἀμφὶ τὴν Σκυθόπολιν.

HENDOR, tribus Manaſſe. Ubi erat Pythoniſſa. Et ſuperius poſita eſt Endor. Eſt autem juxta Naim, in qua Chriſtus filium viduæ ſuſcitavit circa Scythopolim.

[3] *ENGADDI, in tribu Juda, ubi abſconditus eſt David in ſolitudine, quæ eſt in Aulone Hierichus, hoc eſt, in regione illa campeſtri, de qua ſupra diximus. Vocatur autem uſque hodie vicus prægrandis Judæorum Engaddi juxta mare mortuum: unde & opobalſamum venit, quas vineas Engaddi Salomon nuncupat.*

Ἐνγαδδὶ, φυλῆς Ἰούδα, ἔνθα ἐκρύπτετο Δαβὶδ ἐπὶ τῆς ἐρήμου τῆς [7] ἐν Αὐλῷ Ἱεριχοῦς· καὶ νῦν ἐστι κώμη μεγίστη Ἰουδαίων Ἐγγαδδὶ παρακειμένη τῇ νεκρᾷ θαλάσσῃ ὅθεν τὸ ὀποβάλσαμον· κεῖται καὶ ἀνωτέρω Γαδδί.

ENGADDI, tribus Juda, ubi occultabatur David in eremo Aulone Hierichuntis. Et nunc eſt vicus maximus Judæorum Engaddi vicinus mari mortuo, unde opobalſamum. Extat & ſuperius Gaddi.

[4] *ENGADDI, deſertum in quo abſconditus eſt David. Poſuimus & ſupra Engaddi in tribu Juda, juxta mare mortuum, contra Occidentem.*

Ἠνγαδδὶ ἔρημος, ἔνθα ἐκρύπτετο Δαβίδ· καὶ ἀνωτέρω κεῖται Ἐγγαδδὶ φυλῆς Ἰούδα· παράκειται τῇ νεκρᾷ θαλάσσῃ εἰς δυσμάς.

HENGADDI DESERTUM, ubi ſe occultabat David. Etiam ſupra poſita eſt Engaddi, tribus Juda. Eſt autem vicina mari mortuo ad occidentem.

ENGALLIM, fit mentio Ezech. XLVII. verſ. 10. qui locus ubi ſit, non poteſt non eſſe obſcurum, cum ejus alibi nuſquam fiat mentio: illud tantum ex eo Prophetæ loco colligi poteſt eſſe ad Jordanem, & ad partem Borealem Engaddi. Significat autem hæc vox *oculum vitulorum*.

[5] *ENGANNIM, in tribu Juda, nunc eſt vicus juxta Bethel.*

Ἠγανίμ, φυλῆς Ἰούδα· καὶ ἔστι πλησίον Βαιθήλ.

HEGANIM, tribus Juda. Et eſt in Bæthel.

[6] *ENGANNIM, in tribu Iſſachar, civitas ſeparata Levitis. Sed & alia quædam civi-*

Ἠγαννὶ, κλήρου Ἰσσάχαρ, πόλις Λευίταις ἀφωρισμένη· καὶ ἄλλη δὲ λέγεται εἶναι τὶς πόλις Ἠγαννά,

HEGANNI, ſortis Iſſachar, civitas Levitis ſeparata: etiam alia dicitur eſſe quæpiam civi-

NOTÆ.

[1] Hæc in verſione noſtra *Enhaſor* appellatur, Joſ. 19. v. 37. ſignificat hæc vox *fontem villæ*. BONFRERIUS.

[2] De hac habes, Joſ. 17. v. 11. ubi diſerte adſcribitur dimidiæ tribui Manaſſe Cis-Jordaninæ; eo tamen non obſtante mirum eſt Adrichomium eam vel in tribu Iſſachar, vel in utraque tribu collocare. *De Saule & Pythoniſſa a Saule conſulta* habes 1. Reg. 28. Significat hæc vox *fontem generationis*, vel *fontem urbis Dor*. De eadem ſupra actum eſt in *Ændor*, ubi eam dicit abeſſe a monte Thabor in quarto milliario. At quomodo ſi in quarto milliario a monte Thabor, eadem circa Scythopolim hic ponitur quæ non procul Jordane erat? credo prius illud de quatuor milliaribus a monte Thabor verum eſſe; hoc vero poſterius humanum lapſum. Forte prius illud Hieronymi, hoc poſterius Euſebii. IDEM.

[3] De hiſce Davidis latebris in deſerto *Engaddi* habes, 1. Reg. 24. Significat hæc vox *oculum hædi*, vel etiam *fontem* aut *oculum inciſionis*, a re ipſa inditum nomen: ibi enim balſami ſurculus vitro, oſſe, vel ebore incidebatur, non ferro; & e ruptura velut e fonte vel oculo pretioſiſſimus ille & odoratiſſimus opobalſami liquor fluebat. Eadem dicta fuit *Aſaſonthamar*, a palmarum ibi copia; nam תמר *Thamar* Hebræis palmam arborem ſignificat. *Aſaſonthamar* autem dicit Hieronymus in traditionibus Hebraicis ſignificare urbem palmarum: alii diviſionem palmarum: malim ego ſagittationem palmarum, propter folia in modum ſagittarum ſurrecta & acuminata. IDEM.

[4] Hoc deſertum ab urbe vicina nomen habet, de qua proxime diximus. IDEM.

[5] In verſione noſtra *Ængannim* dicitur, Joſ. 15. v. 34. at mirum eſt ſi *in tribu Juda*, quomodo hic dicatur eſſe *juxta Bethel*, quæ erat in tribu Ephraim, & in tribus Benjamin confinio. Significat hæc vox, *oculum protectionum*, ſive *oculum protegentem*. IDEM.

[6] De hac habes Joſ. 19. v. 21. inter civitates tribus Iſſachar, at Joſ. 21. v. 29. eadem inter Leviticas civitates recenſetur. Eadem 1. Paral. 6. v. 73. *Anem* nuncupatur. IDEM.

[7] Ἐν Αὐλῷ) *Martianæus* habet ſimiliter ἐν τῷ Αὐλῷ. Sed oportuit ſcribere aut ἐν Αὐλῷ a nominativo Αὐλός, vel ἐν Αὐλῶνι a nominativo Αὐλών, quo nomine hæc vallis ſolet ab *Euſebio*, *Hieronymoque* vocari. Poſterius prætulerim, propter *Hieronymi* verſionem, & quia Αὐλός hoc ſignificatu paulo rarior eſt. CLERICUS.

| HIERONYMUS. | ΕΥ'ΣΕ'ΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| *tas Enganna dicitur circa Gerasam trans Jordanem.* | κώμη περὶ τὴν Γέρασαν τὴν ἐν τῇ περαίᾳ. | tas Heganna, villa circa Gerasam quæ eſt in ulteriore parte (Jordanis.) |

ENHADDA. Vide ſupra ENADDA.

ENHASOR. Vide ſupra ENASOR.

| | | |
|---|---|---|
| [1] *ENNA, quæ eſt juxta deſertum Cades.* | [4] Ε'ννὰ, παράκειται τῇ ἐρήμῳ Καδδης. | ENNA, adjacet deſerto Cades. |

ENNOM VALLIS. Vide ſupra BENENNON.

ENON. Vide ENAN.

ENSEMES, quæ vox idem eſt quod *fons Solis*, ut verſio noſtra explicat, Joſ. XVIII. verſ. 17. cujus itidem fit mentio, Joſ. XV. verſ. 7. ubi nomen Hebræum reticetur. Erat autem hic fons in communibus terminis tribus Judæ & Benjamin, ad Orientem urbis Hieroſolymitanæ.

EPHA, regionis nomen juxta Madianitidem in Arabia, Iſaiæ LX. verſ. 6. ſic appellata a nepote Abraham ex Cetura: Abrahami enim filius fuit Madian, filius Madian Epha, Gen. XXV. verſ. 2. 4. & 1. Paral. 1. verſ. 32. 33.

EPHER vel OPHER, terra in tribu Zabulon juxta Sephorim, ſeu Diocæſaream, ut teſtatur Hieronymus proœmio in Jonam prophetam, qua de re & nos pluribus, 3. Reg. IV. verſ. 10. dicemus. Inter reges a Joſue interfectos legimus regem *Opher*, Joſ. XII. verſ. 17.

EPHESUS, Joniæ regionis in Aſia Minori urbs nobilis, Dianæque templo uno e ſeptem mundi miraculis olim celebris; multo illuſtrior D. Pauli, D. Joannis Evangeliſtæ, &, ut creditur, B. Virginis in ea diuturniore commoratione. In hac Timotheus Pauli diſcipulus fuit Epiſcopus.

EPHRA, Gedeonis patria in dimidia tribu Manaſſe Cis-Jordanina; verſus quam urbem etiam legimus Philiſthæos palabundos excurriſſe, 1. Reg. XIII. verſ. 17. Vide quæ nos ad eum locum dicemus.

| | | |
|---|---|---|
| [2] *EPHRAIM, juxta deſertum, ad quam venit Dominus Jeſus cum diſcipulis. Diximus & de hac ſub Ephron vocabulo.* | Ε'φραὶμ, ἐγγὺς τῆς ἐρήμου, ἔνθα ἦλθεν ὁ Χριστὸς μετὰ τῶν μαθητῶν· κεῖται καὶ ἀνωτέρω Ε'φρών. | EPHRAIM, juxta deſertum, quo venit Chriſtus cum diſcipulis. Extat & ſuperius Ephron. |
| [3] *EPHRATA, regio Bethlehem civitatis David, in qua natus eſt Chriſtus. Eſt autem in tribu Juda, licet plerique male exiſtiment in tribu Benjamin, juxta viam ubi ſepulta eſt Rachel, quinto milliario ab Hieruſalem, in eo loco, qui a Septuaginta vocatur Hippodromus. Legimus Ephratam in Paralipomenon libro.* | Ε'φραθὰ, χώρα Βηθλεὲμ τῆς πόλεως Δαβὶδ, ἐφ' ἧς ὁ Χριστὸς ἐγεννήθη, φυλῆς Βενιαμὶν, ἧς πρὸς τῇ ὁδῷ ἔθαψαν τὴν Ῥαχὴλ ἀπὸ σημείων δ' τῆς Ἱερουσαλὴμ, ἐν τῷ καλουμένῳ Ἱπποδρόμῳ· δείκνυται τὸ μνῆμα εἰς ἔτι νῦν· καὶ ὁ πατὴρ τοῦ Βηθλεὲμ ἐκαλεῖτο Ε'φραθὰ, ὡς ἐν παραλειπομένοις. | EPHRATHA, regio Bethleem civitatis David, in qua Chriſtus natus eſt, tribus Benjamin, ubi juxta viam ſepelierunt Rachel in quarto milliario a Hieruſalem, in loco qui vocatur Hippodromus. Monſtratur uſque hodie ſepulcrum. Et pater Bethleem vocabatur Ephrata ut (legimus) in Paralipomenis. |

EPHREM. Vide paulo ante EPHRAIM.

---

NOTÆ.

[1] Non *Enala*, ſed *Enmac* habetur in verſione Septuaginta Interpretum, ubi verſio noſtra habet *Senna*, Num. 34. v. 4. BONFRERIUS.

[2] *Ephrem* in verſione noſtra appellatur, Joannis Cap. 11. v. 54. ubi dicitur eſſe civitas in regione juxta deſertum: ſed cum neque quæ regio, neque quod deſertum illud ſit explicetur, neque alibi uſquam ejus urbis fiat mentio, neceſſe eſt obſcurum remanere ubinam fuerit ſita illa civitas; niſi quod non videatur procul abfuiſſe Hieroſolyma. Erant autem non procul Hieroſolyma plura deſerta; ad meridiem erat Thecue, paulo magis verſus Orientem erat ſolitudo Maon, ad Orientem erant deſertum Engaddi, & ſolitudo Jericho; nonnihil ad Boream erat ſolitudo Bethaven, ut difficile ſit ex his eligere quod cæteris præferas. Euſebius hic urbem hanc confundit cum *Ephron*. *Ephron* autem ipſe paulo poſt conſtituit in tribu Juda. Adrichomius duas haſce urbes diſtinguit, & utramque ponit in tribu Ephraim. Ego in re obſcura magis inclino, ut deſertum hoc ſtatuatur deſertum Jericho, in eodemque tractu urbs *Ephrem*: id enim deſertum Hieroſolymæ & Bethaniæ erat proximum, & in eadem tribu Benjamin cum Hieroſolyma & Bethania: hinc & David Abſalonem fugiens ad idem deſertum pro latebris profugit, 2. Reg. 15. v. 23. ubi & abſolute deſertum appellatur. IDEM.

[3] *Ephrata* non tam regio eſt, quam ipſamet urbs Bethlehem; ita enim Scriptura non uno loco aſſerit *Ephratam* eſſe ipſam Bethlehem, Gen. 35. v. 19. & Cap. 48. v. 7. ſic & Ruth. 4. v. 11. & Michææ 5. v. 2. tamquam ſynonyma ponuntur *Bethlehem* & *Ephrata*. Eam Hieronymus hic in quinto, Euſebius vero in quarto ponit ab Hieruſalem milliario, ſupra autem in *Bethlehem* ambo eam in ſexto ponunt. Significat *Ephrata*, ubertatem. Quod autem hic dicitur de *Hippodromo* conſule ea, quæ nos diximus pro explicatione Septuaginta Interpretum, Gen. 35. v. 16. ubi rem hanc longe aliter interpretamur. IDEM.

[4] *Ε'ννὰ*) Verba Græca deerant in Editione Bonfreriana. CLERICUS.

1 Nul-

## HIERONYMUS.

[1] *EPHRON, in tribu Juda. Est & villa prægrandis Ephræa nomine contra Septentrionem in vicesimo ab Ælia milliario.*

[2] *EREB, in tribu Juda: est hodieque villa in Daroma, id est, ad Austrum, quæ Heromith nuncupatur.*

[3] *ERECCON, terminus tribus Dan juxta Joppen.*

[4] *EREMMON, vicus Judæorum prægrandis in decimo sexto ab Eleutheropoli milliario contra meridiem in Daroma.*

[5] *ERGAB, ad quem locum Jonathas, filius Saul veru dirigit, militaribus jaculis se exercens. Pro quo Aquila & Symmachus interpretati sunt lapidem, licet in alio loco Symmachus pro hoc* τὸν περίμετρον *dixerit.*

[6] *ERMA, ubi pars populi cæsa est Israelis ab Amalec & Chananæo, quem in Deuteronomio Amorrhæum Scriptura nominat.*

7 *ERMA, hanc Jesus cepit rege illius interfecto, quæ fuit in sorte Simeonis, vel Juda.*

[8] *ERMON, mons Ermon, quem Phœnices cognominant Sanior.*

## ΕΥ'ΣΕ'ΒΙΟΣ.

Ε'φρὼν, φυλῆς Ἰούδα, καὶ ἔστι νῦν κώμη Ἐφραὶμ μεγίστη περὶ τὰ ὅρια Αἰλίας ὡς ἀπὸ σημείων ή.

Ε'ρέμινθα, ἔτι νῦν κώμη ἐν τῷ Δαρωμᾷ· 9 καὶ ἔστιν ἐν τῇ Γαλιλαίᾳ τῶν Ἐθνῶν Κάδες, κλήρου Νεφθαλείμ, πόλις ἱερατικὴ τὸ πρίν.

Η'ρεκκὼν, ὅριον φυλῆς Δὰν πλησίον Ἰόππης.

Ε'ρεμβὼν, κώμη Ἰουδαίων μεγίστη ἀπὸ ις' σημείων Ἐλευθεροπόλεως.

Ε'ργὰβ, ἔνθα Ἰωναθὰν ἀκοντίζει τὰς σχίζας· Ἀκύλας, τοὺς λίθους. Σύμμαχος, τὸν λίθον. καὶ ἐν ἑτέρῳ σημαίνει τὴν περίμετρον.

Ε'ρμανά, ἔνθα ἐκόπη μέρος τοῦ λαοῦ ὑπὸ τοῦ ἐν τῇ ἐρήμῳ Χαναναίου, καὶ τοῦ Ἀμαλήκ· τοῦτον δὲ τὸν Χαναναῖον (ἡ γραφὴ) Ἀμοῤῥαῖον ἐν τῷ δευτερονομίῳ καλεῖ.

Ε'ρμά, καὶ ταύτην εἷλεν Ἰησοῦς τὸν Βασιλέα αὐτῆς ἀνελὼν, ἣ γέγονε κλήρου Συμεὼν καὶ Ἰούδα.

Ε'ρμὼν, ὄρος Ἑρμὼν, ὃ οἱ Φοίνικες ὀνομάζουσι Σανιώρ· κεῖται καὶ ἀνωτέρω.

## EUSEBIUS.

EPHRON, tribus Juda, estque modo vicus Ephrem maximus circa fines Æliæ in octavo ferme milliario.

EREMINTHA, adhuc modo vicus in Daroma; estque & in Galilæa gentium⌈Cades sortis Nephtali, civitas olim sacerdotalis.

ERECCON, terminus tribus Dan juxta Joppen.

EREMBON, vicus Judæorum maximus (distans) Eleutheropoli sedecim milliaribus.

ERGAB, ubi Jonathas jaculatur sagittas. Aquila (vertit) lapides. Symmachus lapidem. Et in alio significat τὴν περίμετρον ambitum.

ERMANA, ubi cæsa est pars populi a Chananæo, qui habitabat in deserto, & ab Amalech. Hunc autem Chananæum Scriptura vocat Amorrhæum in Deuteronomio.

HERMA, & hanc cepit Jesus interfecto ejus rege, quæ fuit sortis Symeon & Juda.

ERMON, mons Hermon, quem Phœnices Sanior nominant. Et supra positus est.

---

### N o t æ.

[1] Nullam in tribu Juda legimus *Ephron* urbem, sed bene in ea juxta Hebron legimus agrum *Ephron*, Gen. 23.25.49. Verum ibi *Ephron* non loci, sed viri nomen est, a quo Abraham agrum illum emit, estque *Ephron* in illis locis genitivi casus. Legimus & *Ephron* montis nomen in confiniis tribus Judæ & Benjamin, Jos. 15. v. 9. quamquam & ibi *Ephron* forte viri nomen sit, a quo monti nomen adhæserit. Præter hæc vero loca geminam urbem legimus *Ephron* appellatam, unam in tribu Ephraim, 2. Paral. 13. v. 19. alteram in Galaaditide trans Jordanem, cujus fit mentio 1. Machab. 5. v. 46. & Machab. 12. v. 27. quam & a variis gentibus habitatam Judas Machabæus expugnavit. Videtur autem fuisse a parte Australi torrentis Jaboc, quandoquidem e regione Septemtrionali trans torrentem cum suis Machabæus veniret, & mox inde ad Scythopolitas pervenerint. Bonfrerius.

[2] Hæc in versione nostra *Arab* nuncupatur, Jos. 15.v.52. Sed quæ affinitas *Heromith cum Ereb*? forte id vult seu Eusebius seu Hieronymus eam suo tempore etiam posterius hoc nomen habuisse. Idem.

[3] Hæc in versione nostra *Arecon* appellatur, Jos. 19. v. 46. Idem.

[4] Hæc omnino videtur illa, quæ Jos. 15. v. 32. *Remmon* appellatur. Idem.

[5] Hæc vox valde varie in variis Septuaginta Interpretum codicibus, & in Patribus exprimitur, *Ergab*, *Argab*, *Argaph*, *Annegab*, *Negeb*, quod postremum solum cum voce Hebræa נגב *negeb*, congruit, quæ Austrum, seu meridiem significat: quocirca & hujus vocis loco Hieronymus Austrum dixit, *de loco*, inquit, *qui vergebat ad Austrum*, 1. Reg. 20. v. 41. Itaque loci nomen proprium non est, sed appellativum. Quod autem de *veru* hic dicitur, nomine *veru* jaculum intellige, nam & ὀβελὸς apud Græcos subinde pro jaculo militari usurpari videtur, & *veru* a Virgilio Lib. 7. Æneid. eodem modo usurpatur. Idem.

[6] *Horma* in versione nostra locus hic vocatur, Num. 14. v. 45. Deuter. 1. v. 44. Idem.

[7] In versione nostra vocatur vel *Herma*, Jos. 12. v. 14. vel *Harma*, Jos. 15. v.30. & Cap. 19. v. 4. vel *Horma*, 1. Paral. 4. v. 30. Fuit primum tribui Judæ attributa, postmodum avulsa, & Simeonitis data. Erat hæc in extremo fere Judææ Australi termino juxta Idumæos. Porro hanc *Horma* non existimo diversam a præcedenti, sed eandem: locus enim & cætera plane conveniunt. Significat *Horma* anathema. Cur autem & unde id nomen urbi vel regioni impositum sit, habes Num. 21. v. 3. Judic. 1. v. 17. ubi & nos de hac re. Idem.

[8] De hoc monte *Hermon* supra dictum est in ÆRMON. Ejusdem montis alia nomina sunt *Sarion*, *Sanir*, *Sion*, Deuter. 3. v. 9. & Cap. 4. v. 48. Idem.

[9] Totum illud de *Cades* aliunde hunc translatum est, neque ad illam vocem pertinet. Idem.

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [1] *EROIM, civitas, in Ægypto, ad quem Joſeph occurrit patri ſuo Jacob.* | Ἡρώων, πόλις κατ' Αἴγυπτον, ἐφ' ἧς συνήντησεν Ἰωσὴφ τῷ πατρί. | HEROUM, civitas in Ægypto, in qua Joſeph occurrit patri ſuo Jacob. |

ESAAN. Vide ESAN proxime.

| | | |
|---|---|---|
| [2] *ESAN, in tribu Juda.* | Ἔσσαν, φυλῆς Ἰούδα. | ESSAN, tribus Juda. |

ESBUS, ſæpe mentionem facit hic liber de locis Hebraicis. Vide paulo poſt in ESEBON.

| | | |
|---|---|---|
| [3] *ESDRAI, ubi interfectus eſt Og Rex Baſan gigas, id eſt potens, omniſque illius cæſus exercitus. Nunc autem eſt Adara inſignis civitas Arabiæ in viceſimo quarto lapide ab Oſdra.* | Εσδραεὶ, ἔνθα ἀνῃρέθη Ὤγ βασιλεὺς Βασὰν, γίγας καὶ οἱ αὐτοῦ πάντες· καὶ νῦν ἐστιν Ἄδαρα πόλις ἐπίσημος τῆς Ἀραβίας διεστῶσα Βόστροις σημείοις κδ'. | EDRAI, ubi interfectus eſt Og rex Baſan gigas, omneſque ſui. Eſtque nunc Adara civitas inſignis Arabiæ diſtans Boſtris viginti quatuor milliaribus. |

ESDRELON, cujus fit mentio Judith, Capp. I. IV. VII. erat in Galilæa inferiore in tribu Zabulon juxta Dothain & Bethuliam, a qua & nomen accepit planities illa magna Galilææ, quæ Judith I. verſ. 8. dicitur *campus magnus Eſdrelon*. Hanc in dimidia tribu Manaſſe reponit Adrichomius, & longo intervallo a Dothain removet, cum tamen Scriptura eam Judith Capp. IV. & VII. juxta Dothain conſtituat.

| | | |
|---|---|---|
| [4] *ESEBON, civitas Seon regis Amorrhæorum in terra Galaad, quæ cum fuiſſet ante Moabitarum, ab Amorrhæis belli jure poſſeſſa eſt. Meminit hujus Hieremias, Eſaias quoque in viſione contra Moab. Porro nunc vocatur Esbus urbs inſignis Arabiæ in montibus, qui ſunt contra Hierico viginti a Jordane millibus diſtans. Fuit autem in tribu Ruben ſeparata Levitis.* | Ἐσσεβὼν, πόλις Σηὼν τοῦ Ἀμοῤῥαίου ἐν γῇ Γαλαάδ, ἣν ἔλαβεν ἐκπολεμήσας τὸν βασιλέα Μωάβ· μέμνηται αὐτῆς Ἡσαίας ἐν ὁράσει κατὰ τῆς Μωαβίτιδος, καὶ Ἱερεμίας· καλεῖται νῦν Ἐσβοὺς ἐπίσημος πόλις τῆς Ἀραβίας ἐν ὄρεσι τοῖς ἀντικρὺ τῆς Ἱεριχοῦς κειμένη ὡς ἀπὸ κ' τοῦ Ἰορδάνου· καὶ γέγονε φυλῆς Ῥουβὶν, Λευίταις ἀφωρισμένη. | ESSEBON, civitas Seon Amorrhæi in terra Galaad, quam cepit expugnato rege Moab. Meminit ejus Iſaias in viſione contra Moabitidem, & Hieremias. Vocatur nunc Esbus nobilis urbs Arabiæ ſita in montibus qui ſunt contra Hiericho quaſi in vigeſimo milliario Jordanis: fuitque tribus Ruben, ſeparata Levitis. |

ESEM, urbs in tribu Juda, Joſ. XV. verſ. 29.

| | | |
|---|---|---|
| [5] *ESER, urbs quam ædificavit Salomon.* | Ἐσὲρ, πόλις ἣν ᾠκοδόμησε Σολομών. | ESER, civitas quam ædificavit Salomon. |

ESNA, urbs in tribu Juda, Joſ. XV. verſ. 43.

| | | |
|---|---|---|
| [6] *ESRON, quæ & Aſſur juxta eremum in tribu Juda.* | Ἐσὼρ, ἡ καὶ Ἀσὼρ, φυλῆς Ἰούδα, πρὸς τῇ ἐρήμῳ. κεῖται καὶ ἀνωτέρω. | ESOR, quæ & Aſor, tribus Juda, juxta deſertum. Extat & ſuperius. |

NOTÆ.

[1] Non *Eroim*, ſed *Heroum civitas* ſcribi debet; ita enim Septuaginta Interpretes vocant locum illum, in quo occurrit Joſeph patri, Gen. 46. v. 28. 29. etſi nihil iſtiuſmodi habeatur in Hebræo, ſed tantummodo in *terra Geſſen*, ubi & Hieronymus aliud nihil dixit, quam *in Geſſen*: Septuaginta vero Interpretibus non ſatis fuit regionis, vel provinciæ nomen indicare, verum ipſum etiam præciſe locum, urbem annotando ad quam occurrerit, exprimere voluerunt: καθ' Ἡρώων πόλιν εἰς γῆν Ῥαμεσσῆ, *ad urbem Heroum in terram Rameſſe*. Ejuſdem urbis diſerte etiam meminit Joſephus dum eamdem refert hiſtoriam. Meminit & Ptolemæus *Heroum civitatis* in Ægypto, qui eam ſtatuit in interiori parte ſinus Arabici, qua parte videlicet ſinus ille Ægyptum reſpicit. Item Strabo Lib. 16. & Lib. 17. Semel & iterum meminit Ἡρώων πόλεως, quam ubique ponit in Arabici ſinus receſſu, qui eſt Ægyptum verſus. Meminit & Plinius *oppidi Heroum* Lib. 6. Cap. 28. & inter nomos ſeu præfecturas Ægyptiacas Lib. 5. Cap. 9. *Heroopoliten* nominat. Stephanus eam urbem Ἡρῶ vocat. Addit vero Strabo ibi ſitam fuiſſe *Heroum civitatem*, qua breviſſimum eſt iter a Peluſio ad ſinum Arabicum. Ex quibus omnibus colligas eam ſitam fuiſſe in ipſo primo aditu Ægypti. BONFRERIUS.

[2] In verſione noſtra Eſaan appellatur, Joſ. 15. v. 52. BONFRERIUS.

[3] EDRAI in verſione noſtra paſſim appellatur ea urbs in Galaaditide, juxta quam debellatus fuit Og rex Baſan, ejuſque cæſus exercitus, Num. 21. & Deuter. 3. Videtur autem indicare Hieronymus nonnihil fuiſſe hujus urbis immutatum nomen, pro *Eſdrai* videlicet vel *Edrai* nuncupatam fuiſſe *Adaram*. Quod autem addit eam fuiſſe in viceſimo quarto lapide *ab Oſdra*, admodum obſcurum eſt quænam ſit iſta *Oſdra*. Crediderim ego legendum eſſe non *ab Oſdra*, ſed *a Boſtra*, (quod & CLERICUS ſtatuit) ſeu *Boſra*. Vide ſupra BEESTHARA. Hanc autem *Edrai* conſtituo verſus limitem Auſtralem regni Og, & dimidiæ tribus Manaſſe: id enim videtur exigere locus Scripturæ, qui habetur Num. 21. v. 33. & Deuter. 3. v. 1. item quod eodem Cap. v. 10. in eodem limite ſtatuatur cum Selcha: Selcha autem omnino videatur conſtituenda in limite Auſtrali, ut exigit Script. locus 1. Paral. 5. v. 11. 12. 16. ad quem locum plura. IDEM.

[4] Ubique vocali aſpirata in verſione noſtra *Heſebon* appellatur. Ea fuit Sehon regis Amorrhæorum civitas regia. Inter Leviticas civitates cenſetur, Joſ. 21. v. 37. & 1. Paral. 6. v. ult. Sed ibi civitatibus tribus Gad annumeratur, quod in utriuſque tribus Ruben & Gad eſſet confinio. IDEM.

[5] Hæc in verſione noſtra dicitur *Heſer*, 3. Reg. 9. v. 15. a Septuaginta Interpretibus dicitur *Aſſur*, de qua & nos egimus in *Aſſure*. IDEM.

[6] Hæc in verſione noſtra *Eſron* etiam vel *Heſron* appellatur, Joſ. 15. v. 3. & 25. & alio nomine *Aſor* dicitur. Apud Septuaginta Interpretes nunc fere legimus prius nomen *Aſeron*, poſterius *Aſor* vel *Aſſor*. IDEM.

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| ESTAOL. Vide paulo post ESTHAUL. | | |
| [1] *ESTEMA, ad quem locum misit David.* | Ἐσθαμὰ, ἔνθα ἀπέστειλεν ὁ Δαβίδ. | ESTHAMA, ad quem locum misit David. |
| ESTEMO. Vide ESTHEMO & ASTEMEC. | | |
| ESTHAMO. Vide ESTHEMO & ASTEMEC. | | |
| ESTHAOL. Vide ESTHAUL proxime. | | |
| [2] *ESTHAUL, in tribu Dan, ubi mortuus est Samson: quæ usque hodie ostenditur in decimo Eleutheropoleos milliario contra Aquilonem pergentibus Nicopolim.* | Ἐσθαοὺλ, κλήρου Δάν. ἔνθεν ὡρμᾶτο Σαμψὼν, καὶ εἰς ἔτι νῦν ἐστιν ἀπὸ ι σημείων Ἐλευθεροπόλεως βοῤῥᾶν ἀπιόντων εἰς Νικόπολιν. | ESTHAUL, sortis Dan. Inde erupit Sampson, & usque hodie est in decimo milliario Eleutheropoleos ad septentrionem pergentibus Nicopolim. |
| [3] *ESTHEMO, civitas Sacerdotalis: nunc autem ostenditur prægrandis vicus Judæorum in Daroma, qui locus ad Eleutheropoleos pertinet regionem.* | Ἐσθεμὰ, πόλις ἱερατική· καὶ νῦν ἐστι κώμη μεγίστη Ἰουδαίων ἐν τῷ Δαρωμᾷ ὁρίου Ἐλευθεροπόλεως. | ESTHEMA, civitas sacerdotalis. Et nunc est vicus maximus Judæorum in Daroma termino Eleutheropolis. |
| ETAM. Vide ETHA & ETHAM. | | |
| [4] *ETHA, in tribu Simeonis.* | Ἐθθὰ, κλήρου Συμεών. | ETHTHA, sortis Simeon. |
| [5] *ETHAM, ubi habitavit Samson in spelunca Etham juxta torrentem.* | Ἠτὰμ, ἔνθα κατῴκει Σαμψὼν, ἐν τῷ σπηλαίῳ Ἠτὰμ, παρὰ τῷ χειμάῤῥῳ. | HETAM, ubi habitaverat Sampson in spelunca Etam, juxta torrentem. |
| [6] *ETHAM, castra filiorum Israel in deserto, quæ appellatur Ebutham.* | Ἠθὰμ, σταθμός ἐστι τῆς ἐρήμου τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ, ἡ καὶ Βουθάν. | ETHAM, statio est deserti filiorum Israel, quæ & Buthan. |

ETHAN *fluvios* legimus, Psal. LXXIII. vers. 15. quam vocem pro nomine proprio aliqui accipiunt, & nonnulli quidem pro *deserto illo Etham*, de quo egimus proxime, & per *fluvios Ethan siccatos* intelligunt mare rubrum exsiccatum Israelitis per maris medium transeuntibus: alii de loco quodam amœno & fontibus inductis irriguo, cujus meminit Josephus Lib. 8. Antiq. Cap. 2. ad quem animi causa solebat itare Salomon. At verius est ibi *Ethan* in Psalmo appellative sumi debere, ut sumsit Hieronymus, qui reddidit, *flumina fortia* intelligique debere de Jordane siccato in ingressu filiorum Israel, quo tempore, nempe cum messis esset, pleno erat alveo & redundantibus aquis rapidissime ferebatur.

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [7] *ETHER, sortis Simeonis, & nunc est villa prægrandis nomine Jethira in interiore Daroma juxta Malatham.* | Ἐθὲρ, κλήρου Συμεὼν, καὶ νῦν ἐστι ἑτέρα κώμη μεγίστη ἐν τῷ ἐσωτέρῳ Δαρωμᾷ, παρακειμένη [9] Μαλάθης. | ETHER, sortis Symeon, & nunc est alter vicus maximus in interiore Daroma vicinus Malathæ. |
| [8] *ETNA, in tribu Juda.* | Ἐθμὰν, φυλῆς Ἰούδα. | ETHMAN, tribus Juda. |
| ETROTH, urbs trans Jordanem in tribu Gad, Num. XXXII. vers. 35. | | |

NOTÆ.

[1] Intellige hic aliquid, nam imperfecta est sententia; intellige autem *misisse prædæ partem, quam Amalecitis rapuerat*, 1. Reg. 30. Eadem autem est *Estema* quæ in nostra versione ibi *Esthamo*, de qua in ESTHEMO. IDEM.

[2] In versione nostra *Esthaol* appellatur, vel *Estaol*, urbs primum tribui Juda attributa, Jos. 15. v. 33. postea tribui Dan adscripta, Jos. 19. v. 41. Quod autem *de morte Samson* hic dicitur commode intellige, non de ipsa morte, utpote quem e Scriptura constat Gazæ inter Philisthæos succusso ædificio obtritum, Judic. 16. sed de sepultura; quamquam nec in ipsa quidem urbe *Esthaol* dicat eum Scriptura sepultum, sed *in sepulcro paterno inter Saraa & Esthaol*, Judic. 16. v. 31. Fuisse autem tam Saraa, quam *Esthaol* in confinio tribus Juda existimo insinuari, 1. Paral. 2. v. 53. Pro *Nicopolim* hic apud Hieronymum credo legendum esse *Diospolim*, non enim video quomodo urbs aliqua in tribu Dan potuerit esse inter Eleutheropolim & Nicopolim, nisi situs Eleutheropoleos valde mutetur ab eo, quem nos in tabula statuimus, quod fieri non potest. IDEM.

[3] In versione nostra vel *Esthemo*, vel *Estemo*, vel *Esthamo*, vel *Istemo* nuncupatur, urbs in tribu Juda, Jos. 21. v. 14. & 1. Paral. 6. v. 58. IDEM.

[4] Hæc in versione nostra vocatur *Etam*, 1. Paral. 4. v. 32. in Codicibus Septuaginta Interpretum *Etam*, *Hetam*, vel *Ætan*. Neque hæc alia videtur ab ea quæ paulo post *Ether*, & in nostra versione *Athar* dicitur, Jos. 19. v. 7. cum utrobique iisdem urbibus conjungatur. Hanc *Etam* postea reædificavit Roboam, 2. Paral. 11. v. 6. IDEM.

[5] Petræ nomen est, quæ etiam in versione nostra *Etam* dicitur, Judic. 15. v. 8. 11. a qua in vinculis abductus ad Philisthæos Samson, ubi ad eos venit, ruptis vinculis mille virorum stragem mandibula asini edidit. IDEM.

[6] In hoc loco fuit secunda mansio filiorum Israel cis Mare Rubrum, in ipso solitudinis aditu, Exodi 13. v. 20. & Num. 33. v. 6. Ab hoc autem loco etiam desertum nomen accepit, quod Num. 33. v. 8. *desertum Etham* appellatur, idem nomen aliquo usque retinens trans mare rubrum. IDEM.

[7] *Athar* in versione nostra appellatur, vel *Ether*, Jos. 15. v. 42. & Cap. 19. v. 7. prius Judæ tribui, postmodum Simeonitis data. IDEM.

[8] Hæc non videtur alia ab ea quæ in versione nostra, Jos. 15. v. 23. *Jethnam* appellatur. IDEM.

[9] Μαλάθης) Est in Parisiensi editione Μαλαάγοις. Vide infra ad vocem *Hasasonthamar*. IDEM.

### HIERONYMUS.

[1] *EVILA*, *ubi aurum purissimum, quod Hebraice dicitur Zaab, & gemmæ pretiosissimæ, carbunculus, smaragdusque nascuntur. Est autem regio ad Orientem vergens, quam circumit de paradiso Phison egrediens, quem nostri mutato nomine Gangem vocant. Sed & unus de minoribus Noe Evila dictus est, quem Josephus refert cum fratribus suis a flumine Cephene, & regione Indiæ usque ad eum locum, qui appellatur Jeria, possedisse: sed & Ismael in solitudine Evila habitasse scribitur: quam Scriptura sancta ait esse in deserto Sur contra faciem Ægypti, & inde tendere usque ad terram Assyriorum.*

[2] *EVIM*, *in tribu Juda.*

[3] *EUPHRATES*, *fluvius Mesopotamiæ in paradiso Oriens.* [4] *Porro Sallustius auctor certissimus asserit tam Tigris, quam Euphratis in Armenia fontes demonstrari. Ex quo animadvertimus aliter de paradiso, & fluminibus ejus intelligendum.*

### ΕΥΣΕΒΙΟΣ.

Εὐηλὰτ, οὗ ἐστι τὸ χρυσίον, καὶ ὁ ἄνθραξ, καὶ ὁ λίθος ὁ πράσινος, χώρα πρὸς ἀνατολὰς, ἣν ἐκ παραδείσου Φισὼν κυκλοῖ ὁ παρ' Ἕλλησι Γάγγης ἐπὶ τὴν Ἰνδικὴν φερόμενος· καὶ ἐνθάδε τῶν ἀπογόνων Νῶε ἦν ὄνομα Εὐηλὰτ, ὃν σὺν τοῖς ἀδελφοῖς Ἰώσηππος ἀπὸ Κηφῆνος ποταμοῦ τῆς Ἰνδικῆς, [5] καὶ τῆς πρὸς Ἰερίαν κατοικῆσαι ἱστορεῖ· Ἰσμαὴλ δὲ λέγεται κατοικῆσαι ἐπὶ τῆς ἐρήμου Εὐιλὰ, ἥν φησιν ἡ γραφὴ μεταξὺ εἶναι ἐρήμου Σοὺρ τῆς κατὰ πρόσωπον Αἰγύπτου, καὶ παρατείνειν μέχρι τῆς Ἀσσυρίων γῆς.

Ἐβὶν, φυλῆς Ἰούδα.

Εὐφράτης, ποταμὸς Μεσοποταμίας ἐκ παραδείσου προϊών.

### EUSEBIUS.

EVILAT, ubi est aurum, & carbunculus, lapisque prasinus; regio ad Orientem, quam e paradiso Phison circuit, qui a Græcis Ganges dictus in Indiam fertur. Hic autem fuit nomen unius e posteris Noe Evilat, quem cum fratribus suis Josephus a Cephene fluvio Indiæ, & ejus regionis quæ ad Jeriam (protenditur) habitasse literis prodit. Ismael vero dicitur habitasse in solitudine Evila, quam ait Scriptura esse in medio deserti Sur contra faciem Ægypti, & protendi usque ad terram Assyriorum.

EBIN, tribus Juda.

EUPHRATES, fluvius Mesopotamiæ e Paradiso egrediens.

EZEL, lapidis vel petræ nomen est, 1. Reg. xx. vers. 19. ubi David latuit, & a Jonatha sagittarum jactu quid agendum esset edoctus est.

---

## NOTÆ.

[1] De *Hevila* regione Indiæ, vel *Hevilath* (nam ita in versione nostra legitur) quam Ganges interluit, dictum a nobis abunde est ad Gen. 2. v. 11. Accepit autem nomen ab Hevila filio Jectan, & fratre Ophir, cujus fit mentio Gen. 10. v. 29. Quæ de Josepho hic adfert mendose expressa sunt in Josepho Lib. 1. Antiq. Cap. 6. cum videlicet cum cæteris fratribus occupasse quidquid est terrarum a Cophene flumine Indiæ usque ad Assyriam: circa quæ Josephi verba vide quæ a nobis dicta sunt ad Gen. 10. v. 30. Sed ibi prima nostri Pentateuchi editione non observatam veram apud Josephum lectionem. Est & altera *Hevila* in deserto, in qua Ismaelitæ, & Amalecitæ leguntur habitasse, qui dicuntur habitasse *ab Hevila usque ad Sur*, Gen. 25. v. 18. & 1. Reg. 15. v. 7. Porro istam *Hevila* totam constituendam esse cis Idumæam, non extendendam usque ad desertum Sin ultra Idumæos & Asiongaber, ut facit Adrichomius, demonstrabo ad locum illum, 1. Reg. 15. v. 7. Quod autem hic addit Eusebius, *hanc posteriorem Hevila tendere usque ad terram Assyriorum*, existimo ex loco male intellecto, Gen. 25. v. 18. natum errorem, de quo ad eum locum monui. BONFRERIUS.

[2] Existimo mendose in libro hoc *Evim* scribi pro *Enim*, ut magna est apud Latinos affinitas *n* & *u*, uti & apud Græcos ν & υ, qua ex re facile fieri potuit ut una litera pro altera supponeretur. In versione nostra *Anim* appellatur: Jos. 15. v. 50. IDEM.

[3] Hic fluvius passim flumen magnum in Scriptura appellatur. De ejus autem & cæterorum trium fluviorum e Paradiso terrestri origine dictum a nobis, Gen. 2. v. 10. IDEM.

[4] *Porro Sallustius* &c.) Hic locus *Hieronymi* decurtatus fuisse videtur, sic enim *Isidorus* Orig. Lib. XIII. c. 21. *Sallustius autem auctor certissimus adserit Tigrim & Euphratem uno fonte manare in Armenia; qui per diversa euntes longius dividuntur, spatio medio derelicto multorum millium; quæ tamen terra, quæ ab ipsis ambitur Mesopotamia dicitur. Ex quo Hieronymus animadvertit aliter de Paradisi fluminibus intelligendum.* Ex hoc enim *Hieronymi* loco, quæ habet *Isidorus* desumsit; quamvis aliter sentiat *Martianæus*, qui tamen nescivit hæc apud *Isidorum* exstare. Cæterum vide quæ diximus ad Gen. III. 10. CLERICUS.

[5] Καὶ τῆς πρὸς Ἰερίαν) Similia leguntur infra, ad voces *Ophir* & *Sophera*, ubi *Hieronymus* habet constanter *Jeriam*, aut *Hieriam*, cum *Eusebii* Codex Regius hic quidem habeat Ἰερίαν, in voce *Ophir*, Κυρίαν, & in voce *Sophera*, Συρίαν. Si Geographos quidem consulamus, nullam eorum nominum regionem Indiæ ad Cophenem amnem sitam inveniemus. Si vero Codices *Josephi* adeamus, sic habent editi & MSS. in editione Oxoniensi: οὗτοι ἀπὸ Κωφῆνος ποταμοῦ τῆς Ἰνδικῆς καὶ τῆς πρὸς αὐτῷ Συρίας τινὰ κατοικοῦσι: *hi a Cophene fluvio Indiæ, quædam etiam Syriæ ad eum sita habitant.* Vir doctus *Eduardus Bernardus*, qui *Josephum* Oxonii edere cœperat, conjiciebat Ἀρίας, quæ est Indiæ regio ad occasum Cophenis, *Bonfrerius* vero Συρίας, quod Serica hinc non multum remota sit. Nos in medio rem relinquimus, donec major lux ex melioribus Codicibus affulgeat. Vir doctus ad *Josephum* MS. Anglicanum *Eusebii* laudat, qui habet πρὸς Ὀρίας. Si eum Codicem habuissemus, aut variarum lectionum excerpta, forte plura in *Eusebio* sanassemus. IDEM.

| HIERONYMUS. | ΕΥ'ΣΕ'ΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|

## F

NUllum in versione nostra locum habemus, cujus nomen proprium initialem literam *F* habeat, sed omnia per *Ph* exprimuntur, quemadmodum & in Hebræo per פ & in Græco per φ efferuntur: neque dubium est quin hæc omnia ad φ literam in Græco Eusebii pertineant. Addidimus quædam e nostra versione, quæ loco propriarum appellativis vocibus efferuntur.

| HIERONYMUS. | ΕΥ'ΣΕ'ΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [1] *FANUEL, locus in quo Jacob tota nocte colluctans Israelis vocabulum meruit, juxta torrentem Jabocb. Fanuel autem interpretantur facies Dei, ab eo quod Jacob ibi Deum viderit.* | Φανεὴλ, ἐν ᾧ πᾶς οἶκος Ἰακὼβ Ἰσραὴλ μετωνομάσθη παρὰ τὸν χειμάῤῥουν Ἰαβὼκ, οὕτως ἐν τῷ ἑβραϊκῷ καλεῖται. | PHANUEL, (locus) in quo tota domus Jacob mutato nomine vocata est Israel juxta torrentem Jaboc, ita in Hebræo vocatur. |
| [2] *FANUEL, civitas, quam ædificavit Hieroboam.* | | |
| [3] *FANUEL, turris, quam subvertit Gedeon. Sed & unus de filiis Or vocatus est Fanuel.* | Φανουὴλ πύργος, ὃν κατέστρεψεν Γεδεὼν· ἐκαλεῖτο δὲ Φανουὴλ εἷς τῶν υἱῶν Ὤρ. | PHANUEL, turris quam subvertit Gedeon. Vocabatur autem Phanuel unus e filiis Or. |
| [4] *FARAN, nunc oppidum trans Arabiam junctum Saracenis, qui in solitudine vagi errant. Per hoc iter fecerunt filii Israel cum de monte Sina castra movissent. Est ergo, ut diximus, trans Arabiam contra Australem plagam, & distat* [5] *ab Aila contra Orientem itinere trium dierum. In deserto autem Pharan Scriptura commemorat habitasse Ismaelem, unde & Ismaelitæ, qui nunc Saraceni. Legimus quoque Chodorlaomor regem percussisse eos, qui erant in deserto Pharan.* | Φαρὰν, πόλις ἐστιν ὑπὲρ Ἀραβίαν, παρακειμένη τοῖς ἐπὶ τῆς ἐρήμου Σαρακηνοῖς, δι' ἧς ὥδευσαν υἱοὶ Ἰσραὴλ ἀπάραντες ἀπὸ Σινᾶ· κεῖται δὲ καὶ ἐπέκεινα τῆς Ἀραβίας ἐπὶ νότον· ἀπέχει δ' Αἰλὰ πρὸς ἀνατολὰς ὁδὸν τριῶν ἡμερῶν, οὗ φησὶν ἡ γραφὴ κατῴκησεν Ἰσμαὴλ, ὅθεν οἱ Ἰσμαηλῖται. Λέγεται δὲ καὶ Χοδολλαγόμορ κατακόψαι εἰς τοὺς ἐν τῇ Φαρὰν, ἥ ἐστιν ἐν τῇ ἐρήμῳ. | PHARAN, urbs est ultra Arabiam vicina Saracenis qui sunt in solitudine, per quam profecti sunt filii Israel, cum castra moverunt e (monte) Sina: sita est ultra Arabiam ad Austrum. Distat vero Aila versus orientem itinere trium dierum, ubi, ait Scriptura, habitavit Ismael, a quo Ismaelitæ. Dicitur etiam Chodelagomor irruisse in eos qui erant in Pharan quæ est in solitudine. |
| [6] *FARFAR, fluvius Damasci.* | φαρφάρας, ποταμὸς Δαμασκοῦ. | PHARPHARAS, fluvius Damasci. |

---

N O T Æ.

[1] De Jacob Patriarchæ cum Angelo lucta in *Phanuel*, nomineque ei loco imposito habes Gen. 32. significat autem hæc vox vel *faciem Dei*, vel *visionem Dei*, vel *videntem Deum*. Est autem is locus juxta vadum Jaboc a parte Australi, ubi postea conditam civitatem, quæ nomen *Phanuel* retinuit, docet liber Judic. Cap. 8. v. 8. 17. BONFRERIUS.

[2] De hac habes 3. Reg. 12. v. 25. Hanc a priore distinguit Adrichomius, & in tribu Ephraim juxta Sichem ponit, quod Scriptura non dicit. Ego eamdem cum priore existimo, neque ullam distinguendi causam video, quandoquidem & regio illa Trans-Jordanina, in qua erat *Phanuel*, ad Hieroboami ditionem pertineret. IDEM.

[3] Neque hæc *Phanuel* a prioribus diversa est; nam illo ipso loco erat juxta Soccoth, ubi erat Jacob cum nomen loco imposuit. De turre autem illa, quæ civitati erat arcis loco habes Judic. 8. Quod additur de *Phanuel filio Or* seu *Hur* (qua de re habes 1. Paral. 4. v. 4.) ad institutum nostrum non pertinet. IDEM.

[4] Legimus in Scriptura sæpius *desertum Pharan*, item *campestria Pharan*, quæ ab ipso deserto nihil differunt; solet enim Scriptura incultum & infœcundum locum, in quibus neque arbores, neque res alia fere ad vitæ commoditatem pertinens provenit, sed humiles dumtaxat & inutiles myricas habet, campestria appellare. Legimus item *montem Pharan*, Deut. 33. v. 3. & Abacuc. 3. v. 3. *Oppidum Pharan* in Scriptura non legimus, nisi id significetur, 3. Reg. 11. v. 18. ubi *viros Pharan & habitatores in eo loco* legimus; quamquam forte ad ejus loci explicationem viculi & pagi dispersi sufficiant. Quidquid sit sive Moysis & Salomonis tempore id oppidum in deserto exstiterit, sive non; satis tamen constat postea id oppidum exstitisse non solius Eusebii auctoritate hoc loco, sed etiam Ptolemæi & Stephani, qui diserte *Pharan urbem* Juxta Ægyptum nominant. Quod autem hic dicitur *Pharan distare ab Aula contra Orientem itinere trium dierum*, id intellige de Aula regis Ægypti: id enim non semel visus est indicasse Moyses Pharaoni, trium dierum videlicet itinere se & Israelitas processuros, ut Deo in deserto sacrificarent, Exodi 3. v. 18. & Cap. 5. v. 3. & Cap. 8. v. 27. at hæc non videntur de *deserto Pharan* intelligenda, quod longius aberat, & in quo loco sacrificaturi non erant, sed de deserto Sinai, quod minore intervallo aberat, & in quo erat Israelitis sacrificandum, juxta præceptum a Deo Moysi datum, Exodi 3. v. 12. IDEM.

[5] De hoc fluvio habes 4. Reg. 5. v. 12. sunt qui hunc eumdem cum Chrysorrhoa Damasci celebrato ab auctoribus fluvio esse putent: & vero per se satis credibile est Naaman Syrum non fecisse mentionem fluvii nullius nominis, celebrem vero illum & majoris nominis siluisse. IDEM.

[6] De *Phasga monte* trans Jordanem, qui pars erat montium Abarim, meminit non semel liber Numerorum & Deuteronomii; deque eo nos egimus, Num. 21. v. 20. ubi & vocis significationem, causamque nominis reddimus. Fuit autem idem mons cum Nabo, vel certe ejus vertex aut su-

## HIERONYMUS.

[1] *FASGA*, *civitas Amorrhæorum. Eſt autem & mons contra Occidentalem plagam Faſga, pro qua Aquila interpretatur exciſum. Sed & Septuaginta Interpretes Faſga in quodam loco exciſum tranſtulerunt.*

[2] *FATURA*, *civitas trans Meſopotamiam, unde fuit Balaam ariolus: ſed & juxta Eleutheropolim quædam villa nomine Fatura nuncupatur euntibus Gazam.*

[3] *FATURE*, *regio Ægypti juxta Ezechielem & Hieremiam, in qua profugi habitaverunt Judæi.*

[4] *FELMONI*, *de quo in libris Hebraicarum quæſtionum plenius diſputatum eſt.*

[5] *FELMONIALMON*, *quod Aquila interpretatur illum vel iſtum: Symmachus vero, neſcio quem locum; Theodotion, illum locum.*

[6] *FENON*, *caſtra filiorum Iſrael in deſerto. Fuit autem quondam civitas Principum Edom, nunc viculus in deſerto: ubi æris metalla damnatorum ſuppliciis effodiuntur, inter civitatem Petram, & Zoaram.*

## ΕΥΣΕΒΙΟΣ.

Φασγὰ, πόλις τῶν Ἀμοῤῥαίων. ἔστι δὲ καὶ ὄρος πρὸς ἀνατολὰς Φάσγα. Ἀκύλας, ἡ λαξευτή. καὶ οἱ ὁ ἀλλαχοῦ λαξευτοῦ.

Φαθουρὰ, ὑπὲρ τὴν Μεσοποταμίαν πόλις, ἔνθεν ἦν Βαλαάμ. κεῖται δὲ καὶ πλησίον Ἐλευθεροπόλεως ἄλλη τὶς κώμη Φαθουρὰ κατιόντων εἰς Γάζαν.

Φαθωρὴ, χώρα Αἰγύπτου ὡς ἐν Ἰεζεχιὴλ, καὶ ἐν Ἰερεμίᾳ, ἔνθα κατῴκησαν οἱ Ἰουδαῖοι.

Φινῶν, ἣν κατῴκησεν Ἰσραὴλ ἐπὶ τῆς ἐρήμου. ἦν δὲ καὶ πόλις τῶν ἡγεμόνων Ἐδώμ· [7] αὕτη ἐστὶ Φαινῶν, ἔνθα τὰ μέταλλα τοῦ χαλκοῦ, μεταξὺ κειμένη Πέτρας πόλεως καὶ Ζοορῶν.

## EUSEBIUS.

PHASGA, civitas Amorrhæorum. Eſt etiam mons verſus orientem Phaſga. Aquila, exciſa. Septuaginta in alia loco, exciſi (tranſtulerunt.)

PHATURA, trans Meſopotamiam civitas, unde fuit Balaam. Sita eſt juxta Eleutheropolim alia quædam villa Phathura deſcendentibus Gazam.

PHATHORI, regio Ægypti, ut eſt in Ezechiele, & Hieremia ubi habitarunt Judæi.

PHINON, quam habitavit Iſrael in eremo. Fuit etiam civitas principum Edom. Hæc eſt Phænon, ubi metalla æris ſita inter urbem Petram & Zooras.

---

## NOTÆ.

prema pars, ut e Deuter. 34. v. 1. colligi poteſt. *Urbem Phaſga* nomine ſine addito nuſquam in Scriptura legimus, ſed cum addito *Aſedoth Phaſga*. Fuit autem urbs in tribu Ruben. Voce autem *Aſedothphaſga*, Joſ. 13. v. 20. ſignificatur urbs ad radices *montis Phaſga* poſita, ut ad eum locum explicuimus. BONFRERIUS.

[1] *Ab Aila*) Abſurde legebatur antea *Aula*, cum liqueat ex Græcis legendum *Aila*, ut habet editio Pariſienſis, vel *Aela*. Sed mirum eſt Jeſuitam doctiſſimum, & in hiſce ſtudiis Geographicis verſatiſſimum *Bonfrerium*, quique antea legerat quæ *Euſebius* & *Hieronymus* dixiſſent de voce *Ailath*, aut *Ailam*, potuiſſe hic de *aula Pharaonis* ſomniare. Prius ille notis *Hieronymum* illuſtrarat, quam *Euſebium* nactus eſt, quo factum ut errorem non emendarit. Quod non dicimus obtrectandi cauſa, ſed ut diſcant qui nimis acerbe aliorum delicta carpunt, poſſe etiam doctis & diligentibus viris ſomnum obrepere, quorum propterea ſperni aut contumeliis proſcindi non debent labores. CLERICUS.

[2] Ita Septuaginta Interpretes appellant locum, unde Balaam venit, φαθουρὰ vel φάθουῤῥα, Num. 22. v. 5. ubi verſio noſtra appellative eam vocem redditam habet, *ariolum*: eſtque utraque verſio ſeu Hieronymi, ſeu Septuaginta Interpretum, uti ad eum locum explicui, valde bona, potuitque utrumque eadem voce ſignificari, & e civitate illa *Pethor*, ut in Hebræo eſt, ſeu *Phatura* (quæ ab ariolis & divinatoribus ibi frequentibus nomen habuit) Balaam adveniſſe, ſimulque etiam ariolum extitiſſe. Porro etiam loci nomen eſſe *Pethor* ad eum ſupra locum probamus. BONFRERIUS.

[3] Hæc in verſione noſtra *Phatures*, vel *Phathures* appellatur; fit autem ejus mentio Hierem. 44. v. 1. & 15. Ezech. 29. v. 14. & Cap. 30. v. 14. Dicit autem Hieronymus ad Ezech. 29. *Phathures eſſe Ægypti metropolim*. IDEM.

[4] Alludit hic Hieronymus ad locum Dan. 8. v. 13. ubi hanc vocem ex Hebræo פלמני *Phalmoni* retinent Interpretes Septuaginta, quæ tamen ad voces proprias nihil pertinet, ſed indeterminate quempiam ſeu hominem, ſeu locum, ſeu quid aliud ſignificat; unde & verſio noſtra ita hanc vocem exprimit: *alteri neſcio cui*. Vide quæ ſupra in alia voce ſimili, unica dumtaxat litera breviore *Elmoni* diximus: & quæ nos diximus, Ruth. 4. v. 1. ubi locum illum, & plures alios ſimiles explicuimus. IDEM.

[5] Et hæ voces, quæ a Septuaginta Interpretibus retinentur, 1. Reg. 21. v. 2. eodem cum voce præcedente pertinent, ubi in Hebræo ſunt duæ voce פלני אלמני *Pheloni almoni*, quæ hic ex Septuaginta Interpretum verſione nonnihil corruptæ cernuntur, iiſque conjunctis illud ipſum ſignificatur, quod paulo ante diximus, perſona, locus, res aliqua incerta & indeterminata: unde & ibi, cum de loco ſermo eſſet. Hieronymus in verſione noſtra poſuit, *in illum & illum locum*, convenienter videlicet Aquilæ, Symmacho, & Theodotioni. Vide plura in noſtris commentariis ad Ruth. 4. v. 1. IDEM.

[6] In verſione noſtra appellatur hic locus *Phunon*, Num. 33. v. 42. 43. IDEM.

[7] Αὕτη ἐστὶ Φαινῶν) Crediderim *Euſebium* ſcripſiſſe, in caſu recto, Φαινὼ, quia in dativo habet Φαινοῖ, & in accuſativo Φαινώ. Sic H. E. Lib. VIII. Cap. 13. memorat τὰ ἐν Φαινοῖ χαλκοῦ μέταλλα. Libro vero de Martyribus Palæſtinæ Cap. VII. τοῖς κατὰ Φαινὼ, inquit, τῆς Παλαιστίνης χαλκοῦ μετάλλοις τοὺς πάντας παραδίδωσι. Dubium ergo eſſe non poteſt, quin Φαινὼ ſit caſus rectus, quartæ declinationis contractorum CLERICUS.

| HIERONYMUS. | ΕΥ'ΣΕ'ΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [1] *FIN, castra filiorum Israel in deserto.* | [8] Φὶν, σταθμὸς τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ ἐπὶ τῆς ἐρήμου. | PHIN, castra filiorum Israel in deserto. |
| [2] *FILISTIM, quæ nunc dicitur Ascalon, & circa eam regio Palæstinæ.* | Φυλιστιείμ, ἡ νῦν Ἀσκαλὼν καλουμένη, καὶ ἡ περὶ αὐτὴν χώρα τῆς Παλαιστίνης ἐπίσημος. | PHILISTHIIM, quæ nunc Ascalon vocatur, & in circuitu regio Palæstinæ nobilis. |
| [3] *FISON, quod interpretatur caterva, fluvius, quem Gangem nostri vocant, de Paradiso exiens, & pergens ad Indiæ regiones, post quas erumpit in pelagus. Dicit autem Scriptura circumiri ab hoc universam regionem Evila, ubi aurum præcipuum nascitur, & Carbunculus lapis, & Prasinus.* | Φυσών, ἑρμηνεύεται πλῆθος· ἔστι δὲ ποταμὸς, ὃν Ἕλληνες Γάγγην ὀνομάζουσιν ἐκ μὲν τοῦ παραδείσου προϊὼν, ἐπὶ δὲ τὴν Ἰνδικὴν φερόμενος ἐκδίδωσιν εἰς τὸ πέλαγος· λέγεται δὲ κυκλοῦν πᾶσαν τὴν Εὐϊλὰτ, οὗ τὸ καλὸν χρυσίον, καὶ ὁ ἄνθραξ, καὶ ὁ λίθος ὁ πράσινος. | PHISON, interpretatur, multitudo. Est autem fluvius, quem Græci Gangem nominant, e paradiso quidem emanans, in Indiam vero fluens in pelagus se exonerat. Dicitur autem circuire universam terram Evilat, ubi aurum optimum, & carbunculus, & lapis prasinus. |
| [4] *FITHON, civitas Ægypti, quam ædificaverunt filii Israel.* | Φιμὼθ, πόλις ἐν Αἰγύπτῳ, ἣν ᾠκοδόμησαν οἱ υἱοὶ Ἰσραήλ. | PHIMOTH, civitas in Ægypto, quam ædificarunt filii Israel. |

FLUVIUS ÆGYPTI. Vide TORRENS ÆGYPTI.

| HIERONYMUS. | ΕΥ'ΣΕ'ΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [5] *FOGO, civitas Adad regis, quæ est in regione Gebalitica.* | | |
| [6] *FOGO, civitas regni Edon.* | | |
| [7] *FOGOR, & Bethphogor, mons Moabitarum, ad quem Balac rex adduxit Balaam ariolum in supercilio Libiadis. Sed & alia villa Fogor haud procul a Bethlehem cernitur, quæ nunc Phaora nuncupatur.* | Φογὼρ, καὶ Βεθφογὼρ, ὄρος Μωὰβ ἐν ᾧ τὸν Βαλαὰμ ἤγαγεν ὁ Βαλὰκ· ὑπέρκειται δὲ τῆς νῦν Λιβιάδος καλουμένης· ἔστι δὲ καὶ ἄλλη Φογὼρ κώμη πλησίον Βηθλεέμ. | PHOGOR, & Bethphogor, mons Moab, in quem Balac duxit Balaam. Situs est supra eam quam vocant Libiadem. Est & alia Phogor villla juxta Bethlehem. |

FONS AQUARUM NEPHTOA. Vide infra NEPHTOA.

FONS DAPHNIS. Vide DAPHNE.

FONS DRACONIS, quem Septuaginta Interpretes appellant *fontem ficuum*, constituit Adrichomius ad urbis Hierosolymitanæ Orientem; at ego cum Villalpando nostro ad Occidentem, juxta montem Calvariæ, inter portam vallis, & portam stercoris, ut colligitur ex 2. Esdræ 11. vers. 13.

FONS GIHON. Vide supra GION.

FONS HORTORUM; qui fluit impetu de Libano, cujus fit mentio Cant. IV. vers. 15. ubi sit fateor me nescire. Sunt autem, qui tam de hoc fonte, quam de puteo aquarum viventium, de quo ibidem adjungitur, audent statuere: & Wilhelmus Tyrius quidem Lib. 13.

NOTÆ.

[1] Non videtur hic alius esse a præcedenti, cum nulla alia sit vox inter nomina mansionum filiorum Israel, Num. 33. quis ad hanc & præcedentem vocem accedat, in Hebræo vel versione nostra præter istam: & vero in codicibus Septuaginta Interpretum omnibus nunc *Phinon*, nunc *Phino* legitur. BONFRERIUS.

[2] Constabat regio Philisthiim, seu Palæstina quinque Satrapiis Gaza, Azoto, Ascalone, Geth, Accarone, quas habes omnes nominatim expressas, Jos. 13. v. 3. & 1. Reg. 6. v. 17. Fuit hæc regio præ omnibus aliis Israelitis infesta, & cum qua sæpe gravissima bella ab iisdem gesta sunt; quin & Israelitæ multis annis ab eadem jugo, & dura servitute oppressi fuerunt, quam ad Davidis usque tempora excutere non potuerunt. IDEM.

[3] De *Phison* seu *Gange* a nobis dictum est, Gen. 2. v. 10. 11. IDEM.

[4] In versione nostra *Phitom* appellatur, de qua habes Exodi 1. v. 11. IDEM.

[5] *Phau* in versione nostra hæc Idumæorum urbs appellatur, Gen. 36. v. 39. & 1. Paral. 1. v. 50. in qua Idumæorum ille rex natus fuit, qui in Genesi dicitur Adar, at 1. Paral. 1. nuncupatur Adad. In Codicibus Septuaginta Interpretum fere nunc corrupte *Phogor* civitatis nomen legitur. Porro *Gebaletica* vel *Gebalena regio* nuncupatur sæpius in hoc libro de locis Hebraicis Idumæorum regio. IDEM.

[6] Non est hæc a præcedenti diversa, cum & ille Adad Idumæorum rex fuerit, & alibi nusquam ea vox habeatur, nisi ubi de hoc rege sermo est, ut mirum sit vocem illam hic de nihilo repetitam fuisse: sed nimirum cum nullo ordine hæc ab Eusebio digesta fuerint, non mirum est si subinde non fuerit memor eorum quæ in antecedentibus dixisset. Sic non semel in hoc de locis Hebraicis libro ejusdem loci nomen bis ter repetitum legimus. IDEM.

[7] De hoc monte habes Num. 23. v. 28. Videtur fuisse jugum unum montium Abarim. Fuit & *Phogor* turpissimi idoli nomen, cujus fit mentio Num. 25. v. 18. quem eumdem cum Priapo plerique autumant, a quo & *Bethphogor*, seu fanum *Phogor*, urbs & fanum, in quo idolum hoc colebatur, in Scriptura appellatur. IDEM.

[8] Φὶν) Crediderim legendum *Sin*, quæ octava est mansio, in deserto. Facile CIN, aut ΦIN potuit mutari in ΣIN. CLERICUS.

Belli Cap. 3. unum idemque vult esse *fontem hortorum*, & puteum aquarum viventium juxta Tyrum: Adrychomius & Brochardus hæc distinguunt, & puteum illum (de quo infra suo loco) juxta Tyrum collocant; *fontem hortorum* vero e Libano scaturientem ad Orientem Tripolis sex ab ea passuum millibus asserunt, indeque in tres rivos divisum hortos, totamque illam irrigare regionem. Addit vero Adrichomius eum esse, quem fluvium Sabbaticum Josephus appellat Lib. 7. Belli Cap. 24. Sed hæc omnia, cum sola illorum nitantur auctoritate non satis firma, malim assensum sustinere, quam temere credere.

FONS JACOB, Joannis IV. vers. 6. dicitur puteus juxta urbem Sichem, vel Sichar a Jacob Patriarcha effossus, e quo Samaritana aquas hauriebat.

FONS MISPHAT, Gen. XIV. vers. 7. hoc est, *fons judicii*, ille idem fons est qui *Cades* dictus est in deserto, ubi Moyses e petra aquas elicuit, Num. XX. Sed per prolepsim *fontem Misphat* appellat ibi supra Moyses, cum non nisi aliquot seculis post istam regum Assyriorum excursionem fons ille eruperit. Cur autem fons ille dictus sit *fons Misphat*, seu *judicii* ad eum Gen. locum diximus.

FONS ROGEL, seu *fullonis* ad Orientem montis Sion in confinio duarum tribuum Judæ & Benjamin, Jos. XV. vers. 7. & Cap. XVIII. vers. 16. sic dictus, quantum existimo, quod ejus aquæ ad Agrum fullonis decurrerent, fullonibusque ibi usui essent. Hunc fontem fuisse in hortis regiis indicat Josephus Lib. 7. Antiq. Cap. 11. nam Adoniam dicit coronatum ad fontem qui est in hortis regiis, quod Scriptura dicit factum juxta *fontem Rogel*.

FONS SIGNATUS, Cant. IV. vers. 12. commemoratur. Certum eo nomine fontem designari sunt qui asserant. Cotovicus in suo Itinerario Lib. 2. Cap. 9. ait illum ostendi, ad eumque se adiisse ad meridiem urbis Bethlehem, ab ea tribus passuum millibus distantem, quem per aquæductus ad templi Salomonis aream etiamnum derivari asserit: sed fides sit penes auctorem, qui satis indicat, se non nisi incertam famam sequi.

FONS SILOE: Hunc aliqui a fonte Gihon distinguunt. At verior sententia est eumdem esse, qua de re pluribus agendum erit, 3. Reg. I. vers. 33.

FONS SOLIS. Vide supra ENSEMES.

FONS TAPHUE, juxta communes terminos tribus Ephraim & dimidiæ tribus Manasse, Jos. XVII. vers. 7.

FORUM APPII. Vide APPII FORUM.

[1] *FRAATON, unde fuit Abdon judex populi Israel in monte Amalec.*

N O T Æ.

[1] In versione nostra, Hebræo consentiente, appellatur hic locus *Pharathon*, Judic. 12. v. ult. in tribu Ephraim, ut ibidem indicatur. Quomodo autem intelligendum sit illud quod additur, *in monte Amalec*, ibidem disquirimus. BONFRERIUS.

## G

[1] G*AAS, mons in tribu Ephraim, in cujus Septentrionali parte sepultus est Jesus filius Nave, & usque hodie juxta vicum Thamnam sepulchrum ejus insigne monstratur.*

Γαὰς, ὄρος Ἐφραίμ, οὗ ἐν βορείοις ἔθαψαν Ἰησοῦν. [2] δείκνυται δὲ ἐπίσημον εἰς ἔτι νῦν αὐτοῦ τὸ μνῆμα πλησίον Θαμνὰ κώμης.

GAAS, mons Ephraim, ubi ad septentrionalem plagam sepelierunt Jesum. Porro monstratur usque hodie insigne illius monumentum juxta vicum Thamnam.

GABA, Isaiæ x. vers. 29. quid sit ex versione nostra, aut Septuaginta Interpretum non facile colligas; ex Hebræo videtur satis manifeste colligi hospitii aut diversorii nomen non pro-

N O T Æ.

[1] De hoc monte, & Josue in ejus Septemtrionali parte sepulto habes, Jos. 24. v. 30. & Judic. 2. v. 9. Legimus & in Scriptura torrentem *Gaas*, 2. Reg. 23. v. 30. ab eodem, ut credibile est, monte sic dictus, aquis ex eo collectis & derivatis. BONFRERIUS.

[2] *Δείκνυται ---- πλησίον Θαμνὰ κώμης*) Atqui Thamna fuit in tribu Judæ, ut ex hoc ipso libro notum, ideoque ad eam non potuit sepultus esse Josua, cum Scriptura testetur in Ephraimitico agro terræ mandatum fuisse. Sed quia facile omnia tunc temporis credebantur, nihil non audebant impostores; quos semper excitat, atque alit nimia plebis credulitas. CLERICUS.

HIERONYMUS. ΕΥ̓ΣΕΒΙΟΣ. EUSEBIUS.

cul Rama & Gabaa eſſe, cum in Hebræo habeatur גבע מלון לנו *Geba malon lanu*, quod duobus modis verti poteſt, vel ut לנו *lanu*, verbum ſit, & tunc vertendum erit: *in Gaba diverſorio pernoctarunt*, vel ut eadem vox ſit pronomen idem ſignificans quod *nobis*; & tunc reddetur: *Gaba diverſorium nobis*, ſeu *noſtrum*, ſupple ex verbo præcedente, tranſierunt.

GABAA. Vide GABE.

[1] *GABAAN, uſque ad hanc bellatum eſt contra tribum Benjamin, ſicut in libro Judicum ſcribitur.*

Γαβαὰν, μέχει ταύτης ἐπολέμησε Βενιαμὶν, ὡς ἐν κριταῖς.

GABAAN, uſque ad hanc pugnavit Benjamin, ut eſt in libris Judicum.

[2] *GABAATH, in tribu Benjamin urbs Phinees filii Eleazari, ubi ſepultus eſt Eleazarus. Eſt autem Gabaatha nunc villa in duodecimo milliario Eleutheropoleos, ubi & ſepulcrum Prophetæ Habacuc oſtenditur.*

Γαβαὰς, ὄρος Ἐφραὶμ, Φινεὲς πόλις, ὑιοῦ Ἐλεάζαρ, οὗ ἔθαψαν τὸν Ἐλεάζαρον, καὶ εἰς ἔτι νῦν ἐστι Γαβαθὰ κώμη, ὡς ἀπὸ ιβʹ σημείων Ἐλευθεροπόλεως, ἔνθα καὶ [5] τὸ μνῆμα Ἀββακοὺμ ἐπιδείκνυται τοῦ προφήτου· ἦν δὲ φυλῆς Βενιαμίν.

GABAAS, mons Ephraim, civitas Phinees qui fuit filius Eleazari, ubi Eleazarum condiderunt, & adhuc jam eſt Gabatha in duodecimo ferme milliario ab Eleutheropoli, ubi & monumentum prophetæ Abbacum oſtenditur. Fuit autem tribus Benjamin.

GABAE. Vide GABE.

[3] *GABAON, unde Gabaonitæ ſupplices venerunt ad Jeſum, erat olim metropolis, & civitas regalis Æveorum, ceciditque in ſortem tribus Benjamin, & nunc oſtenditur villa eodem nomine in quarto milliario Bethelis contra Orientalem plagam juxta Rama, & Remmon, ubi Salomon hoſtiis immolatis divinum meruit oraculum. Fuit autem & ipſa ſeparata Levitis.*

Γαβαών. ὅθεν ἐλθόντες οἱ Γαβαωνῖται ἱκέται γίνονται τοῦ Ἰησοῦ· ἦν δὲ αὕτη μητρόπολις μεγάλη καὶ βασιλικὴ τῶν Εὐαίων, ἣ καὶ γέγονε κλήρου Βενιαμίν· καὶ ἔστι κώμη νῦν οὕτω καλουμένη πλησίον Βαιθὴλ πρὸς τοὺς δυσμὰς, ὡς ἀπὸ σημείων δʹ· παράκειται δὲ τῇ Ῥαμὰ, καὶ ἀφωρίσθη Λευΐταις, οἱ πλησίον Ῥεμμαὰ· ἐνταῦθα Σολομὼν θύσας χρησμοῦ κατηξίωται.

GABAON, unde venientes Gabaonitæ ſupplices fiunt Jeſu. Fuit ea metropolis magna & regia Evæorum, quæ & ſortis Benjamin extitit. Eſtque nunc vicus ita dictus juxta Bæthel verſus occidentem quaſi in quarto lapide. Adjacet autem Rama, & ſeparata eſt Levitis, qui ſunt prope Remmaa. Hic Salomon immolatis hoſtiis oraculum meruit.

[4] *GABARITH, pro quo*

[6] Γημαρὼθ, Ἀκύλας, ἐν φραγ-

GEMAROTH, Aquila, in

---

N O T Æ.

[1] Hic locus e verſione Septuaginta Interpretum mendoſe expreſſus eſt, ſcribendum enim *Gadaam* vel *Gadan*, ut omnes Codices Septuaginta Interpretum habent, Judic. 20. v. 45. quod & Hebræo reſpondet, in quo habetur גדעם *gidom*. Hieronymus in verſione noſtra locum hunc non exprimit nominatim, ſed vel confuſe tantum in illis verbis: *cum ultra tenderent*; vel accepit eam vocem appellative, ut עד גדעם *had gidam* idem ſit quod, *ad internecionem*, ſive animo penitus eos delendi, quam ſignificationem etiam admittit vox Hebræa, ut ad eum locum explicatum eſt: quamquam nec Hieronymus vim hujus vocis appellative ſumtæ in ſua verſione ſatis expreſſerit. BONFRERIUS.

[2] De hoc loco *Gabaath Phinees* dicto habes, Joſ. 24. v. 33. in quo & ſepultus Eleazar Aaronis filius refertur. At mirum eſt hic Euſebium locum hunc collocare in tribu Benjamin, cum tam diſerte Scriptura ibi ſupra eum ſtatuat in tribu Ephraim. Neque movere quemquam debet quod omnes urbes ſacerdotales eſſent vel in tribu Juda, vel Benjamin; ſiquidem locus hic extra ordinem datus fuit Eleazaro & Phinees ſummis pontificibus, & de toto Iſraelitico populo bene meritis. Adde quod conveniret pontifici juxta tabernaculum & Joſue ducis ſedem habitationem aſſignari, atque adeo in tribu Ephraim. IDEM.

[3] In tribu Benjamin *Gabaon* fuiſſe conſtat ex Joſ. 18. v. 25. inter Sacerdotales civitates cenſetur, Joſ. 21. v. 17. fuiſſe in colle ſitam ipſa nominis notio indicat, nam *Gabaon* collem ſonat: idem enim hæc vox ſignificat quod *Gabaa*; unde & aliquando *Gabaa* pro *Gabaon* legimus poſitum, ut 2. Reg. 5. v. 25. nam quod ibi *Gabaa* appellatur, 1. Paral. 14. v. 16. *Gabaon* dicitur; quemadmodum ad 2. Reg. 5. obſervabimus. At quæ hic Euſebius ſcribit de *Gabaon* ægre tolerari poſſunt, nempe quod fuerit *ad Orientalem plagam Bethelis, in ejuſque quarto ad Orientem milliario*; atque adeo ad Orientalem fere plagam Hieroſolymæ: ſiquidem Joſephus *Gabaonem* tantummodo Hieroſolyma diſtare ait quadraginta ſtadiis, Lib. 7. Antiq. Cap. 10. quæ quinque milliaria Italica tantummodo efficiunt, niſi ſtadia Joſephi paullo longiora fuiſſe ſtatuamus, quod fere certum eſt, ſic ut quinque Joſephi ſtadia milliare unum efficiant quandoque. Alibi tamen idem Joſephus quinquaginta ſtadiorum diſtantiam *Gabaone* Hieroſolymam facit, nempe 2. Belli Cap. 23. ſi vero ponatur *Gabaon ad Orientem Bethelis quatuor millibus diſtans*, cum & ipſa Bethel aliquantulum comparatione Hieroſolymæ ad Orientem vergeret, ab eaque diſtaret duodecim milliaribus, fierent ab Hieroſolyma uſque *Gabaon* milliaria ſedecim, quod ſtadiis centum viginti octo reſpondet, vel certe Joſephi ſtadiis octoginta. Adde tantum abeſſe, ut *Gabaon* Hieroſolymæ Orientalis eſſet, ut potius ad Occidentem eſſet, & proin pro *Orientalem* legendum *Occidentalem*, ( ut CLERICUS quoque ſtatuit, ) quemadmodum nos probamus ad Joſ. 9. v. 3. IDEM.

[4] Neque hanc vocem uſquam reperio in Hieremia aut Scriptura, neque vox hæc apud Hebræos reperitur, nedum eam ſignificationem habet, ut *ſepes* vel *colonias* ſignificet. Suſpicor *Gadarith*, vel potius *Gadaroth* legendum eſſe, & ita ſcripſiſſe Euſebium hic ac Septuaginta Interpretes: hæc enim vox *ſepes*, *macerias* ſignificat, & apud Hieremiam legitur Cap. 49. v. 3. in Hebræo, idque cum ב quod *in* præpoſitioni æquivalet, conſtructum בגדרות *bigderoth*, cujuſmodi in Hebræo, & apud Interpretes Septuaginta fuiſſe conſtructio hic indicatur: quamvis in Hebræo reperiatur בגדרות *baggderot*. Hieronymus cum alia præpoſitione, *per ſepes* vertit: fateor tamen nuſquam hanc vocem nunc cerni in ullis Codicibus Septuaginta Interpretum; nam totum illud, *circuite per ſepes*, quod in Hebræo eſt, & habet Hieronymus, deſideratur in verſione Septuaginta Interpretum, ut plane veriſimile ſit ex ea excidiſſe, & ab aliquibus ſublatum; quod non videretur ad ſenſum valde neceſſarium. IDEM.

[5] Τὸ μνῆμα Ἀββακοὺμ ) Antea vidi ad Ceilam, urbem Judæ, fuiſſe oſtenſum hoc monumentum. I nunc & crede Myſtagogis. CLERICUS.

[6] Γημαρὼθ ) Non male conjicit *Bonfrerius* legendum *Gadaroth*.

HIERONYMUS.

*Aquila interpretatur in sepibus, Symmachus vero in coloniis. Lege Hieremiam.*

[1] *GABATHON, in tribu Dan civitas separata Levitis. Est quoque oppidum, quod vocatur Gabe in sexto decimo milliario Cæsareæ: & alia villa Gabatha in finibus Diocæsareæ juxta grandem campum Legionis: nec non Gabaa, & Gabatha viculi contra Orientalem plagam Daromæ. Sed & alia Gabatha in tribu Benjamin, ubi fuit domus Saul: alienigenarum quoque in regnorum libris quædam Gabatha scribitur, & juxta Bethlehem in tribu Juda.*

ΕΥ'ΣΕ'ΒΙΟΣ.

μοῖς· Σύμμαχος, Γαρημώθ.

[3] Γαβαθὼν, κλήρȣ Δάν. πόλις Λευίταις ἀφωρισμένη. καὶ ἔστι πολίχνη Γαβὲ καλȣμένη ὡς ἀπὸ σημείων ιϛ' τῆς Καισαρείας, παρακειμένη τῷ μεγάλῳ πεδίῳ τῆς Λεγεῶνος· ἔστι δὲ καὶ Γαβαὰ καὶ Γαβαθὰ κώμη, [7] ὅριον Διοκαισαρείας, παρακειμένη τῷ μεγάλῳ πεδίῳ ἐν ἀνατολαῖς τοῦ Δαρωμά· ϗ ἄλλη Γαβαθά κλήρȣ Βενιαμὶν, ἔνθα ἦν ὁ οἶκος Σαοὺλ, ϗ ἄλλη τῶν ἀλλοφύλων Γαβαθὼν λέγεται ἐν βασιλείαις.

EUSEBIUS.

sepibus. Symmachus, Garemoth.

GABATHON, fortis Dan: civitas Levitis separata. Est etiam oppidulum quod dicitur Gabe quasi in decimo sexto lapide a Cæsarea, vicinum magno campo Legeonis. Est etiam Gabaa & Gabatha vicus, terminus Diocæsareæ adjacens magno campo in parte orientali Daroma. Item alia Gabatha fortis Benjamin, ubi fuit domus Saul; alia item alienigenarum Gabathon dicitur in regnorum libris.

GABBATHA, locus Hierosolymæ, in quo erat tribunal Pilati, & ubi mortis sententia in Christum prolata est, qui alio nomine, Græco scilicet, *Lithostrotos* appellatur, Joannis XIX. vers. 13. Porro cum *Lithostrotos* significet Græcis locum lapidibus stratum, seu tessellatum, quæri posset an *Gabbatha* vox Hebraica, vel potius Syriaca (nam & vocis origo, ut paulo post dicam, & terminatio Syriacum idioma potius sonare videtur) idem significet, quod Græca *Lithostrotos*. Negant id aliqui, qui vocem illam derivant a גבה *gabah* radice Hebraica, quod significat extolli, voluntque hac voce significari locum excelsum; vel quod in idem prope redit a גבע *gebah*, quod collem, tumulum significat, ut pari modo locus in collem tumulumque elevatus significetur. At verius est idem Hebræa illa seu Syriaca voce significari, quod Græca, quemadmodum sensit Angelus Caninius lib. de locis Hebraicis Cap. XI. quorsum enim Evangelista Græce scribens utramque vocem conjungeret, nisi quia vocis peregrinæ significatio futura erat obscurior? Itaque rectius hanc vocem dicas cum Angelo Caninio non esse Hebraicam, sed Syriacam, venireque a radice Syriaca גב *gab*, quod significat lapidibus sternere: idque ipsum indicat illud *bb* repetitum, quod indicat vocem hanc Dages forte habuisse, utpote deductam a radice duplicante secundam.

[2] *GABE, fortis Benjamin, & hæc Levitis civitas separata.*

Γαβαὶ, κλήρȣ Βενιαμὶν, Λευίταις ἀφωρισμένη.

GABÆ, fortis Benjamin, Levitis separata.

GABEE. Vide proxime GABE.

GABIM, locus est, ut ex adjunctis locis colligi potest, in tribu Benjamin, Isaiæ X. vers. 31.

NOTÆ.

*daroth.* Sed quid fiet postrema voce Γαρημώθ, quam *in coloniis* vertit *Hieronymus*? Crediderim *Symmachum* legisse Γαρώθ, quam potuit explicare *colonias*, seu ἀποικίας, quia גר *ger* est ἄποικος, seu *colonus* qui aliunde venit. Non capio qui *Martianæus* velit גדרות *gderoth* non tantum *sepes*, sed etiam *colonias* optime posse verti. Posset ea vox optime verti *caulæ*, non vero *coloniæ*. Jos. XV. 41. memoratur urbs tribus Judæ, quæ dicitur, Γαδηρώθ. Forte eo respicitur. CLERICUS.

[1] Hanc *Gabathon* habes Leviticis civitatibus annumeratam, Jos. 21. v. 23. alibi *Gebbethon* appellatur, eoque nomine tribui Dan attribuitur, Jos. 19. v. 44. Verum non videntur hanc urbem Danitæ obtinuisse, sed & ea etiam diu postea mansit Philisthinis, ut liquet e 3. Reg. 15. v. 27. & ejusdem libri Cap. 16. v. 15. De cæteris quæ hic commemorat locis in Scriptura nulla fit mentio, nisi de ea quæ fuit urbs natalis Saulis, quam Septuaginta Interpretes subinde *Gabatha* appellant, de qua paulo post in *Gabe*. BONFRERIUS.

[2] Hæc in versione nostra *Gabaa*, *Gabae*, vel *Geba* appellatur. Inter Benjaminias civitates censetur, Jos. 18. v. 24. inter non Leviticas modo, sed Sacerdotales, Jos. 21. v. 17. & 1. Paral. 6. v. 60. Hæc passim *Gabaa Benjamin*, vel *Gabaa Saulis* appellatur, quod hæc Saulis esset natalis patria, in eaque rex factus sedem posuerit regiam. Fœdum Gabaensium civium facinus habes, Judic. 19. quod toti fere tribui exitium peperit, tribu ad sexcentos redacta. Hæc ad Aquilonem erat Hierosolymæ: viginti stadiis ab ea distantem facit Josephus lib. V. Antiq. Cap. 2. licet alibi Lib. VI. Belli Cap. 2. eam triginta ab Hierosolyma stadiis removeat. Est & *Gabaa* in tribu Juda urbs in monte posita, Jos. 15. v. 57. Semel etiam *Gabaa* pro *Gabaon* ponitur, 2. Reg. 5. v. 25. ut supra in *Gabaon* annotavimus. Est & *Gabaa collis* nomen in urbe Cariathjarim, in quo annis pluribus hæsit arca, 1. Reg. 7. v. 1. & 2. Reg. 6. v. 3. 4. Item *Gabaa terra* dicitur terra Idumæorum, forte quod montibus & collibus tota ea terra respersa esset, Judith. 3. v. 12. *Gabaa* autem idem est quod collis. IDEM.

[3] Omnia hic in Eusebio sunt valde perturbata, quæ ex Hieronymo evolvi debent. Illud imprimis nullo modo ferri potest, ut idem vicus statuatur juxta Diocæsaream vel adjacens magno campo, itemque in Daroma. IDEM.

[3] Ὅριον Διοκαισαρείας παρακειμένη τῷ μεγάλῳ πεδίῳ) Hæc omisit *Hieronymus*, ac sane debent omitti, prorsus enim sensum turbant. CLERICUS.

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [1] *GABLI, terra Allophylorum.* | Γαμβλὴ, γῆ τῶν ἀλλοφύλων. | GAMBLI, terra alienigenarum. |
| [2] *GADARA, urbs trans Jordanem contra Scythopolim, & Tiberiadem ad Orientalem plagam sita in monte, ad cujus radices aquæ calidæ erumpunt balneis desuper ædificatis.* | Γάδαρα, πόλις ὑπὲρ τὸν Ἰορδάνην ἀντικρὺ Σκυθοπόλεως καὶ Τιβεριάδος πρὸς ἀνατολὰς ἐν τῷ ὄρει. οὗ πρὸς ταῖς ὑπωρείαις τὰ τῶν θερμῶν ὑδάτων λουτρὰ παράκειται. | GADARA, civitas ultra Jordanem contra Scythopolim & Tiberiadem ad Orientalem plagam in monte (sita.) Ubi ad ministeria calidarum aquarum lavacra præsto sunt. |
| [3] *GADDA, in tribu Juda: Est autem hodieque villa in extremis finibus Daroma contra Orientem imminens mari mortuo.* | [6] Γαδδὰ, φυλῆς Ἰούδα· κώμη εἰς ἔτι καὶ νῦν ἐστιν ἐν ἐσχάτοις τοῦ Δαρωμᾶ. | GADDA, tribus Juda. Vicus est usque hodie in extremis finibus Daroma. |
| [4] *GADDERA, in tribu Juda: nunc appellatur villa ad regionem civitatis Æliensis pertinens nomine Gadora circa Terebinthum.* | Γάδερα, φυλῆς Ἰούδα. Γιδωρὰ ἐστι κώμη ἐν ὁρίοις Αἰλίας περὶ τὴν Τερέβινθον. | GADIRA, tribus Juda. Gidora est vicus in finibus Æliæ circa Terebinthum. |
| [5] *GADDI, quam percussit Asael rex Damasci. Posita est & supra Gadda.* | Γαδδὶ, ταύτην ἐπάταξεν Ἀζαήλ· κεῖται δὲ καὶ ἀνωτέρω Γαδδά. | GADDI, hanc percussit Azael. Extat superius (vox) Gaddam. |

## NOTÆ.

[1] Sumtum id est e versione Septuaginta Interpretum, Jos. 13. v. 4. ubi nunc incorruptiores codices habent, *Gambli Philisthiim*: vox tamen Philisthiim superfluit, ut quæ in Hebræo desit, & non satis ex vero apponatur; vox tamen *Gambli* non omnino incorrupta est, sed legendum *Gabli* vel *Gibli*; in Hebræo est, גבלי *Gibli*; ubi Hieronymus in vulgata versione appellative dixit, *ejus confinia*: nos tamen ad eum locum diximus admodum verisimile id esse nomen patronymicum & gentile, quod nos Latine *Giblium* diceremus, a Gebal urbe Phœniciæ Sidoniis Tyriisque ad Aquilonem contermina; qua de re vide plura ad eum locum, Jos. 13. & paulo post ad vocem *Gebal*. *Gibliorum* fit in versione nostra mentio, 3. Reg. 5. v. 18. Ezech. 27. v. 9. ubi pro eo quod versio nostra habet: *Senes Giblii*, Septuaginta Interpretes habent, πρεσβύτεροι βιβλίων, *Seniores Bibliorum*; iidem enim sunt *Giblii* & *Biblii*, eadem quæ *Gebal* etiam *Biblus* dicta est. Vide supra in voce *Byblos*. Pro, *Seniores Bibliorum* in versione Septuaginta Interpretum apud Ezechielem inepto & ridiculo errore Latina versio Tigurina habet, *Seniores librorum*. BONFRERIUS.

[2] Hujus urbis nulla usquam in Scriptura fit mentio saltem in versione nostra, at in hoc libro de locis Hebraicis, apud Josephum, aliosque bonos auctores sæpius. Addo vero etiam in Scriptura, si Græcum textum consulas Evangeliorum, haberi ex ea voce deductum nomen patronymicum, Marci 5. v. 1. Lucæ 8. v. 26. & 37. ubi pro eo quod in versione nostra habemus, *regionem Gerasenorum*, in Græco textu legas τὴν χώραν τῶν Γαδαρηνῶν, *regionem Gadarenorum*. Porro ex illa Græci & Latini textus diversitate multi suspicati sunt eamdem esse urbem quæ *Gerasa* & *Gadara* dicta sit. At longe verius est has urbes esse distinguendas: aperte enim eas distinguit Josephus libro II. Belli Cap. 20. ubi in eodem ipso capite diversa studia *Gadarenorum* & *Gerasenorum* erga Judæos explicat. Distinguit Ptolemæus & Stephanus, qui in eadem Cœlesyria (eousque enim Cœlesyria pertingebat) *Gerasam* & *Gadaram* constituunt. Itaque verius videtur duas fuisse urbes, & utramque nobilem. De situ utriusque urbis potest esse quæstio: *Gerasam* in monte juxta mare Galilææ, nec procul termino ejusdem maris Australi constituit Adrichomius, *Gadaram* paulo Orientaliorem, & ab eo mari nonnihil sejunctam facit: & de *Gadara* quidem, meo judicio, recte sentit, utpote quam Josephus in vita sua trans Jordanem sexaginta stadiis Tiberiade distantem facit, cum mare Galilææ tantum quadraginta stadia latitudinis haberet, ut Josephus III. Belli Cap. 18. & Hegesippus III. Belli Cap. 26. asserunt. Tiberias autem ad ejus maris ripam cis Jordanem & mare illud esset: at de *Gerasa* non existimo recte sensisse, neque juxta mare illud fuisse, sed ipsa *Gadara* etiam Orientaliorem extitisse; siquidem Josephus III. Belli Cap. 2. diserte videtur *Gerasam* ponere in extremis finibus Trans-Jordaninæ regionis ad Orientem, & juxta Philadelphiam, utpote qui Peræam regionem trans-Jordaninam ab Oriente claudat Philadelphia & *Gerasa*. Consentit Ptolemæus tum in tabulis Geographicis, ubi *Gerasam* statuit Orientaliorem, & a mari Tiberiadis remotiorem, quam *Gadaram*, tum lib. Geograph. 5. Cap. 15. ubi *Gadaræ* longitudinis gradus assignat 68. *Gerasæ* vero 68. $\frac{1}{4}$ Idem infra in voce *Gargasi* indicatur, si tamen eadem sit *Gargasi* & *Gerasa*, quod & nos ibi probamus. Idem satis clare infra indicatur, ubi sermo est de Jabok fluvio vel torrente, qui dicitur inter Philadelphiam & *Gerasam* fluere. Ab his ergo duabus civitatibus illustribus vicinis potuit eadem regio interjecta appellationem accipere, ut & *regio Gerasenorum*, & *regio Gadarenorum* diceretur. Hæc urbs a Plinio *Gaddara* dicitur, a Strabone *Gadaris*. Urbem hanc *Gadaram* in transamnana regione Peræ metropolim, eamdemque potentem, munitam, & opulentam facit Josephus Lib. V. Belli Cap. 3. IDEM.

[3] Nulla hujusmodi urbs eo nomine in Scriptura cernitur, ne apud Septuaginta quidem Interpretes. Mihi autem verisimile est *Engaddi* significari: hæc enim in tribu Juda erat, & juxta mare mortuum; eamque Josephus *Engadda* vocat; decurtata vero voce & capite truncata fiet *Gadda*. IDEM.

[4] Hæc *Gedera* in nostra versione appellatur urbs in tribu Juda, Jos. 15. v. 36. Eamdem, non aliam esse existimo ab ea quæ Jos. 12. v. 13. *Gader* dicitur, cujus regem Josue interfecit: in Hebræo enim facilis est illa additio ה in fine dictionis. Sed & in eadem regione erat vallis terebinthi in eadem tribu Juda, quam hic nomine *Terebinthi* significari existimo. Vide supra in voce *Enaim*. IDEM.

[5] Habent hanc vocem Septuaginta Interpretes, 4. Reg. 10. v. 33. sed non est urbis nomen, sed pro tota tribu Gad ponitur; unde & versio nostra ibi habet *Gad*; vel potius גדי *Gadi* in Hebræo est nomen patronymicum a Gad, ut sensus illius loci sit; *percussit Azael omnem terram Galaad, Gaditem & Rubenitem & Manassitem*. Est & in versione nostra locus similis, ubi in Hebræo est *Gadi*, quod est patronymicum a Gad, & in versione nostra *Gaddi*, quod videri possit pro loci nomine positum, 1. Paral. 12. v. 8. cum potius explicari deberet per nomen patronymicum, de Gaditis. Sic & *Gadi* rursum pro *Gad* ponitur, 2. Reg. 23. v. 36. IDEM.

[6] Γαδδὰ) Crediderim scribendum Γαδαδὰ, & respici urbem in meridiano tractu Tribus Judæ sitam & memoratam Jos. XV. 22. Vocatur Hebraice עדעדה *hadhada*, sed eam Γαδγαδὰ vocarunt LXX. Intt. ut *Gomorra*, *Gaza*, quæ nomina ab Hain incipiunt. CLERICUS.

1 Ha-

HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS.

[1] *GADER, turris ubi, habitante Jacob, Ruben patris violavit thorum; quæ absque G litera Ader in Hebræo scribitur.*

Γαδὲρ, πύργος, ἔνθα κατοικήσαντος τοῦ Ἰακὼβ, Ῥȣβὶν τῇ Βάλᾳ ἐπανίστατο.

GADER, turris, in qua habitante Jacob, Ruben insurrexit adversus Balam.

[2] *GADER, hujus regem interfecit Jesus. Legimus quod Jacob trans turrim Gader fixerit tabernaculum suum.*

Γαδὲρ, καὶ ταύτης βασιλέα ἐπάταξεν Ἰησοῦς· καὶ Ἰακὼβ δὲ ἐπέκεινα τοῦ πύργȣ Γαδὲρ ἔστησε τὴν σκηνὴν αὐτοῦ.

GADER, & hujus regem percussit Jesus. Jacob autem trans turrim Gader erexit tabernaculum suuum.

GADEROTH, urbs in tribu Juda, 2. Paral. XXVIII. vers. 18. Eadem videlicet quæ Jos. XV. vers. 41. dicitur GIDEROTH.

GADGAD. Vide GAGADDA.

GADI. Vide supra GADDI.

GADOR, occupasse leguntur Simeonitæ sub Ezechia rege, 1. Paral. IV. vers. 39. Sed ubi hæc *Gador* sita fuerit admodum obscurum est. Eam Adrichomius esse censet, quæ dicta est *Gedor* in tribu Juda, Jos. XV. vers. 58. (quam tamen ipse nullo argumento in tribu Dan reponit,) quam adhuc occuparent Ezechiæ tempore aliqui Chananæi, qui & ibi supra, 1. Paral. IV. v. 40. dicuntur *de stirpe Cham*; neque id mihi displicet; nam & postea adhuc eam gentiles Machabæorum tempore tenuerunt, 1. Machab. XV. vers. 39. 40. e quo loco etiam colligimus fuisse sitam non admodum procul Jamnia & Philisthæorum Satrapiis, atque adeo nec procul Simeonitarum sorte.

[3] *GAEDUR, in tribu Juda: hodieque vocatur Gedrus vicus prægrandis in decimo milliario Diospoleos pergentibus Eleutheropolim.*

Γεδοὺρ, φυλῆς Ἰούδα· καὶ νῦν ἔστι [7] Κέδȣς κώμη μεγίστη ἀπὸ ί. σημείων Διοσπόλεως ἀπιόντων Ἐλευθερόπολιν.

GEDUR, tribus Juda. Nunc est Cedus vicus maximus in decimo milliario abeuntibus Diospoli Eleutheropolim.

[4] *GAGADDA, ubi aquarum torrentes sunt. Est autem in solitudine.*

Γαδγαδὰ, ἔνθα χειμάῤῥοι ὑδάτων, τόπος ἐπὶ τῆς ἐρήμȣ.

GADGADA, ubi torrentes aquarum, locus in solitudine.

[5] *GAI, in solitudine, castra filiorum Israel, & usque hodie Gaja urbs dicitur Palæstinæ juxta civitatem Petram.*

Γαὶ ἐπὶ τῆς ἐρήμȣ, σταθμὸς τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ· καὶ ἔστι εἰς ἔτι νῦν Γαία, πόλις τῇ Πέτρᾳ παρακειμένη.

GAI *in eremo*, statio filiorum Israel. Et est usque hodie Gaja civitas Petræ (civitati) vicina.

[6] *GAI, in Moab, quod interpretatur vallis Moab juxta Phogor, ubi sepultus est Moyses.*

Γαὶ, φάραγξ τῆς Μωὰβ, ἐγγὺς οἴκȣ Φογὼρ, ἔνθα ἔθαψαν τὸν Μωϋσῆν.

GAI, vallis prærupta Moab, prope domum Phogor, ubi sepelierunt Moysen.

N o t æ.

[1] Habes de hac re, Gen. 35. ubi v. 21. versio nostra meminit *turris gregis*, in Hebræo est *turris* עדר *Eder*: apud Septuaginta Interpretes nunc in omnibus codicibus is versus deest, quem tamen antiquos Patres legisse seu hic Eusebium, seu Hieronymum in traditionibus Hebraicis in Genesim liquet, licet hic *turrim Ader* legat. Erat hic locus juxta Bethlehem, putaturque is esse in quo Angelus nato Christo pastoribus apparuit, teste etiam Hieronymo in traditionibus Hebraicis in Genesim. Bonfrerius.

[2] De hac paulo ante dictum est in *Gadara*, quam ab hac non distinguo. Porro *Gader* urbis nomen per ג initio scribitur; nomen vero turris per ע. Quocirca hæc miscenda & confundenda non sunt, ut videtur hic fieri. Idem.

[3] Hæc vox aliquantulum est corrupta, est enim posita pro *Gedor* in versione nostra, Jos. 15. v. 58. Vicus porro ille inter Diospolim & Eleutheropolim alius omnino est ab altera *Gedor*, de qua paulo ante. Idem.

[4] Hæc *Gadgad* in versione nostra appellatur una e mansionibus in deserto, Num. 33. v. 32. Deuter. 10. v. 7. Quod autem additur de *aquarum torrentibus*, id Scriptura non asserit de hujus mansionis loco, sed de sequenti *Jetebatha*, Deut. 10. v. 7. Idem.

[5] Hæc mansio in versione nostra appellatur, Num. 33. v. 44. 45. *Iie abarim*; ibi enim Septuaginta Interpretes habent *Gai*: quæ vox quantopere a voce illa, quæ in versione nostra habetur, dissideat nemo non videt, ut nonnemini forte subeat mirari unde tanta diversitas. Vox Hebræa est עייעברים *Iieabarim*, ut expressit Hieronymus, quæ vox composita significat *tumulos transituum*: at v. 45. ibi supra prior vox tantummodo עיים *Iiim*, hoc est, *tumuli*, sine regimine ponitur: sin vocem hanc in regimine accipias, & nihilominus vocem posteriorem tollas, primamque literam ע ut G pronunties, quomodo in nominibus propriis illud exprimunt Septuaginta Interpretes, facile ex עיי *Iie* mutatis aliquantulum punctis fiet *Gai*. Idem.

[6] De hac habes, Deuter. 34. v. 6. ubi versio nostra habet *in valle*, Septuaginta habent ἐν γαὶ *in Gai*, ut hic legit Eusebius, & etiamnum habet Romanus codex, pro quo cæteri codices nunc habent, ἐν γῇ *in terra*. Forte utrumque legi debuit, ἐν Γαὶ ἐν γῇ Μωάβ, *in Gai in terra Moab*: ita enim habet Hebræus codex, pro quo Hieronymus etiam dixit *in valle in terra Moab.* Porro גי *Gai* Hebræis vallem significat, sed ut liquet, longe est diversa hujus vocis in Hebræo scriptio a præcedenti. Legimus etiam apud Ammonitas *Hai*, apud Interpretes Septuaginta *Gai* dicta, Hieremiæ 49. v. 3. Idem.

[7] Pro Κέδȣς ex Hieronym. repone Γέδρȣς. Idem.

1 Hæc

HIERONYMUS.

[1] *GAI, juxta Bethan & Bethel, quam expugnavit Jesus rege illius interfecto: habitavit in illa quondam citra Jordanem Amorrhæus: nunc desertus tantum ostenditur locus.*

[2] *GAI, vallis sive præruptum.*

[3] *GALAAD, mons ad quem septimo die profectionis e Charreis Jacob profugus venit. Est autem ad tergum Phœnices & Arabiæ collibus Libani copulatus, extenditurque per desertum usque ad eum locum ubi trans Jordanem habitavit olim rex Seon Amorrhæorum. Cecidit supradictus mons in sortem filiorum Ruben, Gad, & dimidiæ tribus Manasse. Sed & Hieremias loquitur* : Galaad tu mihi initium Libani: *a quo monte & civitas in eo condita sortita est vocabulum, quam & cepit de manu Amorrhæorum Galaad filius Machir filii Manasse.*

ΕΥ'ΣΕ'ΒΙΟΣ.

Γαὶ, ἥτις ἐστὶ πλησίον Βηθαὰν κ̀ Βαιθὴλ, ἣν ἐπολιόρκησεν Ἰησοῦς τὸν βασιλέα αὐτῆς ἀνελών· ἔστι δὲ νῦν ἔρημος· κατῴκει δὲ αὐτὴν τὸ παλαιὸν ὁ ἔσω τοῦ Ἰορδάνου Ἀμοῤῥαῖος.

Γαὶ φάραγξ.

Γαλαὰδ, ὄρος εἰς ὃ κατήντησεν Ἰακὼβ φεύγων τὸν Λαβὰν ὁδὸν ἀνύσας ἡμερῶν ζ΄· ἀπὸ Χαῤῥὰν τῆς Μεσοποταμίας· κεῖται δὲ ἐπὶ τὰ νῶτα τῆς Φοινίκης, καὶ τῆς Ἀραβίας, καὶ συνάπτων τῷ Λιβάνῳ παρατείνει διὰ τῆς ἐρήμου μέχρι τῆς ὑπὲρ τὸν Ἰορδάνην Πέτρας, ἐν ᾗ κατῴκει Σηὼν ὁ Ἀμοῤῥαῖος· τοῦτο δέδοται εἰς κλῆρον τοῖς υἱοῖς Ῥουβὶν. κ̀ Γαλαὰδ πόλις ὁμώνυμος τῷ Λιβάνῳ τῷ ὄρει ἐν αὐτῷ κειμένη, ἣν ἔλαβεν ἀπὸ τοῦ Ἀμοῤῥαίου Γαλαὰδ υἱὸς Μαχὶρ υἱοῦ Μανασσῆ.

EUSEBIUS.

GAI, quæ est juxta Bethan & Bethel, quam expugnavit Jesus, rege ipsius interfecto. Est autem modo deserta. Eam porro quondam incoluit, qui cis Jordanem erat, Amorrhæus.

GAI vallis.

GALAAD, mons, ad quem devenit Jacob cum fugeret Laban, via confecta septem dierum e Charrhan urbe Mesopotamiæ. Situs est ad tergum Phœnicis & Arabiæ, & conjunctus Libano extenditur per desertum usque ad Petram quæ est ultra Jordanem, in qua habitabat Seon Amorrhæus. Hic (mons) datus est in sortem filii Ruben. Et Galaad civitas ejusdem nominis cum Libano monte in eodem sita, quam cepit ab Amorrhæo Galaad filius Macher filii Manasse.

GALATIA, Asiæ Minoris regio, cujus regionis incolas a Gallis originem traxisse fere omnium antiquorum fuit opinio: hinc & *Galatia* Gallogræcia, & *Galatæ* Gallogræci dicti sunt. Ita de *Galatis* censent Strabo Lib. 12. Plinius Lib. 5. Cap. ult. Solinus Polyhistor. Cap. 43. Justinus historicus Lib. 25. Isidorus Lib. 9. Originum Cap. 2. & Lib. 14. Cap. 3. Lactantius citatus ab Hieronymo in prologo Epistolæ ad Galatas, & ipsemet ibi Hieronymus, Stephanus Lib. de urbibus. Qua autem occasione factum sit, ut hi e Gallia in Asiam Minorem commigrarint, ibique sedem fixerint, habes ibi supra apud Justinum & Isidorum.

[4] *GALDAD, mons in deserto, ubi castrametati sunt filii Israel.*

Γαδγαδ, ὄρος ἐπὶ τῆς ἐρήμου, σταθμὸς τῶν υἱῶν Ἰσραήλ.

GADGAD, mons in solitudine statio filiorum Israel.

GALGAL. Vide GELGEL.

NOTÆ.

[1] Hæc in versione nostra *Hai* scribitur, & in Hebræo per ע exprimitur, de qua & supra in *Agai* dictum est. De situ urbis *Hai* habes Jos. 7. v. 2. ubi dicitur esse *juxta Bethaven* ( pro quo hic *Bethan* ponitur ) ad Orientalem plagam oppidi Bethel. Hujus urbis a Josue facta expugnatio habetur, Jos. 8. BONFRERIUS.

[2] Vallem haud dubie significat Hebraica vox גיא *Ge*, sed communis est hæc vox non singularis & propria. IDEM.

[3] Quando, qua occasione, & a quo mons iste nomen acceperit, habes Gen. 31. v. 47. 48. Quod autem hic videtur asseri montem hunc extensum fuisse usque ad sortem tribus Ruben, difficile videtur, cum Arnon torrens ex Arnone rupe, quæ extrema montis istius *Galaad* occupabat, derivaretur, & in ejus ripa jam esset Aroer, quæ in tribu Gad sita erat, tribus autem Gad tribu Ruben esset borealior. De eodem monte vide quæ a nobis dicta, Gen. 31. v. 21. Tota regio adjacens trans Jordanem a monte etiam *Galaad* dicta est, sed præcipue sors illa quam possedit dimidia tribus Manasse Trans-Jordanina, quandoquidem præcipue ei montis parti in qua fœdus a Jacobo Patriarcha cum Labano initum fuerat, nomen *Galaad* adhæserit; alibi vero aliis fere nominibus significaretur, ut indicatum a nobis est, Gen. 31. v. 21. Ulterius tamen etiam nomen *Galaaditidis* ad tribum Gad aliquando extenditur, ut cujus regio etiam eidem monti adjaceret. Denique subinde eo nomine etiam tribus Ruben comprehenditur, ita ut tota regio Trans-Jordanina eo nomine significetur; sed hoc fusiore significatione & minus proprie, cum non videatur sors tribus Ruben ei monti conjuncta fuisse. Quod autem hic dicitur de *civitate Galaad* sic dicta, quod in eo monte esset condita, vereor ne non satis solide dictum sit: nusquam enim e Scriptura hæc civitas probari potest, etsi forte in eam rem adferri possit locus, Judic. 12. v. 7. ubi Jephte dicitur sepultus *in civitate sua Galaad*: verum, ut ego ad eum locum explico, *Galaad* ibi genitivi casus est, atque adeo regionis, non civitatis nomen est. Sed & illud magna difficultate non caret, quod Eusebius & Hieronymus dicant *Galaad nepotem Manasse istam civitatem de manu Amorrhæorum cepisse*, quandoquidem iste *Galaad* jam pridem in Ægypto esset mortuus, cum Israelitæ Terram Promissam occuparunt. Neque vero hæc difficultas facile evacuabitur, nisi *Galaadis* nomine ejusdem *Galaadis* posteritatem intelligas. IDEM.

[4] Hæc est mansio quæ *Gadgad* nuncupatur in versione nostra, Num. 33. v. 32. quæ & supra alia voce itidem corrupta, *Gagadda* significata est. IDEM.

## HIERONYMUS.

[1] *GALGALA, hæc eſt quam ſupra poſuimus Golgol, ad Orientalem plagam antiquæ Hierichus cis Jordanem, ubi Jeſus ſecundo populum circumcidit, & Paſcha celebravit, & deficiente manna tritriceis panibus uſus eſt Iſrael. In ipſo loco lapides quoque, quos de alveo Jordanis tranſtulerunt, ſtatuerunt. Ubi & tabernaculum teſtimonii fixum multo tempore fuit. Cecidit autem in ſortem tribus Judæ & oſtenditur uſque hodie locus deſertus in ſecundo Hierichus milliario, ab illius regionis mortalibus miro cultu habitus. Sed & juxta Bethel, quidam aliam Galgalam ſuſpicantur.*

[2] *GALILÆA], duæ ſunt Galilææ, ex quibus una Galilæa gentium vocatur vicina Tyriorum finibus, ubi & Salomon viginti quinque civitates donavit Hiram regi Tyri in ſorte tribus Nephthalim. Altera Galilæa dicitur circa Tiberiadem, & ſtagnum Geneſareth in tribu Zabulon.*

[3] *GALILOTH, locus juxta Jordanem in tribu Beniamin, ubi altare Domino conſtruxerunt filii Ruben.*

[4] *GALLIM, unde fuit Phalti, qui poſt fugam David Michol uxorem ejus acceperat. Me-*

## ΕΥΣΕΒΙΟΣ.

Γάλγαλα, ἡ αὐτή ἐστι τῇ ἀνωτέρω κειμένῃ Γαλγὼλ πρὸς ἡλίȣ ἀνατολαῖς τῆς πάλαι Ἱεριχὼ ἔσω τοῦ Ἰορδάνȣ, ἔνθα περιέτεμεν Ἰησοῦς τοὺς ἀπὸ τοῦ λαοῦ, καὶ τὸ πάσχα ἤγαγεν· καὶ πρῶτον σῖτον μετέλαβον ἐκλείποντος τοῦ μάννα· καὶ ἔστησαν τοὺς ἀπὸ τοῦ Ἰορδάνȣ λίθȣς· ἐνταῦθα πρῶτον [5] κατεπέπηγεν ἡ σκηνὴ τοῦ μαρτυρίȣ, καὶ γέγονε κλήρȣ φυλῆς Ἰούδα. [6] δείκνυται ὁ τόπος ἔρημος, ὡς ἱερὸς θρησκευόμενος· καὶ ἄλλοις δὲ ἔοικεν εἶναι Γάλγαλα τὴν περὶ Βαιθήλ.

Γαλιλαία, δύο εἰσὶ Γαλιλαῖαι· ὧν ἡ μὲν Γαλιλαία ἐθνῶν εἴρηται, ἐν ὁρίοις Τυρίων παρακειμένη, ἔνθα ἔδωκε Σολομὼν τῷ Χιρὰβ κέ πόλεις κλήρȣ Νεφθαλείμ. Δευτέρα δέ ἐστιν ἀμφὶ τὴν Τιβεριάδα, καὶ τὴν πρὸς αὐτῇ λίμνην, κλήρȣ Ζαβȣλών.

Γαλειλώθ, τόπος παρὰ τὸν Ἰορδάνην, ἔνθα θυσιαστήριον ἔστησαν οἱ υἱοὶ Ῥȣβὶν. φυλῆς Βενιαμίν.

Γαλλεὶ, ὅθεν ἦν Φαλτεὶ, ὁ λαβὼν τὴν Μελχὼλ γυναῖκα Δαβίδ· μέμνηται ταύτης καὶ Ἡσαΐας· λέ-

## EUSEBIUS.

GALGALA, hæc eadem eſt cum ſuperius poſita Galgol ad Orientalem plagam antiquæ Hierichuntis cis Jordanem, ubi circumcidit Jeſus filios populi, & Paſcha celebravit. Ac primum cum deficiente manna triticeum panem commutarunt. Atque lapides e Jordane (acceptos) erexerunt. Hoc primum loco fixum eſt tabernaculum teſtimonii, fuitque ſortis Juda. Oſtenditur locus deſertus, quaſi ſacer cultus. Et aliis videtur eſſe Galgala, quæ eſt ad Bethel.

GALILÆA, duæ ſunt Galilææ; quarum una quidem dicta eſt Galilæa gentium, in finibus Tyriorum ſita, ubi Salomon dedit Chirab viginti quinque civitates tribus Nephthali. Secunda eſt circa Tyberiadem & ſtagnum ipſi vicinum, tribus Zabulon.

GALILOTH, locus prope Jordanem, ubi altare erexerunt filii Ruben. Tribus Benjamin.

GALLI, unde fuit Phalti, qui accepit Melchol uxorem David.

---

### NOTÆ.

[1] Locus hic eſt in Scriptura celebris; ſive quia prima ſedes Iſraelitarum fuit & manſio tranſito Jordane, ſive quia ibi lapides illi de Jordanis alveo ſublati in monumentum admirandi illius tranſitus collocati ſunt; ſive quia ibi repetita poſtliminio circumciſio, quæ annis quadraginta intermiſſa fuerat; ſive quia ibi Paſcha primum in Chananæa in ipſo Terræ Promiſſæ aditu celebratum fuit; ſive quia ibi manna, quo aliti fuerant per quadraginta annos in deſerto, defecit; ſive denique, quia ibi ſtativa fuerunt Iſraelitarum caſtra, & arcæ ſedes ſeptem annorum ſpatio, quo Chananæorum gens debellata, quæ omnia fere habes, Joſ. 4. & 5. Fuit autem *Galgala* recto vel fere recto itinere pergentibus a Jordane & plaga Orientali in Jericho, ut ex Joſepho perſpicue colligi poteſt, qui Lib. v. Belli Cap. 4. aſſerit a Jordane in Hiericho ſexaginta fuiſſe ſtadia, Lib. vero v. Antiq. Cap. 1. aſſerit Iſraelitas a Jordane in *Galgala* progreſſos quinquaginta proceſſiſſe ſtadia, & in decimo ab Hierichunte ſtadio caſtrametatos eſſe. Erat ergo *Galgala* in eadem cum Hierichunte tribu, ab eaque decem ſtadiis diſtans. Ex quibus etiam Adrichomium corrigas, qui *Galgalam* Hierichunte remotiorem, & nimis ad latus non recto ad Jordanem itinere, neque ad Orientalem plagam, ſed verſus Aquilonem collocat. Quod rurſum aliquorum ſententia altera *Galgala* juxta Bethel ſtatui dicitur, id totum ſupervacanee fit, cum vicinitas Bethelis huic *Galgala* conveniat; ſi enim Hiericho vicina erat Betheli, ut multis argumentis probari poteſt, & *Galgala* vicina erat Hierichunti, non potuit *Galgala* a Bethel procul diſtare. BONFRERIUS.

[2] Prior dicitur *Galilæa ſuperior*, altera *inferior*; erat enim prior vicinior fontibus Jordanis; unde Jordanis aquæ in inferiorem defluebant. *Superior* vero fere tribubus Nephthali & Aſer quam late patet Jordanes minor uſque ad mare Galilææ verſus Auſtrum extenditur, verſus Occidentem vero ad Tyriorum & Ptolemaidis fines excurrit. *Inferior* tribum Zabulon & Iſſachar ad mare Galilææ comprehendit uſque ad Scythopolitas; a mari vero Galilææ verſus Occidentem ad Carmelum uſque montem juxta mare porrigitur. Vide Joſephum Lib. III. Belli Cap. 2. ubi *duplicis Galilææ* deſcriptionem habes. Porro in numero *civitatum*, *quæ a Salomone dicuntur datæ Hiram*, error eſt, viginti enim tantummodo Scriptura fuiſſe dicit, 3. Reg. 9. v. 11. IDEM.

[3] Vocem hanc Hebræam retinuerunt Septuaginta Interpretes dicentes *Galiloth Jordanis*, Joſ. 22. v. 10. ubi Hieronymus dixit *tumulos Jordanis*. IDEM.

[4] Habes de hac *Gallim*, 1. Reg. 25. v. 44. ubi ea ſita fuerit non omnino liquidum; ſuſpicor tamen eam fuiſſe in tribu Benjamin, meaſque in eam rem conjecturas ad ſeum locum adferam, facitque ad eam rem imprimis Iſaiæ locus Cap. 10. v. 30. ubi hujus *Gallim* in tribu Benjamin meminit. Eſt & altera *Gallim* trans Jordanem apud Moabitas, Iſaiæ 15. v. 8.

[5] Κατεπέπηγεν) Sic ex *Hieronymo* emendandum cenſuit *Bonfrerius*, alioqui Codex MS. quo uſus eſt, habebat æque recte κατέμεινεν. CLERICUS.

[6] Δείκνυται καὶ τὰ ἑξῆς) Hæc uſque ad finem omiſerant Typothetæ in Bonfreriana editione. Similiter in Hieronymo verba hæc, *ubi & tabernaculum* &c. erant prætermiſſa. Ea ex editione Pariſienſi ſupplevimus. IDEM.

1 Nuſ-

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| *minit & hujus loci Esaias. Dicitur autem esse quidam Accaron vicus qui vocetur Gallim.* | γεται δὲ πλησίον Ἀκκαρὼν εἶναί τις κώμη [8] Γαλιλαία καλȣμένη. | Meminit hujus & Isaias. Dicitur vero esse prope Accaron quidam vicus qui vocetur [8] Galilæa. |
| [1] *GAMEN, sive GAMON regio Moabitarum juxta Isaiam.* | Γαιμωά, χώρα Μωὰβ ἐν Ἡσαΐᾳ. | GÆMOA, regio Moab in Isaia. |

GAMZO, urbs in tribu Juda, vel in tribu Dan; nam in utriusque tribus videtur esse confinio, quantum colligi potest ex adjunctis urbibus, 2. Paral. XXVIII. vers. 18.

| | | |
|---|---|---|
| [2] *GAREB, collis juxta Hierusalem, sicut scribit Hieremias.* | Γαρὴν, βȣνὸς πλησίον Ἱερȣσαλὴμ ἐν Ἱερεμίᾳ. | GAREN, collis juxta Hierusalem in Hieremia. |
| [3] *GARGASI, civitas trans Jordanem juncta monti Galaad, quam tenuit tribus Manasse, & hæc esse, nunc dicitur Gerasa urbs insignis Arabiæ; quidam autem ipsam esse Gadaram existimant. Sed & Evangelium meminit Gerasenorum.* | Γεργασεὶ, ἐπέκεινα τοῦ Ἰορδάνȣ παρακειμένη πόλις τῷ Γαλαὰδ, ἣν ἔλαβε φυλὴ Μανασσῆ· αὐτὴ δέ λέγεται εἶναι ἡ Γεράσα πόλις ἐπίσημος τῆς Ἀραβίας· τινὲς δὲ αὐτὴν εἶναι τὴν Γαδάραν φασίν· μέμνηται δὲ καὶ τὸ ἐυαγγέλιον τῶν Γερασινῶν. | GERGAS, trans Jordanem civitas vicina Galaad, quam cepit tribus Manasse. Ea vero dicitur esse Gerasa civitas illustris Arabiæ. Quidam eam esse dicunt Gadaram. Meminit & Evangelium Gerasenorum. |
| [4] *GARIZIM, mons super quem steterunt hi, qui [5] maledicta resonabant juxta montem Gebal, de quo infra.* | Γαριζέιμ, ὄρος, ἔνθα ἔστησαν οἱ τὰς ἐυλογίας καταλέγοντες, πλησίον τοῦ προειρημένȣ Γεβάλ. | GARIZIN, mons in quo steterunt qui benedictiones recitabant juxta prædictum (montem) Gebal. |
| [6] *GASIONGABEB, castra in solitudine filiorum Israel, sicut in Numerorum libro scriptum est, porro juxta Deuteronomium civitas est Esau, quam nunc Essiam nuncupari putant juxta mare rubrum & Ailam.* | Γασιὼν Γαβὲρ, ἐπὶ τῆς ἐρήμȣ, σταθμὸς τῶν ὑῶν Ἰσραὴλ, ὡς ἐν ἀριθμοῖς· ὡς δὲ ἐν δευτερονομίῳ, πόλις Ἡσαῦ· λέγȣσι δὲ ταύτην εἶναι τὴν Ἀσίαν, πλησίον τῆς ἐρυθρᾶς θαλάσσης ϗ Αἰλά. | GAZIONGABER, in eremo, statio filiorum Israel, ut in Numeris. Ut vero in Deuteronomio, civitas Esau. Ajunt autem hanc esse Asiam, juxta rubrum mare & Ælam. |

GAVER !, ascensus juxta Jeblaam in dimidia tribu Manasse Cis-Jordanina, ubi Ochozias fugiens a Jehu lethali vulnere percussus est, ex quo paulo post obiit, 4. Reg. IX. vers. 27.

---

NOTÆ.

[1] Nusquam apud Isaiam, ne apud Septuaginta quidem Interpretes hanc vocem legas, ubi de Moabitis agit, quod facit Propheta Cap. 15. & 16. tantummodo in uno codice, Cap. 16. v. 2. legitur *Amon*, pro quo cæteri codices *Arnon* habent, Hebræo textu consentiente. Suspicor ex voce, quæ apud Eusebium cernitur, legendum hic esse *Gæmoab*: porro גיא מואב *ge Moab* Hebræis significat *vallem Moab*. Fateor tamen nec illud me apud Isaiam reperire. BONFRERIUS.

[2] Habes de hoc colle apud Hieremiam, Cap. 31. v. 39. *Hunc collem* prædicit Propheta, *amplificatis pomœriis, urbis mœnibus esse includendum*. IDEM.

[3] Pro eo quod in versione nostra, Matth. 8. v. 28. habetur, *in regionem Gerasenorum*, in Græco habetur, εἰς χώραν Γεργεσηνῶν, *in regionem Gergesenorum*, pro quo alii Evangelistæ, ut supra diximus in *Gadara*, habent Γαδαρηνῶν *Gadarenorum*. Hinc natæ illæ suspiciones *Gerasam*, *Gergesam*, *Gadaram* ejusdem urbis diversa esse nomina: at inter *Gerasam* & *Gadaram* esse distinguendum supra in *Gadara* diximus: *Gerasam* vero & *Gergesam* ejusdem urbis diversa esse nomina communis est opinio, quæ a Gergesæo primum filio Chanaan nomen hoc sortiri potuit, postea tamen, ut fit, voce nonnihil corrupta & magis familiari usu dicta sit *Gerasa*. IDEM.

[4] *Garizim* & *Hebal* duo montes fuerunt juxta Sichem, in quibus ex Moysis mandato, postquam Israelitæ ingressi essent Terram Promissam, divisis ordinibus stare debuerunt; in monte *Garizim* quidem non *ad maledicendum*, ut videtur hic indicari, sed *ad benedicendum*: seu ad bona omnia apprecanda iis, qui divinas leges servarent: contra vero qui stabant in monte *Hebal* maledictiones intonarent divinæ legis violatoribus. Habes rem hanc a Moyse præceptam, Deuter. II. v. 29. 30. Idem rursum repetitur, Deuter. 27. a v. 12. usque ad finem Capitis. Ubi & tribus distribuit, quæ in uno & altero monte stare debeant, & insuper maledictiones quæ sigillatim intentari debeant. Rem hanc factam habes Jos. 8. a v. 30 usque ad finem Capitis. Porro, montem hunc vicinum fuisse urbi Sichem, ita ut quis e vertice montis loquens in ipsa urbe a civibus audiri posset, declarat Judic. Liber Cap. 9. v. 7. & deinceps. In hoc monte Samaritani templum Hierosolymitano æmulum ædificarunt, de cujus ædificatione habes apud Joseph. XI. Antiq. Cap. 8. & dissidium inter Judæos & Samaritas exortum occasione templi Hierosolymitani & Garizitani, utrum alteri præferendum, & præ altero censendum esset legitimum, causamque Alexandriæ coram Ptolemæo Philometore actam habes apud eumdem Josephum Lib. XIII. Antiq. Cap. 6. Sed & Scriptura hujus templi meminit 2. Machab. 6. v. 2. & ad illud in eo monte templum respiciunt mulieris Samaritanæ & Christi verba, Joannis 4. v. 20. 21. Vide infra *Gebal*. IDEM.

[5] *Maledicta*) Imo *benedicta*, nam habet *Eusebius* ἐυλογίας, & sic docet Historia Sacra, ut animadvertit *Bonfrerius*. Error est aut festinantis *Hieronymi*, aut Librariorum. CLERICUS.

[6] De hoc loco & urbe supra in *Asiongaber* est dictum, ita enim in versione nostra exprimitur. Septuaginta Interpretes primam in Hebræo literam ע aliquando per G exprimunt, aliquando nullam ejus literæ rationem habent. De mansione Israelitarum in *Asiongaber* habes, Numer. 33. v. 55. BONFRERIUS.

[8] Non *Galilæa*, sed *Gallim* habet Hieronymus. IDEM.

## HIERONYMUS.

[1] *GAULON, ſive Galon in tribu Manaſſe civitas Sacerdotalis & fugitivorum in regione Baſanitide, ſed & nunc Gaulon vocatur villa prægrandis in Bethania, ad cujus nomen & regio ſortita vocabulum eſt.*

[2] *GAZA, civitas Evæorum, in qua habitavere Cappadoces priſtinis cultoribus interfectis. Apud veteres autem erat terminus Chananæorum juxta Ægyptum, ceciditque in ſortem tribus Judæ, ſed eam tenere non potuit: quia Enacim, id eſt, Gigantes fortiſſimi Allophylorum reſtiterunt, & eſt uſque hodie inſignis civitas Palæſtinæ. Quæritur autem quomodo in quodam Propheta dicatur Gaza* futura in tumulum ſempiternum? *Quod ſolvitur ita, antiquæ civitatis locum vix fundamentorum præbere veſtigia: hanc autem, quæ nunc cernitur in alio loco, pro illa quæ corruit ædificatam.*

GAZARA. Vide GAZER.

[3] *GAZER, in ſorte tribus Ephraim, urbs ſeparata Levitis: quam expugnavit Jeſus rege illius interfecto. Ædificata eſt autem poſtea a Salomone. Nunc Gazara villa dicitur in quarto milliario Nicopoleos contra Septentrionem. Verumtamen ſciendum quod alienigenas ex ea Ephraim non potuit expellere.*

## ΕΥΣΕΒΙΟΣ.

Γαυλών. ἢ Γολάν, φυλῆς Μανασσῆ, πόλις ἱερατικὴ τῶν φυγαδευτηρίων ἐν τῇ Βασανίτιδι, καὶ νῦν Γαυλὼν καλεῖται κώμη μεγίστη ἐν τῇ Καταναίᾳ· ὁμωνυμεῖ δὲ τῇ κώμῃ, καὶ ἡ περίχωρος.

Γάζα, πόλις τῶν Εὐαίων, ἐν ᾗ κατῴκησαν Καππάδοκες τοὺς Εὐαίους ἀνελόντες· τὸ παλαιὸν δὲ ἦν τὸ ὅριον τῶν Χαναναίων τῶν πρὸς τῇ Αἰγύπτῳ, καὶ ἀφωρίσθη μὲν τῇ φυλῇ Ἰούδα, οὐ μὴν ἐκράτησεν αὐτῆς, οὐδὲ ἠφάνισε τοὺς ἐν αὐτῇ ἀλλοφύλους· μένει δὲ εἰς ἔτι νῦν πόλις ἐπίσημος τῆς Παλαιστίνης.

Γαζὲρ, κλήρου Ἐφραὶμ, Λευίταις ἀφωρισμένη· καὶ ταύτην ἐπολιόρκησεν Ἰησοῦς τὸν βασιλέα αὐτῆς ἀνελὼν, ἣν καὶ ᾠκοδόμησε Σολομὼν, καὶ νῦν καλεῖται Γαζάρα κώμη Νικοπόλεως ἀπέχουσα σημείοις δ'· ἐν βορείοις, οὐ μὴν ἀνεῖλεν ἐξ αὐτῆς τοὺς ἀλλοφύλους Ἐφραὶμ ἡ φυλή.

## EUSEBIUS.

GAULON, ſive Golan, tribus Manaſſe, civitas ſacerdotalis fugitivorum in Baſanitide, & nunc vocatur Gaulon vicus in Catanæa maximus. Porro circumjacens regio idem cum eo vico nomen habet.

GAZA, civitas Evæorum, in qua habitarunt Cappadoces interfectis Evæis. Porro olim fuit terminus Chananæorum Ægypto vicinorum, & fuit aſſignata tribui Juda, non tamen eam tenuit, neque alienigenas in ea de medio ſuſtulit. Perſeverat autem uſque hodie nobilis civitas Palæſtinæ.

GAZER, ſortis Ephraim, Levitis ſeparata; & hanc expugnavit Jeſus rege illius interfecto, quam ædificavit Salomon, ac nunc vocatur Gazara vicus diſtans Nicopoli quatuor milliaribus in parte ſeptentrionali: non tamen ſuſtulit ex ea alienigenas tribus Ephraim.

### NOTÆ.

[1] Pro *Bethania* hic repone *Batanæa*, & pro Καταναίᾳ & *Catanæa*, repone Βαταναίᾳ & *Batanæa*. Hæc urbs in verſione noſtra dicitur etiam *Gaulon*, & ſubinde *Golan*. Fuit hæc Levitica, non Sacerdotalis civitas, Joſ. 21. v. 27. & 1. Paral. 6. v. 71. Inter refugii civitates cenſetur, Deuter. 4. v. 43. & Joſ. 20. v. 8. Ab hac urbe celebri tota regio circumjecta dicta fuit Gaulanitis vel Gaulanitica, cujus non ſemel meminit Joſephus. BONFRERIUS.

[2] Fuit hæc *Gaza* celebris olim civitas, & una ex Satrapiis Philiſthinorum, eademque verſus meridiem extrema, & Ægypto proxima, ad quam ductus Samſon multis millibus Philiſthæorum fani ruina oppreſſis occubuit. Quod autem dicitur hic *de Hevæis & Cappadocibus*, id Gazæ non eſt proprium, ſed toti Philiſthææ regioni, quam prius Hevæi tenuerant, ſed a Cappadocibus, ſeu Philiſthæis cæſi aut pulſi ſunt. Vide quæ habentur, Deut. 2. v. 23. & quæ nos de hiſce Cappadocibus ad eum locum diximus. Habes eam Judæ attributam tribui, Joſ. 15. v. 47. eamdemque ab iis qui de ea tribu erant, expugnatam, Judic. 1. v. 18. ſed non diu ab iis fuiſſe retentam, Philiſthæoſque eam paulo poſt recuperaſſe indicatur Judic. 3. v. 3. Eadem urbs (ſi tamen eadem) alibi in noſtra verſione vocatur *Aza*, 1. Paral. 7. v. 28. qua de re ad eum locum. Dixi, ſi tamen eadem, quia ſitus *Aza* ibi videtur repugnare *Gazæ*, etſi Hebraica ſcriptio congruat. IDEM.

[3] Hæc quoque in verſione noſtra *Gazer*, vel *Gezer*, vel *Gazera*, vel etiam forte *Gazara* appellatur, de qua re paulo poſt. De *Gazer* in tribu Ephraim, ſed in ejus ad Auſtrum finibus non procul mari habes, Joſ. 16. v. 3. Ejus regem interfectum a Joſue habes Joſ. 10. v. 33. & Cap. 12. v. 12. Inter Leviticas civitates tribus Ephraim cenſetur, Joſ. 21. v. 21. & 1. Paral. 6. v. 67. Eam tamen ad multa tempora Iſraelitæ non obtinuerunt, remanentibus in ea priſtinis habitatoribus Chananæis, Joſ. 16. v. 10. Judic. 1. v. 29. donec tandem Salomonis regis tempore eam cepit Pharao rex Ægypti & Salomonis ſocer, cæſis, qui in ea erant, Chananæis, quam & Salomoni in dotem filiæ ſuæ dedit. Eadem videtur urbs illa, cujus toties fit in libris Machabæorum mentio, appellaturque *Gazara*; etſi nonnullam difficultatem huic opinioni videatur facere, Lib. 1. Machab. Cap. 14. v. 34. ubi *Gazara* ponitur in finibus Azoti, quod eſſe non poteſt, ſi vel Azotus ponatur proxima poſt Gazam Philiſthinorum Satrapia, uti nos ſtatuimus, vel omnium media, ut eam Adrichomius collocat, cum ulteriores Satrapiæ Geth & Accaron vix ad Ephraimitas pertingerent. Nihilominus eamdem eſſe *Gazaram* & *Gazer* exiſtimo, & ibi Machab. 14. poſitos eſſe fines Azoti pro finibus Palæſtinorum, quod forte Azotus tunc temporis cæteris Palæſtinorum urbibus illuſtrior haberetur, ab eaque tota Palæſtinorum regio fines Azoti dicta ſit. IDEM.

HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS.

[1] *GAZERA, ubi David percussit alienigenas.*

Γεζηρὰ, ἔνθα ἐπάταξε Δαβὶδ τοὺς ἀλλοφύλους, καὶ ἀνώτερον κεῖται Γεζέρ.

GESERA, ubi David percussit alienigenas. Et superius posita est (vox) Geser.

GEBA, eadem quæ *Gabaa* in tribu Benjamin. Vide GABE.

[2] *GEBAL, mons in terra repromissionis, ubi ad imperium Moysi altare constructum est. Sunt autem juxta Hierichum duo montes vicini contra se invicem respicientes, e quibus unus Garizim, alter Gebal dicitur. Porro Samaritani arbitrantur hos duos montes juxta Neapolim esse, sed vehementer errant: plurimum enim inter se distant, nec possunt invicem benedicentium seu maledicentium inter se audiri voces, quod Scriptura commemorat.*

Γεβάλ, ὄρος ἐν τῇ γῇ τῆς ἐπαγγελίας, ἔνθα κελεύει Μωϋσῆς στῆσαι θυσιαστήριον, καὶ λέγεται παρακεῖσθαι τῇ Ἱεριχῷ ὄρη δύο κατὰ πρόσωπον ἀλλήλων καὶ πλησίον· ὧν τὸ μὲν εἶναι Γαριζὶν, τὸ δὲ Γεβάλ. [3] Σαμαρεῖται δὲ ἕτεροι δεικνύουσι τὰ τῇ νέᾳ πόλει παρακείμενα, σφαλλόμενοι, ὅτι δὲ πλεῖστον διεστήκασιν ἀλλήλων, ὑπ' αὐτῶν δεικνύμενα, ὡς μὴ δύνασθαι ἀλλήλων ἀκούειν τοὺς ἑκατέρωθεν βοῶντας.

GEBAL, mons in terra promissionis, in quo jussit Moyses erigi altare, dicunturque adjacere Hierichunti duo montes sibi mutuo oppositi & vicini: quorum alter Garizim, alter Gebal. Alii porro Samaritæ demonstrant hos (montes) sitos esse prope Neapolim, sed falluntur, quia plurimum inter se distant, & ab iisdem declarantur, quod qui utrimque vociferantur, se mutuo audire non possint.

GEBALENE, passim in hoc libro de locis Hebraicis *Idumæa* appellatur, seu *Gabalena* & *Gebaletica*.

GEBBETHON. Vide GABATHON.

[4] *GEBIN, meminit hujus Esaias, & est villa Geba in quinto milliario a Gufnis euntibus Neapolim.*

Γηβενά, ταύτης Ἡσαΐας μνημονεύει. καὶ νῦν ἔστι Γηβὰ κώμη ἀπὸ σημείων ε' Γουφνῶν ἐρχομένων εἰς νέαν πόλιν.

GEBIN, hujus Isaias meminit. Et est nunc Geba, vicus in quinto lapide a Guphnis venientibus Neapolim.

GEDERA, urbs in tribu Juda. Jos. xv. vers. 36.

GEDEROTHAIM, urbs in tribu Juda, Jos. xv. vers. 36.

GEDOR, urbs in tribu Juda, Jos. xv. vers. 58. Vide supra GADOR.

[5] *GEDUD, ad quam descendit David, pro quo Aquila* τὸν εὔζωνον, *id est, expeditum, vel accinctum: Symmachus latronum cuneum transtulerunt.*

Γεδδάρ, ἔνθα κατέβη Δαβίδ. Ἀκύλας, τὸν εὔζωνον σημαίνει, [7] τὸν λόφον Σύμμαχος.

GEDDAR, quo descendit David. Aquila expeditum, vel accinctum significat. Cervicem, vel collem, aut cristam Symmachus.

[6] *GEENNON, quod interpretatur vallis Ennon: & ab hac quidam putant appellatam gehennam. Cecidit autem in sor-*

Γαιεννούμ, ἑρμηνεύεται φάραγξ τοῦ Ἐννούμ. ταύτην δὲ λέγουσιν εἶναι [8] τὴν γῆν Νουά, κλήρου φυλῆς Βενιαμίν· προσπαράκειται τῷ τείχει

GÆENNOUM, interpretatur vallis prærupta Ennoum. Hanc autem dicunt esse *terram Nua*, sortis tribus Benjamin.

N O T Æ.

[1] Eadem est quæ proxime *Gazer*. Historiam autem illam de percussis a Davide alienigenis, seu Philisthæis a Gabaon usque *Gazera*, habes 1. Paral. 14. v. 16. pro quo 2. Reg. 5. v. 25. habes *Gezer*. BONFRERIUS.

[2] *Hebal* hic mons in versione nostra dicitur, e quo maledictiones in divinæ legis violatores vibrandæ erant. Vide supra in *Garizim*. Ponendos hos duos montes esse juxta Neapolim, seu Sichem, non juxta Hierichunta, ut videtur hic velle Eusebius, liquet ex iis, quæ nos diximus supra in Garizim, quæ nos fusius deduximus ad Deuteron. 11. v. 30. Sed neque hos montes longius a se invicem abducendos esse, quin potius ita vicinos fuisse, ut benedicentium & maledicentium voces utrimque exaudiri possent, exigit tota illa historia Jos. 8. a v. 30. in qua hæ benedictiones & maledictiones utrimque distributæ leguntur. Quin & hoc ipsum, montem videlicet utrumque urbi Sichimorum vicinum fuisse testatur disertis verbis Josephus Lib. iv. Antiq. Cap. ult. Et de monte *Garizim* rursum id diserte asserit Lib. xi. Antiq. Cap. ult. & Hieronymus in Epitaphio Paulæ. Est alia *Gebal* urbs Phœniciæ, cujus fit mentio, Psal. 82. v. 6. a quo nomen patronymicum *Giblii*, quorum aliquoties in Scriptura fit mentio. Vide supra in *Byblos* & *Gabli*. IDEM.

[3] Σαμαρεῖται δὲ ἕτεροι) Imo ἕτερα; nempe, δύο ὄρη, nam sequitur, τῇ νέᾳ πόλει παρακείμενα. Ostendebant duos alios montes ad Neapolin sitos. Res est liquida, & lectio *Samaritæ alii* absurda. Quinam enim erant *alii* illi *Samaritæ*? Miror *Bonfrerium* hoc non vidisse, quem secure etiam sequutus est Parisiensis *Hieronymi* Editor. Cæterum, ut ostendit *Bonfrerius*, recte sentiebant Samaritani, quibus ex odio male *Eusebius* & *Hieronymus* contradicebant. Simile invenias & in *Golgol*. CLERICUS.

[4] *Gebim* scribendum fuit: ita enim habent meliores Septuaginta Interpretum codices, vel *Gibbim*. In Hebræo est *Gebim*: in versione nostra *Gabim*, Isa. 10. v. 31. Videtur esse urbs vel vicus in tribu Benjamin, ut fere adjunctæ urbes indicant. BONFRERIUS.

[5] Ita scribendum est *Gedud*, non, ut nunc passim legitur in versione Septuaginta Interpretum, *Geddur*, 1. Reg. 30. v. 8. 15. 23. prior enim illa vox Hebræo respondet; quamquam & ægre mihi persuadeam vocem illam *Gedud* a Septuaginta Interpretibus retentam, quam alibi semper appellative reddere solent. Nostra versio tum ibi, tum alibi fere *latrunculos* reddit: reddi etiam posset *exercitus, milites*. IDEM.

[6] In versione nostra *vallis Ennom*, vel *vallis filiorum Ennom* appellatur. Locus alio nomine dictus *Tophet*. Vide supra in BENENNOM. IDEM.

[7] Pro τὸν λόφον, lege τὸν λόχον, lege quod agmen, cuneum significat, quomodo haud dubie legit hic Hieronymus. Quin & Symmachum hanc vocem ita vertisse annotat. Ita concordant Latino-Græco-Hebr. IDEM.

[8] Liquet ex Hieronymo pro τὴν γῦν Νουά, reponendum esse γῆν γίωναν. IDEM.

1 Per

| S. HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| *tem tribus Benjamin, juxta murum Hierusalem contra Orientem. Super qua in libris Hebraicarum quæstionum plenius dictum est.* | Ἱερουσαλὴμ πρὸς ἀνατολάς. | Vicina est muro Hierusalem versus Orientalem plagam. |

GEHON, unus e quatuor fluviis paradisi terrestris, quem Sancti Patres, totaque antiquitas *Nilum* esse credidit, imo & Scripturæ descriptio, Gen. 11. vers. 13. aliaque quæ nos attulimus ad idem Caput vers. 10. *Nilum* esse convincunt.

| S. HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [1] *GELAM SUR, regio Allophylorum.* | Γελαμσούρ, χώρα ἀλλοφύλων. | GELAMSUR, regio alienigenarum. |

GELBOE. Vide GELBUE proxime.

| S. HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [2] *GELBUE, montes alienigenarum in sexto lapide a Scythopoli, in quibus etiam vicus est grandis, qui vocatur Gelbus.* | Γεβουέ, ὄρη ἀλλοφύλων, Σκυθοπόλεως ἀπέχοντα σημείοις ϛʹ ἐν οἷς καὶ κώμη καλεῖται Γελβοῦς. | GEBUE, montes alienigenarum, Scythopoli distantes sex milliaribus, in quibus etiam vicus Gelbus. |
| [3] *GELGEL, hanc cepit Jesus, & nunc ostenditur villa nomine Galgulis ab Antipatride in sexto milliario contra Septemtrionem.* | Γελγέλ, καὶ ταύτην εἷλεν Ἰησοῦς. ἔστι δὲ καὶ νῦν κώμη Γαλγουλῆς λεγομένη, Ἀντιπατρίδος ὡς ἀπὸ σημείων ἓξ ἐν τοῖς βορείοις. | GELGEL, & hanc cepit Jesus. Est autem etiam nunc vicus Galgulis dictus ab Antipatride quasi sex milliaribus (distans) in parte septentrionali. |
| [4] *GELMON DEBLATHAIM, castra, id est mansio filiorum Israel in deserto.* | Γελμὼν Δεβλαθαίμ, ἐπὶ τῆς ἐρήμου, σταθμός. | GELMON DEBLATHIM, in deserto mansio. |

GELO, Vide GILO, unde Patronymicum Geleonites vel Gilonites, urbs fuit in tribu Juda, Jos. xv. vers. 51.

| S. HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| | Γηλών, φυλῆς Ἰούδα. | GELON, tribus Juda. |
| [5] *GEMELA, regio Idumæorum, pro qua Aquila & Symmachus interpretantur vallem Salis.* | Γημελά, χώρα Ἐδώμ· ἐν δὲ βασιλείαις φάραγξ ἁλός. | GEMELA, regio Edom. In libris regnorum vallis salis. |

GENESAR & GENESARETH, stagnum seu mare Galilææ appellatum est: regio item adjacens *terra Genesareth* dicta est.

| S. HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [6] *GEON, fluvius, qui apud Ægyptios Nilus vocatur in paradiso oriens, & universam Æthiopiam circumiens.* | Γαιών, ὁ παρ' Αἰγυπτίοις Νεῖλος ἐκ παραδείσου μὲν προϊών, κυκλῶν δὲ πᾶσαν γῆν Αἰθιοπίας. | GÆON, qui apud Ægyptios Nilus e paradiso quidem prodieus, circumdaus vero universam terram Æthiopiæ. |

NOTÆ.

[1] Per *Allophylos* Philisthæos intelligit; at ubi Septuaginta Interpretes ita Philisthæorum regionem appellent, nescio an usquam reperias. BONFRERIUS.

[2] Ne intelligas *montes* esse *alienigenarum*, seu Philisthæorum, quasi in eorum regione sint: sunt enim hi montes in longum porrecti ab Occidente in Orientem in confinio dimidiæ tribus Manasse & tribus Issachar, ac in parte Australi vallis Iezrael, quorum initium est ab urbe Iezrael, quæ ad radices hujus montis est Occidentalis, usque ad Jordanem fere. In hoc monte seu his montibus occisus est Saul & Jonathas cum toto Israelitarum exercitu, 1. Reg. 31. & 1. Paral. 10. & a victoria hac, quam Philisthæi de Israelitis reportarunt, dicuntur hic montes alienigenarum seu Philisthæorum. IDEM.

[3] *Galgal* in versione nostra appellatur, Jos. 12. v. 23. cujus rex ibi a Josue dicitur fuisse interfectus. Ubi autem ista *Galgal* sita fuerit plane remansit obscurum, cum alibi nusquam vel urbis vel regionis eo nomine fiat mentio: Nam locum hunc a *Galgala* esse diversum (etsi locus uterque iisdem in Hebræo literis scribatur) existimo certum esse, sive quia in *Galgala* nullum urbis fuit vestigium cum eo Israelitæ advenerunt, sive quia id nomen *Galgala* ab Israelitarum circumcisione ibi facta nomen accepit, Jos. 5. v. 9. Sequamur igitur per me licet situm, qui hic illi assignatur *in sexto milliario ab Antipatride contra Septemtrionem*; est autem Antipatris juxta mare vicina Joppe, etsi eam aliqui paulo longius a mari semoveant. IDEM.

[4] Hæc mansio Israelitarum in deserto in versione nostra vocatur, Num. 33. v. 46. 47. *Helmondeblathaim*. Unica autem vox est *Deblathaim*, atque adeo non dividenda. Significat autem *Helmon Deblathaim* occultationem palatharum. IDEM.

[5] In Hebræo גיא מלח *Ge melach*, quod *vallem salis* significat, dicitur: versio nostra ubique, 2. Reg. 8. v. 13. & 4. Reg. 14. v. 7. & 1. Paral. 18. v. 12. & 2. Paral. 25. v. 11. & in titulo Psalmi 59. habet *vallem Salinarum*: Septuaginta Interpretes tribus posterioribus locis supra reddunt etiam κοιλάδα vel φάραγγα τῶν ἁλῶν, *vallem salinarum*: 2. Reg. 8. codices eorumdem Septuaginta Interpretum quasi nomen proprium efferunt, sed mendose habent *Gebelem*, quod Hebrææ voci minime respondet: at 4. Reg. 14. iidem Septuaginta habent *Gemela*, quod ad vocem Hebraicam proxime accedit; quin & 2. Reg. 8. Regius codex *Gemelech* habet, & Hieronymus ad titulum Psalmi 59. dicit 2. Reg. 8. Septuaginta Interpretes *Gemelach* dixisse. Fuisse autem hanc *vallem Salinarum* in Idumæa perspicue meo judicio Scriptura, Josephus, Hieronymus indicant, qua de re nos plura, 2. Reg. 8. v. 13. IDEM.

[6] *Gebon* in versione nostra dicitur, de quo & supra in *Gebon* diximus. IDEM.

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [1] *GEPHA*, *nomen regionis, ut in Esaia scriptum est.* | Γαιφὰ, χώρα, ἐν Ἡσαΐᾳ. | GÆPHA, quædam regio in Isaia. |
| [2] *GERARA, ex cujus nomine nunc Geraritica vocatur, regio trans Daroma procul ab Eleutheropoli viginti millibus & quinque, ad meridiem. Erat autem olim terminus Chananæorum ad Australem plagam, & civitas metropolis Palæstinæ. Scriptura commemorat fuisse eam inter Cades & Sur, hoc est, inter duas solitudines, quarum una Ægypto jungitur, ad quam populus trans fretum rubri maris pervenit. Altera vero Cades usque ad Saracenorum eremum extenditur.* | Γέραρα, ἀφ' ἧς νῦν καλεῖται ἡ Γεραριτικὴ ὑπὲρ τὸν Δαρωμὰν κειμένη, ἀπέχουσα Ἐλευθεροπόλεως σημείοις κε' πρὸς νότον. ἦν δὲ τὸ παλαιὸν τῶν Χαναναίων ὅριον πρὸς μεσημβρίαν, καὶ πόλις βασιλικὴ τῶν Φιλιστιαίων. κεῖται δὲ ὥς φησιν ἡ γραφὴ, ἀναμέσον Κάδδης, καὶ ἀναμέσον Σοὺρ δύο ἐρήμων, τῆς μὲν τῇ Αἰγύπτῳ παρακειμένης εἰς ἣν κατήντησεν ὁ λαὸς, τὴν ἐρυθρὰν θάλασσαν διελθών. τῆς δὲ Κάδδης ἐπὶ τὴν τῶν Σαρακηνῶν ἐρημίαν παρατεινούσης. | GERARA, a qua nunc vocatur regio Geraritica supra Doromam sita, distans Eleutheropoli viginti quinque milliaribus ad austrum. Erat autem olim Chananæorum terminus versus meridiem, & civitas regia Philistinorum. Sita est, ut ait Scriptura, in medio Caddes & Sur, qua sunt duæ solitudines, quarum altera Ægypto vicina est, ad quam devenit populus, cum transiisset mare rubrum: altera vero Caddes, quæ usque ad desertum Saracenorum extenditur. |

GERASA, urbs trans mare Galilææ versus Borealem ejus plagam, unde & *regio Gerasenorum* in Evangelio. Eadem cum *Gergesa*, quæ sequitur, de qua rursum ibi vide, & supra in *Gadara* & *Gargasi*.

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [3] *GERGESA, ubi eos, qui a dæmonibus vexabantur, Salvator restituit sanitati, & hodieque super montem viculus demonstratur juxta stagnum Tiberiadis, in quod porci præcipitati sunt.* | Γέργεσα, ἔνθα τοὺς δαιμονιῶντας ὁ κύριος ἰάσατο. καὶ νῦν δείκνυται ἐπὶ τοῦ ὄρους κώμη παρὰ τὴν λίμνην Τιβεριάδος, εἰς ἣν καὶ οἱ χοῖροι κατεκρημνίσθησαν. κεῖται καὶ ἀνωτέρω. | GERGESA, ubi eos, qui a dæmonibus vexabantur, Dominus sanavit. Et nunc monstratur in monte vicus juxta stagnum Tiberiadis, in quod porci præcipites acti sunt. Extat etiam superius (hæc vox.) |
| [4] *GERS*, (alii codices habent *GABER*) *locus in quo percussit Jehu rex Israel Ochosiam regem Juda, juxta Jeblaam.* | Γὴρ, ἔνθα ἐπάταξεν Ἰοὺ τὸν Ὀχοζίαν, ἐγγὺς Ἰεβλαάμ. | GER, ubi percussit Jeu Ochosiam, juxta Jeblaam. |

GERRENI, 2. Machab. XIII. vers. 24. a Gerra urbe dicti, cujus nunquam in Scriptura fit mentio: at Strabo Lib. 16. *Gerram*, urbem statuit, qua ex Gaza in Ægyptum & Pelusium ibatur.

GERZI, 1. Reg. XXVII. vers. 8. regionis vel gentis nomen trans torrentem Besor juxta Amalecitarum regionem, quos ego suspicor eosdem esse cum Gerrenis, de quibus proxime diximus: idem enim habitationis locus utriusque assignatur.

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [5] *GESOM, civitas alienigenarum, quæ est & Gargassi in* | Γεσουρὲμ, πόλις ἀλλοφύλων· αὕτη δέ ἐστι Γαργασεὶ ἐν τῇ Βατα- | GESURIM, civitas alienigenarum. Hæc est Gargasi in |

N o t æ.

[1] In versione nostra *Epha* nuncupatur Arabiæ regio conjuncta Madianitidi, vel ejus pars, de qua nos supra in *Epha*. Ejus meminit Isaias Cap. 60. v. 6. Bonfrerius.

[2] In *Geraris* peregrinati sunt Abraham & Isaac diversis temporibus, Gen. 20. & 26. Eam Philisthæi tenuerunt priscis illis Patriarcharum temporibus, in qua & regulum habuerunt: at posterioribus temporibus nunquam *Gerara* inter Philisthæorum Satrapias recensetur, ut proinde eam urbem & regionem Philisthæi amisisse videantur: sed neque Israelitæ eam urbem aut regionem unquam tenuisse videntur; siquidem neque ea Terræ Promissæ terminis legitur usquam comprehensa; neque cum eam sub rege Asa expugnarunt, & percusserunt, 2. Paral. 14. v. 13. 14. sibi eam videntur Israelitæ retinuisse. Porro eo tempore quo eam Asa rex percussit, videtur fuisse sub imperio Zaræ regis Æthiopum. Hinc intelligas cur hic Hieronymus dicat *eam fuisse trans Daroma*, quod idem est ac dicere fuisse trans Australem plagam, ad quam extendebatur Israelitarum regio. Addo quod situs ille inter Cades & Sur qui exprimitur, Gen. 20. v. 1. satis indicet *Geraram* fuisse in deserto, cum tam Cades, seu Cadesbarne, quam Sur in deserto essent. Idem.

[3] De *Gergesa* dictum est in *Gargasi*: eadem enim urbe utraque voce indicatur mutatis tantum vocalibus. Illud tamen de situ juxta stagnum Tiberiadis non satis videtur congruere cum iis quæ de *Gerasa* diximus in *Gadara*, quam paulo a stagno illo remotiorem statuimus, præsertim cum & ipse Hieronymus vel Eusebius supra in *Gargasi* eam dicat fuisse junctam monti Galaad. Idem.

[4] Corrupta hæc vox est, pro quo nunc etiam aliter in Septuaginta Interpretum versione exprimitur, *Gai*: nostra versio habet *Gaver*, 4. Reg. 9. Hebræus textus גור *Gur* habet: sed Hieronymus aliis punctis videtur legisse. Idem.

[5] Nusquam hanc vocem etiam apud Septuaginta Interpretes reperio. Sed neque eamdem esse *Gargassi* & *Gessuri* mihi facile persuasero, cum *Gargassi* vel *Gergesa* non procul a mare Galilææ esset, *Gessuri* vero in extremis terminis Aquilonaribus juxta montem Hermon posita esset. Porro ex ea voce quæ apud Eusebium habetur non difficile est colligere hic apud Hieronymum non *Gesom*, sed *Gesur* legendum esse. Idem.

| HIERONYMUS. | ΕΥ'ΣΕ'ΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
| --- | --- | --- |
| *Basanitide, de qua filii Israel expellere non valuerunt Gessuri.* | νίτιδι, ἀφ' ἧς οὐκ ἐξωλόθρευσαν οἱ υἱοὶ Ἰσραὴλ τὸν Γησουρί· | regione Basanitidis, de qua non exterminarunt filii Israel Gesuri. |
| [1] *GESSAN, regio Ægypti, quam inhabitavit Jacob cum liberis suis.* | Γεσέμ, χώρα τῆς Αἰγύπτου. ἐν ᾗ κατῴκησεν Ἰακὼβ ἅμα τοῖς υἱοῖς αὐτοῦ. | GESEM, regio Ægypti, in qua habitavit Jacob cum filiis suis. |
| GESSEN. Vide GESSAN proxime. | | |
| GESSUR. Vide GESSURI proxime. | | |
| [2] *GESSURI, regio alienigenarum in Syria.* | Γεσσούρ, χώρα ἀλλοφύλων ἐπὶ τῆς [7] Ὀρνάν. | GESUR, regio alienigenarum in Ornan. |
| [3] *GETH, in hac Gigantes, qui vocabantur Enacim, & Philisthinorum accolæ permanserunt. Ostenditur vicus in quinto milliario ab Eleutheropoli euntibus Diospolim.* | Γέθ, ἐν ταύτῃ κατελείφθησαν οἱ Ἐνακείμ ἀλλόφυλοι, καὶ οἱ Φιλιστιαῖοι μὴ ἐξολοθρευθέντες. καὶ ἔστιν εἰς ἔτι καὶ νῦν κώμη παριόντων ἀπὸ τῆς Ἐλευθεροπόλεως περὶ Διόσπολιν περὶ πέμπτον σημεῖον τῆς Ἐλευθεροπόλεως. | GETH, in hac relicti fuerunt Enacim alienigenæ, & Philistæi non prorsus exterminati. Estque usque hodie vicus transmittentibus Eleutheropoli circa Diospolim quinto circiter milliario ab Eleutheropoli. |
| [4] *GETHA, ad quem locum transtulerunt arcam testamenti de Azoto; nunc vicus grandis vocatur Githam inter Antipatridem & Jamniam. Sed & alia villa vocatur Gethim.* | Γεθθά, ἐνταῦθα μετήνεγκαν τὴν κιβωτὸν ἀπὸ Ἀζώτου, καὶ νῦν ἐστι μεγίστη κώμη, ἣ καλεῖται Γιθθάν, μεταξὺ ἀνιόντων ἀπὸ Ἀντιπατρίδος εἰς Ἰαμνίαν· ἔστι δὲ καὶ ἄλλη Γεθθείμ. | GETHTHA, huc transtulerunt arcam de Azoto; est & nunc vicus maximus, qui vocatur Giththam pergentibus Antipatride Jamniam. Est & alia Geththim. |
| [5] *GETHACOPHER, unde Jonas Propheta fuit.* | Γεθθαρχοφέρ. ἐντεῦθεν ἦν Ἰωνᾶς ὁ προφήτης. | GETHTHARCHOPHER, hinc fuit Jonas propheta. |
| [6] *GETHAIM, pro quo in Hebræo positum est Avith civitas Adad, qui quartus regnavit in Idumæa terra, quæ nunc Gabalene dicitur.* | Γεθεά, ὡς δὲ τὸ ἑβραϊκόν, Αὐέθ πόλις Ἀδδά, ὃς ἐβασίλευσε γῆς Ἐδώμ, τέταρτος ἐν τῇ Ἰδουμαίᾳ καὶ νῦν Γεβαλήνη καλουμένη. | GETHEA, ut autem Hebraicum, Avith, civitas Adda, qui regnavit in terra Edom, quartus in Idumæa, & nunc Gebalene dicta. |

N O T Æ.

[1] *Gessen* in versione nostra appellatur regio Ægypti Palæstinæ proxima in qua habitarunt Hebræi; qui cum Jacob Patriarcha in Ægyptum concesserant, eorumque deinceps posteri, donec duce Moyse Ægypto excesserunt. Ea alio nomine *terra Ramesses* appellatur. BONFRERIUS.

[2] Geminam *Gessuri* in Scriptura legimus; unam Trans-Jordaninam, quæ ceciderat in sortem dimidiæ tribus Manasse trans Jordanem, sed ex ea pristinos habitatores expellere vel non potuit, vel noluit, Jos. 13. v. 13. Fuit autem *Gessuri* urbs cum adjacente regione in extremis ad Aquilonem regionis Trans-Jordaninæ finibus juxta montem Hermon; unde sors illa dimidiæ tribus Manasse trans Jordanem producitur usque ad terminos *Gessuri* & Machati, Deut. 3. v. 14. Jos. 12. v. 4. 5. Hinc & Jos. 13. v. 11. terminus *Gessuri* & Machati conjungitur monti Hermon. Hujus *Gessuri* meminit hic Eusebius, quæ alibi etiam *Gessur*, vel cum addito *Gessur Syriæ* appellatur, in qua regnavit Tholmai avus maternus Absalomi. Altera *Gessuri* est juxta Amalecitas trans torrentem Besor, de qua David in Siceleg exsistens prædas agebat, 1. Reg. 27. v. 8. hanc enim a priore distinguendam esse locorum plane situs diversus exigit. IDEM.

[3] Hæc una e quinque Philisthinorum Satrapiis fuit, ordine, quantum arbitror, quarta a Gaza versus meridiem incipiendo, sic ut ulterior versus Septemtrionem Accaron Satrapia altera fuerit. Eam Hieronymus ad Michææ Cap. 1. constituit in via, qua de Eleutheropoli itur Gazam, quod non satis congruit cum iis quæ hic habentur, nam Gaza ad Meridiem erat comparatione Eleutheropoleos, ad Septemtrionem Diospolis. Situs, qui hic assignatur, magis placet. Ad hujus *Geth* Satrapam vel Regulum profugit David Saulem fugiens. Quod autem hic dicitur de *Enakim*, *Gigantibus*, nusquam id in Scriptura lego: nam qui apud Gethæos Gigantes fuisse leguntur, non Enakim, sed Raphaim fuerunt. Præter hanc *Geth* sunt & aliæ, quibus idem nomen inditum, sed fere cum aliquo addito ad distinctionem, de quibus in sequentibus. Significat *Geth* Hebræis *torcular*. IDEM.

[4] Non est hæc alia a præcedente *Geth*, ut e tota ipsa historia liquet abductæ ad Philisthæos arcæ & reductæ, 1. Reg. 5. & 6. IDEM.

[5] Habes hoc 4. Reg. 14. v. 25. ubi in versione nostra dicitur *Jonas fuisse de Geth quæ est in Opher*. Ubi autem illa *Geth* fuerit, habebis paulo post in *Gethefer*: eadem enim hæc & illa est, quandoquidem eadem vocis utrobique in Hebræo sit scriptio, גתהחפר *Gathchepher*. IDEM.

[6] Ita legitur ea urbs appellata ab Interpretibus Sept. Gen. 36. v. 35. & 1. Par. 1. v. 46. pro qua etiam in versione nostra convenienter Hebræo habetur, *Avith*. Est alia *Gethaim* in versione nostra, 2. Esdræ 11. v. 33. quæ ibi satis perspicue significatur in tribu Benjamin fuisse, quandoquidem in ea dicantur filii Benjamin habitasse. Plane etiam alia *Gethaim* videtur trans Jordanem constituenda, ad quam Saule Saulisque exercitu cæso fugerunt Berothitæ, 2. Reg. 4. v. 3. quemadmodum nos ad eum locum explicabimus. IDEM.

[7] Pro *Ornan*, repone *Aram*, quæ vox Hebræis *Syriam* significat: qua voce pro *Syria* subinde utuntur Septuaginta Interpretes, ut Isaiæ 7. imo & Hieronymus in sua versione Num. 23. IDEM.

[7] Ὀρνάν legitur in MS. sed vitiose, pro eo vero Ἀράμ est scribendum. CLERICUS.

1 De

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [1] *GETHEFER, in tribu Zabulon.* | Γεθθεφὰ, κλήρου Ζαβουλὼν, φάραγγες Ἐφθαὲλ κλήρου Ζαβουλών. | GETHTHEPHA, sortis Zabulon, prærupta loca Ephtael, sortis Zabulon. |

GETHHEPHER. Vide proxime GETHEFER.

GETHREMMON. Vide paulo post GETREMMON.

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [2] *GETHSEMANI, locus ubi Salvator ante passionem oravit. Est autem ad radices montis Oliveti, nunc Ecclesia desuper ædificata.* | Γεθσιμανῆ, χωρίον, ἔνθα πρὸ τοῦ πάθους ὁ Χριστὸς προσηύξατο. κεῖται δὲ καὶ πρὸς τῷ ὄρει τῶν ἐλαιῶν, ἐν ᾧ καὶ νῦν τὰς εὐχὰς οἱ πιστοὶ ποιεῖσθαι σπουδάζουσιν. | GETHSIMANE, locus, in quo ante passionem Christus oravit. Est autem situs ad (radices) montis olivarum, in quo etiam hodie fideles studiose precantur. |
| [3] *GETREMNON, in tribu Manasse civitas separata Levitis.* | Γεθρεθρεμμὼν, φυλῆς Μανασσῆ, πόλις Λευίταις ἀφωρισμένη. | GETHRETHREMMON, tribus Manasse, civitas Levitis separata. |
| [4] *GETREMMON, alia civitas in tribu Dan separata Levitis. Est autem nunc villa prægrandis in duodecimo milliario Diospoleos pergentibus ad eam de Eleutheropoli.* | Γεθρεμμὼν, ἑτέρα κλήρου Δὰν, Λευίταις ἀφωρισμένη· καὶ νῦν ἐστι κώμη μεγίστη ἀπὸ σημείων ιβ' Διοσπόλεως ἀπιόντων εἰς Ἐλευθερόπολιν. | GETHREMMON, alia sortis Dan, Levitis separata. Et nunc est vicus maximus in duodecimo milliario abeuntibus Diospoli Eleutheropolim. |

GEZER. Vide supra GAZER.

GEZERON, cujus fit mentio, I. Machab. IV. vers. 15. non est alia mea sententia a *Gazer*, de qua supra in tribu Ephraim. Neque obstat quod Idumæa, de qua ibi sermo, esset ad Austrum loco illi, in quo commissum erat prælium: vult enim Scriptura indicare fugientibus hostibus in varias partes, Israelitas etiam eos usque eas plagas fugientes persecutos fuisse; aliquos quidem ad Austrum versus Idumæam refugientes; alios ad Septentrionem versus *Gazer*, quibus in locis Israelitarum hostes habebant amicos & confœderatos.

GIDEROTH, urbs in tribu Juda, Jos. XV. vers. 41.

GIHON. Vide paulo post GION.

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [5] *GILON, unde fuit Achitophel.* | Γιλὼν, ὅθεν ἦν Ἀχιτόφελ. | GILON, unde erat Achitophel. |
| [6] *GION, ubi Salomon unctus est in regem.* | Γεών, ἔνθα χρίεται Σολομών. | GION, ubi ungitur Salomon (in Regem.) |

NOTÆ.

[1] De hac habes Jos. 19. v. 13. ubi dicitur *Gethhepher*. Ex hac fuit Jonas Propheta, qui 4. Reg. 14. v. 25. dicitur fuisse *de Geth, quæ est in Opher*. De hac ita Hieronymus in procemio ad Jonam Prophetam. *Porro Geth in secundo Sephorim milliario, quæ hodie appellatur Diocæsarea euntibus Tiberiadem, haud grandis est viculus, ubi & sepulcrum ejus* (Jonæ scilicet) *ostenditur. Quamquam alii juxta Diospolim, id est, Lyddam, eum & natum & conditum velint, non intelligentes hoc quod additur Opher, ad distinctionem aliarum Geth urbium pertinere, quæ juxta Eleutheropolim, sive Diospolim hodie quoque monstrantur.* Quæ verba Hieronymi visus est male intellexisse Adrichomius, qui *Geth* Philisthæorum urbem ait tempore Hieronymi vocatam fuisse *Diocæsaream*: qua in re, meo judicio, duplex vel error est, vel memoriæ lapsus: Hieronymus enim de *Geth*, quæ est juxta Sephorim loquitur, sive de *Gethhepher*, non de *Geth* urbe Palæstinæ, ut ex ejus verbis manifestum est: deinde Hieronymus non dicit *Geth vocatam esse Diocæsaream, sed Sephorim*; ad eam enim illud relativum, *quæ*, est referendum, cum & alibi diserte asserat Hieronymus Diocæsaream esse Sephorim vel Saphorinem; ut supra in voce *Araba*. Quin & Adrichomius ipse tandem asserit Sephorim Diocæsaream esse dictam. Porro *Gethhepher* hæc urbs dicitur, quasi dicas, ut innuit Hieronymus supra, *Geth quæ est in terra Hepher vel Epher*: de *terra* autem *Epher* fit mentio, 3. Reg. 4. v. 10. quam ibi esse illam ipsam statuemus juxta mare Galilææ, ubi hæc urbs sita erat, de qua & nos supra in *Epher*. BONFRERIUS.

[2] Significat hæc vox *vallem olei* vel *pinguedinis*. IDEM.

[3] De hac habes, Jos. 21. v. 25. ubi & Leviticis civitatibus annumeratur: in nostra autem versione *Gethremmon* scribitur. Eadem videtur cum ea, quæ 1. Paral. 6. v. 70. *Baalam* appellatur. Intellige autem fuisse in dimidia tribu Manasse Cis-Jordanina. Significat autem hæc vox *torcular malogranati*. IDEM.

[4] Hæc pariter *Gethremmon* in nostra versione conformiter Heb. voci appellatur. Hanc habes Danitis attributam, Jos. 19. v. 45. Leviticis urbibus annumeratam, Jos. 21. v. 24. & 1. Paral. 6. v. 69. etsi enim hoc posteriore loco videri possit tribui Ephraim adscribi, ea tamen haud dubie Danitarum fuit, ob idque estimandum est Leviticas civitates tribus Dan (de quibus alibi toto eo capite nusquam agitur) ibi in unum cum civitatibus Leviticis tribus Ephraim conjectas esse. Verum an hæc alia a *Geth Philisthæorum*? non videtur hic Hieronymus distinguere, qui *utramque in via, qua de Eleutheropoli Diospolim itur, constituit quinque millibus quidem Eleutheropoli distantem, at a Diospoli duodecim milliaribus dissitam*. Distinguit tamen Adrichomius, qui neque constitutas ab Hieronymo distantias servat, neque in recta via, qua ex Eleutheropoli Diospolim itur, eas constituit. Fateor rem mihi nonnihil esse dubiam, sive quia in eodem tractu erat hæc & illa, sive quia non videtur dubitari posse quin *Geth Philisthæorum* in sortem tribus Dan ceciderit: at si ea nomine *Gethremmon* non significetur, cum Daniticæ referuntur civitates, Jos. 19. nulla ejus facta fuerit mentio, quæ tamen una esse debuit e præcipuis Daniticæ tribui assignatis. Verum in re dubia & obscura Hieronymi & aliorum, qui non videntur distinguere, opinioni malo adhærere. IDEM.

[5] *Gilo*, hæc urbs in tribu Juda appellatur in versione nostra, Jos. 15. v. 51. unde & patronymicum nomen Achitophelis, *Gilonites*. IDEM.

[6] Fuit hic fons ad Occidentem montis Sion, & ad ejus radices eo loco fere ubi muri montis Sion ab Occidente in Meridiem flectuntur. Dicitur autem in nostra versione *Gihon*. Alio nomine *fons Siloe* dictus. Sed de hoc fonte plura a nobis dicenda sunt, 3. Reg. 1. v. 33. IDEM.

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [1] *GISON, in tribu Juda,* | Γισών, φυλῆς Ἰούδα. | GISON, tribus Juda. |

GNIDUS, Ptolemæo & Straboni Asiæ oppidum in Doride regione ac peninsula juxta Rhodum sita. Quin & ipsa Rhodus insula, si Hesychio credimus, *Gnidus* vel *Cnidus* dicta fuit.

GOATHA, locus Hierosolymæ vicinus, Hierem. XXXI. vers. 39.

| | | |
|---|---|---|
| [2] *GOB, ubi commissum est prælium.* | Γὼβ, ἔνθα συνέστη πόλεμος. | GOB, ubi commissum est prælium. |

GOG & MAGOG, e quibus exercitus Antichristi conflandus est, sunt Scythæ, quos nunc Tartaros vocamus. Vide a nobis dicta ad Gen. X. vers. 2. ubi de *Magog*.

| | | |
|---|---|---|
| [3] *GOIM IN GELGEL, quod Aquila & Symmachus interpretantur gentes in Gelgel.* | Γωεὶν τῆς Γελγέλ, Ἀκύλας, ἑστὶν ἐθνῶν Γελγέλ. | GOIN IPSIUS GELGEL, Aquila (vertit) sunt gentium Gelgel. |

GOLAN. Vide GAULON.

| | | |
|---|---|---|
| [4] *GOLATHAMAIM, locus qui interpretatur possessio aquæ.* | Γολαθμαείμ, τόπος ἑρμηνεύεται... [8] | GOLATHMAIM, locus interpretatur.... |
| [5] *GOLGOL, quæ & Galgal, juxta quam montes esse scribuntur Garizim & Gebal. Galgal autem locus est juxta Hiericho. Errant igitur Samaritani, qui juxta Neapolim Garizim & Gebal montes ostendere volunt, cum ipsos juxta Galgal esse Scriptura testetur.* | Γολγὼν, ἡ καὶ Γαλγάν· ταύτης εἶναι πλησίον ἡ γραφὴ διδάσκει τὸ Γαριζεὶν, καὶ τοῦ Γεβὰλ ὄρος. ἡ δὲ Γάλγαλα τόπος ἐστὶ τῆς Ἱεριχοῦς. | GOLGON, quæ & Galgan. Prope hanc scriptura docet esse Garizin, & juxta montem Gebal. Galgala vero locus est Hierichuntis. |
| [6] *GOLGOTHA, locus Calvariæ in quo Salvator pro salute omnium crucifixus est, & usque hodie ostenditur in Ælia ad Septentrionalem plagam montis Sion.* | Γολγοθὰ, κρανίου τόπος, ἔνθα ὁ Χριστὸς ἐσταυρώθη, ὃς καὶ δείκνυται ἐν Αἰλίᾳ πρὸς τοῖς βορείοις τοῦ Σιὼν ὄρους. | GOLGOTHA, Calvariæ locus, ubi Christus crucifixus est, qui & monstratur Æliæ ad plagam septemtrionalem montis Sion. |
| [7] *GOMORRA, una de quinque civitatibus Sodomorum, quæ cum reliquis divina ultione subversa est.* | Γομμορὰ, μία τῆς πενταπόλεως Σοδόμων, ἅμα ταῖς λοιπαῖς ἀφανισθεῖσα. | GOMMORA, una Pentapoleos Sodomorum, una cum reliquis deleta. |

GOPHNA, vel *Guphna*, seu *Gufna* urbs & illustris ævo posteriori toparchia, cujus meminit Josephus sæpius, Hieronymus in hoc libro de locis Hebraicis semel & iterum in *Adasa* & *Gebin*. Hanc Hieronymus supra in *Adasa* in Ephraim reponit : suspicor tamen in tribu fuis-

NOTÆ.

[1] Hæc urbs in versione nostra *Gosen* appellatur, Jos. 15. v. 51. BONFRERIUS.

[2] At hoc non est loci situm designare, cum in locis quamplurimis commissa sint prælia. Aliquid diceretur, si diceretur hoc bellum commissum esse adversus Philisthæos, quod de duobus bellis adversus Philisthæos gestis asseritur, 2. Reg. 21. v. 18. 19. Verum quæritur quinam, & ubi sit locus ille *Gob* dictus ? Respondeo ego esse urbem *Gazer*, quod e Scriptura constat, quod enim bellum adversus Philisthæos commissum dicitur in Gob, 2. Reg. 21. idem 1. Paral. 20. v. 4. dicitur commissum in *Gazer*. De *Gazer* autem supra a nobis dictum. IDEM.

[3] Ita verterunt Septuaginta Interpretes, vel potius Hebraicas voces retinuerunt, Jos. 12. v. 23. ubi pro eo quod Hieronymus dixit : *rex gentium Galgal*, ipsi dixerunt *regem Goim Gelgel*. Quis autem sit locus *Galgal* vel *Gelgel* supra in *Gelgel* diximus, imo nihil fere diximus, cum nulla videatur suppetere via rem supra modum obscuram definiendi. Cur autem hic dictus sit *rex Gentium* conamur ibi supra ad Jos. 12. probabilem rationem adferre. IDEM.

[4] Ex Hebræo sumta vox, Jos. 15. v. 19. ubi habetur גלת מים *gulloth maim*, hoc est *scaturigines aquarum*, pro quo Hieronymus dixit *irriguum*. Itaque illud *possessio aquæ* non explicat perfecte vim vocis. Sed hæ voces ad nomina propria nihil pertinent. IDEM.

[5] *Galgala* in versione nostra dicitur, de qua & supra actum in voce *Galgal*. Porro studiose nititur Eusebius persuadere *montes Garizim & Gebal* seu *Hebal esse juxta Galgalam*, quod tamen nullo modo admitti potest, ut ex iis liquet quæ supra diximus in *Garizim* & *Gebal*, itemque Deuter. 11. v. 29. 30. ubi & locum illum Scripturæ male intellectum reperias, qui huic opinioni *de Garizim & Hebal montibus juxta Galgala* occasionem dedit. IDEM.

[6] *Mons Calvariæ* passim dicitur, sed Hebraicum nomen est, vel potius Syriacum *Golgotha* (quo utuntur Matth. Cap. 27. v. 33. & Marcus Cap. 15. v. 22.) quod *calvariam* significat ; nisi quod literam unam omittat tam Græcus quam Latinus textus, ad vocis asperitatem, ut credi potest, tollendam. Syriace enim גלגלתא *Gulgaltha* seu *Golgoltha* dicitur, Hebraice autem גלגלת *gulgoleth* est calvaria. Fuit autem hic mons ad Occidentem urbis inferioris versus extremam ejus partem Septemtrionalem, atque adeo & ad Septemtrionem montis Sion : olim extra urbem, nunc urbis mœnibus inclusus est. Unde autem mons ille nomen illud acceperit, an a calvariis eorum qui ibi extremo supplicio affecti fuerant, an ab Adami calvaria dicendum in commentario ad Matthæum. Mihi ad eum locum placet cum plurimis Patribus dictum esse a calvaria Adami, etsi renitatur Hieronymus. IDEM.

[7] Has omnes quinque civitates habes expressas, Gen. 14. v. 2. a quibus regio dicta *Pentapolis* : quatuor ex his incendio absumtas rursum nominat Moyses, Deuter. 29. v. 23. nam uni Segor in gratiam Lot parcitum est. IDEM.

[8] Vocis interpretatio e manuscripto illo Eusebii excidit. IDEM.

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|

ſe Benjamin, ſed in tribus Ephraim confinio : non enim hæc videtur alia ab ea quæ *Ophni*, Joſ. XVIII. verſ. 24. appellatur, quæ vox cum initio ſcribatur per ע, porro ע ſæpe per ( g) verti ſoleat, verti potuit *Gophni*, quod a *Gophna* quam parum interſit nemo non videt. Vide ſupra *Adaſa*.

GORTYNA, Cretæ inſulæ urbs mediterranea Ptolemæo, unaque e tribus ejus inſulæ urbibus ampliſſimis Straboni.

GOSEN. Vide GOSON proxime.

| | | |
|---|---|---|
| [1] GOSON, *hanc expugnavit Jeſus*. | Γοσὼν, καὶ ταύτην ἐπολιόρκησεν Ἰησοῦς. | GOSON, & hanc expugnavit Jeſus. |
| [2] GOZAN, *in regione Emath: & hujus meminit Eſaias. Eſt autem in finibus Damaſci*. | Γωζὰθ, ἐν χώρᾳ Ἐμάθ. καὶ ταύτης Ἡσαΐας μέμνηται· ἔστι δὲ περὶ τὴν Δαμασκηνήν. | GOZATH, in regione Emath. Et hujus Iſaias meminit. Eſt autem circa regionem Damaſcenorum. |

GRÆCIA, nota regio. Sed illud obſervandum aliquando fuſius accipi nomen *Græciæ*, ut varias regiones Thraciam, Theſſaliam, Macedoniam, Achajam &c. comprehendat, alias vero reſtrictius in Scriptura ſumi pro ſola Achaja, in qua Athenæ erant & Corinthus, ut Act. xx. verſ. 2.

GUFNA vel GUPHNA. Vide ſupra GOPHNA.

GURBAAL, Arabum regio, 2. Paral. XXVI. verſ. 7.

N o t æ.

[1] *Goſen* in verſione noſtra appellatur. Fuit urbs in tribu Juda, Joſ. 15. v. 51. quantumque colligi poteſt, fuit in *Daroma* ſeu plaga maxime Auſtrali Terræ Promiſſæ. Ab hac *terra Goſen* circumjecta regio appellatur, quam cepiſſe atque vaſtaſſe Joſue ſcribitur, Joſ. 10. v. 41. & Cap. 11. v. 16. Bonfrerius.

[2] Quid *Gozan* ſit, fluvius, urbs, regio, obſcurum eſt, neque hic de ea re quidquam definit Euſebius, neque e Scriptura certi aliquid colligere licet. Si Scripturæ loca hæc conſulas, 4. Reg. 17. v. 6. & 1. Paral. 5. v. 26. exiſtimabis *Gozan* fluvii nomen eſſe : ſin alia loca expendas, Iſaiæ 37. v. 12. & 4. Reg. 19. v. 12. præſertim vero 4. Reg. 18. v. 11. potius tibi perſuadebis vel urbis, vel regionis nomen eſſe, & præcedentia illa nomina *Hala* & *Habor* fluviorum eſſe nomina. Inclino ego ut *Hala* & *Habor* urbium ſint nomina, *Gozan* vero regionis ſeu provinciæ : cum autem dicitur in Scriptura *fluviis Gozan*, vel *juxta fluvium Gozan*, debere præponi comma, ut non referatur ad præcedentia nomina, *Gozan* vero ſit genitivi caſus : ſic enim omnis difficultas, quæ videri poſſit naſci, e variis Scripturæ locis evacuatur. At ubi hæc regio? Euſebius hic conſtituit *in regione Emath*; at cum ſupra duplicem conſtituerimus *Emath*, unam ad extremos Terræ Promiſſæ terminos juxta Antilibanum, aliam in Syria, quæ alio nomine Antiochia dicta eſt, neceſſe eſt remanere hujus loci ſitum obſcurum. Ego vero potius dixerim *Gozan* in Media eſſe, ejuſque regionis provinciam, vel tractum eſſe. Probari id e Scriptura poteſt, ſiquidem 4. Reg. 17. v. 6. & Cap. 18. v. 11. poſt illa verba, *juxta fluvium Gozan*, vel *fluviis Gozan*, ubi Iſraelitæ dicuntur conſtituti, mox ſubditur, *in civitatibus Medorum*, quæ additiuncula referri poſſet aliquomodo ad vocem præcedentem: niſi forte quis dicat, quod magis probo, illud, *in civitatibus Medorum*, ad nullum antecedentium referri, ſed novum eſſe membrum, cum in Hebræo præponatur particula copulativa, *& in civitatibus Medorum*: eſto mihi perſuadeam *Gozan* regionis tractum eſſe in Media, unde & illud quod ſubditur hunc ſenſum habebit, in civitatibus Medorum, hoc eſt, & in aliis civitatibus Medorum. *Hala* tamen & *Habor* in Aſſyria proprie dicta ſtatuendæ ſunt, uti fuſius dicam ad 4. Reg. 17. v. 6. Idem.

## H

QUIA apud Græcos nulla eſt litera H, ſed tantum ſpiritus aſper, qui noſtri H aſpirationem referat, idcirco nulla nomina quæ ab H inciperent habuit liber hic de locis Hebraicis, præter duo ad vocales literas A & E relatas quæ huc tranſtulimus, cum tamen ejuſmodi nomina ſint in verſione noſtra plurima. Itaque quæ apud nos ab H incipiunt multa reperies in iis quæ initialem literam habent unam e vocalibus, & nonnulla in C, nam quæ ח in Hebræo primam habent literam, ſæpe a Septuaginta per χ efferuntur, pro quo verſio noſtra ſimplicem aſpirationem H habet, pauca etiam ex his nomina invenies in G, nempe quæ in Hebræo initialem literam habent ע.

HABOR, Aſſyriorum in monte regio, ad quam Salmanaſar Aſſyriorum rex Iſraelitas tranſtulit, 4. Reg. XVII. verſ. 6. Vide de ea plura in *Gozan*, & ad 4. Reg. XVII. verſ. 6.

HACELDAMA. Vide ACHELDEMACH.

HACHILA COLLIS. Vide COLLIS HACHILA.

HADASSA. Vide ADASA.

HADID, urbs in tribu Benjamin, 1. Eſdræ II. verſ. 33. & 2. Eſdræ XI. verſ. 34.

HADRACH, Damaſci regio, Zachariæ IX. verſ. 1. eam *Sedrach* Septuaginta Interpretes nominant.

HAI. Vide AGAI & GAI.

HALA, Aſſyriorum Regio, ad quam Salmanaſar Iſraelitas tranſtulit, 4. Reg. XVII. verſ. 6. Vide plura ſupra in ALLEA & GOZAN.

HALCATH. Vide in ELEHATH.

HALHUL, urbs in tribu Juda, Jos. xv. vers. 58.

HAMON, urbs in tribu Aser, Jos. XIX. vers. 28. Est & alia *Hamon* in tribu Nephthali Levitica civitas, 1. Paral. VI. vers. 76. quæ Jos. XXI. vers. 32. Dicitur *Hammothdor*.

HAMMOTHDOR. Vide EMATHDOR, & HAMON proxime.

HANANEEL. Vide ANANEEL.

HANATHON, urbs in tribu Zabulon, Jos. XIX. vers. 14.

HANES, urbs in Ægypto, Isaiæ XXX. vers. 4.

HAPHARAIM. Vide APHRAIM.

HARAD. Vide AARED.

HARAN. Vide CHARRAN.

HARES, mons in tribu Dan, a testa & ariditate sic dictus, nam *Hares* testa est, Jud. I. vers. 35. Vide ibi plura.

HARET SALTUS. Vide ARITH.

HARMA. Vide ARMA & ERMA.

HAROSETH. Vide ASIROTH.

HASARSUAL. Vide ASARSAUL.

HASARSUSIM, urbs in tribu Simeonis, 1. Paral. 4. vers. 31. quæ *Hasersusa* appellatur, Jos. XIX. vers. 5. significat prior vox *villam equorum*; posterior, *villam equæ*.

[1] *HAZAZON THAMAR, in hac quondam habitabant Amorrhæi, quos interfecit Chodorlaomor juxta eremum Cades. Est & aliud castellum Thamara unius diei itinere a Memphis oppido separatum pergentibus Ailam de Chebron, ubi nunc Romanum præsidium positum est.*

Ἀσασανθαμὰν, ἔνθα κατῴκουν οἱ Ἀμορραῖοι, οὓς κατέκοψεν Χοδολλογόμορ· παράκειται τῇ ἐρήμῳ Κάδδης. λέγεται δέ τις Θαμαρὰ κώμη διεστῶσα [2] μόλις ἡμέρας ὁδὸν ἀπιόντων ἀπὸ Χεβρὼν εἰς Αἰλὰμ, ἥτις νῦν φρούριόν ἐστι τῶν στρατιωτῶν.

ASASANTHAMAN, ubi habitabant Amorrhæi quos interfecit Chodalligomor. Sita est apud solitudinem Cades. Dicitur & quædam Thamara castellum diei unius itinere vix distans Chebrone pergentibus in Ælam, quæ nunc est militare præsidium.

HASOR, urbs in tribu Nephthali diu a Chananæis post ingressum Israelitarum in Terram Promissam possessa, 1. Reg. XII. vers. 9. Eadem quæ alibi *Asor* appellatur. Vide supra in ASOR.

HASSEMON, urbs in tribu Juda, Jos. xv. vers. 27.

HAVOTHJAIR. Vide AVOTHJAIR.

HEBAL. Vide GEBAL.

HEBRON. Vide ARBOCH & CHEBRON.

HEBRONA. Vide EBRONA.

HELAM, 2. Reg. x. vers. 17. quam vocem etiam Septuaginta ut propriam acceperunt dicentes *Ælam*, etsi alii appellative vertant; hunc locum vel urbem suspicor, ut ad eum locum dicam, fuisse apud Ammonitas, nam David Jordanem transiverat, & apud Ammonitas bellum gerebatur, Davidque aggressor erat, ut proinde in eorum patria bellum istud gestum merito credi possit.

HELBA, urbs in tribu Aser, e qua pristinos habitatores ejicere vel noluit, vel non potuit, Judic. 1. vers. 31.

HELCATH. Vide ELEHATH.

HELEPH, urbs iu tribu Nephthali, inque ejus postremis finibus versus Boream & Libanum montem, non procul Sidoniis & Aseritarum terminis, Jos. XIX. vers. 33.

[3] *HELIOPOLIS, civitas Solis, urbs in Ægypto, pro qua*

Ἡλίου πόλις, πρὸς τῇ Αἰγύπτῳ πόλις, ἣν [4] τὸ ἑβραϊκὸν ὀνομάζει

HELIOPOLIS, id est, civitas Solis juxta Ægyptum,

## NOTÆ.

[1] Diximus & nos supra de hac urbe in *Asasonthamar* & *Engaddi*. BONFRERIUS.

[2] Μόλις) Recte conjecit *Martianæus* hic esse mendum, cum legatur in MS. Μάλις. Non est tamen emendandum, ut ille vult Μάλαθις, sed Μααλαθὶ, ut nomen hic sit indeclinabile; aut Μααλάθων, ut sit genitivus pluralis. Vide ad voces *Arad* & *Jether*. CLERICUS.

[3] Hujus fit mentio & illius *Petesres* seu *Putiphare*, Gen. 41. & 46. *Heliopoleos* etiam meminit Ezechiel, Cap. 30. v. 17. in prophetia adversus Ægyptum. Apud Isaiam Cap. 19. v. 18. *civitas solis* appellatur. Meminit & *Heliopoleos* in Ægypto Ptolemæus, Stephanus Lib. de urbibus, Strabo Lib. 17. Plinius vero Lib. 5. Cap. 9. *solis oppidum* nominat. Idem eodem capite inter Nomos seu præfecturas Ægypti *Heliopoliten* nominat. Cur autem ita appellata sit indicat Strabo Lib. 17. quod templum Solis haberet, in quo Sol coleretur. Hanc etiamnum vocari *Bethsemes*, hoc est, Domum solis, sunt qui asserant, interque cæteros *Guillandinus*, quæ tamen vox plane Hebraica est. BONFRERIUS.

[4] Τὸ ἑβραϊκὸν) Intelligitur ἔδαφος, vertendumque fuit *textus Hebræus*, non *lingua Hebraica*, ut fecit *Bonfrerius*. Frequens est ea loquutio in hoc Libro & apud omnes Patres Græcos. CLERICUS.

HIE-

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| *in Hebræo ſcriptum eſt, On, in qua Petefres Sacerdos fuit. Meminit hujus & Ezechiel.* | Ὤν, ἧς λέγεται Πετεφρὴς ἱερεύς. κεῖται καὶ ἐν Ἰεζεχιὴλ. | civitas quam Hebræa lingua nominat On, de qua dicitur Petefres Sacerdos. Extat & apud Ezechielem. |

HELLAS, eadem quæ *Græcia*, I. Machab. VIII. verſ. 9.

HELMONDEBLATHAIM, Iſraelitarum manſio in deſerto, Num. XXXIII. verſ. 46. 47.

HELON, oppidum apud Moabitas, Hierem. XLVIII. verſ. 21. Eſt & *Helon* civitas Sacerdotalis in tribu Juda, I. Paral. VI. verſ. 58. quæ Joſ. XXI. verſ. 15. *Holon* appellatur. Joſ. autem Cap. XV. *Olon* dicitur. Eſt & tertia *Helon* Levitica civitas, I. Paral. VI. verſ. 69. quæ Joſ. XXI. verſ. 24. *Ajalon* nuncupatur ( nam in Hebræo eadem utrobique vox eſt ) in tribu Dan civitas, etſi ibi ſupra, I. Paral. VI. videri poſſit Ephraimitis adſcribi; verum illud advertendum ibi Leviticas civitates tribus Dan adjungi & miſceri Leviticis civitatibus tribus Ephraim.

HEMATH. Vide ÆMATH.

HENOCH urbs, cui Cain de nomine filii ſui Henoch nomen impoſuit. Gen. IV. verſ. 17.

HERMA. Vide ARMA & ERMA.

HERMON. Vide ÆRMON & ERMON.

HERMONIIM ſeu HERMONIUM, jugum humile montis Hermon verſus montem Thabor procurrens, hinc Pſal. XLI. verſ. 7. dicitur *Hermoniim*, *mons modicus*. Meminit *Hermonis* cis Jordanem & *Hermonii* Hieronymus in Epitaphio Paulæ, ubi ſatis indicat non admodum procul diſtare monte Thabor: *Scandebat*, inquit, *montem Thabor, in quo transfiguratus eſt Dominus: aſpiciebat procul montes Hermon & Hermonium & campos latiſſimos Galilææ*, quibus videlicet adjacebant hi montes.

HEROOPOLIS, ſeu *Heroum civitas* in Ægypto. Vide ſupra EROIM CIVITAS.

HESEBON. Vide ESEBON.

HESER, civitas, quam ædificavit Salamon, 3. Reg. IX. verſ. 15. Vide ſupra ASSURE.

HESMONA. Vide ASEMONA.

HERSON, urbs in tribu Juda, Joſ. XV. verſ. 25. eadem eodem capite verſ. 3. appellatur *Eſron*: ex quo liquet eſſe in extremis ad Auſtrum ejus tribus finibus. De hac & ſupra in ESRON.

HETHALON, apud Ezech. Cap. XLVII. verſ. 15. & Cap. XLVIII. verſ. I. locus in terminis terræ Iſraeliticæ ad plagam Septemtrionalem.

HETTHIM TERRA, in qua nova Luza condita ab Ephraimita illo, qui Bethel Luzam Iſraelitis prodiderat, quæ ſit diſputamus, Judic. I. verſ. 26. ubi non eſſe Cyprum oſtendimus, difficile tamen eſt definire quænam illa ſit, ſed tantum conjecturæ locum eſſe, inclinamuſque in tractum aliquem Arabiæ.

HEVILA & HEVILATH. Vide EVILA.

HIERAPOLIS, cujus meminit Paulus ad Coloſſen. IV. verſ. 13. Phrygiæ urbs eſt Ptolemæo, Straboni, uti & Coloſſæ, ad cujus cives ea epiſtola ſcribitur, & Laodicea, cujus itidem eodem verſu apud Paulum fit mentio, Phrygiæ ſunt urbes Straboni; idemque Lib. 13. contra Laodiceam eſſe *Hierapolim*, ubi calidæ aquæ ſcaturiunt, teſtatur. Stephano *Hierapolis* urbs eſt inter Phrygiam & Lydiam.

HIEROSOLYMA. Vide infra JERUSALEM.

HIPPUS, Cœleſyriæ urbs trans Jordanem, cujus ſæpius meminit Joſephus, & aliquoties in hoc libro de locis Hebraicis Hieronymus. Fuit autem ad mare Galilææ cum a Joſepho ſtatuatur triginta ſtadiis abeſſe a Tiberiade in vita ſua, & totidem a Gadara. Illud tamen de diſtantia a Tiberiade difficultatem habet, cum ab eodem Joſepho maris Galilææ latitudo ponatur quadraginta ſtadiorum. Fuit hæc urbs habitata a gentilibus & exteris, cum a Pompejo eam urbem redditam priſtinis habitatoribus ſcribat Joſephus, XIV. Ant. Cap. 8. & I. Belli Cap. 5.

HIRSEMES, urbs in tribu Dan, Joſ. 19. v. 41. ubi & verſio noſtra hujus vocis interpretationem ponit, hoc eſt, *civitas Solis*, quam Græce *Heliopolim* appellare poſſim, quam tamen vocem Septuaginta Interpretes non habent, ſed πόλιν Σαμὲς.

HISPANIA, Europæ regio nota, magnorum ingeniorum ferax, Catholicæ religionis ſtudio illuſtris, Indicorum regnorum acceſſione hoc tempore celebris.

HOBA. Vide CHOBA.

HODSI TERRA, cujus fit mentio, 2. Reg. XXIV. verſ. 6. quantum colligere licet ex circumſtantiis eo loco indicatis, eſt in Galaaditide, & dimidia tribu Manaſſe Trans-Jordanina.

HOLON, civitas Sacerdotalis in tribu Juda. Vide ſupra HELON.

HOR, mons in extremis finibus terræ Edom, Num. XX. verſ. 22. 25. Num. XXXIII. verſ. 37. ibi una fuit Iſraelitarum per deſertum manſio, ut iiſdem locis indicatur; in eoque monte

te Aaron mortuus, ut iisdem locis versibus sequentibus indicatur.

HOREB. Vide CHOREB.

HOREM, urbs in tribu Nephthali, Jos. XIX. vers. 38.

HORMA, urbs in tribu Juda. Vide ARMA & ERMA. Est & *Horma* urbs altera juxta Tyrum ad mare in tribu Aser, Jos. XIX. vers. 29.

HORRÆI. Vide CHORRÆI.

HORTUS CONCLUSUS, Cant. IV. vers. 12. ubi fuerit non facile statuas. Adrichomius eundem esse vult cum *Horto regis*, de quo paulo post. At Cotovicus in suo Itinerario Lib. 2. Cap. 9. juxta Bethleem, fontem signatum versus Orientem, ab eoque duobus vel tribus distantem milliaribus collocat. Sed existimo hos vel conjecturam suam, vel incertam famam sequi.

HORTUS GETHSEMANI, juxta villam ad radices montis Oliveti, in quo Christus oravit.

HORTUS OZA, in quo fuerunt sepulti Manasses & Amon reges Juda, 4. Reg. XXI. vers. 26. Videtur fuisse hortus adjunctus domui regiæ.

HORTUS REGIS, in suburbano Hierusalem ad Orientem montis Sion, in quo erat fons Rogel, locus ad delitias totus compositus.

HOSA, juxta Tyrum in tribu Aser, Jos. XIX. vers. 29.

HUCAC, in tribu Aser Levitica civitas, 1. Paral. VI. vers. 75. Eadem quæ alibi *Halcath* vel *Helcath* nuncupatur.

HUCUCA, in extremis terminis tribus Nephthali australibus, & quantum conjici potest juxta mare Galilææ & tribus Zabulon confinia, Jos. XIX. vers. 34.

HUS TERRA, in regione Edom, ut diserte habetur Thren. IV. vers. 21. in *terra Hus* habitasse etiam Job legimus, Job. 1. vers. 1. quam Interpretes Septuaginta *Ausitidem* nominant, imo & versio nostra Hierem. XXV. v. 20. Verum *duplicem Hus*, & *duplicem Idumæam* distinguendam esse, *Orientalem*, & *Australem* mihi persuadeo, de qua re paulo post in *Idumæa*; & Job quidem habitasse in *terra Hus* seu *Idumæa Orientali* in monte Galaad, vel ad radices ejus: hæc enim fuit *Idumæa Orientalis*. De altera *Hus*, vel *Ausitide* in Idumæa Australi loquitur Hieremias Cap. XXV. & in Threnis.

HUSATI, de qua fuit unus e fortibus David dictus Sobochai, qui & gigantem unum de genere Raphaim interfecit, 2. Reg. XXI. vers. 18. & 1. Paral. XX. vers. 4. idemque unius mensis præfecturam habuit, 1. Paral. XXVII. vers. 11. Ubi locus hic situs fuerit nusquam proditur, ex quo facile credi potest exigui nominis vicum fuisse.

# I

| | | |
|---|---|---|
| [1] JAAR, *saltus in quo examen apum fuit.* | Ιαάρ, δρυμὸς, ἔνθα ἦν ὁ μελισσῶν ἑσμός. | JAAR, nemus, in quo erat examen apum. |

JABES GALAAD, de qua paulo post in JABIS. Est & alia *Jabes*, quam non dubio argumento colligo fuisse in tribu Juda, nempe eo in loco ubi in tribu Juda habitarunt Cinæi, 1. Paral. II. vers. 55. Porro hanc a præcedenti esse diversam, tum diversa indicat scriptio in Hebræo; prior enim illa in Galaad יבש *Jabesch* dicitur, at posterior יעבץ *Jabbets* appellatur; tum vero loci situs plane diversus: nam toto illo capite 1. Paral. II. de tribu Juda agitur, tandemque in fine de Cinæis in tribu Juda habitantibus adjungitur. Ex quo fit verisimile illam *Jabes Cinæorum* fuisse in deserto illo ad meridiem Arad, quod ipsi sibi pro habitatione delegerant, Judic. 1. vers. 16.

| | | |
|---|---|---|
| [2] *JABIR, civitas literarum in tribu Juda.* | Ιαβὲρ, πόλις γραμμάτων, φυλῆς Ἰούδα. | JABIR, civitas literarum, tribus Juda. |
| [3] *JABIS GALAAD, & hanc oppugnaverunt filii Israel.* | Ιαβεὶς Γαλαὰδ, καὶ ταύτην ἐξεπολέμησαν οἱ υἱοὶ Ἰσραήλ. καὶ νῦν | JABIS GALAAD, & hanc expugnarunt filii Israel. Est- |

NOTÆ.

[1] Hanc vocem *Jaar*, vel corrupte *Jaal* etiamnum legas in codice Romano, 1. Reg. 14. v. 25. quam codices cæteri rejiciunt, ubi versio nostra *saltum* habet id enim significat Hebræa vox יער *jaar* ) in quo saltu favum mellis Jonathas collegit. Sed de hac re ad eum locum plura. BONFRERIUS.

[2] Hæc non *Jabir*, sed *Dabir* in nostra versione ubique, & in Septuaginta Interpretum codicibus nunc legitur, nec nisi corrupte *Jabir* legi potest. IDEM.

[3] Hæc in versione nostra ubique vocatur *Jabes Galaad*: fuit in dimidia tribu Manasse Trans-Jordanina illustris civitas, quam ab Ammonitarum obsidione Saul rex prima quam suscepit expeditione liberavit, 1. Reg. 11. cum postea mortuo & indecore suspenso vicem rependerunt Jabes incolæ. IDEM.

1 Hæc

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| *Nunc autem est vicus trans Jordanem in sexto milliario civitatis Pellæ super montem euntibus Gerasam.* | ἔστι κώμη πέραν τοῦ Ἰορδάνου ἀπὸ ϛ´ σημείων Πέλλης πόλεως ἐπὶ τοῦ ὄρους κειμένη, ἀπιόντων εἰς Γερασὸν. | que nunc vicus ultra Jordanem in sexto milliario Pellæ civitatis in monte situs, pergentibus Gerasam. |
| [1] *JABNEL, in tribu Nephthalim.* | Ἰαμνὴν, κλήρου Νεφθαλείμ. | JAMNEN, sortis Nephthali. |

JABNIA, cujus fit mentio, 2. Paral. XXVI. vers. 6. mihi non dubium est eamdem esse cum ea, quæ levi mutatione unius elementi passim in libris Machabæorum vocatur *Jamnia*; nam & vox consonat, & loci situs: illa enim 2. Paral. XXVI. sita indicatur juxta Geth & Philisthæos, qui itidem fuit locus *Jamniæ*, ut infra dicetur.

| | | |
|---|---|---|
| [2] *JABOCH, fluvius, quo transmisso, luctatus est Jacob adversus eum, qui sibi apparuerat: vocatusque est Israel: fluit autem inter Amman, id est, Philadelphiam, & Gerasam, in quarto milliario ejus: & ultra procedens Jordani fluvio commiscetur.* | Ἰαβὸκ, ποταμὸς χειμάῤῥους ὃν διαβαίνων ὁ Ἰακὼβ, ἐπάλαισεν μετὰ τοῦ φανέντος αὐτῷ, ὅτε καὶ μετωνομάσθη Ἰσραήλ. ῥεῖ δὲ μεταξὺ Ἀμμὰν, τουτέστι Φιλαδελφίας καὶ Γερασῶν, καὶ κατερχόμενος συμμίγνυται τῷ Ἰορδάνῃ. | JABOE, fluvius torrentis, quem transiens Jacob luctatus est cum eo qui sibi apparuerat, quando etiam mutato nomine appellatus est Israel. Fluit inter Ammam hoc est Philadelphiam & Gerasas, ac descendens commiscetur Jordani. |

JACHNAN CARMELI. Vide infra in JERNAL & JETHONAM.

JACHIN, columnæ nomen ad dexteram in porticu templi a Salomone positæ, 3. Reg. VII. vers. 21. & 2. Paral. III. vers. 17. Significat hæc vox *firmitatem*.

JADASON, Judith. I. vers. 6. juxta Euphratem & Tigrin. Quid autem sit *Jadason*, fluviusne, an mons, an urbs, an quid aliud, neque ex eo loco, neque e profanis auctoribus (apud quos nullum tale loci nomen reperias) facile definias. Suspicatur Ortelius fluminis nomen esse, seu quia duobus aliis fluminibus majoribus Euphrati & Tigri conjungitur, seu quia pro *Jadason* in Græco *Hydaspem* legimus: Fuit autem *Hydaspes* fluvii nomen: at is in India fuit ab Euphrate & Tigri remotior. Credi potest eo nomine fluvium minus celebrem & nominatum indicari, qui in alterutrum vel Tigrim vel Euphratem se effunderet.

| | | |
|---|---|---|
| [3] *JADELA, in tribu Zabulon.* | Ἰουδηλὰ, κλήρου Ζαβουλών. | JUDELA, sortis Zabulon. |
| [4] *JAGUR, in tribu Juda.* | | |
| [5] *JAIR, civitas tribus Manasse.* | Ἰαείρ, πόλις φυλῆς Μανασσῆ. | JAIR, civitas tribus Manasse. |
| [6] *JAMIN, pro quo Aquila & Symmachus interpretantur dexteram.* | Ἰαβεὶν, Ἀκύλᾳ, Συμμάχῳ, δεξιά. | JABIN, Aquilæ, Symmacho, dextera. |
| [7] *JAMNIA, inter Diospolim & Azotum.* | Ἰαμνεία, πόλις Ἰούδα· εἰς ἔτι νῦν πολίχνη Παλαιστίνης Ἰαμνεία μεταξὺ Διοσπόλεως καὶ Ἀζώτου. | JAMNIA, civitas Juda: usque hodie oppidulum Palæstinæ Jamnia inter Diospolim & Azotum. |

NOTÆ.

[1] Hæc in versione nostra *Jebnael* apppellatur, Jos. 19. v. 33. in extremis quantum colligi potest, tribus Nephthalim finibus ad Septemtrionem. BONFRERIUS.

[2] Non tam *fluvius* quam *torrens* est, quomodo etiam eum vocat Scriptura. Fluit autem ex Arabiæ montibus supra Philadelphiam, seque ipsum effundit eo loco ubi Jordanes e mari Galilææ erumpit. Dicitur autem in versione nostra *Jaboc*, vel *Jeboc*. Jacob Patriarchæ cum Angelo luctam transmisso vado *Jaboc* habes, Gen. 32. Fuit idem torrens extremus Gaditarum ad Aquilonem terminus. IDEM.

[3] Hæc in versione nostra *Jedala* appellatur, Jos. 19. v. 15. IDEM.

[4] De hac habes, Jos. 15. v. 21. IDEM.

[5] *Jair* potius viri nomen est, a quo oppida quæ erant in Basanitide sexaginta dicta sunt Avothjair, seu *oppida Jair*. IDEM.

[6] Vox ista ימין *jamin* plane significat *dexteram*: sed invenio Septuaginta Interpretes semel & iterum hac voce quasi propria uti; semel quidem 1. Reg. 9. v. 4. ubi & versio nostra nomen proprium *Jemini* habet, videturque omnino eo loci appellative vox sumenda: Secundo eam usurpant, Jos. 17. v. 7. ubi versio nostra *ad dexteram* habet, & cæteri omnes Interpretes appellative eam accipiunt: ad quem locum suspicor hic ab Eusebio alludi. IDEM.

[7] Plane in partibus Azoti & regionis Philisthæorum collocat Scriptura, & Josephus *Jamniam*: sed & mari vicinam fuisse oportet, cum portum haberet, quem Judas Machabæus succendisse scribitur, Machab. 12. v. 9. Ducentis stadiis Azoto & Ascalone ait *Jamniam* distare Strabo Lib. 26. Idem *Jamniam* proximum vicum facit Joppe. Sunt qui Accaron eamdem cum *Jamnia* faciant apud Ortelium, inclinatque Ortelius: at cum constet Accaron Satrapiam Philisthæorum fuisse, & illustrem apud eos civitatem. Stephanus *Jamniam* πολίχνιον oppidulum vocet, & Strabo supra πόλισμα μικρὸν oppidum parvum appellet, ægre eadem cum Accarone statui potest, nisi velimus posterioribus temporibus valde accisam civitatem, & pristina magnitudine, celebritateque amissa etiam nomen amisisse, quod non difficile creditu, cum apud antiquos omnes, Ptolemæum, Stephanum, Strabonem, nulla Accaronis fit mentio: quamquam recentiores, Adrichomius, Brochardus, Vitriacus velint etiamnum cum nomine vicum Accaronem superesse, sed de situ loci

HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS.

[1] *JAMUEL, in tribu Juda. Est autem usque hodie oppidum Palæstinæ.*

[2] *JANNA, quæ est in campo Moab, subter verticem Fasga, id est, excisi, quod respicit ad desertum juxta Arnon.*

Γαννὰ, ἥ ἐστιν ἐν πεδίῳ Μωὰβ, ὑπὸ κορυφῆς τοῦ λελαξευμένου, τὸ βλέπον κατὰ προσώπου τῆς ἐρήμου, παρὰ τὸν Ἀρνῶνα.

JANNA, quæ est in campo Moab subter verticem excisi, quod respicit contra faciem deserti ultra Arnon.

JANOE. Vide JANON proxime.

[3] *JANON, in tribu Ephraim. Hanc quoque cepit rex Assyriorum: & hodie vicus ostenditur Janon in Acrabitena regione, in duodecimo lapide Neapoleos contra Orientem.*

Γανὼ, φυλῆς Ἐφραίμ. καὶ ταύτην εἷλεν ὁ βασιλεὺς τῶν Ἀσσυρίων· καὶ ἔστι νῦν κώμη Γανὼ ἐν τῇ Ἀκραβαττίνῃ, ἀπὸ ιβ' σημείων νέας πόλεως πρὸς ἀνατολάς.

JANO, tribus Ephraim, & hanc cepit rex Assyriorum; estque hodie vicus Jano in Acrabatina regione, in duodecimo lapide Neapoleos versus orientem.

[4] *JANUM, in tribu Juda: est villa Janua in tertio milliario Legionis contra meridiem. Sed non videtur ipsa esse, quæ scribitur.*

Γανοὺμ, φυλῆς Ἰούδα. κώμη νῦν ἐστιν Γανουὰ διεστῶσα τῆς Λεγεῶνος ἀπὸ τριῶν σημείων κατὰ νότον. ἀλλ' ἔοικεν οὐκ εἶναι ἡ δηλουμένη.

JANUM, tribus Juda: vicus nunc est, Janua, distans Legeone tribus milliaribus ad meridiem: sed non videtur esse ea de qua hic sermo est.

JAPHETH FINES, quorum fit mentio Judith. II. verf. 15. ubi fint e Latina nostra versione difficile sit colligere: at Græcus textus diserte ponit in Arabia; *qui sunt*, inquit, *super faciem Arabiæ*.

[5] *JAPHIC, in tribu Zabulon, nunc usque Joppe vocatur, ascensus Japho. Sed & oppidum Sicaminum nomine de Cæsarea Ptolemaidem pergentibus, super mare propter montem Carmelum, Epha dicitur.*

Γαφὲθ, κλήρου Ζαβουλών. Ἀνάβασις καλεῖται καὶ Γώππη, καὶ ἡ Συκάμινος δὲ ἀπιόντων Πτολεμαΐδα ἀπὸ Καισαρείας· κώμη πάραλος, πλησίον τοῦ Καρμήλου, Ἡφὰ λέγεται.

JAPHETH, sortis Zabulon. Ascensus vocatur & Joppe; ac Sycaminus pergentibus Cæsarea Ptolemaidem vicus maritimus juxta Carmelum, Hepha dicitur.

JAPHIE. Vide JAPHIC proxime.

JARAMOTH, urbs Levitica in tribu Issachar, Jos. XXI. verf. 29. Eadem alibi appellatur *Rameth*, Jos. XIX. verf. 21. *Ramoth*, I. Paral. VI. verf. 73.

JAREPHEL, urbs in tribu Benjamin, Jos. XVIII. verf. 27.

[6] *JARIM, civitas Gabaonitarum.*

[7] *JARIMUTH, civitas quam subvertit Jesus in tribu Juda,*

Γαβεὶς, πόλις ἣν ἀνεῖλεν Ἰησοῦς, φυλῆς Ἰούδα, ὡς ἀπὸ δ' σημείων

JABIS, civitas quam evertit Jesus, tribus Juda, in quar-

NOTÆ.

loci parum sibi constant; cum alii ad mare constituant, alii a mari semoveant. Verisimilius *Jamniam* eamdem esse cum *Jebneel* ad mare, Jos. 15. v. 11. a quo mari paulo remotior eodem versu non obscure statuitur Accaron. BONFRERIUS.

[1] Nullus eo nomine locus in tribu Juda nunc legitur, vel in versione nostra, vel in versione Septuaginta Interpretum: mihi fit verisimile positum hic *Jamuel*, pro *Jebneel*, vel *Jabneel* in extremis finibus tribus Judæ, cujus fit mentio, Jos. 15. v. 11. cujus loci alias nulla libro de locis Hebraicis fit mentio, si hoc loco de eo non agatur. Adde in Eusebio hæc omnia ad *Jamniam* pertinere, quam eamdem esse censemus cum *Jebneel* vel *Jabneel*. IDEM.

[2] Alludit haud dubie ad Num. 21. v. 20. ubi versio nostra habet: *vallis est in regione Moab*, Septuaginta dixerunt, ut nunc habet codex Romanus, *εἰς Ἰανὴν, ἥ ἐστιν ἐν τῷ πεδίῳ Μωάβ*, *in Janen quæ est in campo Moab*: pro *Jane* autem *Janna* hic legit Eusebius. Advertendum tamen cæteros codices, Aldinum, Basileensem, Regium non habere *Ἰανὴν*, sed *Νάπην*, *saltum*. IDEM.

[3] Hic locus in versione nostra *Janoe* appellatur, Jos. 16. v. 6. 7. locus est in extremis finibus tribus Ephraim Orientem versus. Videtur & alia *Janoe* in tribu Nephthali fuisse, cujus fit mentio 4. Reg. 15. v. 29. nam reliquæ urbes quæ ibi nominantur in tribu Nephthali erant. Itaque de ea a rege Assyriorum expugnata potius locum illum intellexero, quam de ea quæ erat in tribu Ephraim, etsi contrarium videatur hic sentire Eusebius. IDEM.

[4] De hac habes, Jos. 15. v. 53. inter urbes tribus Juda. Ex quo manifestum est longe diversam esse ab ea quæ *Janua* hic dicitur *juxta Legionem*; *Legio* enim fuit juxta montem Thabor procul tribu Juda, ut infra. De *Janua* autem illa *juxta Legionem* & montem Thabor nulla est in Scriptura mentio. IDEM.

[5] *Japhie*, non *Japhic* legendum, & pro *Epha*, *Jepha*. Est autem *Japhie* in finibus Australibus tribus Zabulon, Jos. 19. v. 12. Quod autem *de ascensu Japho* dicitur, id non *a Japhie* nomen habet, sed *a Joppe*, quæ Hebraice *Japho* dicitur. IDEM.

[6] Hoc nomen *Jarim* per se solitarie sumtum non est urbis nomen, sed cum addito *Cariathjarim*, seu *Civitas Jarim* ( *Cariath* enim civitatem significat ) & Septuaginta quidem nunc *Cariathjarim*, nunc *civitas Jarim* dicunt: itaque *civitas* hic etiam ad urbis proprium nomen pertinet. Quod si totum hujus urbis nomen velis appellative vertere, *Cariathjarim* idem est quod *Civitas sylvarum*. Dicitur autem *civitas Gabaonitarum*, quia vel Gabaonitis confœderati vel subditi erant, cum ad Josue venerunt in amicitiam recipiendi, Jos. 9. Est & *Jarim* montis nomen in Aquilonaribus terminis tribus Judæ, Jos. 15. v. 10. IDEM.

[7] Hæc in versione nostra *Jerimoth* vel *Jerimuth* nuncupatur. Inter quinque reges qui cum Josue dimicarunt, Jos. 10. v. 11. *Unus fuit rex Jerimoth*. Hanc tribui Judæ attributam habes, Jos. 15. v. 35. IDEM.

1 Di-

HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS.

*quarto distans ab Eleutheropoli lapide, juxta villam Esthaol.*

Ἐλευθεροπόλεως, περὶ τὴν Ἐσθαὼλ κώμην.

to milliario Eleutheropoleos, juxta villam Esthaol.

JASA. Vide paulo post JASSA.

[1] *JASAB, pro quo Hebræi habitatores legunt.*

Ἰασὴν, Ἀκύλ. Σύμμ. τοὺς κατοικοῦντας.

JASEN, Aquila, Symmachus habitatores (vertunt.)

JASER, positum est pro *Jasa*, Jos. XXI. vers. 36. nisi quid forte mendi ad eum locum in textum nostrum irrepserit. Porro *Jaser* ibi pro *Jasa* poni liquet e 1. Paral. VI. vers. 78. ubi inter Leviticas civitates tribus Ruben nominatur *Jasa*. Non potest autem per *Jaser* intelligi *Jazer*; siquidem *Jazer* in tribu Gad erat, non in tribu Ruben; & de *Jazer* in tribu Gad mox versu sequenti Jos. 21. subjicitur. Reperitur etiam *Jaser* pro *Jazer*, Jos. XIII. vers. 25.

[2] *JASSA, ubi adversus Seon Amorrhæorum regem dimicatur. Meminit hujus Esaias in visione contra Moab; sed & Hieremias. Et usque hodie ostenditur inter Medabam & Deblatai.*

Ἰεσσά, ἔνθα Σηὼν Βασιλεὺς τῶν Ἀμοῤῥαίων ἐκπολεμεῖται. μέμνηται καὶ αὐτῆς Ἡσαΐας ἐν ὁράσει κατὰ τῆς Μωαβίτιδος· κεῖται καὶ ἐν Ἰερεμίᾳ, καὶ δείκνυται νῦν μεταξὺ Μηδαβὰμ καὶ [5] Δηβούς.

JESSA, ubi Seon rex Amorrhæorum debellatur. Meminit etiam hujus Isaias in visione contra Moabitidem. Extat & in Hieremia, & ostenditur hodie inter Medabam & [5] Debus.

[3] *JAZER, civitas Amorrhæorum in decimo lapide Philadelphiæ ad solis occasum trans Jordanem, quæ fuit terminus tribus Gad, extenditurque usque Aroer, quæ & ipsa respicit usque Rabbam. Meminit urbis Jazer & Esaias in visione contra Moab, sed & Hieremias; fuit autem separata Levitis, & distat ab Esebon quindecim millibus, e qua magnum flumen erumpens a Jordane suscipitur.*

Ἰαζὴρ, πόλις τοῦ Ἀμοῤῥαίου ἀπὸ ί σημείοις Φιλαδελφίας πρὸς δυσμὰς ἐν τῇ νῦν περαίᾳ τῆς Παλαιστίνης ὑπὲρ τὸν Ἰορδάνην, ἣ γέγονε φυλῆς [6] Δὰν, παρατείνει δὲ ἕως Ἀροὴρ ἥ ἐστι κατὰ πρόσωπον Ῥαββά· μέμνηται τῆς Ἰαζὴρ Ἡσαΐας ἐν ὁράσει κατὰ Μωαβίτιδος, καὶ Ἰερεμίας, ἥ τις ἦν Λευίταις ἀφωρισμένη, διέστηκε δὲ τῆς Ἐσσεβὼν σημείοις ιέ, καὶ φέρεται ἐπ᾽ αὐτῆς ποταμὸς μέγιστος ἐπὶ τὸν Ἰορδάνην ἐκπίπτων.

JASER, civitas Amorrhæi, in decimo lapide Philadelphiæ versus occidentem in ulteriori parte Palæstinæ ultra Jordanem, quæ fuit [6] tribus Dan, & extenditur usque Aroer, quæ est in conspectu Rabba. Meminit Jaser Isaias in visione contra Moabitidem & Hieremias, quæ fuit separata Levitis; distat autem ab Essebon quindecim milliaribus, ex eaque fluvius maximus erumpit in Jordanem delabens.

[4] *ICOC, sortis Nephthalim in confinio trium tribuum, id est, in tribu Zabulon ad Australem plagam; in tribu Aser ad Occidentem: Porro in tribu Juda ad solis ortum.*

Εἰκοὴ, κλήρου Νεφθαλεὶμ, συνάπτει τῷ Ζαβουλὼν ἀπὸ τοῦ νότου, καὶ τῷ Ἀσὴρ κατὰ θάλασσαν, καὶ τῷ Ἰούδα ἐξ ἀνατολῶν.

ICOE, sortis Nephthali, contigua est sorti Zabulon a meridie, & Aser e regione maris, & Juda ex orientali plaga.

ICONIUM, urbs celeberrima Lycaoniæ, Plinio Lib. V. Cap. 27. Straboni Lib. XII. Ptolemæo, & aliis, esto quidam alii Cappadociæ vel Ciliciæ vel Phrygiæ videantur adscribere.

## NOTÆ.

[1] Diversimode nunc in codicibus Septuaginta Interpretum ea vox legitur, Jos. 17. v. 7. *Jaseb*, *Jassib*, *Jasem*, pro quo in Hebræo est ישבי *Josebe*, hoc est *habitatores*, quomodo & vertit Hieronymus, Itaque hæc vox ad propria nomina nihil pertinet. BONFRERIUS.

[2] De debellato in eo loco rege Sehon habes Num. 21. & Deuter. 2. Fuit in tribu Ruben, Jos. 13. v. 18. Eademque Levitica fuit civitas, 1. Paral. 6. v. 78. pro quo nomine, *Jaser*, suffectum est, Jos. 21. v. 37. ut paulo ante in *Jaser* notavimus. In versione nostra sæpius *Jasa* quam *Jassa* ea urbs appellatur. Pro *Deblatai* scribendum *Deblathaim*. IDEM.

[3] Per *Rabbam* hic, *quam* dicitur *respicere Aroer*, intellige *Moab Rabba*, seu Moabitarum metropolim, alio nomine *Ar* dictam. Fuit *Jazer*, vel *Jezer*, vel *Jaser* (ita enim diversimode in versione nostra scribitur) in tribu Gad, Num. 32. v. 35. Jos. 13. v. 25. Eademque Levitica civitas, Jos. 21. v. 37. & 1. Paral. 6. v. 81. Fuit, quantum colligi potest, in terminis Orientalibus tribus Gad juxta Ammonitas; etsi videri possit oppositum hic docere vel Eusebius, vel Hieronymus, cum *eam Philadelphiæ ad Solis occasum statuat*, e quibus verbis non parva difficultas nascitur de situ urbis *Jazer*, quam attigimus, Num. 21. v. 32. Sed meo judicio non omnino expedivimus: eam dante Deo expedire conabimur ad 2. Reg. 24. v. 6. De hac & supra in *Azer* dictum est. IDEM.

[4] Hic locus *Hucuca* in versione nostra appellatur, Jos. 19. v. 34. Porro quod hic habetur esse *in confinio tribus Juda*, quod idem a Scriptura asseri videtur ibi supra, magnam difficultatem habet, quæ in commentario expenditur. IDEM.

[5] Pro *Δηβούς*, *Debus* habet Hieronymus *Deblatai*. IDEM.

[6] Pro *tribu Dan*, repone tribum *Gad*, ut habet Hieronymus, & veritas exigit. IDEM.

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
| --- | --- | --- |
| [1] *IDUMÆA, regio Esau; quæ ex eo quod ille Edom vocabatur nomen accepit. Est autem circa urbem Petram, quæ nunc dicitur Gabalene.* | Ἰδουμαία, χώρα Ἠσαῦ, ἐξ αὐτοῦ παρωνύμως ὀνομασθεῖσα, ἐπείπερ αὐτὸς Ἐδὼμ ἐκαλεῖτο· ἔστι δὲ ἡ ἀμφὶ τὴν Πέτραν Γεβαληνὴ καλουμένη, ἡ κατά τινα Αὐσῖτις χώρα τοῦ Ἰώβ. κατ᾽ ἄλλον δὲ ἡ τοῦ Ἰὼβ χώρα ἡ Ἀραβία ἐστίν. Ἄλλοι δὲ λέγουσιν, ὅτι ἡ χώρα τοῦ Σηὼν αὕτη ἐστὶν ἡ χώρα τοῦ Ἰώβ. | IDUMÆA, regio Esau, ex eo deducto nomine appellata, siquidem ipse Edom vocabatur: est autem circa Petram ( urbem ) Gebalena dicta, quæ secundum quendam est Ausitis regio Job; secundum alium vero regio Job Arabia. Alii dicunt regionem Seon hanc esse regionem Job. |
| [2] *JEBATA, castra in solitudine filiorum Israel.* | Ἰεθαβαθά, ἐπὶ τῆς ἐρήμου σταθμὸς τῶν υἱῶν Ἰσραήλ. | JETHABATHA, in deserto stativa filiorum Israel. |
| [3] *JEBLAAM, in tribu Manasse, de qua alienigenas non valuit expellere.* | Ἰεβαλάμ, φυλῆς Μανασσῆ, ἀφ᾽ ἧς οὐκ ἐξῆρε τοὺς ἀλλοφύλους. | JEBALAM, tribus Manasse, de qua non sustulit alienigenas. |

JEBNAEL. Vide supra JABNEL.

JEBNEEL, in confiniis tribus Juda juxta mare, Jos. xv. vers. 11. credi potest hæc confinia postea Danitarum fuisse, sed a Danitis minime possessa Philisthæis prævalescentibus.

JEBOC. Vide JABOCH.

| | | |
| --- | --- | --- |
| [4] *JEBUS, ipsa est, quæ & Jerusalem.* | Ἰεβούς, αὕτη ἐστὶν Ἱερουσαλήμ. | JEBUS, hæc est Hierusalem. |
| [5] *JECDAAN, in tribu Juda.* | Ἰεκδαάδ, φυλῆς Ἰούδα. | JECDAAD, tribus Juda. |

JECMAAM. Vide JECMAAN proxime.

| | | |
| --- | --- | --- |
| [6] *JECMAAN, civitas Principum Salomonis.* | Ἰεκμαάν, πόλις ἀρχόντων Σολομών. | JECMAAN, civitas principum Salomonis. |
| [7] *JECNAL, in tribu Zabulon, civitas separata Levitis.* | Ἰεκναήλ, κλήρου Ζαβουλών, πόλις ἀφωρισμένη Λευίταις. | JECNAEL, sortis Zabulon, civitas separata Levitis. |

JECNAM. Vide JECNAL proxime.

JECONAM. Vide JECNAL.

JECTEL, urbs in tribu Juda, Jos. xv. vers. 38.

JEDALA, urbs in tribu Zabulon, Jos. xix. vers. 15.

| | | |
| --- | --- | --- |
| [8] *JEDNA, in deserto ab* | Ἰεδνά, ἀπὸ ϛ´ σημείων Ἐλευθε- | JEDNA, in sexto lapide |

N o t æ.

[1] Hæc Terræ Promissæ ad Austrum fuit: Porro hanc Idumæam Australem pulsis Horræis jam insederant posteri Esau, cum Israelitæ ex Ægypto venerunt in Terram Promissam, ut e Scriptura manifestum est. Quando autem id sit factum, ut Idumæi Horræos sint aggressi, finibusque suis expulerint, cujus rei meminit Scriptura, Deuter. 2. v. 12. 22. obscurum est: non dubium tamen est id contigisse quo tempore Israelitæ versabantur in Ægypto: nam ante descensum in Ægyptum non potuerunt posteri Esau habere illas vires vel hominum multitudinem, quæ necessaria erat ad possessores antiquos ex Idumæa illa Australi expellendos, cum ad pauca capita tota posteritas Esau redigeretur. Ex quo necesse est Esau alibi & Idumæos habitasse, nempe in monte Galaad & adjuncta ei Galaaditide regione: (nam in illis regionibus habitabat Esau, cum Jacob ex Mesopotamia rediit ) & in eadem regnasse Job antequam Idumæi ad Australem plagam concederent. Ex quibus colligo ad Gen. 32. v. 3. duplicem videri Idumæam statuendam, Australem unam, alteram Orientalem, in qua primum habitaverint Idumæi. Bonfrerius.

[2] Hæc mansio filiorum Israel in deserto in versione nostra *Jetebatha* appellatur, Num. 33. v. 33. 34. Deut. 10. v. 7. in quo postremo loco dicitur ibi esse *terra aquarum & torrentium*. Idem.

[3] *De Jeblaam* dimidiæ tribui Manasse Cis-Jordaninæ attributa habes, Jos. 17. v. 11. Quod autem *ex ea pristinos habitatores non potuerint Manassitæ expellere*, habetur Judic. 1. v. 27. Porro ex 4. Reg. 9. v. 27. colligi potest hanc *Jeblaam* non procul abfuisse Mageddo. Idem.

[4] Fuit hoc alterum nomen urbis Jerusalem, ut in ipsa Scriptura asseritur, Jos. 18. v. 28. Judic. 19. v. 10. & 1. Paral. 11. v. 4. ubi & nominis hujus ratio insinuatur: *hæc est Jebus*, inquit, *ubi erant Jebusæi habitatores terræ*. Idem.

[5] JECDAAM scribi debuit, ut habent emendatiores libri, nam & hoc melius Hebræo יקדעם *Jocdeam*, Jos. 15. v. 56. respondet, ubi versio nostra *Jucadam* habet. Idem.

[6] *Jecmaam* scribendum. Fuit autem in tribu Ephraim Levitica civitas, 1. Paral. 6. v. 68. Statuitur non procul & e regione Abelmehula, quæ erat in dimidia tribu Manasse, ut habetur 3. Reg. 4. v. 12. ubi non hoc asseritur, quod hic Eusebius insinuat, *in ea illum*, cujus eo versu est mentio, *præfecturam suam exercuisse, sed præfecturam suam extendisse usque ad Abelmehula, quæ erat e regione Jecmaam*: Alibi alio nomine *Cibsaim* appellatur. Idem.

[7] Scribendum *Jecnam*, ita enim & in Hebræo, & in versione nostra appellatur, Jos. 21. v. 34. ubi inter Leviticas civitates tribus Zabulon recensetur. Alibi *Jeconam* dicitur, Jos. 19. v. 11. Alias rursus *Jachanan Carmeli*, ut Jos. 12. v. 22. his enim omnibus aliquantulum diversis in versione nostra nominibus eamdem urbem significari manifeste indicat una eademque vox in his omnibus locis in Hebræo: urbis item situs juxta Carmelum idem uno & altero loco. De hac urbe rursus infra in voce *Jethonam*. Idem.

[8] Satis liquet ex Hieronymi descriptione hanc urbem debere esse in tribu Juda, quandoquidem inter duas urbes sita esset, quæ erant intra fines tribus Judæ. Non existimo aliam esse ab ea, quæ *Jethnam* in versione nostra appellatur, Jos. 15. v. 23. Est autem inter eas urbes quæ erant a meridie juxta terminos Edom, ubi pro *meridie* Septuaginta Interpre-

tes

| HIERONYMUS. | ΕΥ'ΣΕ'ΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| *Eleutheropoli lapide pergentibus Chebron.* | ροπόλεως ἀπιόντων εἰς Χεβρών. | pergentibus Eleutheropoli Chebronem. |
| JEGBAA, urbs in tribu Gad, Num. XXXII. verf. 35. | | |
| [1] *JELON, in tribu Dan.* | Ἰηλών, κλήρε Δάν. | JELON, fortis Dan. |
| [2] *JEPHIETI, in tribu Joseph.* | Ἰεφλιθὶ, φυλῆς Ἰωσήφ. | JEPHLITHI, tribus Joseph. |
| JEPHTAHEL. Vide JEPTHAEL. | | |
| JEPHTHA, urbs in tribu Juda, Jof. XV. verf. 43. | | |
| [3] *JEPTHAEL, in tribu Zabulon.* | Ἰεφθαήλ, κλήρε Ζαβυλών. | JEPHTHAEL, fortis Zabulon. |
| [4] *JERACON AQUÆ, in tribu Dan.* | | |
| JERAMEEL. Vide proxime JERAMELI. | | |
| [5] *JERAMELI, regio Allophylorum.* | | |
| [6] *JERICHO, urbs quam Jordane tranfgreffo fubvertit Jefus, Rege illius interfecto: pro qua exftruxit aliam Ozam de Betbel ex tribu Ephraim, quam Dominus nofter atque Salvator fua præfentia illuftrare dignatus eft. Sed & hæc eo tempore quo* [7] *Jerufalem oppugnabatur a Romanis, propter perfidiam civium capta atque deftructa eft. Pro qua, tertia ædificata eft civitas, quæ ufque hodie permanet & oftenduntur utriufque urbis veftigia ufque in præfentem diem.* | Ἰεριχώ, πόλις, ἣν διαβὰς τὸν Ἰορδάνην Ἰησοῦς ἀνάστατον ἐποίησε, τὸν βασιλέα αὐτῆς ἀνελών. αὖθις ἑτέραν ἔγειρεν Ὀζὰν ἐκ Βαιθὴλ φυλῆς Ἐφραίμ, ἣν ὁ κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς τῆς ἰδίας παρεσίας ἠξίωσε. καταβληθείσης δὲ καὶ αὐτῆς ἐπὶ τῆς πολιορκίας τῆς Ἰερεσαλὴμ διὰ τὴν τῶν ἐνοικούντων ἀπιστίαν ἑτέρα ἐκ τρίτε συνέστη εἰς ἔτι καὶ νῦν δεικνυμένη πόλις. καὶ τῶν δύο δὲ τῶν προτέρων εἰς ἔτι νῦν τὰ ἴχνη σώζεται. | HIERICHO, civitas quam Jordane transgreffo fubvertit JESUS rege ipfius interfecto. Aliam rurfum excitavit Ozan ex Bæthel tribus Ephraim, quam Dominus nofter JESUS CHRISTUS fua præfentia dignatus eft. Porro ea deftructa in obfidione Hierofolymitana propter inhabitantium perfidiam alia tertium conftructa eft quæ usque hodie monftratur civitas. Ac duarum priorum adhuc modo exftant veftigia. |

NOTÆ.

tes *defertum* dixerunt; nam & vox Hebræa utrumque fignificat, & in iftis ad meridiem Judæ partibus fere deferta legimus, defertum Thecue, defertum Ziph, defertum Maou, defertum Arad. At pro *in deferto*, hic apud Hieronymum vel Eufebium, alii libri habent *in fexto*: & vero vox illa quæ fequitur, *lapide*, videtur certi numeri expreffionem requirere, atque adeo fi illud *in deferto* retineatur, quod Septuaginta Interpretum verfioni congruit, certum aliquem numerum addi ulterius debuiffe. Quamquam fateor totam illam hujus urbis defcriptionem, in qua certa *ab Eleutheropoli* diftantia ftatuitur, mihi effe fufpectam: Quomodo enim urbes quæ plane fint a meridie, & juxta regionem Edom, comparentur cum Eleutheropoli, quæ multo erat Aquilonarior & Occidentalior, ut fi certa ab hac urbe diftantia ufque ad fines illos regionis Edom ftatuenda fit, non pauciora quam triginta vel quadraginta milliaria Italica decernenda fint? Ex quo & illud colligitur non potuiffe urbem hanc effe *inter Eleutheropolim & Hebron.* IDEM.

[1] Non video quæ urbs ab Eufebio indicetur nifi *Ajalon*, quæ fuit Levitica civitas, vel certe *Elon* altera in eadem tribu, de quibus habes, Jof. 19. v. 43. IDEM.

[2] Locus eft in confinio tribus Ephraim & Benjamin, Jof. 16. v. 3. IDEM.

[3] Vallis *Jephtahel* eft fic dicta in confinio duarum tribuum Zabulon & Afer. Jof. 19. v. 14. 27. IDEM.

[4] In verfione noftra *Mejarcon* appellatur, Jof. 19. v. 46. pro quo in verfione Septuaginta Interpretum nunc legimus, *a mari Hieracon*; in Hebræo eft מי הירקון *me hajarcon*, quod rectius vertas, *aquæ Jarcon*, quam *mare Jarcon*: vel fi omnia velis appellative reddere, *aquæ æruginis*, vel *aquæ olerum*. IDEM.

[5] In verfione noftra *Jerameel* nuncupatur. Eft autem *Jerameel* non *regio Allophylorum*, feu *Philifthæorum*, ut hic fenfiffe Eufebius videtur, fed certus tractus tribus Judæ, ut liquet e 1. Reg. 27. v. 10. ubi David apud Achis regem Geth fingebat fe hoftilia exercuiffe adverfus fuos Judæos, quafi Philifthæorum hoftes, dicebatque *fe incurfionem feciffe contra meridiem Judæ, & contra meridiem* Jerameel. Item e Cap. 30. v. 29. ubi inter cæteros amicos, ad quos partem de Amalecitarum præda mittit, cenfentur ii, qui in urbibus erant *Jerameel*: cæteræ autem quæ ibi nominantur urbes vel loca Ifraelitarum erant, & fere in tribu Juda, atque adeo & *Jerameel*. Porro ex hoc eodem pofteriore loco fatis liquet eo nomine non urbem unam fignificari, fed tractum aliquem, vel provinciam, quandoquidem in *Jerameel* plures ibi fuiffe urbes fignificetur. Fuit & Jer*ameel* nomen proprium filii Efron de tribu Juda, a quo verifimiliter tractus hic nomen accepit, 1. Paral. 2. v. 25. IDEM.

[6] Primam J*erichuntis* a Jofue factam fubverfionem plane admirabilem & prodigiis plenam mœnibus ad tubarum fonum, multitudinifque ululatum corruentibus, habes Jof. *6.* ubi & in fine additur a Jofue maledictio ei, qui tentaret eam urbem reædificare, quam maledictionem fuiffe efficacem docet Lib. 3. Reg. Cap. *16.* v. 34. ubi *Hiel de Bethel* (qui hic non recte *Ozam de Bethel* appellatur) tentata hac reædificatione inter ipfam ædificationem omnes amittit liberos. Fuit autem hæc urbs fita in tribu Benjamin, feu verfus terminos ejus Boreales, ut manifefte indicatur Jof. 16. v. 7. & Cap. 18. v. 12. Sitam fuiffe in Aulone valle teftis fupra Hieronymus in *Aulone valle*, & Jofephus Lib. v. Belli Cap. 4. circumfeptam montibus in theatri formam refert Strabo Lib. XVI. Fuiffe *agrum Jerichuntinum fupra modum delitiofum; & prope divinum tractum* afferit Jofephus Lib. v. Belli Cap. 4. Diftat a Jordane *Jericho*, tefte Jofepho ibidem, fexaginta ftadiis, ab Hierofolymis centum quinquaginta. Vocem *Jericho* lunam fignificare paffim notum eft. BONFRERIUS.

[7] *Jerufalem* &c.) Hinc ufque ad finem mutilus erat *Hieronymus*, in *Bonfreriana* editione, Typothetarum flagitio. CLERICUS.

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| JERIMOTH & JERIMUTH. Vide ſupra JARIMUTH. | | |
| [1] *JERMOTH, in tribu Iſſachar, urbs Sacerdotibus ſeparata. Poſuimus & ſupra Jerimuth: cujus & Oſee propheta meminit.* | Ἰερμὼν, κλήρου Ἰσσάχαρ, πόλις ἱερεῦσιν ἀφωρισμένη, καὶ ἀνωτέρω κεῖται Ἰερμούθ· μέμνηται αὐτῆς καὶ Ἰωσήφ. | JERMON, ſortis Iſſachar civitas Sacerdotibus ſeparata, poſita eſt ſuperius Hiermuth. Meminit hujus & Joſeph. |
| [2] *JERMUS, in tribu Juda. Eſt autem uſque hodie villa Jermucha in decimo ab Eleutheropoli lapide aſcendentibus Æliam.* | Ἰερμοῦς φυλῆς Ἰούδα. κώμη νῦν ἐστιν Ἰερμοχὼς ἀπὸ σημείων ί Ἐλευθεροπόλεως ἀνιόντων εἰς Αἰλίαν. | JERMUS, tribus Juda, vicus nunc eſt Hiermochos in decimo milliario aſcendentibus Eleutheropoli Æliam. |
| [3] *JERON, in tribn Nephthalim.* | Ἰερών, κλήρου Νεφθαλείμ. | JERON, tribus Nephthalim. |
| JEROSOLYMA. Vide JERUSALEM. | | |
| [4] *JERPHEL, in tribu Benjamin.* | Ἰερδὴλ, φυλῆς Βενιαμίν. | JERDEL, tribus Benjamin. |

JERUEL SOLITUDO, cujus fit mentio 2. Paral. xx. verſ. 16. quantum ex circumſtantiis toto illo Cap. deſignatis colligi poteſt, videtur eſſe pars deſerti Thecue, quod a Thecua extenditur uſque ad extremos fines Judææ. Porro a Propheta dicuntur hoſtes inveniendi, conciſi nempe mutuis vulneribus, in hac *ſolitudine Jeruel*: poſtea vero cum res facta narratur dicitur Joſaphat cum ſuis turmis ingreſſus deſertum Thecue; paulo poſt vero magis in ſolitudinem introgreſſus invenit hoſtium ſuorum cadavera jacentia.

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [5] *JERUSALEM, in qua regnavit Adonibezech, & poſt eum tenuere Jebuſæi, e quibus ſortita eſt vocabulum, quos multo poſt tempore David exterminans totius eam Judææ provinciæ metropolim fabricatus eſt, eo quod ibi locum templi emerit, & impenſas ſtructuræ Salomoni filio dereliquerit. Hanc eſſe Joſephus refert, quæ in Geneſi ſcribitur Salem ſub Rege Melchiſedech. Fuit autem iu tribu Benjamin.* | Ἰερουσαλὴμ, ταύτης ἐβασίλευσεν Ἀδωνιβεζὲκ, καὶ μετὰ ταῦτα οἱ Ἰεβουσαῖοι, ἀφ' ὧν καὶ Ἰεβοὺς ἐκαλεῖτο, οὓς ἐκβαλὼν Δαβὶδ μητρόπολιν αὐτὴν [6] ἀποφαίνει τῆς Ἰουδαίας διὰ τὸ ἐν αὐτῇ συστῆναι ἱερόν. ἐν γενέσει Σαλὴμ, ἧς ἐβασίλευσε Μελχισεδέκ. γέγονε δὲ κλήρου φυλῆς Βενιαμίν. | HIERUSALEM, in hac imperavit Adonibezec, deinde Jebuſæi, a quibus Jebus dicebatur, quibus David exterminatis metropolim eam declaravit Judææ, quod in ea templum conſtituiſſet. Eandem in Geneſi Salem in qua regnavit Melchiſedec. Fuit autem ſortis tribus Benjamin. |

JESANA, videtur urbs fuiſſe in tribu Ephraim, 2. Paral. XIII. verſ. 19. ſiquidem ibi Abia rex Juda non videtur cepiſſe niſi urbes, quæ erant in confinio ſui regni poſitæ, cujuſmodi & erat Bethel, atque adeo in tribu Ephraim conſtitutæ.

JESIMON, videtur ut nomen proprium uſurpari 1. Reg. XXIII. verſ. 24. quæ vox appellative ſumta ſignificat *deſertum*, quomodo etiam eodem Cap. Hieronymus in verſione noſtra reddidit, verſ. 19. Septuaginta Interpretes utrobique ut proprium nomen accepere, *Jeſſæmu*. Crediderim ex reipſa appellativum nomen quaſi in proprium tranſiviſſe, ut ſæpe; erat enim ibi deſertum & ſolitudo, & ob id Hebraice *Jeſimon* dicebatur. Cum vero id *deſertum* non

N O T Æ.

[2] Hæc in verſione noſtra *Jaramoth* dicitur, de qua & nos ſupra ſuo loco. Fuit autem Levitica, non Sacerdotalis civitas diſerte id aſſerente Scriptura; præſertim cum & certum ſit nullam extra tribum Juda & Benjamin fuiſſe Sacerdotalem civitatem. BONFRERIUS.

[3] *Jermuth* credo ſcribere voluit: nec enim aliam hic ſignificari civitatem exiſtimo, quam quæ ſupra *Jarimuth* dicta eſt, in verſione noſtra *Jerimoth* vel *Jerimuth*: nam & in nonnullis libris Septuaginta Interpretum, Joſ. 15. v. 35. legimus *Jermuth* urbem hanc appellatam: in Hebræo ירמות *Jarmuth*. Fateor tamen non congruere diſtantiam utrobique aſſignatam ab Eleutheropoli, cum hic in decimo ab ea ponatur milliario, ibi ſupra in quarto. IDEM.

[4] De ea habes Joſ. 19. v. 38. IDEM.

[5] Hæc in verſione noſtra *Jarephel* appellatur, Joſ. 18. v. 27. IDEM.

[6] In qua tribu fuerit *Jeruſalem* diſputamus, Joſ. 15. v. 63. ubi & definimus parte ſui una fuiſſe in tribu Benjamin, parte altera in tribu Juda communi funiculo utriuſque urbis ducto per verticem montis Moria: ex quo neceſſe fuit totum montem Sion ad Auſtrum relinqui in tribu Juda, totam vero fere inferiorem civitatem ad Septemtrionem relinqui in tribu Benjamin. Tria legitur habuiſſe nomina, *Salem*, *Jebus*, & *Hieruſalem*. Significare autem *Jeruſalem* viſionem pacis nimis quam notum eſt. De *Adonibezec* autem, quod hic dicitur, vel mendum, vel memoriæ lapſus eſt; nam *Adonibezec regnavit in Bezec*, ſed *adductus fuit in Jeruſalem*, Judic. 1. v. 5. 6. &c. *ibique mortuus*. Exiſtimo autem reponendum *Adoniſedec*, Joſ. 10. v. 1. IDEM.

[7] Ἀποφαίνει ) Sic habet Codex MS. non ut edidit *Bonfrerius* ἀπέφηνε. In ſequentibus refinxerat *Euſebium* ad *Hieronymum*, nam pro ἐν γενέσει Σαλὴμ, poſuerat, τὴν αὐτὴν ἐν γενέσει Ἰώσηππος Σαλὴμ φησιν. Maluimus MS. ſequi, ubi mendum eſſe nullum videbatur. Sæpe enim *Hieronymus* de ſuo addit quod videtur. CLERICUS.

alio nomine indigitaretur, quasi *κατ' ἐξοχὴν solitudo*, hinc factum ut ei quasi nomen proprium id adhæserit. De eodem supra diximus in ÆSIMON.

JESSE, cujus fit mentio, Judith. I. verſ. 9. videtur poni pro *Geſſe* vel *Geſſen*; nam & in Græco eſt Γεσέμ. Porro terram *Geſſen* fuiſſe in Ægypto, in ipſo videlicet primo Ægypti ingreſſu e Palæſtina venientibus, in qua Iſraelitæ in Ægypto habitarunt, ſatis conſtat. Et vero non videtur locus ille ſupra commode de alia ulla terra accipi poſſe, cum proceſſus fiat exercitus Holofernis eo loco a Septemtrione in Auſtrum a Cilicia, Damaſco, Libano, ad Judæos qui eis vel trans Jordanem habitabant, præſertim in Galilæa, inde ad Samariam, a Samaria ad Jeruſalem: hinc vero fit progreſſus ad omnem terram *Jeſſe* quouſque perveniatur ad terminos Æthiopiæ; quo in progreſſu ab Jeruſalem uſque ad terminos Æthiopiæ neceſſario transeundum eſt per terram *Geſſen*. Eſtque res illa clarior e textu Græco, ubi magis particulariter loca ſingula deſignantur, ab Jeruſalem enim fit progreſſus ad Betane, Chellus, Cades, flumen Ægypti, Taphnas, Rameſſe, terram *Geſem*, Tanim, & Memphim, totam Ægyptum uſque ad fines Æthiopiæ.

JESUE, inter urbes tribus Juda recenſetur, 2. Eſdræ XI. verſ. 26.

JETA, urbs eſt Sacerdotalis in tribu Juda, Joſ. XXI. verſ. 16. quæ alibi Joſ. XV. verſ. 55. *Jota* appellatur. Non aliam hanc eſſe exiſtimo ab ea, quæ I. Paral. VI. verſ. 59. dicitur *Aſan*, ut demonſtro, Joſue XXI. verſ. 16.

JETEBA. Vide JATHABA pauſo poſt.

JETEBATHA. Vide JETHABATA.

| HIERONYMUS | ΕΥΣΕΒΙΟΣ | EUSEBIUS |
|---|---|---|
| [1] *JETHABA, urbs antiqua Judææ.* | | |
| [2] *JETHABATA, locus in deſerto ubi torrentes aquarum demonſtrantur.* | Γεθαβαθά, χειμάῤῥοι ὑδάτων, [7] τόπος ἐπὶ τῆς ἐρήμȣ. | JETHABATHA, torrentes aquarum, locus in deſerto. |
| [3] *JETHAEL, in tribu Juda.* | Γεχθαὴλ, φυλῆς Ἰούδα. | JECTHTHAEL, tribus Juda. |
| [4] *JETHAN, in tribu Juda civitas Sacerdotalis: Eſt hodieque vicus prægrandis Judæorum in decimo octavo lapide ab Eleutheropoli ad Auſtralem partem in Daroma.* | Γεττὰν, φυλῆς Ἰούδα, πόλις ἱερατική. ἔστι νῦν κώμη μεγίστη Ἰȣδαίων, Ἐλευθεροπόλεως ἀπὸ σημείων ιη' πρὸς νότον ἐν τῷ Δαρωμᾷ. | JETTAN, tribus Juda, civitas ſacerdotalis: nunc eſt vicus Judæorum maximus diſtans Eleutheropoli octodecim milliaribus verſus auſtrum in Daroma. |

JETHELA, urbs in tribu Dan, Joſ. XIX. verſ. 42.

| HIERONYMUS | ΕΥΣΕΒΙΟΣ | EUSEBIUS |
|---|---|---|
| [5] *JETHER, in tribu Juda civitas Sacerdotalis, & nunc eſt villa prægrandis Jethira nomine in viceſimo milliario Eleutheropoleos, habitatores quoque ejus omnes Chriſtiani ſunt. Sita eſt autem in interiore Daroma juxta Malathan.* | Γεθὲρ, [8] πόλις Ἰούδα, φυλῆς ἱερατικῆς, κ̀ πόλις ἱερατική. ἔστι νῦν κώμη μεγίστη Γεθειρὰ ὡς ἀπὸ σημείων κ' Ἐλευθεροπόλεως· ὅλη Χριστιανῶν ἐν τῷ ἔσω Δαρωμᾷ, [9] πλησίον Μαλαθὼν κεῖται κ̀ ἀνωτέρω. | JETHER, civitas Juda, tribus ſacerdotalis, & civitas ſacerdotalis. Nunc eſt villa maxima Jethira in vigeſimo milliario Eleutheropoleos: tota Chriſtianorum in interiore Daroma, juxta Malathon. Extat & ſupra. |
| [6] *JETHER, ad quam miſit David: nunc eſt villa in Daroma nomine Jethira.* | Γέθερ, ἔνθα ἀπέστειλε Δαβίδ· κώμη νῦν ἐστι Γεθορὰ ἐν τῷ Δαρωμᾷ. κεῖται κ̀ ἀνωτέρω. | HIETHER, ad quam miſit David: nunc eſt vicus Hiethora in Daroma, extat ſupra. |

NOTÆ.

[1] Ea eſt credo, quam *Jeteba* vocat verſio noſtra, 4. Reg. 21. v. 19. Sed quod ejus loci alibi nuſquam fiat mentio, & locus forte fuerit ignobilis, aliud hic nihil potuit dicere, quam *eſſe urbem antiquam Judææ*: rectius forte dixiſſet *fuiſſe o pidulum* vel *vicum ignobilem*. BONFRERIUS.

[2] In verſione noſtra hæc Iſraelitarum manſio dicitur *Jetebatha*, Num. 33. v. 33. 34. Deuteron. 10. v. 7. de qua & ſupra, decurtata nonnihil voce *Jebata*, Euſebius meminit. IDEM.

[3] Hæc in verſione noſtra Joſ. 15. v. 38. *Jecthel* appellatur. IDEM.

[4] Hæc eſt illa, quam ſupra in verſione noſtra diximus vocari *Jeta* vel *Jota*. IDEM.

[5] Hujus inter urbes Juda fit mentio, Joſ. 15. v. 41. inter ejuſdem vero tribus urbes Sacerdotales cenſetur, Joſ. 21. v. 14. & I. Paral. 6. v. 58. IDEM.

[6] Intellige *miſiſſe prædæ de Amalecitis reportatæ partem*, I. Reg. 30. v. 27. Hæc præcedenti non eſt diverſa, ut omnes arguunt circumſtantiæ. IDEM.

[7] Τόπος ἐπὶ τῆς ἐρήμȣ) Hæc omiſerat *Bonfrerius*, *neſcio quare*. CLERICUS.

[8] Πόλις Ἰȣ́δα, φυλῆς ἱερατικῆς, καὶ πόλις ἱερατική) Hæc eſt mera *βαττολογία* dormitantis Librarii, aut parum attenti; ſcribendum, ut habet *Hieronymus*, φυλῆς Ἰȣ́δα, πόλις ἱερατική. Sic paſſim loquitur *Euſebius*. IDEM.

[9] Πλησίον Μαλαθὼν) Imo Μαλάθων, nam Μάλαθα vocabatur numero multitudinis, ut jam ſupra pag. 89. in voce Ἀσασανθαμὰν obſervavimus. Apud *Hieronymum* etiam legendum *Malatha*, non *Malathan*. IDEM.

Le-

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [1] *JETHETH*, *regio Principum Edom in eadem, de qua supra diximus, Gabalene.* | Γάθερ, χώρα ἡγεμόνων Ἐδὼμ ἐπὶ τῆς αὐτῆς Γεβαληνῆς. | JATHER, regio principum Edom in ipsa Gebalena. |
| [2] *JETHLAN*, *in tribu Dan.* | Γεθλὰν, κλήρε Δάν. | JETHLAN, sortis Dan. |

JETHNAM, urbs in tribu Juda, Jos. xv. vers. 23.

JETHSON, urbs Levitica in tribu Ruben, Jos. xxi. vers. 39. eademque, quæ Cademoth nominatur 1. Paral. vi. vers. 79.

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [3] *JETTAN*, *in tribu Juda.* | | |
| [4] *JETTHONAM*, *civitas Carmeli, quam cepit Jesus rege illius interfecto.* | Γεκκομάμ, τοῦ Καρμήλε πόλις ἣν εἷλεν Ἰησοῦς τὸν βασιλέα αὐτῆς ἀνελών. | JECCOMAM, civitas Carmeli, quam cepit Jesus rege ipsius interfecto. |
| [5] *JEZECHEL*, *nomen petræ in regnorum libris.* | | |

JEZER. Vide JAZER.

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [6] *JEZRAEL*, *in tribu Juda, sed non est ipsa, quæ Jezrael in tribu Manasse hodieque prægrandis vicus ostenditur in campo maximo inter Scythopolim & Legionem. Fuit autem terminus Issachar: Sed & unus de posteris Ephratæ, sicut in Paralipomenon libris legimus, vocatus est Jezrael.* | Ἰεζραὲλ, φυλῆς Μανασσῆ. ἐστὶν εἰς ἔτι νῦν ἐπισημοτάτη Ἐσδραηλὰ κώμη ἐν τῷ μεγάλῳ πεδίῳ κειμένη μεταξὺ Σκυθοπόλεως καὶ τῆς Λεγεῶνος· ἦν δὲ καὶ ὅριον Ἰσσάχαρ· ἐκαλεῖτο δὲ Ἰεζραὲλ καὶ εἷς τῶν ἀπογόνων Ἐφραθά. ὡς ἐν παραλειπομένοις. | JESRAJEL, tribus Manasse. Est usque hodie nobilissimus Esdraela vicus in magno campo situs inter Scythopolim & Legionem. Fuit etiam terminus Issachar. Vocabatur item Jezrajel unus e posteris Ephrathæ, ut est in paralipomenis. |

JIEABARIM, mansio una filiorum Israel in deserto, Num. xxxiii. vers. 44. 45.

IIM, urbs in tribu Juda, Jos. xv. vers. 29.

ILLYRICUM, Ptolemæo Dalmatiam, Liburniamque continet. Europæ regio est trans mare Adriaticum, quam nunc Sclavoniam vocamus. Eam hisce finibus definit Ptolemæus, ut a Septentrione Pannoniam habeat, ab occasu Istriam, ab ortu Mysiam, ab Austro partem Macedoniæ.

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [7] *IMACZEB*, *pro quo Symmachus transtulit in valle Zeb.* | Ἐνιὰμ καὶ ζὴμ, ἐν τῇ κοιλάδι τοῦ Ζήμ. | ENIAM KÆ ZEM, in valle Zem. |

---

N o t æ.

[1] Legimus in Scriptura *Jetheth* nomen proprium unius e posteris Esau, Gen. 36. v. 40. & 1. Paral. 1. v. 51. at pro regionis nomine nusquam usurpatum legimus, etsi fieri potuit, ut ab illo inter Idumæos viro principe alicui in Idumæa provinciæ impositum nomen remanserit. Alias jam non semel notavimus Eusebium nomina principum Edom, quæ habentur Gen. 36. pro urbium regionumve nominibus accipere. Bonfrerius.

[2] Hæc est illa, quam supra in versione nostra diximus *Jethela* nuncupari. Idem.

[3] Eadem est cum JETA vel JOTA in nostra versione, de qua etiam supra actum in *Jeta*, & in *Jethan*: nam Jos. 15. *Jetta* scribitur apud Interpretes Septuaginta. Idem.

[4] Scribendum hic *Jechonam* vel *Jeconam*: ita enim legitur in emendatioribus codicibus Septuaginta Interpretum, Jos. 12. v. 22. idque Hebræo respondet, ubi in versione nostra est *Jachanam Carmeli*, quo in loco etiam habes de rege istius civitatis interfecto. Dicitur autem *Carmeli*, quia huic monti vicina erat civitas. Eadem civitas alibi dicitur *Jecnam* & *Jeconam* in nostra versione, de qua & supra in JECNAL dictum est. Idem.

[5] Hæc petra non alia videtur ab ea, quæ 1. Reg. 20. v. 19. in Hebræo & versione nostra dicitur *Ezel*. Ex quo colligo male passim eo loco apud Septuaginta Interpretes legi hujus petræ nomen *Ergab*, cum satis indicet Eusebius hic aliter se legisse, habeatque nomen hic magis affine Hebræo: quamquam fatendum sit nec illud *Jechel* hoc loco videri omnino incorruptum, pro quo in nonnullis etiam Hieronymi codicibus multo corruptius legitur *Jethoel*. Idem.

[6] De *urbe Jezrael* in tribu Juda habes, Jos. 15. v. 56. Sed est alia *Jezrael*, vel *Jezrahel* multo majoris in Scriptura nominis, in qua olim reges Israelis palatium leguntur habuisse, 3. Reg. 21. v. 1. & locum ad delitias & voluptatem amœnum, quo tamen tempore regia erat in Samaria. Hanc *Jezrael* hic Eusebius & eum secutus Adrichomius in tribu Manasse collocant; potius tamen ego cum Scriptura eam tribui Issachar adscribo; qua de re vide Jos. 19. v. 18. & quæ ibi a nobis dicuntur. Fatendum tamen est in utriusque tribus fuisse confinio. Sita fuit ad radices montis Gelboe Occidentales. De eadem urbe nos pluscula rursum Judic. 6. v. 33. Fuit & *vallis Jezrael* ab hac urbe nomen habens, utpote quæ in ipso vallis aditu esset posita: erat autem vallis hæc inter duos montes Hermon ab Aquilone, Gelboe ab Austro, ab Occidente in Orientem procurrens, de cujus longitudine & latitudine vide quæ a nobis dicuntur, Judic. 6. v. 33. Fuit autem hæc vallis vel tota, vel fere tota in tribu Issachar. Idem.

[7] Hæc vox tam in Hieronymo quam in Eusebio corrupta est, haud dubie enim scripsit Eusebius ut etiamnum incorrupte habetur. Apud Septuaginta Interpretes in omnibus fere codicibus, Judic. 7. v. 25. ἐν Ἰακεβζὴβ, & Hieronymus *Iniacebzeb*, conformiter videlicet Hebræo, pro quo Hieronymus in sua versione dixit: *in torculari Zeb*: verum in his vocibus, ut per se satis liquet, præpositio ἐν vel *in* ad loci nomen nihil pertinet, sed solæ illæ voces quæ præpositioni subjiciuntur. Idem.

1 Ha-

| HIERONYMUS. | ΕΥ̓ΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
| --- | --- | --- |
| [1] *INACHIM, sive Ibachim, pro quo Aquila & Symmachus transtulerunt in fletu, meminit hujus Michæas Propheta.* | Ἐναχεὶμ, ἡ Ἐμβαχεὶμ, Μιχαίας. Ἀκ. καὶ Σύμμ. ἐν κλαυθμῷ. | ENACHIM, seu Embachim, Michæas. Aquila & Symmachus, in fletu. |
| [2] *INARABA, pro quo Aquila transtulit in humili, vel plano. Porro Symmachus in campestri.* | Ἐναραβὰ Ἀκύλας, ἐν ὁμαλῇ. [8] Σύμμαχος ἐν πεδινῇ. | ENARABA, Aquila in æquali & plano. Symmachus, in campestri. |
| [3] *INCENDIUM, id est* ἐμπυρισμὸς, *locus in deserto, ubi quandam populi partem flamma combussit.* | Ἐμπυρισμὸς, τόπος τῆς ἐρήμου, ἔνθα οἱ καταλαλήσαντες τοῦ Θεοῦ κατεφλέχθησαν. | EMPYRISMUS, locus deserti, in quo qui Deo oblocuti sunt flammis absumti fuerunt. |

INCENSIO, locus, Num. XI. vers. 3. in versione nostra, qui proxime dictus est *Incendium* ab Hieronymo in hoc libro de locis Hebraicis.

INDIA, Asiæ in Oriente regio, ab Indo flumine sic dicta: est tamen longe lateque diffusa, utpote quam Ptolemæus in *Indiam intra Gangem*, & *Indiam extra Gangem* dividat.

| HIERONYMUS. | ΕΥ̓ΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
| --- | --- | --- |
| [4] *INEMECK, pro quo Aquila & Symmachus transtulerunt, in vallem.* | Ἐνεμὲκ, Ἀκύλας, Σύμμαχος, ἐν τῇ κοιλάδι. | ENEMEC, Aquila & Symmachus (vertunt) in valle. |

INIMICITIÆ, putei ab Isaaco in regione Geraritica effossi nomen, Gen. XXVI. vers. 21.

| HIERONYMUS. | ΕΥ̓ΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
| --- | --- | --- |
| [5] *INLECHI, pro quo Aquila interpretatur in maxilla.* | Ἐνλεχὶ, Ἀκύλας, σιαγών. | ENLECHI, Aquila (vertit) maxilla. |
| [6] *INTHAATH, castra in deserto filiorum Israel.* | Ἐνθαάθ, ἐπὶ τῆς ἐρήμου, σταθμὸς τῶν υἱῶν Ἰσραήλ. | ENTHASTH, in eremo, statio filiorum Israel. |
| [7] *JOPPE, oppidum Palæstinæ maritimum in tribu Dan.* | [9] Ἰόππη, εἰς ἔτι νῦν πάραλος, κλήρου Δάν. | JOPPE, est usque hodie urbs maritima in sorte Dan. |

---

N o t æ.

[1] Habetur apud Michæam Cap. I. v. 10. plane tamen hic vox corrupta est, legendum enim est *in Bachim* voce divisa, sic ut, si loci nomen proprium sit, id tantummodo posteriori voci conveniat, prior autem illa particula sit præpositio: ita enim passim legitur in codicibus emendatioribus apud Interpretes Septuaginta, ἐν Βαχεὶμ, ubi Hieronymus vertit voce appellativa, sed sine præpositione *lachrymis*. Itaque verisimile est hanc vocem ad locorum nomina propria nihil pertinere, præsertim cum in Hebræo non habeatur בכים *bachim*, vel בכים *bochim*, sed בכו *bacho*, quod per gerundium explicari debet, *flendo*. Videntur tamen Septuaginta Interpretes voluisse hac voce alludere ad locum illum in Hebræo *Bochim*, a fletu dictum, Judic. 2. v. 1. 5. quem itidem a fletu ibidem Septuaginta Interpretes & Josephus Κλαυθμῶνα vocant, Hieronymus in sua versione, *locum flentium* vel *lacrymarum*. Bonfrerius.

[2] Neque hæc vox est simplex, sed composita ex *in* præpositione, & *Araba*. Porro solitos Septuaginta Interpretes retenta voce Hebraica *Araba*, vel *Araboth* dicere, pro eo quod alii *planitiem*, *campestria*, vel *solitudinem* vertunt, jam supra ad illas voces notatum est. Idem.

[3] De hoc loco habes Num. XI. v. 1. 2. 3. in versione autem nostra vocatur locus ille *Incensio*, cujus nominis ratio ibi supra redditur, quod incensus fuisset contra populum ignis Domini, qui extremam partem devoraverat castrorum. Idem.

[4] Neque hæc vox simplex est, sed conflata ex præpositione, *in* & *emec*, quod vallem significat: Porro Septuaginta Interpretes subinde vocem illam *emec*, tamquam nomen proprium, vel nominis proprii partem accepisse jam supra notatum est in *Emec Achor*, & *Emec Raphaim*. Habent autem Septuaginta Interpretes hanc vocem, *in Emec*, Jos. 7. vers. 24. pro qua interpres noster, *ad vallem* dixit. Idem.

[5] Hæc vox quoque ad loci nomen proprium adjungit præpositionem *in*; nam loci integrum nomen est *Lechi*, seu *Maxilla*, vel composita voce *Ramathlechi*, hoc est, *elevatio maxillæ*. Locus fuit ita dictus a Samsonis maxilla, qua mille Philisthæos occidit. Vide Judic. 15. Idem.

[6] Etiam hic ad loci nomen proprium *in* præpositio superflue additur: loci enim & mansionis hujus nomen proprium in versione nostra est *Thahath*; apud Interpretes Septuaginta *Thaach*. Idem.

[7] Fueritne Joppe in tribu Dan inclusa, an vero in ejus confinio tantum, seu extrinseco termino, merito e Scriptura in dubium revocari potest. Fit quidem ejus mentio in descriptione tribus Dan, Jos. 19. Sed ita ut potius videatur ab ea tribu excludi: ibi enim v. 46. Borealis ejus terminus extremus ad mare ita describitur: *cum termino qui respicit Joppen*; in Hebræo: *contra Joppen*, seu *e regione Joppes*; apud Interpretes Septuaginta: *terminus prope Joppen*: quæ omnia indicant terminum hunc ad Joppen accedere, & e regione ipsius esse, non autem Joppen intra hos terminos tribus Dan includi. Hebraice hæc urbs maritima appellatur יפו *Japho*, quod cum nomine, quod etiamnum habet; *Japha* congruit: nam etiamnum urbs illa & portus manet, ad quem fere peregrini, qui religionis causa Terram Sanctam adeunt, appellere solent. Idem.

[8] Σύμμαχος) Sic in editione Parisiensi, non ὁ σημαίνει ut in Bonfreriana. Liquet hoc ex *Hieronymo*. Neque σημαίνει aliud videtur esse, quam prava interpretatio literæ Σ. quæ in eo MS. sola sæpe occurrit ad designandum *Symmachi* nomen. Vide notata ad voces *Aethon*, *Adasai*. Clericus.

[9] Ἰόππη &c.) Hæc desunt in Editione Parisiensi, nisi quod εἰς ἔτι νῦν πάραλος &c. sunt perperam addita voci Ἰταβύριον. Mons enim Itabyrius Tribui Danis nulla parte finitimus fuit. Idem.

[1] Uni-

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [1] *JORDANIS, fluvius dividens Judæam, Arabiam & Aulonem, de quo ſupra diximus, qui uſque ad mare mortuum fluens poſt multos circuitus juxta Hiericho mortuo commixtus mari nomen amittit.* | Ἰορδάνης, ποταμὸς διαιρῶν [5] τὴν Ἰουδαίαν τῆς Ἀραβίας καὶ τὸν μέχρι νεκρᾶς θαλάσσης αὐλῶνα, ὃς καὶ ἐκπίπτων διὰ Ἱεριχοῦς ἐπὶ τὴν νεκρὰν θάλασσαν εἰς αὐτὴν ἀφανίζεται. | JORDANES fluvius, dividens Judæam ab Arabia, & Aulonem uſque ad mare mortuum, qui per Hierichuntem prolabens in mare mortuum, in illud deſinit (& nomen amittit.) |

JOSAPHAT VALLIS. Vide CFDRON, & VALLIS JOSAPHAT.

JOTA. Vide ſupra JETA.

| | | |
|---|---|---|
| [2] *IROTH, locus deſerti ad quem venerunt filii Iſrael mare transfretantes.* | Εἰρώθ, τόπος τῆς ἐρήμου, ἐφ' ὃν κατήντησαν [6] ἀπὸ τῆς Αἰγύπτου οἱ υἱοὶ Ἰσραὴλ, ἀφ' οὗ διῆλθον τὴν ἐρυθρὰν θάλασσαν. | IROTH, locus deſerti, ad quem venerunt ex Ægypto filii Iſrael a quo mare rubrum tranſierunt. |
| [3] *ISIMOTH, ubi abſconditus eſt David: de qua & ſupra quid nobis videretur diximus, ponentes Bethſimuth.* | Ἰσιμώθ. ἔνθα ἐκρύπτετο Δαβίδ· κεῖται καὶ ἀνωτέρω Βηθσιμοὺθ καθὰ δεδήλωται. ἐν δὲ τῇ πρώτῃ τῶν Βασιλειῶν ἀντὶ τοῦ Ἰεσσιμοὺθ ὁ μὴν Ἀκύλας τῆς ἠφανισμένης. ὁ δὲ Σύμμ. τῆς ἐρήμου ἐκδεδώκασι. | ISIMOTH, ubi ſe abſcondebat David: extat & ſupra Bethſimuth, uti oſtenſum eſt. at in I. Regnorum, pro Jeſſimuth, Aquila quidem exterminatæ, (vel deletæ penitus) Symmachus vero, deſerti reddiderunt. |

ISTHEMO. Vide ASTEMEC & ESTHEMO.

| | | |
|---|---|---|
| [4] *ITABYRIUM, pro qua Aquila & Symmachus in Oſee Propheta tranſtulerunt Tabor.* | Ἰταβύριον, Ακύλας, Σύμμαχος, Θαβὼρ ἐν Ὠσηέ. κεῖται δὲ καὶ ἐν τῷ μεγάλῳ [7] πεδίῳ. | ITABYRION, Aquila, & Symmachus (vertunt) Thabor in Oſee. ſita eſt in magno campo. |

ITALIA, Europæ nota regio, urbe Roma, & Pontificum ſede nobilis.

---

N o t æ.

[1] Unicus hic eſt fere Terræ Promiſſæ fluvius in Scriptura nominatiſſimus. Juxta Libanum oritur in extremis Judææ terminis Aquilonaribus, ubi duo fontes ſunt *Jor* & *Dan*, a quibus mixtis juxta urbem Dan, hic fluvius & aquas & nomen accipit, duobus fontium nominibus in unum conjunctis. Ab hiſce fontibus uſque ad mare Galilææ vocatur Jordanes *minor*: a loco unde erumpit ex iſto mari uſque ad mare mortuum dicitur *Jordanes major*, quod auctus variis fontium & torrentium aquis ibi latiore feratur alveo. Vide de Jordane plura a nobis dicta, Num. 34. v. 11. 12. Quomodo autem hic dicatur *Jordanes Judæam ſecare*, ſumto nomine Judææ latiſſime, ut videlicet comprehendat totam regionem, quam omnes duodecim tribus cis vel trans Jordanem poſſederunt, non eſt difficile intelligere. Rurſum quomodo *Aulonem vallem ſecaret*, ſi Aulon non tantum cis, ſed etiam parte ſui trans Jordanem eſſet, quod videtur ſupra in Aulone valle ſenſiſſe Hieronymus (nam ea Hieronymi verba eſſe mihi perſuadeo) ſatis manifeſtum eſt: at quomodo recte dici poſſit *Jordanes Arabiam ſecare* ac *dividere*, cum nulla pars Cis-Jordaninæ regionis legatur Arabiæ attributa, non facile eſt intelligere, niſi quis dicat etiam quædam cis Jordanem ſubinde Arabiæ adſcribi; nam etiam apud Joſephum Lib. v. Belli Judaic. Cap. 5. lego Zoaram ſeu Segor, quæ cis Jordanem erat, Arabiæ attribui: Immo & apud Diodorum Siculum Lib. 3. non tantum mare mortuum, & Hierichuntis vicinaque opobalſami regio cis Jordanem, ſed etiam tota Judæa videtur intra Arabiam comprehendi. Bonfrerius.

[2] Videri poſſint hæc Euſebii verba intelligenda eſſe de loco ad quem, tranſmiſſo mari, Iſraelitæ venerint; at nullus eo nomine locus reperitur, ad quem Iſraelitæ venerint tranſvadato mari, ne in Septuaginta quidem Interpretum verſione: capienda ergo hæc verba de loco ad quem venerint paulo poſt transfretaturi, nempe de *Phihahiroth*, quam vocem compoſitam ſi dividas, & poſteriorem partem vocis compoſitæ retineas, habebis *Hiroth*, vel *Iroth*, & ita Septuaginta Interpretes locum hunc nominarunt, ut etiamnum in omnibus codicibus habetur, Num. 33. v. 8. at v. præcedente non tantum poſteriorem partem retinuerunt, ſed etiam loco prioris partis vocem Græcam ejuſdem ſignificationis ſubſtituerunt, στόμα Εἰρώθ, *os Iroth*. ita quidem illi iſto capite, cum antea Exodi 14. v. 1. plane aliter eam vocem vertiſſent, appellativeque reddidiſſent, ἀπέναντι τῆς ἐπαύλεως, *ex adverſo ſuburbii*, pro quo verſio noſtra habet, *e regione Phihahiroth*. Idem.

[3] Manifeſtum eſt Euſebium voluiſſe deſertum illud ſignificare, quod in verſione noſtra appellatur *Jeſimon*, 1. Reg. 23. v. 24. at codices Septuaginta Interpretum non habent nunc *Iſimoth*, vel *Jeſimoth*, ſed *Jeſſæmu*, vel *Jeſſemoun*. Vide ſupra in *Jeſimon* & *Æſimon*. Quod autem de *Bethſimuth* dicit Euſebius, videtur duo loca, unum cis, alterum trans Jordanem (ibi enim erat *Bethſimoth*) confudiſſe. Idem.

[4] Ita Oſee 5. v. 1. vocarunt *montem Thabor* Septuaginta Interpretes, pro quo & verſio noſtra *Thabor* habet, & textus Hebræus diſerte. Neque vero ſoli Interpretes Septuaginta *montem Thabor*, *Itabyrium* vocavere, ſed & Joſephus non uno loco. Idem.

[5] Τὴν Ἰουδαίαν τῆς Ἀραβίας) Tempore, nimirum, *Euſebii*, in quo Arabiæ tribuebatur quidquid erat ad ortum Jordanis ad Euphratem uſque, præſertim inferiorem Jordanem verſus. Vide urbes Arabiæ in Diœceſi Antiochena, apud *Carolum a S. Paulo*. *Bonfrerius* ſcripſerat commentarium ſuum in Latina *Hieronymi*, antequam *Euſebii* Græca videret. Alioquin ambiguitatem verſionis Hieronymianæ verbis Græcis facile diſcuſſiſſet. Nam quod dicit *Hieronymus*, *dividit Judæam & Arabiam*, id ex *Euſebio* liquet non ita intelligendum, quaſi velit per mediam Arabiam fluxiſſe Jordanem, ſed quod Jordanes Judæam ab Abrabia ſepararet. Clericus.

[6] Ἀπὸ τῆς Αἰγύπτου) In MS. Regio ſequuntur tantum hæc verba: ἐφ' οὗ διῆλθον τὴν Ἐρυθρὰν θάλασσαν, ita ut quidquid amplius hic habetur, aut mutatum eſt, ſit *Bonfrerio* tribuendum. Idem.

[7] Πεδίῳ) Addita erant in Codice Regio hæc verba: εἰς ἔτι νῦν πάραλος κλήρου Δάν. Sed non poterant pertinere ad montem Itabyrium. Itaque ea, ut diximus ad vocem Ἰοππη retulit *Bonfrerius*. Idem.

HIERONYMUS.

[1] *ITURÆA, & Trachonitis, regio cujus Tetrarcha fuit Philippus, sicut in Evangeliis legimus. Trachonitis autem dicitur terra juxta Arabiæ desertum, quod Bosræ jungitur.*

ΕΥ'ΣΕ'ΒΙΟΣ.

Ἰτυραία, ³ ἣ καὶ Τραχωνῖτις, χώρα ἧς ἐπετράρχει Φίλιππος, ὡς ἐν εὐαγγελίοις. Τραχωνῖτις δὲ καλεῖται ἡ παρακειμένη χώρα τῇ ἐρήμῳ τῇ κατὰ Βοστρὰν τῆς Ἀραβίας.

EUSEBIUS.

ITURÆA, quæ & Trachonitis, regio cui imperabat Philippus, ut (est) in Evangeliis. Vocatur autem Trachonitis regio, quæ sita est juxta desertum, quod conjungitur Bostræ in Arabia.

JUCADAM, urbs in tribu Juda, Jos. xv. vers. 56.

[2] *JUD, in tribu Dan.*

JUDÆA, regio in tota Scriptura satis nota. Illud tantummodo de ea advertendum a tribu Juda inter omnes tribus præstantissima nomen hoc regioni impositum; non tamen arctari ad regionem, quam tribus Juda obtinuit. Rursum tamen illud notandum *Judææ* nomen non uno modo accipi: siquidem fusissima significatione tam late extenditur quam ipsum Judæorum nomen, atque adeo ad omnem regionem, quam cis vel trans Jordanem Israelitæ possederunt. Alias vero ad regiones Cis-Jordaninas restringitur. Tandem etiam restrictius capitur ut a Samaria & Galilæa distinguatur, & solum comprehendat eam regionem, quam reges Juda ab Israelitis separati tenuerunt, nempe tribum Juda & Beniamin: atque ita fere in libris Machabæorum & Evangelio capitur, imo fere in tota Scriptura, & apud Josephum: prior acceptio utraque fere vulgaris est, & Geographorum, Hieronymi item ad Cap. 1. Isaiæ.

---

NOTÆ.

[1] Ubi *Ituræa* & *Trachonitis* fuerit, an regio una ab altera diversa, an intra Israelitarum fines, non admodum liquidum est. Sunt enim qui has regiones inter se non distinguant, e quibus est Ortelius in Geographico thesauro (qui *Ituræam* & *Trachonitidem* eamdem esse existimat cum *Peræa*) & Eusebius tum hic, tum in voce *Trachonitis* infra. At verior est opinio tum has inter se, *Ituræam* & *Trachonitidem*, tum a *Peræa* distingui. Et imprimis quidem a *Peræa* distingui opinione Josephi Lib. III. Belli Judaic. Cap. 2. non dubito, utpote qui Peræam totam producit a Pella usque ad Moabitidem regionem, quæ tota fuit Israelitarum trans Jordanem habitantium regio: *Ituræam* autem & *Trachonitidem* nemo erit qui ad Moabitas extendat. Addo vero totam *Ituræam* & *Trachonitidem* extra Israelitarum fines fuisse; & Trachonitas quidem ab Israelitarum genere exteros fuisse indicat Josephus, qui *Trachonitidis* habitatores vult ab Hus seu Uses (ita ipse vocat) Arami filio proseminatos fuisse, Lib. 1. Antiq. Judaic. Cap. 7. Idem satis indicant ea, quæ de *Trachonitis* habet idem Josephus Lib. xv. Ant. Judaic. Cap. 13. ubi *gentem esse*, ait, *latrociniis assuetam, nec oppida, nec agros habere, sed in speluncis ferarum more agere:* quæ de Israelitis nemo facile afferat. *Ituræam* vero etiam extra Israelitarum fines fuisse manifeste indicant hæc. Primo, quod 1. Paral. 5. v. 19. Ituræi (qui & ipsi Ismaelitæ & in Agaræorum numero erant, ut ad eum locum probandum erit) Agaræis adversum Israelitas, Rubenitas, inquam, Gaditas, & Manassitas, qui trans amnem habitabant, auxilium ferant. Denique id quod de Aristobulo Judæorum rege Josephus refert Lib. XIII. Ant. Judaic. Cap. 19. quem prodit bellum *Iturææ* intulisse, ejusque habitatores compulisse circumcisionem cæterosque Judaicos ritus suscipere: quæ omnia satis arguunt a gente Judaica extraneos fuisse. Porro *Ituræam a Trachonitide* distinguendam esse meo judicio non obscure indicat Lucas Cap. 3. v. 1. cum ait *Philippum fuisse Tetrarcham Iturææ & Trachonitidis regionis*, qui modus loquendi satis distinctionem indicat. Deinde inter hos distinguit Strabo Lib. 16. qui *Trachonitidem* a Trachonibus montibus, quos inhabitant, dictos asserit, eosque montes ultra Damascum, ultraque extremos fines Libani & Antilibani esse tradit: mox vero de *Ituræis* loquens: *Montanam*, inqnit, *regionem Ituræi & Arabes habent*. Distinguit & inter has regiones Adrichomius; sed meo judicio parum apte, dum *Ituræos* cis Jordanem collocat, cum utrique in montibus trans Damascum videantur habitasse. BONFRERIUS.

[2] De hac habes Jos. 19. v. 45. IDEM.

[3] Ἡ καὶ Τραχωνῖτις, χώρα) Sic scripsi, cum in Editione Bonfreriana & nupera Parisina, hæc prave scripta & distincta essent, hoc modo ἡ καὶ Τραχωνῖτις χώρα, ἧς &c. Rectius vertisset *Hieronymus*, *quæ & Trachonitis regio cujus* &c. Minuta hæc sunt, fateor; sed in hisce minutis peccandum non erat, dum virorum literatorum & de Literis bene meritorum fama tam acerbe impeteretur, quam a Benedictino Monacho factum. CLERICUS.

---

L

LABAN. Vide paulo post LABON.

LABANA. Vide infra LEBNA.

[1] *LABANATH, in tribu Aser.*

[2] *LABAOTH, in tribu Simeonis.*

Λαβανάθ, κλήρυ Ἀσήρ.

Λαβών. κλήρυ Συμεών.

LABANATH, Sortis Aser.

LABON, sortis Symeon.

---

NOTÆ.

[1] De hac habes Jos. 19. v. 26. A candore videtur ita locus appellatus, nam לבן *Laban* candorem significat. Unde autem id nomen sumtum sit, vel sumi potuerit disputamus ad illum locum supra, Jos. 19. BONFRERIUS.

[2] In versione nostra, Jos. 19. vers. 6. *Bethlebaoth* dicitur, ubi inter Simeonicas urbes recensetur; eadem tamen, quantum existimo, cum *Lebaoth*, quæ tribui Juda adscribitur, Jos. 15. v. 32. siquidem omnes tribus Simeonis urbes tribui Judæ ablatæ sunt. IDEM.

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [1] *LABOEMATH, pro quo Aquila interpretatur ingressus Emath,* | [8] Λαβωεμαὰθ, Ἀκύλας, εἴσοδος Ἐμαάθ. | LABOEMATH, Aquila, ingressus Emath. |
| [2] *LABON, locus solitudinis trans Jordanem, in quo Moyses Deuteronomium legit.* | | |
| [3] *LABOTH, in tribu Juda.* | Λαβὼθ, φυλῆς Ἰούδα. | LABOTH, tribus Juda. |

LACEDÆMON, Laconicæ urbs primaria, alio nomine *Sparta* dicta.

| | | |
|---|---|---|
| [4] *LACHIS, in tribu Juda. Sed & hanc cepit Jesus rege ejus interfecto. Meminit hujus Esaias & Hieremias, & nunc est villa in septimo milliario ab Eleutheropoli euntibus Daromam.* | Λάχης, καὶ ταύτην εἷλεν Ἰησοῦς, τὸν βασιλέα αὐτῆς ἀνελών. μέμνηται αὐτῆς καὶ Ἡσαΐας· καὶ εἰς ἔτι νῦν κώμη Ἐλευθεροπόλεως ἀπέχουσα σημείοις ζ' πρὸς νότον ἀπιόντων εἰς τὸ Δαρωμάν. κεῖται καὶ ἐν Ἱερεμίᾳ, φυλῆς Ἰούδα. | LACHIS, & hanc cepit Jesus rege ejus interfecto. Meminit ejus Isaias, & usque hodie vicus est distans Elentheropoli septem milliaribus ad austrum pergentibus in Daroma. exstat in Hieremia, tribus Juda. |
| [5] *LACHUM, terminus Nephthalim.* | Λαχοὺν, ὅριον Νεφθαλείμ. | LACHUM, terminus Nephthali. |
| [6] *LADABAR, ubi erat Miphiboseth.* | Λακαμὲρ, ἔνθ Μιφιβοζὴθ. | LACAMER, ubi (erat) Miphiboseth. |

LAHELA, 1. Paral. v. vers. 26. Assyriorum regio, ad quam Israelitæ ab Assyriorum rege translati, quæ alibi *Hala* dicitur: eamdem enim cum hac esse ex Heb. liquet, ubi primum ל præpositionis loco est. Vide supra in HALA, ALLEA & GOZAN.

LAHEM, 1. Paral. IV. vers. 22. quantum ex circumstantiis colligi potest, urbs fuit in tribu Juda, quandoquidem ea habitationi filiorum Juda ibi adscribatur. Neque hæc videtur alia ab ea quæ Jos. XV. vers. 40. *Lebeman* tribui Judæ adscribitur; Hebraica enim utrimque scriptio congruit, si servilem literam in fine additam Jos. XV. excipias.

LAIS. Vide LAISA proxime.

| | | |
|---|---|---|
| [7] *LAISA, hanc filii Dan captam manu possederunt, cum esset procul a Sidone, & voca-* | Λεῖσαι, ταύτην ἑλόντες υἱοὶ Δὰν ᾤκησαν, ἄποθεν οὖσαν Σιδῶνος, καὶ ἐπεκάλεσαν αὐτὴν Δὰν, ἣ γέγονεν | LISAI, hanc captam filii Dan habitarunt procul Sidone, & vocaverunt eam Dan: quæ |

NOTÆ.

[1] Habent hanc vocem Interpretes Septuaginta in omnibus etiamnum Codicibus, præterquam Regio, Judic. 3. v. 3. pro quo in versione nostra est *ad introitum Emath*, quomodo & alibi easdem Hebræas voces לבוא חמת *Lebo chamath*, reddiderunt Interpretes Septuaginta, ut Jos. 13. v. 5. ἕως τῆς εἰσόδου Ἐμαάθ. BONFRERIUS.

[2] In versione nostra *Laban* appellatur, Deuteron. I. v. I. Ubi autem is locus sit, & quomodo *trans Jordanem*, ibidem diximus; ubi negamus posse intelligi locum hunc cum cæteris, quæ ibi nominantur, fuisse in campestribus Moab trans Jordanem, ubi Moyses paulo ante mortem Deuteronomium Israelitis repetiit & inculcavit, sed locum in deserto fuisse non procul monte Sinai, ubi primum datæ fuerant leges, quæ in Deuteronomio repetuntur. IDEM.

[3] Hæc est illa, quam paulo ante in *Labaoth* diximus in versione nostra vocari *Labaoth*, Jos. 15. v. 32. quæque postea Simeonis tribui attributa dicitur *Bethlebaoth*. IDEM.

[4] Hanc tribui Judæ attributam habes, Jos. 15. v. 39. & 2. Esdræ 11. v. 30. E quinque regibus, qui adversus Josue dimicarunt Jos. 10. cum Sol & Luna ad imperium Josue steterunt, Deusque e Cœlo lapidibus grandinis pro Israelitis pugnavit, unus hic fuit rex *Lachis*, quem captum cum sociis Josue in patibulum egit. Eamdem urbem a Josue expugnatam eodem habes Cap. 10. IDEM.

[5] In versione nostra *Lecum* appellatur, Jos. 19. v. 33. ubi, quantum colligi probabiliter potest, is locus ponitur in extremis tribus Nephthali ad Aquilonem terminis, atque adeo & in extremis totius Judææ terminis. IDEM.

[6] In versione nostra hæc urbs *Lodabar* appellatur, 2. Reg. 9. v. 4. 5. ubi & de Miphiboseth in ea urbe enutrito habes, Ejusdem urbis rursum fit mentio eodem Lib. Cap. 17. v. 27. sed ubinam sita hæc urbs? Mihi illud videtur certum fuisse trans Jordanem, non procul Machanaim seu castris, in qua urbe Isboseth trans Jordanem regiam suam fixerat, in quam & postea David ab Absalomo profugus se recepit: id enim circumstantiæ omnes, fuga illa Miphiboseth (quo enim fugeret, nisi quo confugiebant cæteri, & ubi solus a Philisthæis tutus receptus esse putabatur?) & Isbosethi in eadem regione regia, & officia trans Jordanem Davidi ad castra eunti ab Ammiele de Lodabar exhibita requirunt. Fueritne autem in tribu Gad, an in dimidia tribu Manasse Trans-Jordanina quæri possit: Adrichomius probabiliter in tribu Gad reponit; ego in dimidiam tribum Manasse inclino, ob ratiunculam, quam adferam 2. Reg. 9. IDEM.

[7] Hæc in versione nostra *Lais* appellatur, Judic. 18. ubi totam illam Danitarum expeditionem fusius descriptam habes. Eadem item *Lesem* dicta fuit, ut e Jos. 19. v. 47. liquet: postea *Dan* vel vocabulo composito *Lesem Dan* nuncupata fuit, ut ex iisdem perspicuum est capitibus. Vide supra DAN. Eadem dicta est posterioribus temporibus *Paneas*, maxime vero apud auctores profanos, ut mirum sit hic ab Eusebio dici *sitam esse juxta Paneadem*. Est altera *Laisa* urbs etiam in versione nostra appellata, cujus fit mentio Isaiæ 10. v. 30. & 1. Machab. 9. v. 5. quam ego probabilibus argumentis existimo fuisse in tribu Benjamin, quandoquidem aliæ civitates, quibus conjungitur Isaiæ 10. Rama, Gabaath Saulis, Gallim, Anathoth in tribu essent Benjamin. IDEM.

[8] In manuscripto habebatur Δαμωμαὰθ sed ex Hebræa voce, & ejus hic interpretatione constat perspicuum mendum esse. IDEM

1 Hæc

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
| --- | --- | --- |
| *verunt eam Dan. Fuit autem terminus Judææ contra Septemtrionem, a Dan uſque ad Berſabee ſe tendentis. Meminit hujus & Eſaias. Sita eſt autem juxta Paneadem, de qua Jordanis fluvius erumpit.* | ὅριον τῆς διηκούσης. [6] μέμνηται αὐτῆς καὶ Ἡσαΐας. κεῖται καὶ ἀνωτέρω πλησίον Πανεάδος, ἐξ ἧς καὶ Ἰορδάνης πρόεισι. | fuit terminus pertingentis. Meminit ejus Iſaias. extat & ſupra, juxta Paneadem, de qua Jordanis erumpit. |
| [1] *LAMAS, in tribu Juda.* | Λαμὰς, φυλῆς Ἰούδα. | LAMAS, tribus Juda. |
| [2] *LAMATHARA, ad quem locum Jonathan jacula dirigebat. Pro quo Aquila interpretatur ad ſignum, Symmachus ad condictum.* | Λεματτάρα, ἔνθα Ἰωναθὰν ἠκόντιζε τὰς σχίζας. Ἀκύλας, εἰς σκοπόν. Σύμμαχος, εἰς τὸν συντεταγμένον. | LEMATTARA, ubi Jonathas jaculabatur ſagittas. Aquila in ſcopum, Symmachus ad condictum. |

LAMPSACUS, Myſiæ eſt civitas ad Helleſpontum Ptolemæo & Straboni, juxta Propontidem Stephano. Poteſt utrumque verum eſſe, nam Helleſpontus Propontidi adhæret; nempe ſi ibi ſita fuerit ubi Helleſpontus Propontidi conjungitur.

LAODICEÆ fit aliquoties in Scriptura mentio, ſed cum plures ſint *Laodiceæ*, non de alia arbitror Scripturam loqui, quam de ea quæ Straboni in Phrygia eſt, a Ptolemæo vero in Lydia Phrygiæ vicina ad Lycum fluvium reponitur. Porro de ea Scripturam loqui, præſertim vero Paulum in Epiſtola ad Coloſſenſes, ſatis perſpicuum eſt, cum & Coloſſiæ, ad quarum cives eam Epiſtolam ſcribit, & Hierapolis, cujus itidem eodem Cap. IV. verſ. 13. meminit Paulus, fuerint in Phrygia. Porro teſte Strabone Lib. XII. Apamia, quæ & Cibotus dicitur, & *Laodicea* Phrygiarum urbium maximæ ſunt.

LAPIS ADJUTORII. Vide ABENEZER.

| | | |
| --- | --- | --- |
| [3] *LAPIS BOEN, filiorum Ruben, eſt autem terminus tribus Juda.* | [7] Λίθος βοηθοῦ, ἐν υἱοῖς Ῥουβὶν, ὅριον φυλῆς Ἰούδα. | LAPIS AUXILIATORIS, in filiis Ruben, terminus tribus Juda. |

LAPIS ZOELETH. cujus fit mentio, 3. Reg. I. verſ. 9. in ſuburbano Hieroſolymæ loco, vicinus fonti Rogel, ad Orientem montis Sion, ubi Adonias inaugurari ſe regem curaverat.

| | | |
| --- | --- | --- |
| [4] *LASA, terminus Chananæorum circa Sidonem.* | Λασὰν, ὅριον τῶν Χαναναίων περὶ [8] τὴν Σοδομίτην. | LASAN, terminus Chananæorum circa Sodomam. |
| [5] *LASARON, & hanc ce-* | Λασαρὼν, καὶ ταύτην εἷλεν Ἰη- | LASERON, & hanc cepit |

NOTÆ.

[1] Hæc eſt illa quæ in verſione noſtra *Lebeman* appellatur, Joſ. 15. v. 40. ibi enim codices Septuaginta Interpretum ſinceriores etiamnum habent *Lamas*: ut proinde Septuag. Interpretes videantur hanc vocem per ס literam in fine legiſſe, quomodo etiamnum aliqui Hebræi codices exhibent, cum alii codices plures ם ſimilis figuræ exhibeant, quomodo etiam videtur legiſſe Hieronymus, licet in fine *n* pro *m* ſuppoſitum ſit in verſione noſtra. BONFRERIUS.

[2] Hanc vocem habes apud Septuaginta Interpretes, 1. Reg. 20. v. 20. ubi & verſio noſtra appellative, *ad ſignum*, expreſſit. Itaque hæc vox, quæ ex Hebræo expreſſa eſt, ad propria nomina nihil pertinet. Sed de ea plura ad locum illum 1. Reg. 20. IDEM.

[3] Eſt hic *lapis Boen* in communibus terminis tribus Judæ & Benjamin, Joſ. 15. v. 6. & Cap. 18. v. 18 atque adeo in hujus terminis Auſtralibus, illius Aquilonaribus. Unde id nomen ab uno e poſteris Ruben *Boen* dicto acceperit obſcurum eſt. IDEM.

[4] In verſione noſtra *Leſa* appellatur, Gen. 10. v. 19. Fuiſſe vero *circa Sidonem* Scriptura non aſſerit, ſed potius contrarium indicat, fuiſſe videlicet *circa Sodomam* & Pentapolim, quod longe verius eſt: unde ad illum Geneſis locum ſecuti Hieronymum in traditionibus Hebraicis diximus eamdem eſſe cum *Callirhoe* juxta mare mortuum, ubi aquæ calidæ prorumpentes in mare mortuum defluunt. De *Callirhoe* ejuſque aquis calidis & potabilibus, vique earum medica, earumque defluxu in mare mortuum vide etiam Joſephum Lib. 17. Ant. Judaic. Cap. 8. & Lib. 1. Belli Judaic. Cap. 21. Ejuſdem *Callirhoes* ad Orientalem plagam Jordanis meminit Ptolemæus; Plinius vero Lib. 5. Cap. 16. videtur circa maris mortui latus meridianum collocare, ut mirum non ſit Gen. 10. terminum Chananæorum dici eſſe, *donec ingrediaris Sodomam, Gomorrham, Adamam, & Seboim uſque Leſa*; quaſi hic extremus eſſet Chananæorum limes a plaga Orientali & meridiana. IDEM.

[5] Hujus fit mentio, Joſ. 12. v. 18. ubi verſio noſtra habet *Saron*, in Hebræo autem habetur *Laſſaron*, quod ſecuti ſunt (ut ex Euſebio hic liquet) Septuaginta Interpretes: ſed & nunc Regius codex *Leſaron* habet; cæteri codices vocem plane corrumpunt. Porro Hieronymus illud ל initiale in hac voce cenſuit eſſe ſervile & articuli loco. Ubi autem *Saron* illa fuerit, vel *Laſſaron*, non eſt facile definire: etſi enim aliquoties *Saronis* Scriptura meminerit, nuſquam tamen vel ſitum urbis explicat, vel circumſtantias, e quibus ſitus hic colligi poſſet. Credibile tamen eſt eſſe illam *Saronam*, cujus fit mentio Act. 9. v. 35. quæ ibi juxta Lyddam conſtituitur. Et vero ibi conſtituit Adrichomius in tribu Ephraim. Fuit autem regio amœna, ut indicat Iſaias Cap. 33. v. 9. & Cap. 35. v. 2. Eadem paſcendis pecoribus opportuniſſima, ut indicatur 1. Paral. 27. v. 29. Hinc & Hieronymus ad Iſaiæ 65. v. 10. ad illa verba: *& erunt campeſtria in caulas gregum*, ſic ait: *Pro campeſtribus, in Hebræo* שרון *Saron ponitur. Omnis regio circa Lyddam, Joppen, & Jamniam apta eſt paſcendis gregibus*. Item ad Iſaiæ 33. v. 9. *Saron*, inquit, *omnis circa Joppen, Lyddamque appellatur regio, in qua latiſſimi campi fertileſque redduntur*. Itaque non tantum urbs hoc nomen habuit, ſed etiam tota circumfuſa regio campeſtris & pinguis a Cæſarea Palæſtinæ uſque ad Joppen, ut habet infra Hieronymus ad vocem SARON. IDEM.

[6] Hæc deeſſe videntur: τῆς Ἰουδαίας τῆς διηκούσης ἀπὸ Δὰν μέχρι Βηρσαβεὲ. i. e. *Judææ pertingentis a Dan uſque Berſabee*. IDEM.

[7] Ne hic ex Euſebio fallare; non eſt hic lapis ille lapis, qui in verſione noſtra dictus eſt *lapis adjutorii*. Neque vero in Septuaginta Interpretibus habetur βοηθοῦ (quod mendoſum eſſe puto) ſed Βαιὼν, Joſ. 15. & 18. IDEM.

[8] Credo legendum τὴν Σοδομὰν quod rectius eſſe quam quod de Sidone apud Hieronymum legitur liquet ex iis quæ jam ante ad Hieronymum annotaveram. IDEM.

[8] Περὶ τὴν Σοδομίτην) Legendum eſt Σοδομῖτιν, hoc eſt, terram Sodomorum, qua de re diximus Quæſt. Hieron. III. §. 16. CLERICUS.

HIERONYMUS.

*pit Jesus rege illius interfecto.*

LATITUDO, nomen est putei ab Isaaco in regione Geraritica effossi, Gen. xxvi. vers. 22.

LEBAOTH. Vide LABAOTH.

[1] *LEBNA, in tribu Juda civitas Sacerdotalis, quam tenuit Jesus rege illius interfecto, nunc est villa in regione Eleutheropolitana, quæ appellatur Lobna. Scribit de hac Isaias.*

[2] *LEBONA, in deserto castra filiorum Israel.*

[3] *LECHI, pro quo Aquila & Theodotion interpretantur maxillam, de qua & supra diximus.*

ΕΥΣΕΒΙΟΣ.

σοῦς τὸν βασιλέα αὐτῆς ἀνελών.

Λέννα, καὶ ταύτην εἷλεν Ἰησοῦς τὸν βασιλέα αὐτῆς ἀνελών, ἣ γέγονε φυλῆς Ἰούδα, πόλις ἱερατικὴ, καὶ νῦν ἐστὶ κώμη ἐν Ἐλευθεροπολιτάνῃ, λεγομένη Λοβανά. κεῖται καὶ ἐν Ἡσαΐᾳ.

Λέχει, ἐν Λέχει, Ἀκύλ· καὶ Σύμμαχος, ἐν σιαγόνι.

EUSEBIUS.

Jesus, rege ipsius interfecto.

LEENA, & hanc cepit Jesus rege ejus interfecto, quæ fuit tribus Juda, civitas sacerdotalis, & nunc est vicus Eleutheropolitanus dictus Lobana. extat in Isaia.

LECHI, In Lechi, Aquila & Symmachus, in maxilla.

LECUM. Vide LACHUM.

LEGIO, urbs cujus hoc in libro de locis Hebraicis frequentius fit mentio, atque ab ea aliarum urbium distantia sumitur. Fuit ad Orientem montis Thabor in tribu, quantum colligi potest, Issachar. Fuisse autem ad Orientem montis Thabor, ex eo colligo, quod infra in voce NAZARETH, quæ haud dubie ad Occidentem montis Thabor erat, dicitur *Nazareth fuisse in quintodecimo milliario Legionis, quæ Legio sit ipsi Nazareth ad Orientalem plagam* (ita enim interpretor verba alioqui ambigua quæ ibi habentur:) At ab Adrichomio *Nazareth ponitur duabus leucis a monte Thabor distans ad Occidentem: tribus* a Brochardo: igitur debuit *Legio* versus Orientem abesse longius, quam Thabor.

LEHEMAN, urbs in tribu Juda, Jos. xv. vers. 40.

LESA. Vide supra LASA.

[4] *LESEM, hunc filii Dan vi captam cognominaverunt Dan.*

[5] *LIBANUS, mons Phœnices altissimus.*

Λεσὲμ, ταύτην οἱ υἱοὶ [7] Ἰούδα ἐκπολιορκήσαντες ἐκάλεσαν Δάν.

Λίβανον, ὄρος Φοινίκης ἐπιφανές.

LESEM, Hanc filii Juda expugnatam vocaverunt Dan.

LIBANUS, Mons Phœnicis conspicuus.

LIBIAS, cujus non semel in hoc libro de locis Hebraicis fit mentio, urbs est trans Jordanem, in honorem Liviæ matris Tiberii exstructa vel reparata, a qua & *Libiadis* nomen accepit teste Eusebio in Chronico. Hanc eamdem esse cum ea, quæ *Betharan* in Scriptura dicitur, in sorte tribus Gad, supra in voce BETHARAN habetur.

LIBYA, Africæ regio ampla, sed desertorum vastitate, & arenarum cumulis infamis.

LITHOSTROTOS. Vide supra GABBATHA.

LOBNA. Vide supra LEBNA.

LOCUS FLENTIUM. Vide supra CLAUTOMON.

LOCUS IDOLORUM, erat in Galgalis, Judic. III. vers. 19. & 26. sic dictus ab idolis, quæ Moabitæ ibi statuerant, ut ad eum locum explicamus.

LOCUS MAXILLÆ, Judic. xv. vers. 14. seu *Maxilla locus*, de quo & supra in LECHI actum.

LOD, urbs in tribu Benjamin, I. Paral. VIII. vers. 12. & I. Esdræ II. vers. 33. & 2. Esdræ XI. vers. 34.

[6] *LODABAR, unde fuit Machir.*

Λωδαβὰρ, ὅθεν [8] ἦν Μαχείρ.

LODABAR, unde erat Machir.

---

N O T Æ.

[1] Hæc in versione nostra *Lebna*, *Lobna*, vel *Labana* appellatur. Tribui Judæ attributam habes, Jos. 15. v. 42. Inter Sacerdotales urbes censetur, Jos. 21. v. 13. & I. Paral. 6. v. 57. Hanc urbem obsidebat Sennacherib rex Assyriorum, cum una eademque nocte cæsa sunt ab Angelo de ejus exercitu centum octoginta quinque millia, 4. Reg. 19. Isaiæ 37. BONFRERIUS.

[2] Et hæc mansio in versione nostra *Lebna* appellatur, Num. 33. v. 20. 21. Est & *Lebona* oppidum in tribu Ephraim ad Aquilonem urbis Silo, Judic. 21. v. 19. IDEM.

[3] De *Lechi* seu *Maxilla* habes, Judic. 15. v. 9. 14. 17. a Samsonis maxilla, qua fudit Philisthæorum exercitum, ex eisque mille virorum stragem edidit, locus sic dictus. IDEM.

[4] De hac & supra dictum est in voce *Laisa* & *Dan*, & *Cæsarea Philippi*. IDEM.

[5] De *Libano monte* ad Septemtrionem in extremis terminis Terræ Promissæ, vide supra in voce *Antilibanus*, & ea quæ a nobis dicta, Deuter. I. v. 7. IDEM.

[6] De hac urbe Trans-Jordanina supra dictum in *Ladabar*. De isto *Machir* habes iisdem locis, quibus istius urbis fit mentio. IDEM.

[7] Pro *Juda*, hic lege *Dan*. IDEM.

[11] Ἦν) Sic recte emendavit *Martianæus*, pro νῦν, *nunc*; quod est in Codice Regio. CLERICUS.

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [1] *LOTHAN, urbs ducum Edom.* | Λωτὰμ, πόλις ἡγεμόνων Ἐδώμ. | LOTAM, civitas principum Edom. |
| [2] *LUITH, hujus meminit Esaias: & est usque hodie vicus inter Areopolim & Zoaram nomine Luitha.* | Λουὶθ, μεταξὺ Ἀρεοπόλεως καὶ Ζοορῶν, κώμη νῦν καλουμένη Λουίθ. | LUITH, inter Areopolem & Zooras, quæ nunc appellatur vicus Luith. |
| [3] *LUZA, in tribu Benjamin, quam postea Jacob cognominavit Bethel. Est autem usque hodie villa in sinistra parte viæ de Neapoli pergentibus Æliam.* | Λουζὰν, ταύτην ἐπωνόμασεν Ἰακὼβ [6] Βηθλεέμ. οἰκεῖται δὲ εἰς ἔτι κώμη οὖσα ἐπαριστερὰ τῆς ὁδοῦ τῆς ἀγούσης ἐπ' Αἰλίαν ἀπὸ νέας πόλεως, ἣ γέγονε φυλῆς Βενιαμίν. | LUZAN, hanc cognominavit Jacob Bethleem. Porro habitatur hodie vicus qui est ad lævam viæ quæ ducit Æliam Neapoli, quæ fuit tribus Benjamin. |
| [4] *LUZA, hæc altera est, quæ cecidit in sortem filiorum Joseph juxta Sichem in tertio lapide Neapoleos.* | Λουζὰ, ἑτέρα, ἣ γέγονε τῶν υἱῶν Ἰωσὴφ παρακειμένη Συχὲμ ἀπὸ [7] θ' σημείοις νέας πόλεως. | LUZA, altera, quæ fuit filiorum Joseph sita apud Sichem in nono lapide Neapoleos. |
| [5] *LUZA, altera juxta Bethel in terra Cethim, quam condidit ille, qui abierat de Bethel, sicut historia narrat.* | Λουζὰ, ἑτέρα αὕτη παρὰ τῇ Βαιθὴλ κειμένη ἐν τῇ Κεττιείμ, ἣν ἔκτισεν ὁ διασωθεὶς ἀπὸ Βαιθήλ. ὡς ἐν κριταῖς ἱστορεῖται. | LUZA, alia hæc est vicina Bæthel in terra Cethim, quam condidit qui Bethele salvus aufugerat, ut in lib. Judicum narratur. |

LYCAONIA, Asiæ Minoris regio, parsque Cappadociæ.

LYCIA, Asiæ Minoris regio.

LYDA, eadem quæ LYDDA, de qua proxime dicetur.

LYDDA, urbs in tribu Ephraim alio nomine dicta *Diospolis* prope Joppen, ut habetur, Act. IX. vers. 38. In hac Petrus Æneam paralyticum sanavit, ut ibi Act. IX. habetur.

LYDIA, Asiæ Minoris regio, ab aliis *Mæonia* dicta.

LYSTRA, Lycaoniæ urbs, ut habetur, Act. XIV. vers. 6. Ptolemæus in Isauria Lycaoniæ contermina ponit. Est & alia *Lystra* in Lycia, cujus fit mentio, Act. XXVII. vers. 5.

NOTÆ.

[1] Nusquam in Scriptura habes hanc vocem pro nomine urbis proprio positam, sed pro viri & ducis nomine proprio, Gen. 36. v. 20. 22. 29. & 1. Paral. 1. v. 38. 39. Sed neque hic *Lotan* ad Idumæorum genus pertinet, erat enim ex Horræis, quos Idumæi sua regione expulerunt, eorumque postea fines possederunt. Vide quæ de hisce Horræis a nobis dicta sunt, Gen. 36. v. 20. BONFRERIUS.

[2] De hac supra actum est in voce *Aabaoth* corrupta. IDEM.

[3] Non est hæc *Luza* a sequenti distinguenda; sed una est in confinio utriusque tribus posita: potius tamen tribui Ephraim, quam Benjamin adscribenda. Hæc eadem *Bethel* vel *Bethel Luza* dicta est. Vide supra in BETHEL. IDEM.

[4] De hac proxime dictum est. Porro in tribu Ephraim esse constituendam illud satis indicat, quod Ephraimitæ eam invadant & capiant, Judic. 1. vers. 22. & deinceps. IDEM.

[5] De hac habes, Judic. 1. v. 26. ubi & disputamus quænam sit *terra* illa *Cethim* vel *Hetthim*, quod etiam supra in *Chetim* attigimus. Verum, quidquid sit, certum videtur eam extra Terræ Promissæ fines fuisse, ut proinde mirum sit hic dici *Luzam illam juxta Bethel fuisse*. IDEM.

[6] Βηθλεέμ) Liquidum est legendum Βαιθὴλ, ex *Hieronymo*, & Scriptura. CLERICUS.

[7] θ' σημείοις) Si recta est lectio *Hieronymi*, legendum γ' pro θ' habet enim *in tertio lapide*. IDEM.

M

| | | |
|---|---|---|
| [1] *MAACHA, regio regis Gessur.* | Μαλακὰ, χώρα βασιλέως Γεσσούρ. | MALACA, regio regis Jessur. |

NOTÆ.

[1] *Maacha* vel *Syria Maacha*, 2. Reg. 10. v. 6. 8. & 1. Paral. 19. v. 6. Cœlesyriæ pars est, quam probabiliter aliqui censent esse eamdem cum *termino Machati*, cujus non semel mentio fit in Scriptura, quique extremus limes Transjordaninæ regionis constituitur versus Septemtrionem: nam & Hebraica utriusque vocis congruit scriptio. Quod autem hic dicitur *regio regis Gessur*, nescio an admitti debeat, quia esto *Gessur Syriæ* esset vicina *Syriæ Maacha*, non tamen eadem est; nam & passim distinguuntur termini Gessuri & Machati: neque necesse fuit ut qui uni termino vel regioni imperaret, is quoque alterius regnum teneret. Adde regem Gessur fuisse amicum regis David, utpote ei affinitate conjunctum, ejus enim filiam uxorem habebat dictam Maacha, ex qua David Absalomum suscepit: qui igitur sit credibile regem illum suppetias in bello tulisse Davidis hostibus? BONFRERIUS.

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΈΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
| --- | --- | --- |
| MAARA SIDONIORUM, locus, vel immanis ſpelunca (id enim *Maara* ſignificat) in extremis Sidoniorum terminis, Joſ. XIII. verſ. 4. qua de re ad eum locum plura. | | |
| [1] *MABSAR, uſque ad præſentem diem vicus grandis in regione Gabalena, & appellatur Mabſara ad urbem Petram pertinens.* | Μάσαρις, ἔτι καὶ νῦν καὶ αὕτη κώμη μεγίστη Μάβσαρα ἐπὶ τῆς Γαβαληνῆς ὑπακούουσα τῇ Πέτρᾳ. | MASARIS, uſque hodie hic vicus maximus Mabſara in Gabalena, ſubdita (civitati) Petræ. |
| [2] *MABSAR, Tyri, pro qua Aquila & Symmachus interpretantur munitam Tyrum.* | Μαψὰρ Τύρου, Ἀκύλας, [9] ἄρμα Τύρου. | MAPSAR TYRI, Aquila, quadriga Tyri. |
| MACCES. Vide HACES. | | |
| [3] *MACEDA, in hac concluſit Jeſus quinque reges in ſpelunca, quos interfecit cum rege Maceda, quæ fuit in tribu Juda: & nunc eſt in octavo milliario Eleutheropoleos contra ſolis ortum.* | Μακηδά, εἰς ταύτην συνέκλεισεν Ἰησοῦς τοὺς ε βασιλεῖς εἰς τὸ σπήλαιον, οὓς καὶ ἀνεῖλε μετὰ τοῦ βασιλέως τῆς Μακηδά, ἣ γέγονε φυλῆς Ἰούδα, καὶ νῦν ἐστὶ πρὸς ἀνατολὰς Ἐλευθεροπόλεως ἀπὸ σημείων η. | MACEDA, in hac concluſit Jeſus quinque reges intra ſpeluncam quos & interfecit cum rege Maceda, quæ fuit tribus Juda, ac modo eſt ad orientalem plagam Eleutheropoleos in octavo milliario. |
| MACEDONIA, illuſtris Græciæ regio, cujus frequens in Actis Apoſtolorum, & Pauli Epiſtolis mentio. | | |
| [4] *MACELOTH, caſtra filiorum Iſrael in ſolitudine.* | Μακηλώθ, σταθμὸς τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ ἐπὶ τῆς ἐρήμου. | MACELOTH, caſtra filiorum Iſrael in ſolitudine. |
| [5] *MACES, urbs unius principum Salomonis.* | Μάκες, πόλις [10] ἑνὸς ἄρχοντος Σολομῶν. | MACES, civitas unius principum Salomonis. |
| [6] *MACHAAS, in Oſee, pro quo Aquila & Symmachus concupiſcentias interpretantur.* | Μαχὼ, ἐν Ὠσηὲ, Ἀκύλας, Σύμμ. τὰ ἐπιθυμήματα. | MACHO, in Oſee, Aquila, Symm. (vertunt) concupiſcentias. |
| [7] *MACHANARATH, terminus urbis Amman, quæ & Philadelphia dicitur.* | Μαχαναράθ, ὅριον Ἀμμὰν τῆς καὶ Φιλαδελφίας. | MACHANARATH, terminus (urbis) Amman quæ & Philadelphia (dicitur.) |
| [8] *MACHATI, urbs Amorrhæorum ſuper Jordanem juxta montem Ermon, de qua exterminare non valuerunt filii Iſrael Machatheum.* | Μαχαθὶ, πόλις [11] περὶ τὸν Ἰορδάνην, Ἀμοῤῥαίων, πλησίον ὄρους Ἀερμών. ἀφ' ἧς οὐκ ἐξωλόθρευσαν οἱ υἱοὶ Ἰσραὴλ τὸν Μαχάθ. | MACHATHI, civitas circa Jordanem Amorrhæorum, juxta montem Aermon: de qua non exterminarunt filii Iſrael Machathæum. |

## NOTÆ.

[1] Nuſquam in Scriptura hujus urbis, vel vici fit mentio, ſed *Mabſar* in Scriptura nomen eſt unius e ducibus, qui principatum obtinuerunt in regione Gabalena, ſeu Idumæa, cujus fit mentio, Gen. 36. v. 42. & 1. Paral. v. 53. a quo urbi nomen imponi potuit. Sed notandum Euſebium conſtanti fere errore, quos Scriptura Duces appellat Gen. 36. verſibus ultimis, Idumæorum urbes facere. BONFRERIUS.

[2] Hanc vocem *Mabſar*, vel, ut plures codices habent, *Mapſar Tyri*, habent Septuaginta Interpretes, 2. Reg. 24. v. 7. pro quo verſio noſtra habet *mœnia Tyri*. Significat Hebræa vox מבצר *mibtſar* munitionem. Itaque non tam propria, quam appellativa vox cenſeri debet. IDEM.

[3] Hanc urbibus tribus Judæ annumeratam habes, Joſ. 15. v. 41. Eam urbem oppugnatam, regemque ejus interfectum habes Joſ. 10. Spelunca autem illa, cujus Euſebius & Scriptura Joſ. 10. meminit non in ipſa urbe *Maceda*, ſed juxta illam in ſuburbano loco erat, uti Joſ. 10. v. 16. a nobis explicatum eſt. IDEM.

[4] Hujus manſionis fit mentio, Num. 33. verſ. 25. 26. IDEM.

[5] Hæc urbs, cujus nulla uſquam alibi fit mentio, præterquam 3. Reg. 4. v. 9. in noſtra autem verſione *Macces* appellatur, ubi ſita fuerit ex adjunctis urbibus aliquo modo cognoſci poteſt: ſiquidem Bethſames in tribu Juda fuit, ſed in tribus Dan confinio, Thamna & Elon in tribu Dan; ex quo colligere ſaltem poſſumus etiam hanc in alterutra harum tribuum fuiſſe, & veriſimiliter in utriuſque confinio. IDEM.

[6] Hæc vox & corrupta eſt, & nihil ad locorum nomina propria pertinet: in codicibus Septuaginta Interpretum, Oſee 9. v. 6. nunc legitur *Machmas*, quod propius ad vocem Hebræam accedit, quam *Machaas*; in Hebræo enim eſt מחמד *machmad*, quod Hieronymus in verſione noſtra reddit *deſiderabile*. IDEM.

[7] Ubi hac voce uſi ſint Septuaginta Interpretes non occurrit. IDEM.

[8] De hac vide ſupra in *Maacha*. Paſſim in Scriptura legimus *terminum Machati*, quod pro regione urbi vicina & adjacente ponitur; ipſa autem urbs etiam *Maacha* & *Machati* dicta fuit. IDEM.

[9] Exiſtimo pro ἄρμα legendum eſſe φράγμα. IDEM.

[9] Ἄρμα Τύρου) Crediderim potius habuiſſe Interpretes, qui hic laudantur, ὀχύρωμα Τύρου, hæc enim propria eſt interpretatio verborum מבצר צור *mibtſar tſour*. Cum lapſu temporis facta eſſet lacuna hoc in loco, qua deletum eſt *Symmachi* nomen, & initium vocis ὀχύρωμα, librarius hinc fecit ἄρμα. Vide vocem Ῥοώβ. CLERICUS.

[10] Ἑνὸς ἄρχοντος) Cum abſit a MS. ἑνὸς, male eſt additum a *Bonfrerio*. *Hieronymus* quidem habet *urbs unius principum*, at hoc ipſum Græce dicas πόλις ἄρχοντος, quod perinde eſt ac ἑνὸς ἀρχόντων, ſed ἑνὸς ἄρχοντος eſt *unius principis*. IDEM.

[11] Περὶ τὸν Ἰορδάνην) Crediderim *Euſebium* ſcripſiſſe, πέραν τοῦ Ἰορδάνου, *trans Jordanem*; nempe, ad ortum, ubi revera ſita hæc urbs fuit, non ad ripam Jordanis, ſed aliquot milliaribus ad Orientem. IDEM.

| HIERONYMUS. | ΕΥ'ΣΕ'ΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [1] *MACHMAS, usque hodie vicus grandis ostenditur in finibus Æliæ antiquum nomen retinens, novem ab ea millibus distans, juxta villam Rama.* | Μαχμά, εἰς ἔτι νῦν κώμη μεγίστη ἐν ὁρίοις Αἰλίας, Μαχμὰς ἐπικαλουμένη, ἀπὸ σημείων θ', πλησίον Ῥαμά. | MACHMA, usque hodie vicus maximus in finibus Æliæ Machmas appellatus in nono milliari juxta Rama. |

MACHMETATH, in dimidia tribu Manasse Cis-Jordanina, sed in confinio tribus Ephraim, ut liquet e terminorum utriusque tribus descriptionibus, Jos. XVI. vers. 6. & XVII. vers. 7. cum adhibita ibi a nobis explicatione.

| | | |
|---|---|---|
| [2] *MACHOT, in tribu Manasse.* | [9] Μαχώθ, φυλῆς Βενιαμίν. | MACHOTH, tribus Benjamin. |

MADABA. Vide infra MEDABA.

| | | |
|---|---|---|
| [3] *MADBARES, quam nos vocamus Eremum, hanc Hebræi Madbarim nominant.* | [10] Μαμβρῆς, ἔρημος οὕτω καλεῖται παρ' Ἑβραίοις. | MAMBRES, ita vocatur desertum apud Hebræos. |
| [4] *MADDI, in tribu Juda.* | Μαδδιέι, φυλῆς Ἰούδα. | MADDII, tribus Juda. |
| [5] *MADIAN, urbs ab uno filiorum Abraham ex Cetura sic vocata. Est autem trans Arabiam ad meridiem in deserto Saracenorum contra Orientem maris rubri, unde vocantur Madianæi & Madianæa regio. Legimus & filias Obab soceri Moysi filias Madian: sed hæc alia civitas est* ὁμώνυμος *ejus juxta Arnonem, & Areopolim, cujus nunc ruinæ tantummodo demonstrantur.* | Μαδιάν, πόλις ἀπὸ ἑνὸς τῶν υἱῶν Ἀβραὰμ καὶ Χεθούρας Μαδιὰμ ἐπικληθεῖσα. κεῖται δὲ ἐπέκεινα τῆς Ἀραβίας πρὸς νότον ἐν ἐρήμῳ τῶν Σαρακηνῶν τῆς ἐρυθρᾶς θαλάσσης ἐπ' ἀνατολάς, ὅθεν καλοῦνται Μαδιαναῖοι καὶ ἡ νῦν καλουμένη Μαδιανή· καλεῖ δὲ καὶ ἡ γραφὴ τὰς θυγατέρας [11] Μωὰβ θυγατέρας Μαδιὰμ, ἑτέρας πόλεως, ἥτις νῦν ἔρημος οὖσα δείκνυται. | MADIAM, Civitas ab uno e filiis Abraham & Chethuræ cognominata Madian. sita est trans Arabiam versus Austrum in deserto Saracenorum rubri maris ad orientem, unde vocantur Madianæi, & quæ nunc dicitur Madiane (civitas.) porro etiam scriptura vocat filias Moab filias Madian alterius civitatis, quæ nunc deserta monstratur. |
| [6] *MADON, civitas in qua rex fuit Jobab, adversus quem bellum gessit Jesus.* | Μωδάδ, πόλις ἧς ἐβασίλευσεν Ἰωβάβ, ὃν ἐπολέμησεν Ἰησοῦς. | MODAD, civitas in qua regnavit Jobab, quem expugnavit Jesus. |

MAGALA, locus in quo castra Saulis erant, cum ad ea venit David adversum Goliath dimicaturus, I. Reg. XVII. vers. 20. Vide quæ nos ad eum locum dicturi sumus.

| | | |
|---|---|---|
| [7] *MAGAO, urbs quam ædificavit Salomon.* | Μασά, πόλις ἣν ᾠκοδόμησε Σολομών. | MASA, civitas quam ædificavit Salomon. |
| [8] *MAGDALA, in tribu Juda.* | Μεγδαλά, φυλῆς Ἰούδα. | MEGDALA, tribus Juda. |

NOTÆ.

[1] Videtur hoc oppidum fuisse in sorte tribus Ephraim, sed in extremis ad Austrum finibus; siquidem Rama, quæ Australior erat, in termino erat Boreali tribus Benjamin. Reperitur eadem & *Mechmas* in versione nostra appellata. BONFRERIUS.

[2] Hic locus non videtur alius a præcedente Machmetath. illis tamen locis Jos. 16. 17. non habetur in codicibus Septuaginta Interpretum Machoth, sed Machtoth levi facta literarum detruncatione. IDEM.

[3] Legitur hæc vox, sed nonnihil corrupta apud Interpretes Septuaginta, habens formam nominis proprii, Jos. 5. v. 6. *in eremo Mabdaritide*, sed legendum potius *in eremo Madbaritide*, quamquam & illa vox posterior superfluat; in Hebræo enim unica vox est מדבר *midbar*, quæ eremum seu desertum significat, ubi & versio nostra aliud nihil habet, quam *in deserto*. IDEM.

[4] Hæc in versione nostra vocatur *Meddin*, Jos. 15. v. 61. pro *Maddi* hic alii libri habent *Maddin*. IDEM.

[5] Plane *duplex Madian regio* distinguenda est, una juxta mare rubrum ad Orientem, altera juxta Moabitas, seu, ut hic dicit, *juxta Arnonem & Areopolim*: de qua *Madianitide duplici* & nos egimus Num. 22. v. 4. Verum *quod* hic *filias Obab* (Jethro voluit dicere, nam is Moysis socer; Hobab filius Jethro, & frater uxoris Moysis fuit) *dicat in illa Madianitide habitasse, quæ est circa Arnonem & Areopolim*, vel memoriæ lapsus est, vel cujuspiam imperiti erroris, qui sublatis nonnullis sensum depravavit; nam e Scriptura meo judicio certum est Jethro cum filiabus habitasse in illa priore *Madian*, quæ rubro mari vicina est. IDEM.

[6] De hac habes Jos. 11. v. 1. & 12. v. 19. at nusquam alibi ejus fit mentio, neque usquam proditur ubinam hæc urbs sita fuit, e Jos. tamen 11. satis colligitur fuisse in partibus Aquilonaribus Terræ Promissæ, non procul Asor, quæ erat in tribu Nephthali. IDEM.

[7] Nusquam id nomen inter urbes a Salomone ædificatas legimus, 3. Reg. 9. vel 2. Paral. 8. sed *Mageddo*, vel, ut est in nonnullis codicibus Septuaginta Interpretum, *Magdo*: de quo paulo post dicetur. IDEM.

[8] Hæc non alia videtur ab ea, quæ in versione nostra, Jos. 15. v. 37. *Magdalgad* nuncupatur, cujus alioqui Eusebius non meminisset, nisi hoc loco ejus mentionem fecerit: at hæc in omnibus codicibus Septuaginta Interpretum, quos habemus, *Magdalgad* dicitur. IDEM.

[9] Μαχώθ) Est Jos. VI. 7. Μαχώ, in Codice Vaticano, nec facile intellectu est, qui vox sit illuc intrusa. Abest ab Alexandrino. Sed memorantur illic fines Ephraimitarum, non Benjaminitarum, aut Manassitarum. CLERICUS.

[10] Hebraice desertum מדבר *midhar* dicitur: unde satis liquere potest hanc vocem apud Eusebium esse valde corruptam. BONFRERIUS.

[11] *Θυγατέρας Μωάβ*) Legit *Hieronymus* Ἰωβάβ, aut Ὠβάβ, pro Μωάβ. Hoc enim nomen fuit soceri Mosis, de quo egimus ad Exod. II. 18. nec hac in re erravit *Hieronymus*, ut putabat *Bonfrerius*, cujus tamen commentarium ad Num. X. 29. ad-

| HIERONYMUS. | ΕΥ᾽ΣΕ᾽ΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|

MAGDALEL, Vide paulo poſt MAGDIHEL.

MAGDALGAD, urbs in tribu Juda, de qua proxime in *Magdala* egimus. Significat hæc vox *turrim Gad*, vel *turrim exercitus*, vel *turrim bonæ fortunæ*.

| HIERONYMUS. | ΕΥ᾽ΣΕ᾽ΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [1] *MAGDOLUS, ad quam filii Iſrael cum exiſſent de Ægypto pervenerunt, antequam tranſirent mare rubrum. Legimus & Ezechiel, de Magdolo uſque Syenen. Porro Jeremias Judæos, qui ſecum fugerant, Babyloniorum impetum declinantes, in hac urbe Ægypti habitaſſe refert.* | Μάγδωλος, τῆς ἐξ Αἰγύπτου πορείας τοῦ Ἰσραὴλ σταθμὸς, ἔνθα κατήντησαν πρὸ τῆς ἐρυθρᾶς θαλάσσης. κεῖται ἐν Ἰεζεκιὴλ, ἀπὸ Μαγδώλου ἕως [6] Συήνης. ὡς δὲ Ἱερεμίας, ἐνταῦθα τῆς Αἰγύπτου κατῴκησαν οἱ μετὰ Ἰερεμίου Ἰουδαῖοι. | MAGDOLOS, profectionis ex Ægypto ſtatio Iſraelis, ad quam devenerunt ante mare rubrum. extat in Ezechiele, a Magdelo uſque Syenem. ut autem Hieremias habet, hic habitaverunt in Ægypto Judæi cum Jeremia. |
| [2] *MAGDIEL, in regione Gabalena poſſeſſa olim a Ducibus Edom.* | Μαγεδιὴλ, καὶ αὕτη τῶν ἡγεμόνων Ἐδὼμ ἐν τῇ Γαβαληνῇ. | MAGEDIEL, & hæc principum Edom in terra Gabalena. |
| [3] *MAGDIHEL, in tribu Nephtalim, & hodie parvus vicus oſtenditur in quinto milliario Doræ pergentibus Ptolemaidem.* | Μαδιὴλ, κλήρου Νεφθαλείμ. καὶ ἔστι νῦν κώμη μεγάλη ἀπὸ θ᾽ σημείων Δώρας ἀπιόντων εἰς Πτολεμαΐδα. | MADIEL, fortis Nephthali; eſtque nunc magnus vicus in nono lapide Doræ pergentibus Ptolemaidem. |
| [4] *MAGDON, ſive Magron, ubi ſedit Saul.* | Μαγδὼν, ἢ Μαγρὼν ἔνθα ἐκαθέσθη Σαούλ. | MAGDON, ſive Magron, ubi ſedit Saul. |
| [5] *MAGEDAN, ad cujus fines Matthæus Evangeliſta ſcribit Dominum perveniſſe: ſed & Marcus ejuſdem nominis recordatur: nunc autem regio dicitur Magedena, circa Geraſam.* | Μαγεδὰν, εἰς τὰ ὅρια [7] Μαγεδὰν ὁ Χριστὸς ἐπεδήμησεν, ὡς ὁ Ματθαῖος. καὶ ὁ Μάρκος δὲ τῆς Μαγαιδὰν μνημονεύει, καὶ ἔστι νῦν ἡ Μαγαιδανὴ περὶ τὴν Γέρασαν. | MAGEDAN, ad fines Magedam Chriſtus pervenit, ut ſcribit Matthæus. Marcus vero meminit Magædam, & eſt nunc Magædana circa Geraſam. |

N O T Æ.

29. adeant qui rem penitus expendere avebunt & cum noſtris conferant. Potuerunt ſane filiæ ſoceri Moſis dici *Madianitides puellæ*, cum earum patria eſſet Madianitis ad mare rubrum. At addit *Hieronymus* hanc fuiſſe Madianitidem ad Areopolin & Arnonem; qua in re errat, ut docebunt Interpretes ad Exod. II. 15. Itaque verba *Euſebii* perperam interpolavit, hoc in loco *Hieronymus*. Imo lectio ejus, qua *Obab* legit pro Moab plane falſa eſt, reſpicit enim *Euſebius* ad Num. XXV. I. ubi memorantur *Moabitides puellæ*, intelliguntur que Madianitides, quæ ad ortum maris Mortui, meridiem verſus, ſedes habebant Moabitidi finitimas. CLERICUS.

[1] In verſione noſtra *Magdalum* appellatur. Hujus ſit mentio Exodi 14. v. 2. Num. 33. v. 7. juxta *hanc* enim *turrim* (vox enim *turrim* ſonat) vel *oppidum* facta eſt ab Iſraelitis tertia manſio juxta mare rubrum. Dixi autem vel *oppidum*; videtur enim non ſola *turris* eſſe, ſiquidem *Magdali oppidi*, utpote & in quo Judæi in Ægypto habitarent, meminit Hieremias Cap. 44. v. 1. & Cap. 46. v. 14. Quod hic de Ezechiele adſertur, id e Cap. 29. v. 10. & Cap. 30. v. 6. ſumtum eſt; ubi verſio noſtra appellative ſine media conjunctione vel præpoſitione habet, *a turre Syenes*, Septuaginta Interpretes habent, *a Magdalo & Syene*, & altero loco, *a Magdalo uſque ad Syenem*. BONFRERIUS.

[2] Habetur quidem ea vox in Scriptura, ſed *ducis Edom* nomen eſt, non *urbis*, Gen. 36. v. 43. & 1. Paral. 1. v. 54. IDEM.

[3] Hæc urbs in verſione noſtra, Joſ. 19. v. 38. *Magdalel* nuncupatur. IDEM.

[4] Hæc in verſione noſtra *Magron* appellatur, 1. Reg. 14. v. 2. Apud Septuaginta Interpretes in omnibus codicibus *Magdon* legitur: ſunt enim affinis figuræ apud Hebræos ר & ד, ut facile unum pro alio legatur. Fuit autem locus hic vel vicus juxta Gabaa Saulis, ut e ſuperiore illo Scripturæ loco liquet. Meminit & loci hujus Iſaias Cap. 10. v. 28. IDEM.

[5] Habes de hoc loco apud Matthæum Cap. 15. v. ult. quo Chriſtus ſaturatis quatuor millibus hominum ſeptem panibus, conſcenſaque navicula venit. Marcus Cap. 8. v. 10. cumdem locum *Dalmanutha* appellat, quamquam videatur hic Euſebius inſinuare nomen *Magedan* etiam apud Marcum legi. Porro locum hunc trans Jordanem eſſe perſpicue hic indicatur, cum dicatur eſſe *circa Geraſam*, quam conſtat in Trans-Jordanina regione fuiſſe. IDEM.

[6] Συήνης) Cum ita, apud alios Scriptores etiam in nonnullis Codicibus LXX. Interpretum, conſtanter ſcribatur nomen hujus urbis Ægypti, non Συενὴ, nequaquam dubitavi ſic emendare. In verſione Hieronymiana male etiam *Sione* vocabatur in Editione Bonfreriana, deterius in nupera Pariſina, *Soene*. Sed hæc habet verba, *porro Jeremias* &c. ad finem, quæ flagitioſe in Bonfreriana deſunt. Præterea verba Græca reſtituimus, qualia ſunt in Codice Regio, cujus lectionem mutaverat *Bonfrerius*, hoc modo: *ἐνταῦθα κατῴκησαν οἱ τῆς Αἰγύπτου ἐξελθόντες μετὰ Ἰερεμίου Ἰουδαῖοι*: *hic habitarunt qui cum Jeremia Ægypto egreſſi erant Judæi*. Atqui non licet ibi mutare verba Veterum, quamvis falſa continere viderentur, quod hac in re minime conſtat, ubi contrarium eſt verum. Sic in voce *Memphis*, iidem ab *Euſebio* dicuntur ſimpliciter οἱ μετὰ Ἰερεμίου Ἰουδαῖοι, ubi etiam *Hieronymus* ſimilem, atque hic, periphraſin adhibuit. Vide & vocem TAPHNAS. CLERICUS.

[7] Μαγεδὰν) Sic etiamnum ſuperſtites Codices varii antiqui habent Matth. XV. 39. quamvis vulgo edatur Μαγδαλά. At Marc. VIII. 10. Codices plerique habent Δαλμανουθά, pauci μαγεδαδὰ, aut μαδεγαδὰ, aut μαγδαλὰν, quæ paullo magis accedunt ad lectionem *Euſebii*. IDEM.

HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS.

[1] *MAGEDDO, & hanc cepit Jesus rege illius interfecto, quæ cum cecidisset in sortem tribus Manasse, nequaquam possedit eam, quia pristinos habitatores nequivit expellere.*

Μαγεδὼ, ἣ γέγονε φυλῆς Μανασσῆ, ἣν οὐ κατέσχεν, ὅτι μὴ ἐξῆρεν ἀπ᾽ αὐτῆς τὸν ἀλλόφυλον.

MAGEDO, quæ fuit tribus Manasse, quam ea non tenuit, quia non sustulit ex ea alienigenam.

MAGEDDON. Vide proxime MAGEDDO.

MAGETH, urbs in Galaaditide, 1. Machab. v. vers. 26. & 36.

MAGOG TERRA, a Magog uno e Japheth posteris sic dicta, censetur passim ab omnibus *Scythia*, seu *Tartaria*. Vide quæ diximns de *Magog*, Gen. x. vers. 2.

MAGRON. Vide supra MAGDON.

MAHANAIM. Vide paulo post MANAIM.

MAMBRE. Vide proxime MAMRE.

[2] *MAMRE, hæc est Chebron, juxta quam sepultus est Abraham cum Isaac & Jacob, de qua & supra diximus. Mamre autem & unus vocabatur amicorum Abraham.*

Μαμβρὴ, αὕτη ἐστὶ Χεβρὼν, ᾗ παράκειται [7] τάφος τῶν ἀμφὶ τὸν Ἀβραὰμ καὶ Ἰσαὰκ καὶ Ἰακώβ. κεῖται καὶ ἀνωτέρω. Μαμβρὴ δὲ καὶ εἷς τῶν ἑταίρων τοῦ Ἀβραὰμ ἐκαλεῖτο.

MAMBRE, Hæc est Chebron, cui adjacet sepulcrum Abrahæ, Isaac, & Jacob. reperitur supra. Fuit etiam Mambre unus e sociis Abrahæ.

[3] *MANAIM, in tribu Gad, separata Levitis in regione Galaaditide.*

Μαναεὶμ, φυλῆς Γὰδ, Λευΐταις ἀφωρισμένη ἐν τῇ Γαλααδίτιδι.

MANAIM, tribus Gad, separata Levitis in Galaaditide.

[4] *MAON, in tribu Juda contra solis ortum Daromæ.*

Μαὼν, φυλῆς Ἰούδα. ἔρημός ἐστι νῦν, ἐν ἀνατολαῖς τοῦ Δαρωμά.

MANON, tribus Juda. deserta nunc est, in Orientali plaga Daroma.

[5] *MAON, regio Moabitarum juxta Hieremiam.*

Μαὼν, χώρα Μωάβ, ὡς Ἱερεμίας.

MAON, regio Moab, ut tradit Hieremias.

MARA, mansio filiorum Israel in deserto ab amaris aquis nomen habens, significat enim hæc vox *amaritudinem;* quo in loco cujusdam ligni immissione aquæ dulces sunt redditæ, Exodi xv. vers. 23. & deinceps, Num. XXXIII. vers. 8. 9.

[6] *MARALA, adscensus Zabulon.*

Μαραλὰ, φυλῆς Μανασσῆ.

MARALA, tribus Manasse.

MARE CENERETH, ab urbe in ipsius littore sita sic dicta, alio nomine *Mare Galilææ*, quia Galilæam alluit, *Mare Tiberiadis* ab urbe in ripa posita, denique *stagnum Genesareth*

N O T Æ.

[1] Hanc dimidiæ tribui Manasse Cis-Jordaninæ attributam habes, Jos. 17. v. 11. & 1. Paral. 7. v. 29. pristinos autem habitatores inde non expulisse Manassitas habes, Judic. 1. v. 27. In hac urbe, vel potius in adjacente ejus campo occisus est Josias rex pius, 4. Reg. 23. v. 29. & 2. Paral. 35. v. 23. 24. e Zacharia Cap. 12. v. 11. *Mageddon* appellatur. Fuisse autem in confinio Zabulonitarum, & ad torrentem Cison perspicue colligo ex Judic. 5. in cantico Deboræ v. 19. quem locum vide. BONFRERIUS.

[2] Non tam ipsa *urbs Hebron*, quam subjecta vallis, in qua Abraham habitavit, sic dicta est: *Hebron* enim in monte erat, at locus, in quo habitavit Abraham, non semel *convallis Mambre* appellatur: alias etiam sine addito *Mambre*, ab illo Abrahæ amico sic dicta, in qua & Abraham sepulcrum sibi suorumque posterorum usibus coemit. Est & *Mambre torrens* in Mesopotamia, Judith. 2. v. 14. in versione nostra, at in Græco textu est *Abrona*. IDEM.

[3] *Manaim*, vel *Mahanaim* in textu nostro locus trans Jordanem dicitur: est enim *Manaim* nonnihil decurtata vox ex Hebræo מחנים *Machanaim*, quæ vox *castra*, vel potius *gemina castra* significat. Hinc etiam & in versione nostra sæpius locum hunc vel urbem Latina voce *Castra* appellari in Scriptura legimus, ut 2. Reg. 2. v. 8. 12. 29. & Cap. 17. v. 24. 27. & Cap. 19. v. 32. & 3. Reg. 2. v. 8. Nomen autem accepit ab Angelorum castris, iisdemque geminis a Jacob Patriarcha eo loco conspectis, Gen. 32. v. 1. 2. uti ad eum locum explicatum est. Erat locus hic juxta torrentem Jaboc a parte Septemtrionali: in eo postea urbs excitata fuit, quæ idem nomen retinuit, fuitque una e præstantissimis trans Jordanem urbibus, utpote in qua Isboseth suam statuit regiam, & David Absolomum fugiens aliquamdiu in ea moratus est. Cecidit autem in sortem tribus Gad, Jos. 13. v. 26. Inter Leviticas ejus tribus civitates numeratur Jos. 21. v. 37. & 1. Paral. 6. v. 80. IDEM.

[4] Urbem fuisse in tribu Juda hoc nomine discimus e Jos. 15. v. 55. Eam hic vel Hieronymus vel Eusebius statuit *ad Orientalem plagam Daromæ*, seu in terra plane Australi, sed qua parte ad ortum seu mare mortuum vergit. Fit autem & Lib. 1. Reg. sæpius mentio *Deserti Maon*, in quo David delituit, quod ab ea urbe nomen accepit: erat autem tota illa Australis regio fere deserta. IDEM.

[5] Hanc vocem, quæ appellative sumta *habitationem*, vel *habitaculum* significat, nusquam reperio apud Hieremiam tamquam nomen proprium regionis apud Moabitas positam in nostra versione; apud Septuaginta Interpretes tamen, Hierem. 48. v. 23. legimus *domum Maon*, quod totum ad urbis nomen pertinet; est enim in Hebræo & versione nostra *Bethmaon*, *Beth* autem Hebræis domum significat. De *Bethmaon* autem dictum est supra suo loco. IDEM.

[6] In versione nostra *Merala* hic locus appellatur in tribu Zabulon, Jos. 19. v. 11. Quod autem dicitur esse adscensus, ne intelligas locum esse editiorem, ad quem qui venire velit, adscendere debeat: hoc enim e loco illo Scripturæ sumtum est, ubi terminus tribus Zabulon dicitur ascendere de mari & *Merala*, nempe quia cum a mari receditur semper ascensus est, ut satis indicant flumina, quæ in mare decurrunt. IDEM.

[7] Τάφος τῶν ἀμφί τόν Ἀβραάμ) Testatur editor Parisinus in Codice Regio esse tantum Τάφος ἀμφί τὸν Ἀβραάμ, unde intelligere est, reliqua esse a *Bonfrerio* suppleta; recte sane, sed monitum ea de re lectorem oportuit. CLERICUS.

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
| --- | --- | --- |

appellatur ab ipsa regione, quæ terra Genesar dicta est, ut habet Josephus Lib. III. Belli Jud. Cap. 18. Est autem *stagnum*, sed quod dulces & potabiles aquas habet, piscibusque varii generis abundat; *mare* tamen dicitur Hebræorum idiotismo, qui quaslibet paulo majores aquarum collectiones maria vocant. In hoc mare Jordanes minor intrat juxta urbem Capharnaum, tandemque ex eo erumpens non procul urbe Scythopoli Jordanem majorem efficit. Habet in longitudine hoc mare juxta Josephum Lib. III. Belli Cap. 18. centum stadia, quadraginta in latitudine. Hegesippus Lib. III. Excidii Cap. 26. quoad latitudinem Josepho consentit, longitudinem majorem facit, centum scilicet quadraginta stadiorum. Plinius Lib. v. Cap. 15. Dat illi in longum sedecim millia passuum, in latum sex, quod revocatum ad stadia exhibet pro longitudine centum & viginti octo stadia, pro latitudine quadraginta octo.

MARE GALILÆÆ. Vide MARE CENERETH proxime.

MARE JAZER, ab urbe vicina sic dicta, & ut verisimile est juxta eam in latum multitudine fontium se effundens. Hujus meminit Hieremias Cap. XLVIII. vers. 32. & supra Hieronymus in voce JAZER, dicit ex ea urbe magnum flumen erumpere, quod a Jordane suscipitur.

MARE MAGNUM, vel absque addito *Mare κατ' ἐξοχὴν*, Hebræi & Scriptura appellant *Mare Mediterraneum*, quod Palæstinam ad Occidentem alluit.

MARE MORTUUM. Vide paulo post MARE SALINARUM.

MARE RUBRUM, quod a profanis auctoribus *Sinus Arabicus* appellatur, ab Arabia, cui a parte Orientali adjacet. Quamquam Geographi & profani Scriptores latius Mare Rubrum extendant, ad sinum videlicet Persicum, & Oceanum Indicum, qua de re infra moneo in voce TIGRIS. Quam latitudinem is sinus habeat, eo loco præsertim ubi divino miraculo exsiccatum fuit ad Israelitarum transitum, diximus Exodi XIV. vers. 22. Cur autem Mare Rubrum dictum sit, disputavimus Exodi x. vers. 19.

| | | |
| --- | --- | --- |
| [1] *MARE SALINARUM, quod vocatur mortuum, sive Asphalti, id est, bituminis inter Hiericho & Zoaram.* | [2] *Θάλασσα ἡ ἁλυκή, ἡ καλυμένη νεκρὰ καὶ ἀσφαλτῖτις, μεταξὺ Ἱεριχοῦς καὶ Ζοορῶν.* | MARE SALSUM, quod vocatur mortuum & bituminis, inter Hierichuntem & Zooras. |

MARE SALSUM. Vide MARE SALINARUM proxime.

MARE TIBERIADIS. Vide MARE CENERETH.

MARESA, urbs ubi fuerit non plane liquidum est: fuisse in tribu Juda vel Benjamin diserte habetur, 2. Paral. XI. vers. 8. conjunctis aliquot versibus sequentibus. Sed & multo verisimilius fuisse in tribu Juda, cum tam ibi, quam alibi fere proxime conjungatur urbibus tribus Judæ, immo & Jos. XV. vers. 44. urbibus tribus Judæ annumeretur: eaque res mihi videtur etiam certa ex 2. Paral. XIV. vers. 9. & 10. ubi Zara Æthiope bello Asa regem aggresso, cum ex Australibus partibus adveniret, dicitur Asa ei obviam profectus, Hierosolyma videlicet, & cum Zara Æthiope acie conflixisse in valle juxta urbem *Maresa*. Ex quo illud videtur necessario sequi, urbem hanc in tribu Juda fuisse, cum, ut obviam Zaræ Æthiopi procederet, Hierosolyma debuerit versus meridiem tendere; quidquid autem Hierosolymæ ad meridiem est, in tribu Juda sit vel Simeonis, quæ Simeonis tribus sæpe Judæ tribui annumeratur. Adde his Josephum Lib. VIII. Ant. Cap. 6. referentem illam Asæ regis de Za-

---

NOTÆ.

[1] Habet hoc mare varia nomina: passim in versione nostra *mare salsum*, vel *salsissimum* appellatur, Gen. 14. v. 3. passimque in Hebræo *mare salis* ab exuberanti salsedine, & amaritudine præ quovis alio mari; quam salsedinem & amaritudinem ei sulphur, sal, quæ Deus olim in Pentapolim depluit, & bitumen ex illius maris fundo ebulliens & supernatans efficit. Vocatur item sæpius *mare deserti* seu *solitudinis*, seu quia deserto Sin adhæret, aliisve desertis, quæ in tribu Juda ad Australem partem sunt; seu quia omnia quaquaversum ad leucas aliquot squallida & deserta faciat. Denique *mare mortuum* dicitur, non a Scriptura, sed a plerisque auctoribus, quod in eo nihil vivat, non pisces, non aves; ita naturæ pestilentis est. A profanis Scriptoribus & Josepho *Asphaltites lacus* appellatur, quod ἄσφαλτον, hoc est bitumen magna in copia proferat. A Strabone Lib. XVI. *Sirbonis palus* appellatur. Non eadem ab omnibus hujus lacus amplitudo assignatur. Strabo ibi supra ait mille stadia ambitu continere, in longitudine plus ducentis stadiis. Ejus magnitudinem non parum auget Josephus Lib. v. Belli Cap. 5. qui longitudinem ipsius facit quingentorum & octoginta stadiorum, latitudinem centum quinquaginta stadiis definit. Ad hanc etiam magnitudinem addit Plinius Lib. v. Cap. 16. qui ait longitudine excedere centum millia passuum, latitudinem vero, ubi ea est maxima, viginti quinque millia passuum implere, sex vero ubi latitudo est minima. D. Radzivilus in sua peregrinatione Hierosolymitana viginti milliaribus in longum, sex vel septem in latum, ubi latius se effundit. circumscribit, sed Germanica vel Polonica milliaria intelligit. Cætera quæ ad hujus lacus descriptionem, ejusque bitumen pertinent, pete e Josepho, Plinio, Strabone, quibus adde ex antiquioribus Tacitum Lib. v. historiæ: e recentioribus vero consule Brochardum, Adrichomium, D. Radzivilum, Cotovicum Itinerarii Lib. II. Cap. 17. & quæ nos de eodem lacu diximus Gen. 19. v. 24. 25. & Deuter. 3. v. 16. BONFRERIUS.

[2] Θάλασσα &c.) Quamvis *Bonfrerius* verborum horumce versionem proferat quasi *Hieronymi*, negat tamen *Martianæus* apud *Hieronymum* haberi, *quia non pertinet*, inquit, *ad loca propria*. Cur ergo inter loca Hebraica recensetur antea *Mare Chaneret*? Vide vocem CHANERETH. CLERICUS.

1 Duo-

HIERONYMUS. ΕΥΣΕΒΙΟΣ. EUSEBIUS.

ra Æthiope victoriam deſerte aſſerere, *Mareſam* eſſe urbem tribus Judæ. Accedit quod Zara Æthiops victus mox Geraram fugerit ultra extremos fines Auſtrales tribus Judæ, quem & Aſa eouſque eſt perſecutus.

MARETH. Vide MAROTH paulo poſt.

[1] *MARIBOTH, cujus meminit Ezechiel, dicens, uſque ad quam Mariboth, pro qua Aquila lites; Symmachus jurgia, vel contradictiones interpretantur.*

[8] Μαριβὼθ, ἕος ὕδατος Μαριβώθ, Ἰεζεχιήλ. Ἀκύλας [9] διαδικασμοῦ, ἀντιλογίας.

MARIBOTH, uſque ad aquam Mariboth in Ezechiele. Aquila, diſceptationis, jurgii, contradictionis.

[2] *MAROM, & hanc cepit Jeſus rege illius interfecto. Poſita eſt ſupra Marrus.*

Μαρώθ, καὶ ταύτην εἷλεν Ἰησοῦς, τὸν βασιλέα αὐτῆς ἀνελών.

MAROTH, & hanc cepit Jeſus, rege ipſius interfecto.

[3] *MAROTH, in tribu Juda.*

Μαρώθ, φυλῆς Ἰούδα.

MAROTH, tribus Juda.

[4] *MASAGAN, regio Moabitarum, ut ſcribit Hieremias.*

Μασογὰμ, χώρα Μωάβ, ὡς Ἱερεμίας. κεῖται καὶ ἀνωτέρω Μηφαά.

MASOGAM, regio Moab, ut habet Hieremias. extat & ſupra Mephaa.

MASAL. Vide paulo poſt MASAM.

MASALOTH, 1. Machab. IX. verſ. 2. ubi ſita fuerit certo definiri non poteſt, cum alibi nuſquam ejus Scriptura meminerit, neque in iſtius narratione Joſephus: admodum probabiliter tamen ac fere certo in Galilæa ponitur, cum & Arbelle, cujus ibidem ſit mentio, in Galilæa fuerit, ut ſupra in ARBELA diximus. An autem in tribu Nephthalim vel Zabulon fuerit, non facile conſtitueris: in tribu Nephthalim ponit Adrichomius, ſed divinat.

[5] *MASAM, in tribu Aſer juxta Carmelum ad mare civitas ſeparata Levitis.*

Μασὰν, κλήρου Ἀσήρ. συνάπτει τῷ Καρμήλῳ κατὰ θάλασσαν, πόλις ἀφωρισμένη Λευίταις.

MASAN, tribus Aſer. eſt vicina Carmelo juxta mare, civitas ſeparata Levitis.

[6] *MASARETH, in qua ſedit David, nunc deſerta, pro quo Aquila interpretatur, munitiones; Symmachus, refugia; Theodotion ſpeluncas.*

Μασερὲθ. ἔρημος ἔνθα ἐκαθέσθη Δαβίδ. Ἀκύλας, ἐν ὀχυρώμασι. Σύμμαχος, ἐν καταφυγαῖς. Θεοδοτιὼν, ἐν τοῖς σπηλαίοις.

MASERETH, deſertum in quo ſedit David. Aquila (vertit,) in munitionibus. Symmachus, in refugiis. Theodotio, in ſpeluncis.

[7] *MASBACH, civitas hoſtilis regis Adrazar.*

Μασχὰκ, πόλις ἀλλοφύλων, βασιλέως Ἀδραζέρ.

MASCAC, civitas alienigenarum regis Adrazer.

## NOTÆ.

[1] Duobus modis iſta vox effertur *Marimoth* & *Mariboth*; in codicibus Septuaginta Interpretum paſſim prius illud *Marimoth* legitur, Ezech. 47. v. 19. & Cap. 48. v. 28. at certum eſt poſterius, quod hic legitur, eſſe ſincerius, cum in Hebræo ſit מריבת *Meriboth*, vel מריבת *Meribath*, quæ *contradictiones* numero plurali, vel *contradictionem* ſignificant; unde & verſio noſtra iis locis *aquas contradictionis* habet, quomodo & Septuaginta Interpretes alibi vertunt ὕδωρ ἀντιλογίας. De *aquis contradictionis* in Cades, vide Num. 20. BONFRERIUS.

[2] Nullam urbem legimus *Marom* dictam in verſione noſtra; non dubium eſt tamen illam urbem hic ſignificari, quæ *Semeron* in verſione noſtra appellatur; ſiquidem ubi de rege *Semeron* a Joſue interfecto, Joſ. 12. v. 20. habetur, in Hebræo habetur *Semeron Meron*. Vide infra SEMERON. IDEM.

[3] Hæc in verſione noſtra *Mareth* appellatur, Joſ. 15. v. 59. IDEM.

[4] Corrupta haud dubie eſt hæc vox, pro qua nunc in ſincerioribus codicibus Septuaginta Interpretum legimus *Maſigath*, Hierem. 48. v. 1. in Hebræo eſt משגב *miſgab*, quam vocem Hebræi etiam aliqui nomen urbis proprium eſſe volunt; appellative autem ea vox ſumta ſignificat *civitatem elevatam & in excelſo poſitam*, atque adeo & *fortem difficilemque expugnatu*: hinc & Hieronymus ibi in noſtra verſione, *fortis*, vocem illam vertit. Alibi etiam idem Hieronymus eamdem vocem appellative vertit per abſtractum, *fortitudo*. IDEM.

[5] Hæc in verſione noſtra *Meſſal* vel *Maſal* appellatur, & in codicibus ſincerioribus Septuaginta Interpretum fere *Maſal* vel *Maſaal* invenies, quæ Hebræo reſpondent, ut proinde omnino fiat veriſimile hanc vocem hic apud Euſebium eſſe corruptam. Hæc inter urbes tribus Aſer recenſetur, Joſ. 19. v. 26. inter Leviticas vero nominatur, Joſ. 21. v. 30. & 1. Paral. 6. v. 74. IDEM.

[6] Non *Maſareth*, ſed *Maſarem* nunc in codicibus Septuaginta Interpretum legimus, 1. Reg. 23. v. 14. & paulo poſt v. 19. *Maſſara*, quam vocem nullo modo loci propriam eſſe, ſed utrobique ſuperfluere mihi perſuadeo, quandoquidem altera vox appellativa Hebraicæ voci ibidem apud Septuaginta Interpretes reſpondeat: qua de re ad eum locum plura. IDEM.

[7] Hæc vox plane corrupta eſt; in codicibus Septuaginta Interpretum *Metebac*, vel *Meſebac* legitur, 2. Reg. 8. v. 8. quæ tamen nec ſatis ſincera videtur; in Hebræo enim בטח *Betach*, urbis hujus nomen legitur, in verſione noſtra *Bete*: forte Interpretes Septuaginta literis tranſpoſitis *Tebach* ſcripſerunt, etſi deinde non nemo, quia in Hebræo מ antecedit, quod præpoſitionis *de* vicem ſubit, quemadmodum ibi habet Hieronymus, eam initio literam adjecerit exiſtimans eam ad urbis nomen proprium pertinere. IDEM.

[8] Μαριμὼθ præ ſe ferebat manuſcriptum Euſebii, immo & codices Interpretum Septuaginta in Ezechiele; at ex Hebræo & Hieronymo reſtituimus Μαριβώθ. BONFRERIUS.

[9] Διαδικασμοῦ, ἀντιλογίας) Legendum ex *Hieronymo*: A. διαδικασμὸς, Σ. ἀντιλογίας. Ac ſane vox מריבות pluralis eſt numeri, nec ſingulari numero verti potuit, præſertim ab *Aquila*, qui numerum vocum rationemque ipſam conſtructionis Hebraicæ, in Græcam linguam tranſtulerat. CLERICUS.

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| MASEPHA. Vide MASPHA paulo poſt. | | |
| [1] *MASERA, in tribu Juda, cujus nunc tantummodo ſunt ruinæ, in ſecundo lapide Eleutheropoleos,* | Μαρησὰ, φυλῆς Ἰούδα. ἔρημός ἐστι νῦν ἀπὸ σημείων β' Ἐλευθεροπόλεως. | MARESA, tribus Juda. modo eſt deſerta in ſecundo lapide Eleutheropolis. |
| MASEREPHOTH. Vide paulo poſt MASREPHOTHMAIM. | | |
| [2] *MASPHA, in tribu Gad, ſeparata Levitis. Eſt autem & alia nunc Maſpha in finibus Eleutheropoleos contra Septemtrionem pergentibus Æliam, pertinens ad tribum Juda.* | Μασφὰ, φυλῆς Γαδ, Λευίταις ἀφωρισμένη. καὶ ἄλλη δέ ἐστι νῦν Μασφὰ ἐν ὁρίοις Ἐλευθεροπόλεως ἐν βορείοις. ἔστι καὶ ἄλλη φυλῆς Ἰούδα ἀπιόντων εἰς Αἰλίαν. | MASPHA, tribus Gad, ſeparata Levitis. Item eſt alia modo Maſpha in finibus Eleutheropoleos in parte Septemptrionali. Alia item, tribus Juda pergentibus Æliam. |
| MASPHATH. Vide MASPHA proxime. | | |
| MASPHE. Vide MASPHA paulo ante. | | |
| [3] *MASRACA, civitas regni Edom circa Gabalenem.* | Μαασρεκὰ, πόλις βασιλέως Ἐδὼμ περὶ τὴν Γεβαλινήν. | MAASRICA, civitas regni Edom, circa Gabalenem. |
| MASRECA. Vide proxime MASRACA. | | |
| [4] *MASREPHOTHMAIM, pro quo Aquila Maſrephot aquæ; Symmachus Maſrephot maris interpretati ſunt.* | Μαστραιφωθμαίμ, Ἀκύλας, Μασραιφὼθ ὕδατος. Σύμμαχος, Μασραιφὼθ θαλάσσης. | MASTRÆPHOTHMAIM, Aquila, Maſræphoth aquæ. Symmachus, Maſræphoth maris. |
| [5] *MASSA, in tribu Benjamin.* | Μασφὰ, φυλῆς Βενιαμίν. | MASPHA, tribus Benjamin. |
| [6] *MASSEFA, in tribu Juda, apud quam habitabat Jephte juxta Cariathiarim, ubi quondam arca teſtamenti fuit, & Samuel populum judicavit; meminit hujus & Hieremias.* | Μασσηφὰ, φυλῆς Ἰούδα, ἔνθα κατῴκει Ἰεφθαὶ, πλησίον τῆς Καριαθιαρεὶμ ἐν ᾗ καὶ ἡ κιβωτός ποτε κατέμενεν. ἔνθα καὶ Σαμουὴλ ἐδίδαξε· κεῖται καὶ ἐν Ἱερεμίᾳ. | MASSEPHA, tribus Juda, ubi habitabat Jephthe, prope Cariathiarim, in qua & arca permanſit. ubi etiam Samuel docuit (populum) extat in Hieremia. |

N o t æ.

[1] Corrupta vox pro *Mareſa*, quomodo tam in Hebræo, quam in noſtra & Septuaginta Interpretum verſione, ſi codices ſinceriores conſulas, nunc legitur Joſ. 15. v. 44. Videtur autem, juxta ea quæ de *Mareſa* ſupra diximus, longiore intervallo Eleutheropoli abfuiſſe, quam hic Euſebius definiat, verſus Auſtralem ſcilicet regionem tribus Judæ. Bonfrerius.

[2] Quadruplicem *Maſpha* vel *Maſphe* in Scriptura invenio: una eſt prior iſta in tribu Gad. Joſ. 13. v. 26. hanc autem inter Levitis attributas civitates nuſquam Scriptura memorat. Altera eſt itidem trans Jordanem in dimidia tribu Manaſſe, a qua & *terra Maſpha ad radices Hermon*, Joſ. 11. v. 3. & hanc puto tum verſu illo, tum v. 8. ejuſdem capitis ſignificari: eademque, quantum ego arbitror, Jephte patria fuit, Judic. 11. quandoquidem ipſe de tribu Manaſſe trans Jordanem fuerit, ut Judic. 11. v. 1. probamus. Neque vero hæc eadem cum priore illa Gaditarum cenſeri poteſt, quaſi in utriuſque tribus fuerit confinio, diſerte enim Scriptura poſtremam hanc *Maſpha* a tribu Gad longius removet ibi ſupra Joſ. 11. v. 3. cum eam *ad radices Hermon* ſtatuat, atque adeo in extremis ad Boream terminis dimidiæ tribus Manaſſe, cum tribus Gad ad ejuſdem dimidiæ tribus Auſtralem plagam eſſet. Eſt & tertia *Maſpha* trans Jordanem in terra Moab, cujus fit mentio 1. Reg. 22. v. 3. Quarta & poſtrema eſt illa, cujus poſteriore loco meminit hic Euſebius vel Hieronymus, quæ in Scriptura *Maſpha*, *Maſepha*, *Maſphath*, vel *Meſphe* appellatur, eademque in Scripturis nominatiſſima, quam Lib. 1. Machab. Cap. 3. v. 46. dicit Scriptura fuiſſe contra Jeruſalem, in eademque fuiſſe orationis locum jam ante ab antiquis temporibus indicat: eodemque ſæpe Iſraelitas conveniſſe cauſa Deum deprecandi ſæpius in Scriptura legimus; *Hanc* ſeu Euſebius, ſeu Hieronymus reponit hic in *tribu Juda*, imo & Scriptura Joſ. 15. v. 38. alii in *tribu Benjamin*, ſiquidem & *Meſphe* in tribu Benjamin legimus, Joſ. 18. v. 26. ubi in Hebræo nulla eſt ſcriptionis diverſitas cum ea quæ alibi *Maſpha*, vel *Maſepha* in verſione noſtra dicitur: denique alii, quos ſequor, in utriuſque tribus confinio collocant, ob idque & utrique tribui a Scriptura adſcribitur, quod in aliis etiam nonnullis urbibus factum legimus. Significat hæc vox *ſpeculam*; ex quo intelligimus omnes iſtas *Maſphas* in edito loco fuiſſe conſtitutas. Idem.

[3] Hæc urbs in Gabalene ſeu Idumæa appellatur in verſione noſtra *Maſreca* urbs natalis Semla regis Idumæorum. Hujus fit mentio Gen. 36. v. 36. & 1. Paral. 1. verſ. 47. Idem.

[4] Hunc locum verſio noſtra, Joſ. 11. v. 8. & Cap. 13. v. 6. nuncupat *aquas Maſerephoth*; nam & *maim* aquas ſignificat, quam vocem Interpretes Septuaginta retinent ex Hebræo, ubi habetur מים משרפות *maim Miſrephot*, quas voces ſi interpretari Latinis vocibus velis, recte interpretabere *aduſtiones aquarum*. Hic autem locus omnino a Scriptura videtur in Sidoniorum finibus conſtitui, qua de re, & de nominis hujus cauſa, vide quæ dicimus ad Joſ. 11. v. 8. Idem.

[5] Hæc in verſione noſtra *Amoſa* appellatur, Joſ. 18. v. 26. ubi etiamnum apud Septuaginta Interpretes in quibuſdam legimus codicibus *Maſſa*, in aliis *Moſa*: credi poteſt Hieronymum cenſuiſſe primam litteram ה etiam ad nomen proprium pertinere, vel una cum nomine antecedentem literam ſervilem retinere voluiſſe, quod a Septuaginta Interpretibus ſæpius, ab Hieronymo interdum factitatum: eam autem hic Septuaginta Interpretes abjecerunt. Idem.

[6] Hæc non eſt alia ab ea *Maſpha*, de qua nos ſupra in MASPHA poſtremo loco, quæ in tribus Judæ & Benjamin fuit confinio; eique certum eſt omnia convenire, quæ hic de *Maſſefa* dicuntur, præter illud de *Jephte*, quod meo judicio, nullo modo admitti poteſt: ſiquidem Jephte erat Galaadites, & in Galaaditide moratus, mortuus, ac ſepultus eſt, item totum illud Jephte contra Ammonitas bellum in Galaaditide geſtum eſt, ubi & *Maſpha* Jephte civitas erat, quandoquidem Judic. 10. v. 17. dicantur *filii Ammon in Galaad fixiſſe tentoria, & adverſum eos filios Iſrael in Maſpha caſtrametatos eſſe*. Adde quod in hoc bello totum negotium agebatur Galaaditarum, quod a principibus Galaaditarum Jephte princeps belli & populi electus eſt; quod *Maſpha* illa diſerte *Maſpha Galaad* appelletur, Judic. 11. v. 29. quod tumultus ille & ſe-

ditio

HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS.

[1] *MASSEPHA, in Moab, ad quam profugus David cum Saul insidias declinaret, venit.*

Μασσηφὰ, τῆς Μωὰβ, ἔνθα φεύγων τὸν Σαοὺλ ὁ Δαβὶδ παρεγένετο.

MASSEPHA, quæ in Moab, quo fugiens Saulem accessit David.

[2] *MASURITH, castra filiorum Israel in deserto.*

[3] *MATHANE, quæ nunc dicitur Mathana, sita autem est in Arnone duodecimo milliario procul contra Orientalem plagam Medebat.*

Μαθθανὲμ, αὕτη νῦν λέγεται Μασχανά· κεῖται δὲ ἐπὶ τοῦ Ἀρνῶνος ἀπὸ σημείων ιβ' πρὸς ἀνατολὰς Μηδαβῶν.

MATHTHANEM, hæc nunc dicitur Maschana: sita est in Arnone in duodecimo milliario ad orientalem plagam. Medabon.

[4] *MATHECA, castra, filiorum Israel in solitudine.*

MAXILLA, locus. Vide supra LECHI.

MECHERA, unde nomen patronymicum Mecherathites, 1. Paral. XI. vers. 36. obscurus alicubi vicus, cujus alibi nusquam fit mentio.

MECHMAS. Vide MACHMAS.

[5] *MEDABA, usque hodie urbs Arabiæ antiquum nomen retinens juxta Esebon.*

Μεδδαβὰ, πόλις ἡ μέχρι νῦν ἔστι τῆς Ἀραβίας, Μηδαβὰ, εἰς ἔτι νῦν καλουμένη, πλησίον Ἐσσεβών.

MEDDABA, civitas quæ usque hodie est Arabiæ, & adhuc modo vocatur Medaba, prope Esebon.

[6] *MEDAM, civitas quam ædificavit Salomon.*

MEDDIM, urbs in tribu Juda, Jos. XV. vers. 61.

[7] *MEDEMANA, in tribu Juda, cujus meminit Esaias, & nunc est Menois oppidum juxta civitatem Gazam.*

Μηνεβηνὰ, φυλῆς Ἰούδα, καὶ ἔστι νῦν κώμη Μηνωὶς πλησίον Γάζης, πολίχνη. κεῖται καὶ ἐν Ἠσαΐᾳ.

MENEBENA, tribus Juda, & est hodie vicus Menois, juxta Gazam oppidulum. invenitur apud Isaiam.

MEDEMENA. Vide proxime MEDEMANA.

MEDENA PROVINCIA, cujus fit mentio 1. Esdræ, VI. vers. 2. non est alia a *Media*; nam in Hebræo est מדי *Madai*, quod Mediam significare certum est, & in plerisque codicibus ibidem habetur, ἐν τῇ βάρει τῶν Μήδων, *in arce Medorum*, satisque constat e Judith. 1. vers. 1. *Ecbatana*, quæ Esdræ, VI. dicitur esse *in Medena provincia*, fuisse *in Media*.

MEDIA, Asiæ celebris regio.

[8] *MEEBER, pro quo Aquila transtulit ἀντιπέραν, Symmachus ἐξεναντίας, id est, trans, vel de contra.*

Μεεβρὰ, Ἀκύλας, [9] ἀντιπέραν· Σύμμαχος, ἐξεναντίας.

MEEBRA, Aquila & Symmachus (vertunt) e regione, seu ex adverso.

---

NOTÆ.

ditio Ephraimitarum adversum Jephte Judic. 12. excitata sit in Galaaditide. IDEM.

[1] Hæc item in versione nostra *Maspha* appellatur, 1. Reg. 22. v. 3. de qua & nos supra egimus in MASPHA. IDEM.

[2] Hæc mansio in versione nostra *Moseroth* appellatur, Num. 33. v. 30. 31. IDEM.

[3] Hæc in versione nostra *Matthana* dicitur, Num. 21. v. 18. 19. *Medebat* autem hic vocat, quæ paulo post dicitur *Medaba*. IDEM.

[4] Hæc mansio filiorum Israel in deserto appellatur in versione nostra *Methea*, Num. 33. v. 28. 29. IDEM.

[4] *Matheca* ) Non tantum a Græcis hæc absunt, sed ne in antiquioribus quidem MSS. Latinis sunt, si credimus *Martianæo*. CLERICUS.

[5] Hæc itidem in textu nostro *Medaba* appellatur, subinde etiam *Medaba*, 1. Machab. 9. v. 36. 37. Fuerat autem jam olim Moabitarum civitas trans Jordanem, postea Amorrhæorum, tandem Rubenitarum, Jos. 13. v. 16. cum tota illa planitie & campestribus, quæ ad illam ducebant, quæ ob id & *planities Medaba*, vel *campestria Medaba* appellantur, Jos. 13. v. 9. 16. quæ campestria alia non esse censeo ab iis, quæ alibi *campestria Moab* appellantur. Denique postremo *Medaba* rursum Moabitarum effecta est, ut ex Isaiæ 15. v. 2. colligi potest. BONFRERIUS.

[6] Inter urbes quas ædificavit Salomon, quæ referuntur 3. Reg. 9. & 2. Paral. 8. nulla isto nomine legitur, vel quæ cum hac voce affinitatem habeat, nequidem in codicibus Septuaginta Interpretum. IDEM.

[7] Eam habes tribui Judæ annumeratam, Jos. 15. v. 31. Meminit autem hujus & Isaias Cap. 10. v. 31. sed in nostra versione *Medemena* nuncupatur. IDEM.

[8] Habetur hæc vox apud Septuaginta Interpretes, etiamnum in omnibus codicibus, 3. Reg. 4. v. 12. ubi Hieronymus *e regione* vertit, quæ versio cum Aquilæ & Symmachi versione congruit. Itaque hæc vox ad locorum nomina propria nihil pertinet. IDEM.

[9] Ἀντιπέραν ) Est in MS. Regio *Eusebii*, ut & in MSS. *Hieronymi*, ἀπὸ πέραν, quod cum prorsus respondeat voci Hebraicæ מעבר *meheber*, mutari non debuit in vocem ἀντιπέραν, licet hæc Græca sit, prior vero loquutio barbara; norunt enim omnes, qui *Aquilæ* fragmenta inspexerunt, legeruntve quæ de eo dixerunt *Hieronymus*, & alii Veterum, qui translationem ejus legerant, eum interpretem non sententiam modo Hebræarum loquutionum, sed & ipsos Hebraismos transtulisse. Itaque merito *Martianæus* reposuit ἀπὸ πέραν. Ceterum 3. Reg. IV. 12. est quidem in Codice Vaticano Μαιβὲρ, sed in Alexandrino vitiose Μεμβραδί. CLERICUS.

HIERONYMUS. / ΕΥΣΕΒΙΟΣ. / EUSEBIUS.

[1] *MEELEB, terminus Nephthalim.*

[6] Μεθλὲμ, ὅριον Νεφθαλέμ.

METHLEM, terminus Nephtali.

MEIARCON, urbs in tribu Dan. Jos. XIX. vers. 46.

[2] *MELA, id est Gemela, quam Aquila & Symmachus transferunt vallem salis. Diximus de hac & supra.*

[7] Μαλαχήμαλα, Ἀκύλ. Σύμμ. φάραγξ τοῦ ἁλός.

MALACHEMALA, Aquilæ, Symmacho, vallis est salis.

[3] *MELCHOM, idolum Ammonitarum, sicut scribit Hieremias.*

Μολχὸμ, εἴδωλον Ἀμμὼν, ὡς Ἱερεμίας.

MOLCHOM, Idolum Ammon, ut tradit Hieremias.

MELITA, maris mediterranei insula e regione Siciliæ, ad quam S. Paulus naufragium passus venit, Act. XXVIII. vers. 1.

[4] *MELLO, civitas quam ædificavit Salomon. Porro Symmachus & Theodotion ad impletionem transtulerunt, & de hac in libris Hebraicarum quæstionum plenius dicitur.*

Μελὼ, πόλις ἣν ᾠκοδόμησε Σολομὼν . . .

MELO, civitas quam ædificavit Salomon.....

MELOTHI, civitas, cujus fit mentio, Judith II. vers. 13. quæ ubi sita sit, non est ita proclive statuere. Serarius noster ad istum Judith locum opinatur esse eam, quæ a Plinio Lib. VI. *Melita* dicitur urbs a Semiramide juxta Euphratem condita, a Ptolemæo Lib. V. Cap. 7. appellatur *Melitene*. Verum cum proxime ante eodem Judith II. Cap. mentio facta esset *montium, qui a sinistro sunt Ciliciæ*, & proxime post mentio fiat *filiorum Tharsis*, quos etiam annuente Serario plerique censent non alios esse, quam *Cilices*, quandoquidem & in Cilicia urbs sit Tharsus, quis non potius suspicetur & *Malothi* esse urbem aliquam Ciliciæ, cujusmodi esset *Mallus*, quæ a Ptolemæo, Strabone, Pomponio in Cilicia statuitur? quin & Scriptura, 2. Machab. IV. vers. 30. *Tharsenses* & *Mallotas* conjungit. Aliqui *Malus* simplici (l) scribunt. Quod si hæc conjectura non placeat, intelligerem per *filios Tharsis* populos Arabiæ, ad quos venisset Holophernes conscensis navibus ultra Ciliciam, & per Phœnicium mare Rhinocoluram, aut alium similem portum tenens; siquidem familiare est Scripturæ, ut nomine *Tharsis* intelligantur populi quilibet transmarini. Et hoc quidem verum est, si tamen eo Judith loco, *Tharsis* legas, nam Græci Codices *Rases* vel *Rasis* habent, quam Syriæ regionem aliqui censent. Firmari potest hæc conjectura, quod proxime post *filios Tharsis* mentio fiat *filiorum Ismael*, qui Arabiam desertam incolebant: item quod Scriptura ibidem post mentionem factam *Melothi urbis*, *filiorum Tharsis*, *filiorum Ismael*, alterius loci *Cellon* meminerit; porro *Cellon* & *Melothi* eadem loca videri possint, cum *Chaala* & *Malotha* sint in Arabia, quorum meminit Strabo Lib. XVI.

[5] *MEMORIÆ, id est, sepulcra concupiscentiæ castra filiorum in deserto, ubi Israel post esum carnium ascendit ira Dei super eos.*

Μνήματα ἐπιθυμίας, σταθμὸς τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ ἐπὶ τῆς ἐρήμου, ἔνθα διεφθάρησαν ἀπὸ τῆς κρεοφαγίας.

MONUMENTA, CONCUPISCENTIÆ Statio filiorum Israel in deserto, ubi post esum carnium interierunt.

NOTÆ.

[1] In sincerioribus Septuaginta Interpretum codicibus *Meeleph* legitur, Jos. 19. v. 33. ubi versio nostra habet *Heleph*. Visi sunt Septuaginta Interpretes (si tamen hoc ipsorum est) præpositionem מן *min*, quod idem valet quod *de*, cum proprio nomine conjunxisse מחלף *mechelep*, quod Hieronymus vertit *de Heleph*. BONFRERIUS.

[2] Nusquam Septuaginta Interpretes *Mela* simpliciter dixerunt, sed *Gemela*, pro quo versio nostra *vallem Salinarum* habet. Vide quæ supra in GEMELA diximus. IDEM.

[3] Hujus idoli *Melchom*, vel *Moloch* frequens est in Scriptura mentio, cui barbaro sacrificio filios suos parentes per ignem comburendos consecrabant: sed ad locorum propria nomina id non pertinet. IDEM.

[4] *Mello*, quam ædificavit Salomon, & antea David, inter omnes convenit non esse urbem aliquam, sed vel voraginem inter montem Moria, & montem Sion, ut multi senserunt, vel potius partem montis Sion, eamque editissimam nos multis adstruemus, 2. Reg. 5. v. 9. Est & *Mello* oppidum juxta Sichimitas, cujus aliquoties fit mentio, Judic. 9. IDEM.

[5] Quæ versio nostra vocat *Sepulcra concupiscentiæ*, Num. 11. v. 34. & Cap. 33. v. 16. 17. ea Septuaginta Interpretes vocant μνήματα τῆς ἐπιθυμίας: *Monumenta seu memorias concupiscentiæ*, nempe quod ea sepulcra rem, quæ in eo loco acciderat, in memoriam revocarent. IDEM.

[6] Μεθλὲμ) Est in Codice Alexandrino Jos. XIX. 33. Μελὲφ, in Vaticano Μοολάμ. Itaque non mirandum tot vitiosas lectiones habere aut *Eusebium*, aut exscriptores hujus libri, qui Hebraicos fontes adire non potuerunt. CLERICUS.

[7] Credo in Eusebio legendum Μαλὰ ἢ γημαλά. BONFRERIUS.

[7] Ibid. LXX. Intt. 4. Reg. XIV. 7. habent in Cod. Romano, Γεμελὲδ, in Alexandrino Γαιμελά, quod magis accedit ad גי מלח *ge melahh*, *vallis salis*. CLERICUS.

1 Fuit

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [1] *MEMPHIS, civitas Ægypti, cujus Osee & Ezechiel & Hieremias Prophetæ recordantur. Sed & Judæi, qui cum Hieremia de Hierosolymis profugi exierant, habitarunt in Memphis.* | Μεμφὶς, ἐν Ὠσηὲ, πόλις Αἰγύπτου, ἐν Ἰεζεκιὴλ, καὶ ἐν Ἱερεμίᾳ οἱ μετὰ Ἱερεμίου Ἰουδαῖοι κατῴκησαν Μέμφιν. | MEMPHIS, in Osee civitas Ægypti, in Ezechiele & Hieremia. Judæi qui cum Hieremia (commigrarunt) habitarunt Memphim. |

MENNI, Hierem. LI. verſ. 27. quæ natio ſit obſcurum eſt: Aſiaticum eſſe populum ſatis manifeſte colligitur, ſive quod ibi auxiliatores Medorum adſciſcuntur adverſus Babylonios, ſive quod aliis populis Aſiaticis ibidem conjungantur, videlicet Ararat, hoc eſt, Armenis, & Aſcenez, quem populum etiam eſſe Aſiaticum diximus, Gen. x. verſ. 3. Legimus apud Curtium Lib. v. Aſſyriæ civitatem *Mennium* dictam, ubi ait fontes eſſe bituminis: forte de illa & adjacente regione locus ille Hieremiæ intelligendus eſt.

| | | |
|---|---|---|
| [2] *MENNITH, ubi Jephte prælatus eſt: nunc autem oſtenditur Mannith villa in quarto lapide Esbus, pergentibus Philadelphiam.* | Μεννὶθ: ἔνθα ἐπολέμησεν Ἰεφθαί. καὶ νῦν ἔστι κώμη Μαανὶθ ἀπὸ δʹ σημείων Ἐσεβοὺς ἀπιόντων εἰς Φιλαδελφίαν. | NENSETH, ubi pugnavit Jephthe. eſtque hodie vicus Maanith in 4. lapide Eſebus pergentibus Philadelphiam. |
| [3] *MEPHAATH, in tribu Benjamin. Sed & alia eſt trans Jordanem, in qua præſidium Romanorum eſt militum propter vicinam ſolitudinem.* | Μηφαὰθ, φυλῆς Βενιαμίν. καὶ ἄλλη δέ ἐστι ἐπέκεινα τοῦ Ἰορδάνου, ἔνθα φρούριον ἐγκάθηται στρατιωτῶν παρὰ τὴν ἔρημον. | MEPHATH, tribus Benjamin. alia inſuper eſt trans Jordanem, ubi præſidium militare ſedet juxta deſertum. |

MERALA, locus in confinio tribus Zabulon & Aſer, Joſ. XIX. verſ. 11.

MEROM. Vide paulo poſt MERROM.

MEROME, Judic. v. verſ. 18. Ita autem in vulgata verſione ab Hieronymo nomen hoc uſurpatum ut proprium, *in regione Merome*, quod alii appellative vertunt, *ſuper altitudines agri*. Significatur autem per *regionem Merome* vel *altitudines agri*, planities illa, quæ eſt in vertice montis Thabor, ad quam ſuum exercitum divino juſſu Barac adverſum Siſaram pugnaturus duxerat.

MERONATH, unde patronymicum Meronathites, 1. Par. XXVII. verſ. 30. & 2. Eſdræ III. verſ. 7. locus obſcurus & ignobilis, cujuſmodi ſunt multi vici & villæ, quæ nuſquam nominantur in Scriptura, ab his tamen patronymica ducuntur nomina.

MEROZ, Judic. v. verſ. 23. urbis aut provinciæ nomen juxta montem Thabor cui ob id maledictio ibi intentatur, quod Iſraelitis cæteris pro communi ſalute adverſum Siſaram dimicantibus opem non tulerint, cum tamen & vicini eſſent, & nullam excuſationem ſui facti adferre poſſent.

| | | |
|---|---|---|
| [4] *MERRA, quod interpretatur amaritudo: Eſt autem locus in quo amaras aquas jactu ligni Moyſes in dulcem vertit ſaporem.* | Μέῤῥα, πικρία. τόπος τῆς ἐρήμου, ἔνθα πικρὸν ὑπάρχον τὸ ὕδωρ, ῥίψας ξύλον Μωϋσῆς μετέβαλεν εἰς γλυκύ. | MERRA, amaritudo. locus deſerti, in quo amaram aquam conjecto ligno Moyſes mutavit in dulcem. |

MERRHA, Baruch. III. verſ. 23. urbis nomen videtur in Arabia Petræa, vel deſerta, quandoquidem qui ibidem conjunguntur filii Agar & Theman in eadem eſſent Arabia. (No-

## NOTÆ.

[1] Fuit hæc olim Ægypti metropolis & regia, teſte Strabone Lib. 17. ad Nilum ſita. Eamdem eſſe cum ea quæ etiamnum *Ægypti metropolis*, eſt ad Nilum, quam *Cairo* vocant, ſunt qui opinentur: at verius eſt diverſam eſſe; eſt enim *Cairus* ab Orientali Nili parte, cum *Memphis* ab Occidua ejuſdem fluminis ripa ſita fuerit, cujus nunc tantummodo ruinas reſtare e regione Cairi plures ſunt qui aſſerant. In Hebræo hæc urbs נף *Noph* appellatur. Meminit hujus urbis Iſaias Cap. 19. v. 13. Hieremias locis pluribus, ſed imprimis Cap. 44. v. 1. ubi *in Memphi dicuntur habitaſſe Judæi*, qui in Ægyptum commigrarant, quos ſecutus eſt Hieremias: item Cap. 46. ubi adverſus Ægyptum vaticinatur. Ezechiel item Cap. 30. adverſus eamdem prophetat. Oſee Cap. 9. ejuſdem meminit. BONFRERIUS.

[2] De hac habes Judic. 11. v. 33. Videtur potius hæc urbs in regione Ammonitarum conſtituenda, quam in ea regione, quam Iſraelitæ trans Jordanem poſſidebant, quod tamen videri poſſit hic inſinuari, cum ut recta via ab Esbus Philadelphiam iretur fere totum iter eſſet per Gaditarum regionem. Porro Ammoniticam hanc eſſe urbem ex eo colligas, quod & urbs altera, cujus ibidem ſit mentio, Abela vinearum in regione eſſet Ammonitarum etiam Euſebio ſupra in *Abela* aſſentiente: deinde nuſquam tutius refugere poterant Ammonitæ, quam in ſuam regionem, quæ prælii loco vicina erat. IDEM.

[3] Nullam urbem iſtius nominis in tribu Benjamin Scriptura commemorat, ſeu Joſ. 18. ubi ſigillatim ex nomine civitates Benjaminiticæ recenſentur, ſeu alibi, ne quidem apud Septuaginta Interpretes. Altera trans Jordanem in tribu fuit Ruben Joſ. 13. v. 18. eademque Leviticis urbibus annumerata Joſ. 21. v. 39. & 1. Paral. 6. v. 79. Poſtea Moabitarum ditioni fuiſſe reſtitutam indicat Hieremias Cap. 48. v. 21. IDEM.

[4] In verſione noſtra *Mara* (quod *amaritudinem* ſignificat nomine ab amaris aquis ſumto) locus hic in verſione noſtra appellatur, ubi & Iſraelitarum manſio fuit, Exodi 15. v. 23. & deinceps Num. 33. v. 8. 9. IDEM.

[1] In

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|

tandum autem quod ea, quæ allegato Baruchi loco leguntur, *negotiatores Merrhan & Theman*, in quibuſdam codicibus vertantur, *negotiatores terræ & Theman*.)

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [1] *MERROM aquæ, ad quas exercitu præparato caſtra ſunt poſita. Eſt autem nunc vicus Merrus nomine in duodecimo milliario urbis Sebaſte juxta Dothaim.* | Μεῤῥὼν, ἔστι τὸ ὕδωρ, ἔνθα παρενέβαλον εἰς πόλεμον. ἔστι νῦν [7] κώμη, μέρος Ζεβαστῆς· ἀπέχουσα σημείοις ιβʹ πλησίον Δωθαείμ. | MERRAM, Eſt ea aqua, ad quam caſtrametati ſunt ad prælium. Nunc eſt vicus pars Sebaſtæ (ab ea) diſtans duodecim milliaribus juxta Dothaim. |

MESOPOTAMIA, regio inter duo magna flumina Euphratem & Tigrim incluſa, unde & nomen accepit; quomodo ab Hebræis & Scriptura eadem regio dicitur ארם נהרים *Aram Nabaraim*, quaſi dicas *Aram*, ſeu *Syria duorum fluviorum*, quemadmodum & a Latinis ad eamdem regionem ſignificandam vox interamnis formata eſt.

MESPHE. Vide MASPHA ſupra.

MESSA. Vide paulo poſt MESSE.

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [2] *MESSAB, hoſtile oppidum juxta Gabaa.* | [8] Με --- τῶν ἀλλοφύλων, πλησίον τῆς Γαβαᾶς. | ME----- Alienigenarum juxta Gabaa. |

MESSAL, urbs in extremis finibus tribus Aſer, Joſ. XIX. verſ. 26.

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [3] *MESSE, regio Indiæ in qua habitaverunt filii Jectam, filii Heber.* | Μανασσῆ, χώρα τῆς Ἰνδικῆς, ἣν κατῴκησαν οἱ υἱοὶ Ἰεκτὰν υἱοῦ Ἑβέρ. | MANASSE, Regio Indiæ quam habitarunt filii Jectan filii Heber. |

METHCA, manſio filiorum Iſrael in deſerto, Num. XXXIII. verſ. 28. 29.

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [4] *MILETUS, civitas Aſiæ, de qua Ezechiel ſcribit.* | Μίλητος, πόλις τῆς Ἀσίας. κεῖται [9] καὶ ἐν Ἰεζεκιήλ. | MILETUS, civitas Aſiæ, extat & in Ezechiele. |
| [5] *MISAIDA, filiorum Jacen, locus in ſolitudine in quo obiit Aaron.* | Μισαδαὶ, υἱῶν Ἰωακείμ, τόπος ἐπὶ τῆς ἐρήμου, ἔνθα ἐτελεύτησεν Ἀαρών. | MISADAI, filiorum Joachim, locus in deſerto, ubi mortuus eſt Aaaron. |
| [6] *MISOR, civitas Og regis Baſan. Significat autem Miſor loca plana.* | Μισὼρ, πόλις Ὢγ βασιλέως Βασάν. | MISOR, civitas Og regis Baſan. |

---

N O T Æ.

[1] In verſione noſtra locus hic *Merom* appellatur, Joſ. 11. v. 5. 7. ſed cum addito *aquæ Merom*, quo nomine ſignificatur *Samachonites lacus*, quem Jordanes antequam ad mare Galilææ perveniat & facit, & præterfluit. Eſt autem paluſtris hic locus ſtadiis ſexaginta longus, latus triginta. Vide plura ad eum ſupra locum, Joſ. 11. v. 5. Huc convenit exercitus Jabin regis Aſor, ibidemque a Joſue debellatus fuit. BONFRERIUS.

[2] Hanc vocem tamquam loci nomen proprium Septuaginta Interpretes aliquoties 1. Reg. 14. v. 1. 6. 11. 12. 15. uſurparunt, ubi & in Hebræo eſt מצב *matſab*: Interpres vero noſter ſemper appellative vertit *ſtationem*. IDEM.

[3] In verſione noſtra *Meſſa* locus hic appellatur, Gen. 10. v. 30. ubi duo conſtituuntur termini regionis, quam inſederunt filii Jectan, quæ non alia videtur, uti hic etiam indicatur, quam *India*. Itaque *Meſſa* locus eſt citerior, & terminus iſtius regionis Occidentalior, quem ego ſuſpicor fuiſſe juxta Indum flumen, Sephar vero mons terminus eſt Orientalior. IDEM.

[4] Urbs eſt Cariæ in minori Aſia Ptolemæo, Straboni, Stephano. Hujus Ezechielem meminiſſe nuſquam reperio ne apud Septuaginta quidem Interpretes; fit tamen ejus mentio Act. 20. Fuit & alia *Miletus* in inſula Creta, eademque inſignis & primaria, antiquitate prior Aſiatica, licet eumdem conditorem habuerit, cujus meminerunt Homerus Iliad. β. & ibidem Euſtathius, Strabo, Plinius, Pauſanias, de qua veriſimiliter Paulum agere 2. ad Timotheum Epiſtola Cap. 4. v. 20. in ejuſdem epiſtolæ argumento docui, licet res non omnino ſit certa. IDEM.

[5] Hic locus in verſione noſtra *Moſera* dicitur, Deuter. 10. v. 6. ubi apud Septuaginta Interpr. in codicibus, quos etiamnum habemus, non *Miſaida* leges, ſed in Romano, Aldino, & Baſileenſi *Miſadai*. Porro hunc locum, in quo manſio illa in deſerto facta eſt, non dicit ibi Scriptura eſſe *filiorum Jacan* vel *Jacin*, ſed ex *Beroth filiorum Jacan in Moſera* veniſſe. Quomodo autem ibi Aaron dicatur mortuus, quod eo Deuteronomii loco aſſerit Scriptura (quæ res gravem parit difficultatem) videnda ea quæ nos ad illum locum attulimus. IDEM.

[6] Nullam reperio *Miſor* apud Septuaginta, quæ dicatur *Og regis Baſan*, nedum civitatem, ſed tantummodo eam, quæ fuit Sehon alterius regis Ammorrhæorum trans Jordanem, ac deinde tribus Ruben, de qua proxime dicendum eſt. IDEM.

[7] Κώμη, μέρος Σεβάστης ἀπέχουσα) Diſtingue, κώμη Μέρος, Σεβάστης ἀπέχουσα, *pagus Meros, diſtans Sebaſta* &c. Res liquida eſt ex *Hieronymo*, & mirum eſt a *Bonfrerio* non animadverſam. Sed ut cum ſcriberet animadverſiones in *Hieronymi* verſionem præ oculis non habuit *Euſebium*: ſic nec *Euſebium* vertens, ſemper ejus antiquiorem Interpretem inſpexit, quod non ex hoc loco tantum, ſed & ex aliis liquet. Præterea res ipſa & conſtructio verborum hominem ad veram lectionem manu recta ducebant. CLERICUS.

[8] Vox hæc in manuſcripto Pariſienſi manſit imperfecta. BONFRERIUS.

[9] Καὶ ἐν Ἰεζεκιὴλ) Miror *Bonfrerium* non potuiſſe invenire nomen Mileti apud Ezechielem, cum diſerte exſtet Cap. XXVII. 18. in omnibus, ut opinor, editionibus, certe in Romana, aliiſque ut & Codice Alexandrino, τὰ ἔρια ἐκ Μιλήτου, *lanæ Mileto*. Oportuiſſet *Martianæum*, qui tam ſuperbe optimis & doctiſſimis quibuſque inſultat, hac in re, ut in aliis, ſuppleviſſe, quod *Bonfrerii* induſtria perficere non potuerat; præſertim in tanto otio, tantaque librorum copia. CLERICUS.

1 Pro

HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS.

[1] *MISOR, pro quo Aquila & Symmachus humilem interpretati sunt. Est autem civitas tribus Ruben, separata Levitis in regione Gabalene.*

Μισὼρ, Ἀκύλας, Σύμμαχος τὴν ὁμαλήν. πόλις φυλῆς Ῥουβὶν. Λευΐταις ἀφωρισμένη [5] ἐν τῇ Γαβαληνῇ.

MISOR, Aquila, Symmachus (vertunt) planam, civitas (est) tribus Ruben, separata Levitis, in terra Gabalena.

[2] *MISOR, regio Moabitarum, juxta Hieremiam.*

MISPHAT FONS, hoc est, *fons judicii*, cujus fit mentio, Gen. XIV. vers. 7. qui alio nomine *Cades* dictus fuit, ubi murmurantibus Israelitis ob aquæ penuriam anno peregrinationis quadragesimo, aquæ de petra a Moyse eductæ sunt, ut refertur Num. XX. Itaque per prolepsim Gen. XIV. ita locus iste fuit appellatus, ubi & nominis rationem dedimus.

MITYLENE, cujus fit mentio Act. XX. vers. 14. oppidum est in Lesbo insula Plinio, Melæ, Straboni, Ptolemæo.

[3] *MOAB, ab uno filiorum Lot, qui vocabatur Moab, civitas Arabiæ, quæ nunc Areopolis dicitur, sic vocata est, cujus & supra meminimus; vocatur autem Moab ex nomine urbis & regio. Porro ipsa civitas, quasi proprium vocabulum possidet Rabbath Moab, id est, grandis Moab.*

Μωάβ, ἀπὸ Μωάβ υἱοῦ Λώτ, πόλις τῆς Ἀραβίας ἡ νῦν Ἀρεόπολις. κεῖται καὶ ἀνωτέρω. καλεῖται δὲ Μωάβ καὶ ἡ χώρα. ἡ δὲ πόλις Ῥαββὰθ Μωάβ.

MOAB, a Moab filio Lot, civitas Arabiæ, quæ nunc Areopolis. Invenitur supra. Vocatur autem Moab regio, at civitas Rabbath Moab.

MOCHONA, urbs filiorum Juda, 2. Esdræ 11. vers. 28.

[4] *MODIM, vicus juxta Diospolim, unde fuerunt Machabæi, quorum hodieque ibidem sepulcra monstrantur. Sat itaque miror quomodo Antiochiæ eorum reliquias ostendant, aut quo hoc certo auctore sit creditum.*

Μηδεείμ, κώμη πλησίον Διοσπόλεως, ὅθεν ἦσαν οἱ Μακκαβαῖοι, ὧν καὶ τὰ μνήματα [6] ἕως ἔτι νῦν δείκνυται.

MEDEIM, vicus juxta Diospolim, unde erant Maccabæi, quorum sepulcra usque hodie monstrantur.

MODIN. Vide proxime MODIM.

MOLADA. Vide proxime MOLADAB.

---

NOTÆ.

[1] Pro *planitie* seu *loco campestri* passim hæc vox appellative sumitur, mihique verisimile fit nusquam urbis proprium nomen esse, etsi Septuaginta Interpretes eam ex Hebræo vocem in sua versione subinde servent (quod in multis itidem aliis vocibus appellativis fecerunt) ad instar nominis proprii, Deuter. 3. v. 10. Jos. 13. v. 9. 16. 17. 21. & Cap. 21. v. 36. Non esse autem urbis nomen e Jos. 13. v. 17. & 21. perspicue colligi potest, cum ibi dicatur apud Septuaginta Interpretes; *omnes civitates quæ sunt in Misor*, ut proinde si *Misor* nomen esse proprium statuendum esset, potius regionis nomen statui deberet. Quod si *Misor* ne civitatis quidem nomen fuerit, plane sequitur nec Liviticam civitatem esse potuisse. Fateor tamen in nostra versione semel dumtaxat eam vocem usurpari ad modum nominis proprii, Jos. 21. v. 36. ubi videri possit esse nomen urbis, cum ibi recenseantur urbes Leviticæ; at omnino statuendum est esse nomen appellativum, & cum voce præcedente absque medio commate conjungendum, ut *in solitudine Misor* idem sit quod *in solitudine planitiei*, nisi quis malit etiam planitiei illi nomen quasi proprium adhæsisse: alias enim non constaret numerus civitatum Leviticarum, si *Misor* ibi sit urbis nomen. Vide quæ nos ad eum locum adferimus. Fuit autem tota *hæc planities*, quæ aliter dicta est *campestria Moab*, vel *campestria Medaba*, in ditione regis Sehon, & postea in sortem tribus Ruben cecidit. Dicta autem sunt *campestria Moab*, quia Moabitarum antea fuerat tota ea regio, in qua hæc planities erat, & ab Amorrhæis Moabitis ablata fuerat; ut mirum sit hic *in regione Gabalene* dici *hanc Misor fuisse*, cum in Gabalene seu Idumæa nihil Israelitæ possederint. BONFRERIUS.

[2] Hujus mentionem facit Hieremias, Cap. 48. v. 21. juxta versionem Septuaginta Interpretum; sed hæc non est alia planities a præcedente, uti dictum est. IDEM.

[3] Tota regio *Moab* dicitur, urbsque illa Moabitarum primaria, de qua supra in AR & ARNON, dictum est; Porro sicut urbs primaria & regia apud Ammonitas dicta est *Rabba* vel *Rabbath*, ita apud Moabitas urbs hæc regia & primaria idem nomen habuit, cujus sub nomine *Rabba* videtur mentio fieri in Scriptura, Jos. 13. v. 25. IDEM.

[4] *Modin* in versione nostra vocatur, in Græco Μωδεΐν *Modein*, apud Josephum Μωδεΐμ *Modiim*. Hunc vicum Judææ facit Josephus Lib. 12. Antiq. Cap. 8. Scriptura non vicum tantum, sed civitatem passim in libris Machabæorum facit. Esse in monte sitam liquet e 1. Machab. 2. v. 1. Hanc in tribu Dan reponit Adrichomius, cum tamen dicat eam in monte Juda sitam esse, quæ duo quomodo consentiant non satis video. Sed & Josephus supra in Judæa collocat, quo nomine non videtur tribus Dan comprehendi, nisi quis dicat (quod mihi non displicet) posterioribus temporibus etiam tribus Daniticæ & Simeonicæ loca Judææ appellatione venisse. Situs tamen, quem in tribu Danitica huic urbi assignat Adrichomius, mihi nullo modo placet, qua de re plura in Annotationibus ad tabulam chorographicam Terræ Promissæ. IDEM.

[5] Ἐν τῇ Γαβαληνῇ) Aut memoria peccavit *Eusebius*, vel ἀπροσεξίᾳ, qua fit ut nomen pro alio ponamus, aut legendum ἐν τῇ Γαλααδίτιδι, in qua Rubenitæ habuerunt agros, non in Gabalena, seu Idumæa. CLERICUS.

[6] Εἰς ἔτι) Videtur præterea legisse *Hieronymus*, ἐνταῦθα, *hic, quorum etiam monumenta hic adhuc ostenduntur*. Ego vero miror eum mirari Antiochiæ ostensas reliquias Maccabæorum, cum potuerint eo transferri ex Judæa. IDEM.

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [1] *MOLADAB, in tribu Juda, vel Simeonis.* | Μωλαδὰ, φυλῆς Ἰούδα ἢ Συμεών. | MOLADA, tribus Juda sive Symeon. |

MOLATHI, locus obscurus & alias in Scriptura ignobilis, saltem hoc nomine, unde fuit Hadriel Molathites, cui nupsit Merob filia Saul, 1. Reg. XVIII. vers. 19. Hanc in tribu Simeonis collocat Adrichomius, sed hoc est sine argumento divinare. Si conjectura probabili uti licet, potius dixerim fuisse in dimidia tribu Manasse cis Jordanem, eadem videlicet cum *Abelmehula*, de qua supra in ABELMAULA. Conjecturæ meæ ratio est, quod *Molathi*, vel ut in Hebræo est מחלתי *mecholathi* non tam urbis nomen sit, quam nomen ab urbe patronymicum, sive idem quod *Molathites*, ut 1. Reg. XVIII. vers. 19. camdem vocem vertit Hieronymus: est ergo מחלה *mechola* urbis nomen; at vox *Abelmehula* in Hebræo est composita ex אבל *abel* & מחלה *Mechola*: sublata autem priore parte compositionis, ut sæpe fit in talibus, remanet מחלה *mechola*, quæ vox appellative sumta *chorum* significat: ex quo sequitur, magna probabilitate asseri, istam *Mechola* & *Abelmechola* pro eadem urbe usurpari.

MONS AMALEC, in tribu Ephraim, Judic. XII. vers. 15. Unde autem monti isti illud nomen admodum obscurum est. Vide quæ nos ad eum locum.

MONTES ARMENIÆ, super quibus arca Noe imminutis diluvii aquis requievit.

MONTES EPHRAIM, quorum frequens in Scriptura mentio, sunt montes quibus passim tota illa tribus respersa est, & in quibus fere urbes sitæ erant.

[2] *MONS OLIVARUM, ad Orientem Hierusalem in quo discipulos erudiebat Jesus.*

MONTANA JUDÆÆ, quorum fit mentio Lucæ 1. vers. 65. & apud Josephum Lib. 1. Belli Cap. 1. sunt montes in tribu Juda, qui continuo quodam tractu procedunt, quos Adrichomius dicit juxta Emmaus consurgere & terminari unius diei itinere ab Hebron. In hisce montibus plures sitæ urbes fuerunt, in quarum una etiam Zacharias & Elisabeth habitarunt. D. Radzivilus hæc montana etiam cis Hebronem collocat, quæ adiisse se scribit, & locum, ubi Zachariæ domus fuisse dicitur, visitasse.

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [3] *MOPHAT, regio Moabitarum, sicut in Hieremia legimus.* | | |
| [4] *MORASTHI, unde fuit Michæas propheta. Est autem vicus contra orientem Eleutheropoleos.* | [6] Μωρασθεὶ, ὅθεν ἦν Μιχαίας ὁ προφήτης, πρὸς ἀνατολὰς Ἐλευθεροπόλεως. | MORASTHI, unde erat Michæas propheta, ad Orientalem plagam Eleutheropoleos. |
| [5] *MORE, nomen est collis, de quo in libris Hebraicarum quæstionum plenius disputatur.* | Μωρὲ, βουνὸς οὕτω καλούμενος. | MORE, collis ita vocatus. |

NOTÆ.

[1] Fuit primo attributa tribui Judæ, Jos. 15. v. 26. postea tribui Judæ ablata Simeonitis data est, ut liquet e Jos. 19. v. 2. & 1. Paral. 4. v. 28. postea tamen rursum post captivitatem Babylonicam habitata fuit a filiis Juda, 2. Esdræ 11. v. 26. In versione nostra *Molada*, non *Moladab* appellatur. BONFRERIUS.

[2] Aberat hic mons Hierosolyma Sabbathi itinere, ut habet Scriptura, Act. 1. v. 12. hoc est, quinque vel sex stadiis, ut habet Josephus. Vide quæ de Sabbathi itinere diximus Exodi 20. v. 8. Inter hunc montem & urbem interjacebat vallis Cedron. Ex hoc monte Christus in cœlum ascendit relictis in monte ipso expressis pedum vestigiis. Dictus est autem *mons Olivarum*, vel *Oliveti* ab Olivarum in eo monte nascentium copia. IDEM.

*Mons Olivarum* ) Pars quidem montis olivarum, tantum remota erat Jerosolima, quantum dicit *Hieronymus*, sed non totus mons usque adeo aberat, cum inter Jerosolymam & eum montem vallis dumtaxat interjecta esset. Vide Intt. ad Act. 1. 12. CLERICUS.

[3] Hæc in versione nostra *Mephaath* appellatur, de qua & supra actum est. Meminit autem hujus Hieremias, Cap. 48. v. 21. BONFRERIUS.

[4] Meminit hujus *Morasthi* loquens de Michæa propheta Hierem. Cap. 26. v. 18. *ipseque Michæas* initio suæ prophetiæ *se Morasthiten dicit*. Concordant iis, quæ hic habentur, ea quæ Hieronymus habet procemio in Michæam prophetam, ubi dicit *de Morasthi*, *qui*, inquit, *usque hodie juxta Eleutheropolim urbem Palæstinæ haud grandis est viculus*. IDEM.

[5] Apud Septuaginta Interpretes, Judic. 7. v. 1. hæc vox legitur, sed alteri voci conjuncta, & tam hæc quam illa ex Hebræo expressa, *Gabaathmore*, quod totum Hieronymus appellative Latinis vocibus expressit: significant enim hæc *collem excelsum*: plerique tamen posteriorem vocem malunt nomen esse proprium, vertuntque *collem More*. Fit & in Hebræo mentio Gen. 12. v. 6. & Deuter. 11. v. 30. *Elon More*, quod Septuaginta Interpretes, *quercum excelsam*. Hieronymus priore loco, *vallem illustrem*, posteriore *vallem intrantem & tendentem procul*, alii, *planitiem More* reddiderunt. IDEM.

[6] Μωρασθεὶ ) *Morasthi* nomen est Ethnicum, non ipsius urbis, quæ *Moreseth* aut *Moresa* dici debuit. Antea habuimus *Maresam*, quæ fuit hoc ipsum oppidum. Hinc Chaldæus & apud Jeremiam Cap. XXVI. 18. & Mich. 1. 1. pro המורשתי *hammorasthi*, habet ממרשה *mimmaresa*, *e Maresa*. Quin & ipsi LXX. Intt. verterunt apud Jeremiam Μωρασθίτης, quamvis vitiose legamus in Michæa τὸν τοῦ Μωρασθεὶ, cum non magis dici possit Michæas τοῦ Μωρασθεὶ ac τοῦ Ἰουδαί, quia erat Judæus. Verum hoc ignoscamus iis quorum

sub

HIERONYMUS. ΕΥ'ΣΕ'ΒΙΟΣ. EUSEBIUS.

MOSEL, Ezech. XXVII. verf. 19. regio vel emporium, e qua negotiatores ad Tyri nundinas confluebant. Ubi autem ifta *Mofel* fit, vix aliter, quam divinando affequi poffimus. Forte eft *Mofylon*, quod Ptolemæus & Stephanus dicunt effe ἀκρωτήριον καὶ ἐμπόριον Αἰθιοπίας, *promontorium & emporium Æthiopiæ*, a Plinio *Moffilicus* appellatur.

MOSERA, manfio filiorum Ifrael in deferto, ubi Aaron mortuus dicitur, Deuteronom. X. verf. 6.

[1] *MOSPHETAIM, pro quo Aquila interpretatur, fortium; Symmachus, vicinarum.*

Μοσφεθὰμ, Ἀκύλας, τῶν κλήρων. Σύμμαχος, τῶν μεσχομένων.

MOSPHETAM, Aquila, fortium. Symmachus, cohærentium feu conterminorum.

MOSEROTH, manfio filiorum Ifrael in deferto, Num. XXXII. verff. 30. 31. qui tamen locus non videtur alius a *Mofera*, ut Deuteron. X. verf. 6. a nobis explicatum eft.

MOSOCH, quæ gens fit diximus, Gen. X. verf. 3. fecundum quofdam *Cappadoces*, fecundum alios *Mofcovitas*. Apud Ezechielem prophetam femper hæc vox cum *Thubal* conjungitur, quo nomine pofteriore non alii, quam *Iberi Afiatici* videntur intelligendi.

MURUS FICTILIS, vel plurali numero *Muri fictiles*, feu *Muri cocti lateris* noftra verfione, Hebraice קירחרשת *Kircharefeth*, vel קירחרש *Kircheres*, cujus fit mentio 4. Reg. III. verf. 25. Ifaiæ 16. verf. 7. Jeremiæ XLVIII. verff. 31. & 36. urbs eft in Moabitica regione, eademque, ut apparet, regia, quæ a muris coctilibus & lateritiis nomen habuit, de qua nos acturi fumus pluribus 4. Reg. III. verf. 25.

MURUS LATISSIMUS, 2. Efdræ XII. verf. 37. vel *Murus plateæ latioris*, 2. Efdræ III. verf. 8. pars fuit muri tertii & extimi urbis Hierofolymitanæ ab Ozia rege ædificati ad plagam urbis Septemtrionalem, comprehendens utrimque duas portas, videlicet portam anguli, & portam Ephraim, ut recte demonftrat Villalpandus nofter in Appar. part. I. Lib. 3. Cap. II.

MYSIA, Afiæ Minoris regio, quam Ptolemæus in majorem & minorem dividit.

NOTÆ.

fub nomine LXX. Intt. venditatur verfio, at cur *Hieronymus* pertinaciter hac in re erravit? Habet enim in Præfatione Commentarii in Michæam; *Michæam de Morafthi, qui ufque hodie juxta Eleutheropolin Palæftinæ haud grandis eft viculus. Morafthi autem lingua noftra hæredem fonat*. At ille pagus vocabatur *Morefa*, aut *Marefa* ut fupra vidimus, & quifque ejus incolarum *Morafthi*, Græce Μωρασθίτης. Æque peccavit, ac fi qui Græce doctiffimus haberetur diceret, Ἀθηναῖος effe nomen urbis ad Saronicum finum fitæ, Periclemque fuiffe ἐκ τοῦ Ἀθηναίου; aut qui Latine diceret *Romanus* effe nomen urbis imperantis, & *Romano* profectos duces, qui orbi terrarum jugum impofuerunt. Analogia enim Grammatica Hebraicæ Linguæ non minus conftans hic eft, ac Græcæ & Romanæ, in iis quæ diximus. * Sed oftendimus, in *Quæftionibus Hieronymianis*, virum a quo omnes, ad Hebraicæ Linguæ peritiam quod attinet, pendere a nonnullis jubemur, Analogiæ valde fuiffe imperitum; fine qua tamen Grammatica nulla eft; qua e medio fublata, nonnifi obfcura & incerta Linguæ Hebrææ cognitio poteft comparari. CLERICUS.

[1] Habetur hæc vox apud Interpretes Septuaginta, Judic. 5. v. 16. (In quibufdam vero Codicibus, διγομία) pro quo Hieronymus in noftra verfione *duos terminos* dixit, alii *duas caulas*, vel *duo fepta*, vel *duos ordines* dixere. In Hebræo quidem eft משפתים *mifchpethaim*, quod *duo quæpiam ordine difpofita* fignificat. Itaque vox hæc ad loca propria nihil pertinet. BONFRERIUS.

* In Cl. Rhenferdii differtationibus, quæ Onomafticon hoc confequentur, S. Patris in utraque lingua doctrina, a Clerici maledictis egregie vindicatur.

## N.

[1] *NAALIEL, juxta Arnonem caftra filiorum Ifrael.*

Νααλιὴλ, πλησίον τοῦ Ἀρνωνᾶ, σταθμὸς τῶν υἱῶν Ἰσραήλ.

NAANIEL, juxta Arnona ftatio filiorum Ifrael.

NAALOL. Vide proxime NAALOTH.

[2] *NAALOTH, in tribu Zabulon civitas feparata Levitis.*

Νααλώλ, κλήρου Ζαβουλὼν, πόλις ἀφωρισμένη Λευίταις.

NAALOL, fortis Zabulon, civitas feparata Levitis.

[3] *NAAMA, civitas tribus Judæ.*

Ναάμ, πόλις φυλῆς Ἰούδα.

NAAM, civitas tribus Juda.

[4] *NAARATHA, in tribu Ephraim, & nunc eft Naorath villula Judæornm in quinto milliario Hierichus.*

Νααραθὰ, φυλῆς Ἐφραὶμ κώμη, νῦν ἐστιν Ὀοραθ κώμη Ἰουδαίων ἀπὸ ε σημείων Ἱεριχοῦς.

NAARATHA, tribus Ephraim vicus, nunc eft Oorath vicus Judæorum in 5. milliario Hierichuntis.

NOTÆ.

[1] In verfione noftra *Nahaliel* appellatur hic locus, Num. 21. v. 19. Non eft vero hic locus in manfionum numero, Num. 33. quod in eo tranfitus tantum fine longiore unius pluriumve dierum mora fuerit. BONFRERIUS.

[2] Hæc in verfione noftra *Naalol* appellatur, Jof. 19. v. 15. inter Leviticas Civitates numeratur, Jof. 21. v. 35. Ex ea Zabulonitæ non expulerunt priftinos habitatores Chananæos, Judic. I. v. 30. IDEM.

[3] De ea habes Jof. 15. v. 41. IDEM.

[4] De hac habes Jof. 16. v. 7. IDEM.

NAAS, urbs, quantum colligi poteſt, in tribu Juda, 1. Paral. IV. verſ. 12. quandoquidem ab eo conſtructa ſit, qui erat de tribu Juda.

NAASSON, urbis nomen in tribu Nephthali, ut ſatis perſpicue colligitur ex Tob. 1. verſ. 1.

NABAJOTH, urbs, vel regio potius in regione Iſmaelitide, cujus meminit Iſaias Cap. LX. verſ. 7. ſic dicta ab Iſmaelis primogenito, qui itidem *Nabajoth* dicebatur, Gen. XXV. verſ. 13. & 1. Paral. 1. verſ. 29. Porro teſtatur & Hieronymus Quæſt. Hebr. in Geneſim, *ab hoc totam regionem ab Euphrate uſque ad mare rubrum dictam eſſe Nabatenam*. Quamquam alii a *Nabatha* urbe Arabiæ, quæ alio nomine *Petra* dicta eſt, *Nabathæam* vel *Nabathenam* eam regionem dictam malint.

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [1] *NABAN, quod Hebraice dicitur Nebo, mons ſupra Jordanem contra Hierichum in terra Moab, ubi Moyſes mortuus eſt, & uſque hodie oſtenditur in ſexto milliario urbis Esbus contra Orientalem plagam.* | Ναβαῦ, ὄρος [5] ὑπὲρ τὸν Ἰορδάνην ἀπέναντι Ἱεριχοῦς ἐν τῇ Μωάβ, ἔνθα ἐτελεύτησε Μωϋσῆς. καὶ δείκνυται εἰς ἔτι νῦν ἀπὸ ϛʹ σημείου Ἐσβοῦς [6] εἰς δυσμάς. | NABAU, Mons ſupra Jordanem e regione Hierichuntis in Moabitide, ubi mortuus eſt Moyſes: & oſtenditur adhuc hodie in ſexto lapide Esbus ad occidentalem plagam. |
| [2] *NABBE ſive NOBA, ad quam aſcendit Gedeon, urbs Sacerdotibus ſeparata, quam poſtea legimus furore Saulis ſubverſam.* | Νομβά, ἔνθα ἀνέβη Γεδεών, ἡ δὲ πόλις ἱερέων, ἣν κατέκοψε Σαούλ. | NOMBA, quo aſcendit Geddon. hæc autem civitas ſacerdotum quam percuſſit Saul. |
| [3] *NABEOTH, regio, de qua ſcribit Iſaias.* | Ναβεώθ, χώρα ἐν Ἡσαΐᾳ. | NABEOTH, regio in Iſaia. |
| [4] *NABO, civitas filiorum Ruben in regione Galaad, cujus meminit Iſaias in viſione contra Moab, & Hieremias. Eſt & cujuſdam viri vocabulum Nabau, qui Caan, & cæteros vicos, qui circum eum erant, ex ſuo nomine nuncupavit Nabaoth. Sed & uſque hodie oſtenditur locus deſertus Nabau diſtans a civitate Esbus millibus octo contra meridianam plagam.* | Ναβώρ, πόλις υἱῶν Ῥουβὶν ἐν χώρᾳ Χαναάν, ἧς καὶ Ἡσαΐας μέμνηται ἐν ὁράσει κατὰ τῆς Μωαβίτιδος, καὶ Ἱερεμίας. ἔστι δὲ καὶ ἀνδρὸς ὄνομα [7] Ναβάν, ὃς τὴν Χανάθ, καὶ τὰς περὶ αὐτὴν ἐπωνόμασεν ἐξ αὐτοῦ Ναβώθ. καὶ δείκνυται νῦν ἔρημος ἡ Ναβὰν διεστῶσα Ἐσσεβοὺς σημείοις ἡ εἰς νότον. | NABOR, civitas filiorum Ruben in regione Chanaan, cujus Iſaias meminit in viſione contra Moabitidem, & Hieremias. Eſt autem & viri nomen Nabau, qui Canath & cæteros circum eam vicos ex ſuo nomine appellavit Nabaoth, atque oſtenditur hodie deſertus locus Nabau diſtans Eſſebus octo milliaribus verſus auſtrum. |

NABUTHÆI, 1. Machab. v. verſ. 25. & IX. verſ. 35. iidem ſunt, qui *Nabathæi Arabes*, ſeu *Iſmaelitæ*, de quibus ſupra in NABAJOTH diximus, ſiquidem pro *Nabuthæis* Naba-

## NOTÆ.

[1] Corrupta vox eſt *Naban*; reſtituendum autem *Nabau*, ita enim paſſim apud Interpretes Septuaginta vox hæc ſcribitur Ναβαῦ. In verſione noſtra *Nabo* vel *Nebo* appellatur. Eſt autem *Nabo* mons, ſeu pars una montium Abarim in quo Moyſes mortuus eſt, Deuter. 34. 5. Eſt & *Nabo* in eadem regione trans Jordanem urbs in tribu Ruben, ſic dicta, ut exiſtimo a vicino monte, cujus fit mentio Num. 32. v. 38. Iſaiæ 46. v. 1. Hierem. 48. v. 1. & 22. de qua & paulo poſt hic meminit Euſebius in NABO. BONFRERIUS.

[2] Hæc in verſione noſtra *Noba* appellatur, Num. 32. v. 42. Judic. 8. v. 11. ubi & de Gedeone habes, qui ad hujus urbis partem Orientalem aſcendit Madianitas fugientes perſequens. Fuit autem in dimidia tribu Manaſſe Trans-Jordanina, ut habes Num. 32. Quod autem hic dicitur fuiſſe *urbem Sacerdotibus ſeparatam, & poſtea furore Saulis ſubverſam*, nullo modo admitti poteſt: nulla enim urbs Sacerdotalis fuit extra tribum Juda & Benjamin. Itaque hic *Nobe* Trans-Jordanina cum Cis-Jordanina in tribu Benjamin confunditur, in qua poſteriore fuit aliquando tabernaculum fœderis, ad quam & David confugit, 1. Reg. 21. ejuſque occaſione Achimelech pontifex cum tota familia a Saule neci datus eſt uno excepto Abiatharo, qui fuga ſibi conſuluit, quam deinde totam civitatem eadem crudelitate Saul internecione delevit, 1. Reg. 22. Porro unam ab altera urbem diſtinguere in Hebræo facile eſt, cum ſcriptione differant; illa enim Trans Jordanina נבח *Nobach* dicitur, altera Cis-Jordanina נבה *Nobe* vel נב *Nob*. Vide quæ de hac re dicimus plura, 1. Reg. 21. v. 1. IDEM.

[3] Hæc eſt illa quæ in verſione noſtra *Nabaioth* appellatur, de qua & nos ſupra in voce NABAIOTH diximus. IDEM.

[4] De hac & nos ſupra egimus in *Naban*, licet tam ibi quam hic paulo poſt *Naban* ſit vox corrupta, uti & altera vox hic *Caan* pro *Canath*, vel *Chanath*. Sed hæc ad *Nabo* nihil pertinent, ſed ad *Nobe* potius. IDEM.

[5] Ὑπὲρ τὸν Ἰορδάνην) Malim vertere *trans Jordanem*, ut facit alibi *Hieronymus*, quam *ſupra Jordanem*, quod deberet Latine dici *ad Jordanem*. Alioqui niſi aliunde ſciremus hujus montis ſitum, crederemus eum ſupra fontes Jordanis fuiſſe; cum eſſet inter lacum Geneſarethæ, & Aſphaltiten. Deinde Græce oportuiſſet eſſe ὑπὲρ τοῦ Ἰορδάνου, ut diceretur *ad Jordanem*. Sed cum accuſativo juncta ea præpoſitio *trans* ſignificat, ut hic, ubi Jerichunti opponitur mons trans Jordanem ad ortum ſolis ſitus. CLERICUS.

[6] Εἰς δυσμάς) Voluit dicere, ſine dubio, *Euſebius* πρὸς ἀνατολάς, ſi credimus *Hieronymo*; niſi forte hoc *Euſebius* intellexerit, nimirum, montem Nebonem fuiſſe ad occaſum Esbuntis. IDEM.

[7] Ναβὰν ὃς τὴν Χανάθ) Eſt hiſtoria ex Num. XXXII. 42. petita. Sed illic vir & oppidum, nec *Nabau*, nec *Naboth* vocantur, ſed *Nobach* נבח, quod antiquo more pronuncies *Nobe*, ut eſt in verſione Vulgata. Homonymia, ex vitioſa ſcriptura orta, ambiguitatem & errorem peperit. IDEM.

HIERONYMUS. ΕΥ̓ΣΕΒΙΟΣ. EUSEBIUS.

thæos habet Josephus Lib. XII. Ant. Cap. 12. & Lib. XIII. Cap. I. Regio vero ipsorum *Nabajoth*, *Nabathæa*, vel *Nabathena* dicta est.

[1] *NACHON, area Nachon, pro qua Aquila interpretatur area præparata.*

Ναχὼν, ἅλων Ναχὼν ἀντὶ ἅλωνος ἑτοίμης, τῷ Ἀκύλᾳ.

NACHON, AREA Nachon; pro area parata, Aquilæ.

NANALIEL. Vide supra NAALIEL.

[2] *NAID, terra in qua habitavit Cain, vertitur autem in salum, id est, motum, sive fluctuationem.*

Ναὶμ. γῆ ἔνθα κατῴκησε [9] Ναίμ· ἑρμηνεύεται δὲ σάλος.

NAIM, terra in qua habitavit Naim: exponitur autem salum seu motus, & fluctuatio.

[3] *NAIM, oppidum in quo filium viduæ a mortuis Dominus suscitavit: & usque hodie in secundo milliario Thabor montis ostenditur contra meridiem juxta Endor.*

Ναὶμ, κώμη ἐν ᾗ τὸν υἱὸν τῆς χήρας ὁ κύριος ἤγειρε. καὶ νῦν ἔστι κατὰ νότον ἀπὸ ιβ' σημείων Θαβὼρ πλησίον Ἀενδώρ.

NAIM, vicus in quo filium viduæ dominus suscitavit: & usque hodie est ad meridiem in duodecimo lapide Tabor juxta Aendor.

NAJOTH. Vide proxime NAMOTH.

[4] *NAMOTH, locus in Rama, ubi sedit David, & de hoc in libris Hebraicarum quæstionum diximus.*

[10] Ναυιὼθ, ἐν Ῥαμᾶ, πόλις ἔνθα Δαβὶδ ἐκαθέσθη.

NAVIOTH, civitas in Rama, in qua sedit David.

[5] *NAPHETH, in tribu Manasse.*

Νβφὲθ, φυλῆς Μανασσῆ.

NAPHETH, tribus Manasse.

[6] *NAPHTHO, nomen fontis in tribu Benjamin.*

Ναφθαὲ, πηγὴ ὕδατος οὕτω καλουμένη, φυλῆς Βενιαμίν.

NAPHTHAE, fons aquæ sic vocatus tribus Benjamin.

[7] *NARAMA, in regione Batanæa.*

[8] *NAZARETH, unde & Dominus noster Nazaræus vocatus est, sed & nos apud veteres quasi opprobrio Nazaræi di-*

Ναζαρὲθ, ὅθεν ὁ Χριστὸς Ναζωραῖος ἐκλήθη. καὶ Ναζωραῖοι τὸ παλαιὸν ἡμεῖς οἱ νῦν Χριστιανοί. καὶ ἔτι νῦν ἔστιν ἐν Γαλιλαίᾳ ἀν-

NAZARETH, unde Christus Nazaræus vocatus est. Sed & nos qui modo Christiani, olim Nazaræi (dicti su-

NOTÆ.

[1] Vide quæ supra de AREA NACHON dicta sunt. BONFRERIUS.

[2] Hanc vocem usurpant Septuaginta Interpretes, Gen. 4. v. 16. pro eo quod Hieronymus appellative in nostra versione dixit, *profugus*. In Hebræo est נוד *nod*, quod appellative sumtum id significat quod dixit in sua versione Hieronymus: plerique tamen etiam Hebræorum, & Hebraice peritorum volunt esse nomen proprium, quamvis id in traditionibus Hebraicis rejiciat Hieronymus. Crediderim utrumque admitti posse, quemadmodum a nobis ad eum locum dictum est, ut a Caini fuga etiam loco id nomen proprium manserit. IDEM.

[3] Hanc quoque juxta montem Thabor, & juxta torrentem Cison statuit Hieronymus in epitaphio Paulæ, in Aquilonari latere montis Hermon COTOVICUS. IDEM.

[4] Hanc vocem existimo esse corruptam; habent enim codices Septuag. Interpretum, *Navath* vel *Nabath*, nullus habet *Namath*. In versione nostra *Naioth* appellatur, 1. Reg. 19. v. 18. 19. 22. 23. & Cap. 20. v. 1. Sed & *Rama* hic dicitur, quæ in versione nostra est *Ramatha* Samuelis patria. IDEM.

[5] Urbis nomen est quæ *Napheth*, vel *Nephath*, rursum in versione nostra *Nopheth* appellatur, Jos. 17. v. 11. Aliquoties usurparunt Septuaginta Interpretes retenta voce Hebræa, Jos. 11. v. 2. & Cap. 12. v. 23. & 3. Reg. 4. v. 11. sed cum addito *Naphethdor*, quod Hieronymus in versione nostra, *provinciam* vel *regiones Dor* reddidit in Libro Josue (id enim Hebræum נפת *Naphath* significat) pari modo & Hieronymus totum id ex Hebræo retinuit, 3. Reg. 4. ubi versio nostra habet *Nephathdor* ad modum nominis proprii. Erat autem *Dor* urbs in dimidia tribu Manasse Cis-Jordanina, a qua totus vicinus tractus & regio circumjacens *Nephathdor*, seu *provincia Dor* est dicta. De hac rursum infra agit in NEPHATH, & NEPHETHDOR. IDEM.

[6] De hoc fonte, qui in versione nostra vocatur *Nephtoa*, dicemus infra ad vocem illam NEPHTOA. IDEM.

[7] Videtur hac voce non alia urbs significari, quam quæ in nostra versione *Nemra*, vel voce composita *Bethnemra* nuncupatur; at ea nusquam in Batanæa, seu dimidia tribu Manasse Trans-Jordanina a Scriptura collocatur, neque in tribu Ruben, quod infra Eusebius facit ad vocem *Nemra*, sed diserte in tribu Gad reponitur, Num. 32. v. 36. & Jos. 13. v. 27. Si tamen *Basan* vel Batanæa etiam ad tribum Gad extendantur, (quod subinde factum supra in *Basan* diximus, deque ea re fusius 1. Paral. 5. v. 11.) poterit hæc dici fuisse in regione Batanæa. IDEM.

[8] Fuit *Nazareth* Galilææ inferioris oppidum, *in monte*, ut manifeste indicatur Lucæ 4. v. 29. quam duabus leucis a monte Thabor distantem facit Adrichomius, tribus Brochardus, nempe versus Aquilonem; urbs Christi conceptione & educatione nobilis, nunc vix præter ruinas & incondita mapalia quidquam habet, ut referunt ii, qui ea loca adierunt. Porro, nequis verborum ambiguitate fallatur, *Legio* hic *ad Orientalem plagam ipsius Nazareth statuitur*, non *Nazareth*, quæ *Legioni & monti Thabor ad Occidentem erat*. IDEM.

[9] Non *Naim*, sed *Cain* dicendus est ibi habitasse, si tamen *Naid* (quomodo apud Septuaginta Interpretes legitur) loci nomen sit, qua de re nos diximus ad Gen. 4. IDEM.

[10] Ναυιὼθ ἐν Ῥαμᾶ, πόλις) Sic est interpungendum, nam locus, de quo sermo est, dicitur 1. Reg. XIX. 20. 22. 23. XX. 1. נוית ברמה *naujoth baramath*, *Naujoth in Rama*. Sed non est urbs, quo factum ut *Hieronymus*, pro *urbe*, habeat hic *locum*. Crediderim esse *tuguria pastorum*, quo sensu ea vox alibi sumitur. CLERICUS.

[1] Hæc

HIERONYMUS. | ΕΥ'ΣΕ'ΒΙΟΣ. | EUSEBIUS.

*cebamur, quos nunc Christianos vocant. Est autem usque hodie in Galilæa viculus contra Legionem in quintodecimo ejus milliario ad Orientalem plagam juxta montem Thabor, nomine Nazara.*

τικρὺ τῆς Λεγεῶνος ὡς ἀπὸ σημέων ιέ πρὸς ἀνατολὰς πλησίον τοῦ ὄρους Θαβώρ.

mus) estque modo in Galilæa, e regione Legionis, quasi in decimo quinto lapide ad Orientalem plagam juxta montem Thabor.

NEAPOLIS, Hieronymo seu Eusebio toto hoc libro eadem est urbs, quæ *Sichem* appellata est in tribu Ephraim, quod item Hieronymus ad Cap. VI. Osee asserit, de qua plura ad vocem SICHEM. Est & alia *Neapolis*. Act. XVI. vers. 11. Macedoniæ civitas maritima Ptolemæo.

NEBO. Vide NABAN.

NEBSAN, urbs in tribu Juda, Jos. XV. vers. 62.

NECEB, urbs in tribu Nephthalim terminis Aquilonaribus, Jos. XIX. vers. 33. alio nomine *Adami* dicta.

[1] *NEELA, de hac alienigenas Zabulon non valuit expellere, est hodieque in regione Batanæa vicus nomine Neila.*

Νειλά, ἀπὸ ταύτης τοὺς ἀλλοφύλους οὐκ ἐξῆρε Ζαβουλών. κεῖται καὶ ἐν τῇ Βαταναίᾳ Νειλά.

NEILA, de hac alienigenas Zabulon non sustulit. sita est & in Batanæa Neila.

[2] *NEESIB, in tribu Juda, quæ nunc vocatur Nasib, in septimo milliario Eleutheropoleos pergentibus Chebron.*

Νεσίβ, φυλῆς Ἰούδα, [4] ἥ ἐστι Νασίβ, ἀπὸ θ' σημέων Ἐλευθεροπόλεως ἐπὶ Χεβρών.

NESIB, tribus Juda, quæ est Nasib in nono milliario Eleutheropolis versus Chebron.

[3] *NECEB, auster: apud Hebræos Nageb dicitur, quod Symmachus interpretatur meridiem. Sciendum autem quod eadem plaga apud Hebræos tribus vocabulis appellatur, Nageb, Theman, Darom, quod nos possumus Austrum, Africum, & Meridiem sive Eurum interpretari.*

Ναγέβ, ὁ νότος, παρ' ἑβραίοις. Σύμμαχος μεσημβρίαν.

NAGEB, Auster, apud Hebræos, apud Symmachum vero, Meridies.

NEHELA, unde vox patronymica Nehelamites, Hierem. XXIX. verss. 24. 32. non satis liquet ubi fuerit: suspicio tamen mihi est esse illam, quam supra *in Neela* Hieronymus *in regione Batanæa* reponit.

NEHELESCOL, quod significat *torrentem*, vel *vallem botri*, ubi exploratores a Moyse missi vitis palmitem cum uva sua absciderunt; quem deinde duo viri in vecte ad Israelitarum castra portaverunt, a quo botro nomen torrens hic vel vallis accepit: fit hujus mentio Num. XIII. vers. 25. ubi tota hæc historia refertur, & ratio nominis ipsi loco indita indicatur. Alias fere loci hujus nomen Latinis vocibus effertur, *torrens* vel *vallis botri*, ut eodem Num. XIII. vers. 24. & Num. XXXII. vers. 9. Deuter. I. vers. 24. Fuit autem hic locus haud dubie *in tribu Juda*, etsi Adrichomius *in tribu Dan* constituat, nullo ad eam rem allato argumento. Hieronymus in epitaphio Paulæ locum hunc constituit *in via qua ex Hierusalem in Hebron itur, inter Bethsur & Hebron*, atque adeo necessario *in tribu Juda*, quo item loco reponit Brochardus: id tamen mihi difficile videtur; siquidem quis credat tot eos milliaria confecisse cum botro e vecte pendulo, & cum eodem in Hebron venisse? aut potuisse Chananæorum oculos latere? quidni potius credamus id factum esse paulo antequam desertum, quod ad Hebron meridiem est, ingrederentur? Adde quod id videatur non obscure Scriptura significare, Num. XIII. ubi de exploratoribus ab Aquilone meridiem versus redeuntibus dicitur verss. 23. 24. *Ascenderuntque ad meridiem, & venerunt in Hebron: pergentesque usque ad torrentem bo-*

---

NOTÆ.

[1] Hæc in versione nostra *Naalol* appellatur, de qua & supra in NAALOTH est dictum. BONFRERIUS.

[2] Hæc in versione nostra *Nesib* dicitur, Jos. 15. v. 43. IDEM.

[3] Sæpius hanc vocem *Negeb* vel *Nageb* in sua versione retinuerunt ex Hebræo Septuaginta Interpretes, ut Jos. 10. v. 40. & Cap. 11. v. 16. Hierem. 33. v. 13. pro quo Interpres noster appellative *Austrum*, *Meridiem*, *desertum* reddidit, quemadmodum & alibi sæpius Interpretes Septuaginta. Neque dubium est quin hac voce eadem sæpe Terræ Promissæ portio significetur, quæ alias *Daron* vel *Daroma* appellatur, cum omnes hæ voces ejusdem sint significationis. IDEM.

[4] Ἥ ἐστι Νασίβ) Sic recte emendavit *Bonfrerius* pro inepta lectione Codicis Regii, quæ sic habet in Editione Parisina, ἐστιν Ἀσίβ. CLERICUS.

*tri* &c. quæ verba ſatis indicant ab Aquilone ad Meridiem pergentibus prius *Hebronem* occurrere, quam *torrentem botri*. Nihilominus de hac re ſentiat quiſque ut volet.

NEHIEL, urbs in tribu Aſer, Joſ. XIX. verſ. 27.

[1] *NEMRA, civitas tribus Ruben in terra Galaad, & uſque hodie vicus grandis.*

Νεβρὰ, πόλις Ρ'ȣβὶν ἐν τῇ Γαλαὰδ. καὶ νῦν ἔστιν Α'βαρὰ καλȣμένη κώμη μεγίστη [8] ἐν τῇ Καταναίᾳ.

NERBA, civitas Ruben in Galaad. eſtque nunc qui vocatur Abara vicus maximus in Catanæa.

[2] *NEMRIM, cujus meminit Iſaias in viſione contra Moab, & Hieremias. Nunc autem eſt vicus nomine Benamerium ad Septemtrionem plagam Zoaræ.*

Νεκηρὶμ, Ἡσαΐας ἐν τῇ ὁράσει τῆς κατὰ Μωαβίτιδος, καὶ Ἱερεμίας. καὶ νῦν ἔστι κώμη Βενναμαρὴμ, ἐκ βορείων Σοορῶν.

NECERIM, Iſaias in viſione contra Moabitidem; & Hieremias. eſtque nunc vicus Bennamarem a plaga ſeptentrionali Zoaræ.

[3] *NEPHATH, civitas unius principis Salomonis.*

Νεφὰθ, πόλις ἄρχοντος Σολομῶν.

NEPHATH, civitas unius principis Salomonis.

NEPHATHDOR. Vide NEPHATH proxime, & NAPHETH.

[4] *NEPHETDOR, quod Symmachus interpretatur maritimam. Dor autem eſt oppidum jam deſertum, in nono milliario Cæſareæ, pergentibus Ptolemaidem.*

Ναφεθδὼρ, ἐν τῇ παραλίᾳ Δῶρα. αὕτη ἐστὶν ἀπὸ θ' σημείων Καισαρείας.

NAPETHDOR, in regione Dora maritima: hæc eſt in nono milliario Cæſareæ.

NEPHI, 2. Machab. 1. verſ. 36. idem locus, qui alio nomine *Nephthar* appellatur, de quo dicendum paulo poſt.

NEPHTHALI, non tantum tribus nomen eſt, ſed etiam civitatis in eadem tribu Nephthali, in qua Tobias natus, ac deinde in Aſſyriam translatus eſt, Tob. 1. verſ. 1.

NEPHTHAR, 2. Machab. 1. verſ. 36. locus in quo abſconditus fuerat ignis ſacer a Sacerdotibus Babylonem tranſmigrantibus, in quo poſtea reverſi e Babylonia Sacerdotum præcedentium nepotes nihil invenerunt præter aquam craſſam, qua aſperſum eſt altare & ſacrificium, ſole deinde radios in eam partem jaculante magnus ignis accenſus eſt, quo cremata ſunt ſacrificia. Dictus autem *Nephthar*, hoc eſt *purificatio*, voce quantum arbitror Chaldaica, nam פטיר *patir* Chaldæis *purum* ſignificat. Porro purificationis eodem Capite 1. Lib. 2. Machab. verſ. 33. fit mentio, & nominis *Nephthar* ſignificatio verſ. 36. adſertur.

NEPHTOA, fons aquæ ad occidentem urbis Jeruſalem, ultra vallem Raphaim, in confinio duarum tribuum Judæ & Benjamin, Joſ. XV. verſ. 9. & Cap. XVIII. verſ. 15. Nomen hoc ab *aperiendo* ſumtum eſt, quaſi dicas *apertionem*, פתח *patach* enim eſt *aperire*.

[5] *NEPSAM, in tribu Juda.*

Νεμψὰν, φυλῆς Ἰούδα.

NEMPSAN, tribus Juda.

[6] *NERIGER, & hanc extruxerunt in regione Judææ Samaritani, qui de Babylonia ſunt profecti.*

Νιεργὲλ, καὶ ταύτην ἔκτισαν ἐν τῇ Ἰȣδαίᾳ οἱ ἀπὸ Βαβυλῶνος Σαμαρεῖται.

NIRIGEL, hanc condiderunt in Judæa, qui Babylone ſunt profecti Samaritani.

[7] *NESERETH, idolum Aſſyriorum.*

Νισαρὰχ, εἴδωλον Ἀσσυρίων.

NISARACH, Idolum Aſſyriorum.

NESIB, urbs in tribu Juda, Joſ. XV. verſ. 43.

NOTOPHATI. Vide proxime NETUPHA.

NETUPHA, quantum colligi poteſt, urbs in tribu Juda; nam & urbibus tribus Juda ſe-

NOTÆ.

[1] Imo potius *in tribu Gad*, ut ſupra diximus in voce NARAMA. BONFRERIUS.

[2] *Nemrim*, & *aquarum Nemrim* in terra Moab fit mentio, Iſaiæ 15. v. 6. & Hierem. 48. v. 34. IDEM.

[3] In verſione noſtra, ubi hujus principis Salomonis præfectura refertur, 3. Reg. 4. v. 11. *Nephathdor* appellatur, de quo rurſum voce ſequenti NEPHETDOR agitur. Vide ſupra in voce NAPHETH. IDEM.

[4] De hac jam in *Napheth* & *Nephath* diximus. Quod autem hic dicitur *Symmachum eam vocem interpretatum maritimam*, mihi non fit veriſimile: longe autem veriſimilius *maritimam* dixiſſe pro eo quod Joſ. 11. v. 2. verſio noſtra habet, *juxta mare*, qui ſitus ibi regionibus Dor adſtruitur. IDEM.

[5] Hæc urbs in verſione noſtra *Nebſan* appellatur, Joſ. 15. v. 62. IDEM.

[6] Pro hac voce in textu noſtro habetur *Nergel*, 4. Reg. 17. v. 30. ubi *Chutæi* Samaritani dicuntur *feciſſe Nergel*. Sed hoc nomen nihil ad locorum nomina propria pertinet, etſi contrarium hic Euſebius inſinuet, cum ſit idoli nomen. IDEM.

[7] Neque hæc vox, ut ſatis liquet, ad locorum nomina propria pertinet. In verſione noſtra *Neſroch*, 4. Reg. 19. v. ult. appellatur, ubi codices Septuaginta Interpretum fere habent *Meſerach* vitioſe, Regius tamen codex habet *Neſrach*. IDEM.

[8] Credo in *Batanæa*, non *Catanæa* legendum, quamquam Batanæa ſeu Baſan non videatur ſe ad tribum Ruben extendiſſe. IDEM.

mel & iterum in libris Esdræ conjungitur, & 1. Paral. II. verf. 54. viri nomen *Netophati* de tribu Juda legimus, a quo urbi factum esse nomen mihi fit verosimile: siquidem & urbs *Netophati* dicta legitur, 1. Paral. IX. verf. 16. & Jerem. XI. verf. 8.

| HIERONYMUS | ΕΥ'ΣΕ'ΒΙΟΣ | EUSEBIUS |
|---|---|---|
| [1] *NEZAB, quam condiderunt Ævæi in terra Juda.* | Νεζὲκ, καὶ ταύτην ἔκτισαν οἱ ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ Εὐαῖοι. | NEZEC, & hanc condiderunt, qui erant in Judæa Evæi. |
| [2] *NEZEB, in terra Nephthalim.* | Νεκὲμ, κλήρου Νεφθαλείμ. | NECEM, sortis Nephthali. |

NICOPOLIS, passim in hoc libro de locis Hebraicis pro *Emmaus* ponitur. Vide supra in EMAUS. Est & alia *Nicopolis* extra Palæstinam, ad Titum III. verf. 12. urbs Epiri in Actiaco portu ab Augusto ædificata, quæ suo nomine monumentum existeret Actiacæ victoriæ.

NILUS, nominatissimus Africæ fluvius, qui ex montibus Lunæ juxta Tropicum Capricorni ortus totam interluit Æthiopiam, inde in Ægyptum veniens in mare Mediterraneum aliquot, hoc est, sex septemve ostiis effunditur. Sole Cancrum ineunte alveo suo exundat auctus Æthiopiæ pluviis: Solæ Libræ signum ingresso ad alveum suum se recipit.

| HIERONYMUS | ΕΥ'ΣΕ'ΒΙΟΣ | EUSEBIUS |
|---|---|---|
| [3] *NINIVE, urbs Assyriorum, quam ædificavit Assur egrediens de terra Senaar. Est & alia usque hodie civitas Judæorum nomine Ninive in angulo Arabiæ, quam nunc* [4] *corrupte Neneven vocant.* | Νινευὴ, πόλις Ἀσσυρίων ἣν ᾠκοδόμησεν Ἀσσοὺρ, ἐξελθὼν ἀπὸ τῆς Σενναάρ· ἔστι δὲ καὶ Ἰουδαίων εἰς ἔτι νῦν πόλις Νινευὴ καλουμένη, περὶ τὴν ἀγωνίαν τῆς Ἀραβίας. | NINIVE, civitas Assyriorum, quam ædificavit Assur, cum egressus est de terra Sennaar. est & Judæorum usque hodie civitas Ninive appellata circa angulum Arabiæ. |

NOB, urbs in tribu Benjamin, 2. Esdræ XI. verf. 32. eadem quæ *Nobe*, de qua mox dicetur.

NOBE, civitas sacerdotalis, ut habetur 1. Reg. XXII. verf. 19. atque adeo in tribu Juda, vel Benjamin, cum extra has nullæ fuerint urbes Sacerdotales: cum autem hæc non annumeretur urbibus sacerdotalibus, Jos. XXI. vel 1. Paral. VI. debuit postea sacerdotalibus urbibus adjici, idque factum esse occasione translati illuc tabernaculi fœderis mihi sit verosimile. Fuisse autem hanc *Nobe* in tribu Benjamin, probabimus pluribus ad 1. Reg. XXI. verf. 1. Stetit autem in hac urbe tabernaculum fœderis, quoadusque cæsis Sacerdotibus, etiam a Saule urbs excisa penitus & eversa est, 1. Reg. XXII. Quando autem & qua occasione illuc Silunte tabernaculum fœderis translatum sit, disputabimus ad 1. Reg. XXI. verf. 1. Fuit & altera *Nobe* trans Jordanem in dimidia tribu Manasse Trans-Jordanina, Num. XXXII. verf. 42. Judic. VIII. verf. 11. quæ non tantum situ, sed etiam scriptione in Hebræo distinguitur, de quo vide quæ supra diximus in *Nabbe*, & quæ plura in eam rem dicturi sumus, 1. Reg. XXI. verf. 1.

NOPHE, fit mentio Num. XXI. verf. 30. alibi nusquam Moabitarum prius civitas, postea Amorrhæorum; quæ si post adventum Israelitarum in Terram Promissam stetit (qua de re non constat, cum ea nusquam inter Rubenitarum vel Israelitarum urbes recenseatur) intra tribus Ruben fines videtur comprehensa fuisse, ut exigunt cæteræ urbes; quarum ibidem Num. XXI. fit mentio, quæ omnes fere in tribu Ruben extitere.

NOPHETH, urbs, cujus tertia pars dicitur fuisse in dimidia tribu Manasse Cis-Jordanina, Jos. XVII. verf. 11. ex quo fit, ut sit in duarum tribuum confinio, nempe quantum suspicor in confinio tribus Manasse & Zabulon, ita ut hæc duas reliquas tertias habuerit. Vide ad eum locum Jos. XVII.

NORAN, urbs in tribu Ephraim ad Orientem Bethel, 1. Paral. VII. verf. 28.

---

## NOTÆ.

[1] Nihil hæc vox ad nomina locorum propria pertinet, est enim idoli nomen, quod Hevæi Samaritani fabricati sunt, in nostra versione dicitur *Nebahaz*, 4. Reg. 17. v. 31. Porro *Hevæi* hi alii sunt ab Hevæis Chananæis, & in Hebræo scriptione distinguuntur: nam *Hevæi* Chananæi חוים *Chiuvim*, *Hevæi* vero illi Samaritani עוים *Hauvim* dicuntur. Sed neque Samaria terra Juda dici debuit, si proprie & presse loquaris. BONFRERIUS.

[2] In versione nostra *Neceb* appellatur, Jos. 19. v. 33. de qua etiam supra in *Neceb* dictum est. IDEM.

[3] Fuit hæc *Ninive* amplissima Assyriorum civitas, eademque imperii caput, regumque sedes, quamdiu stetit Assyriorum monarchia. Collapso destructoque Assyriorum imperio a Chaldæis, ut asserit Hieronymus ad Isaiæ 13. simul & *Ninive* eversa est, quod sub Josia rege contigisse testis est idem Hieronymus præfatione in Jonam. Exstructa est autem *Ninive*, quæ & a nonnullis Scriptoribus dicitur *Ninus* a Nino Beli, seu Nemrod filio (qui *Ninus* Gen. 10. v. 11. appellatur *Assur*) a quo & nomen sortita est. IDEM.

[4] *Corrupte Neneve*) *Martianæus* Codices MSS. testatur habere hic quoque *Ninive*, sed in duobus eximiis scriptum esse *correpte*, unde colligit productam syllabam secundam vocis, in nomine urbis Assyriacæ, quæ corripiebatur in nomine Arabicæ. Verum multo malim ita intelligere *Hieronymum*, ut velit oppidum quoddam, a Judæis cultum in Arabia, *corrupte*, hoc est, perperam vocatum fuisse Niniven, cum non esset ita vocandum. CLERICUS.

| HIERONYMUS. | ΕΥ'ΣΕ'ΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|

# O

| | | |
|---|---|---|
| [1] *OBOTH, in deserto castra filiorum Israel.* | Ω'βώθ, σταθμὸς τῶν υἱῶν Ι'σραὴλ ἐν τῇ ἐρήμῳ. | OBOTH, castra filiorum Israel in deserto. |
| [2] *OCHO, civitas sacerdotalis.* | Ω'λὼ, πόλις Ι'ερατική. | OLO, civitas sacerdotalis. |
| [3] *ODOLLAM, diximus de hac & supra, cujus meminit Isaias.* | | |

ODULLAM, eadem quæ *Odollam*, *Adollam*, vel *Adullam*. Vide in ADOLLAM.

OLON, civitas in tribu Juda, Jos. XV. vers. 51. eadem alibi *Holon*, vel *Helon* dicitur. Vide supra iu HELON.

| | | |
|---|---|---|
| [4] *ON, urbs in Ægypto, quæ Heliopolis Graece dicitur, id est, civitas Solis, quam ædificaverunt filii Israel, sicut Septuaginta Interpretes arbitrantur. Alioqui in Hebraicis voluminibus non habetur, & recte, siquidem antequam Jacob ingrederetur Ægyptum, erat exstructa jam civitas, quæ & Sacerdotem Petefrem patrem Aseneth habuit.* | Ω'ν, ἔστιν ἡλίου πόλις ἐν Αἰγύπτῳ, ἣν καὶ αὐτὴν ᾠκοδόμησαν οἱ υἱοὶ Ι'σραὴλ, κατὰ τοὺς ό. τὸ γὰρ ἑβραϊκὸν οὐκ ἔχει. [7] καὶ εἰκότως· προϋπῆρχε γὰρ τῆς εἰσόδου τῶν υἱῶν Ι'σραὴλ, καὶ ἦν γε αὐτῆς ἱερεὺς ὁ τῆς Α'σεννὲχ πατήρ. | ON, est Heliopolis in Ægypto, quam etiam eamdem ædificarunt filii Israel, juxta Septuaginta, hebraice enim non extat ( ea vox ) & quidem recte: fuit enim ( ea civitas ) ante ingressum filiorum Israel ( in Ægyptum ) atque illius sacerdos pater Asennec. |
| [5] *ON, civitas Samariæ, pro qua in Hebraico scriptum est Aun, quod & Aquila & Symmachus interpretantur inutile, Theodotion iniquitatem.* | Ω'ν, πόλις τῆς Σαμαρείας. τὸ δὲ ἑβραϊκὸν περιέχει [8] αὐνά. Α'κύλας, Σύμμ. ἀνωφελοῦς. Θεοδοτίων, τῆς ἀδικίας. | ON, civitas Samariæ. Hebraica continent, Anna: Aquila & Symmachus, inutilis. Theodotion, iniquitatis scilic. urbs. |

ONO, civitas in tribu Benjamin, I. Paral. VIII. vers. 12. & I. Esdræ II. vers. 33. & 2. Esdræ VII. vers. 37. & Cap. XI. vers. 35.

| | | |
|---|---|---|
| [6] *OOLI, civitas in tribu Aser.* | Ο'λει, πόλις κλήρου Α'σήρ. | OLI, civitas fortis Aser. |

---

## NOTÆ.

[1] De hac mansione filiorum Israel in deserto habes, Num. 21. v. 10. & Cap. 33. v. 43. 44. BONFRERIUS.

[2] Ego nusquam reperio ejus nominis civitatem Sacerdotalem, ne apud Septuaginta quidem Interpretes: duobus enim tantummodo in Scriptura locis referuntur urbes Sacerdotales, Jos. 21. & 1. Paral. 6. ubi nullam hujusmodi, vel quæ huic affine nomen habeat, reperies. Ex Eusebio, apud quem vox hæc est incorruptior, facile colligi potest non aliam esse hanc civitatem Sacerdotalem ab ea quæ Jos. 21. v. 15. dicitur *Holon*, & 1. Paral. 6. v. 58. *Helon* nuncupatur. IDEM.

[3] De hac supra dictum est in ADOLLAM. IDEM.

[4] Ita semper hæc urbs in Hebræo appellatur velut nomine proprio, nisi quod Isaiæ 19. v. 18. per circumlocutionem dicitur עיר חרס *Ir-cheres*, quod ad verbum sonat id quod interpres noster vertit, *Civitas Solis*, quodque vox *Heliopolis* Græce sonat. Alibi vero ubicumque *On* in Hebræo habetur tam Hieronymus, quam Septuaginta Interpretes *Heliopolim* dixerunt: semel tantum Septuaginta Interpretes hanc vocem *On* usurpant, sed id de suo addunt, cum neque in Hebræo, neque in nostra versione quidquam ei respondeat; sic enim illi urbibus, quas dicuntur filii Israel ædificasse in Ægypto, Exodi 1. v. 11. *urbibus* videlicet *tabernaculorum*, *Phithom*, & *Ramesses* addunt & *On*, quæ est *Heliopolis*. Quomodo autem ea urbs ædificata dici possit ab Israelitis, cum jam antea extitisset ( quam dubitationem movet hic Hieronymus, ejus enim esse hæc verba existimo ) explicuimus ad illum Exodi locum, & Gen. 41. v. 45. IDEM.

[5] Nonnunquam hanc vocem retinent Septuaginta Interpretes in sua versione etiam sine addito, ubi in Hebræo est און *on*, significat autem hæc vox *iniquitatem*, *mendacium*, *idolum*. Ita hanc vocem retinent Osee 10. v. 8. βωμοὶ Ω'ν, *altaria On*, pro quo versio nostra habet appellative, *excelsa idoli*: item Amos. 1. v. 5. ἐκ πεδίου Ω'ν, *de campo On*, ubi nostra versio habet, *de campo idoli*. Quin & sæpius pro *Bethaven* ( quod nomen apud Oseam prophetam *Betheli*, in qua erat constitutus vitulus Jeroboam, maximeque vigebat idololatria accommodatur, nomenque Bethaven ab Interprete nostro retinetur; significat autem hæc vox *domum iniquitatis*, vel *domum idoli*, ad rem videlicet apposite ) pro *Bethaven*, inquam, Septuaginta Interpretes *domum On* dicunt, Osee 4. v. 15. & Cap. 5. v. 8. Cap. 10. v. 5. Ex quibus colligas *On* per se sumtum numquam videri pro urbis nomine positum, *Bethaven* autem, seu *domum On* esse oppidi nomen, seu proprie ea vox sumatur, ut a *Bethel* distinguitur, seu accommodatitie & translatitie pro urbe *Bethel*. Vide supra in BETHAIM. IDEM.

[6] Ita etiamnum legitur in codicibus Septuaginta Interpretum sincerioribus, Jos. 19. v. 25. Ο'λεῖ, pro quo in versione nostra *Chali* habetur. BONFRERIUS.

[7] Καὶ εἰκότως ) Cum ita legeretur in MS. Regio, mirum est a *Bonfrerio* mutata hæc in, καί μέν ὀρθῶς, nam idem plane sonat εἰκότως, nec minus Græcum ac usitatum est. Vertit quidem *Hieronymus*, & *recte*; sed hoc non melius verteris Græce, si vertendum sit, quam καὶ εἰκότως. Itaque nihil mutandum fuit. CLERICUS.

[8] Vox Anna hic corrupta est. Vide quæ nos ad hanc vocem annotamus. IDEM.

[8] Αὐνά ) Potius αὔν, ut *Hieronymus*. De qua voce & lectione vide quæ diximus ad *Quæstionem Hieronymianam* VI. §. 8. CLERICUS.

HIERONYMUS. ΕΥΣΕΒΙΟΣ. EUSEBIUS.

[1] *OOLIBAMA, civitas principum Edom.*

OPHAZ, Hierem. x. verſ. 9. loci nomen plane videtur eſſe, unde aurum extrahitur magna copia, cum addatur ibi *de* præpoſitio, *de* OPHAZ, ſicuti paulo ante, *de Tharſis* præceſſit; atque ita ſentit Rabbi David ad eumdem Hieremiæ locum. Neque alius hic locus videtur quam *Ophir*: de quo paulo poſt; ſiquidem & ibi Paraphraſtes Chaldæus, *de Ophir* dixit.

OPHEL, quis locus fuerit Hieroſolymæ non ſatis auctores conſentiunt; Hebræi teſte Hieron. ad Iſaiæ xxxii. verſ. 14. ubi in verſione noſtra eſt, *tenebræ* & *palpitatio:* in Hebræo autem עפל *Ophel* & בחן *Bachan*, volunt duas altiſſimas turres ſignificari, ad quarum altitudinem vix oculus poſſet pertingere, & ab hac re nomina illa accepiſſe. Turrem quoque celſiſſimam fuiſſe *Ophel* ſenſit Adrichomius in ſua Jeruſalem Num. lv. Contra vero *Ophel* fuiſſe valde humilem & depreſſum ſentit Villalpandus in Apparatu part. 1. Lib. 2. Cap. 7. quod & inſinuat Joſephus Lib. 2. Belli, Cap. 18. cum quibus ego cenſeo: nuſquam enim vel Scriptura vel Joſephus indicant *Ophel* turrim eſſe, etſi nolim negare in *Ophel*, vel juxta *Ophel* turrim aliquam exſtitiſſe; id enim aſſeritur 2. Eſdræ iii. verſ. 26. Sed aliud eſt *Ophel* turrim eſſe, aliud in *Ophel* vel juxta *Ophel* turrim fuiſſe. Fuit autem locus hic depreſſus ad Orientem templi & montis Moria, qui & muris urbis adhærebat, in eoque habitaverunt Nathinæi, ſeu Gabaonitæ, qui templo ſerviebant, quos in turri habitaſſe nullo modo eſt probabile, cum nec turris una tot hominum capax eſſe potuiſſet. Fuiſſe autem hanc Nathinæorum habitationem habes 2. Eſdræ xi. verſ. 21. & antea ejuſdem Libri Cap. iii. verſ. 26. *Nathinæi autem habitabant in Ophel uſque contra portam aquarum ad Orientem, & turrim quæ prominebat.* Ubi diſerte non tantum dicuntur habitaſſe *in Ophel*, ſed etiam *ad Orientem*, & *uſque ex adverſo portæ aquarum*: porro portam aquarum fuiſſe ad Orientem tum ex eo loco, tum e 2. Eſdræ xii. verſ. 36. ſatis conſtat, eratque porta illa, qua ſe aquæ pluviæ e monte Sion, aliiſque vicinis montibus defluentes exonerabant in torrentem Cedron. Porro etſi Hebræi velint עפל *Ophel* ſignificare *arcem*, vel *locum excelſum*; at Hieronymus in ſua verſione ſatis indicat hanc vocem in ſua ſignificatione involvere *caliginem*, ubi videlicet caligant oculi, ſive id fiat ratione depreſſionis, ſeu aliunde; quemadmodum & אפל *Ophel* diverſa initio expreſſum litera eamdem caliginis ſignificationem habet. Sic Hieronymus Num. xiv. verſ. 44. verbum ab eadem radice vertit *contenebrati*: 4. Reg. verſ. 24. *veſperi* hanc vocem reddit. Septuaginta Interpretes σκοτεινὸν *tenebroſum*: item loco ex Iſaiæ xxxii. ſupra allato Hieronymus *tenebræ* dixit: rurſum Micheæ iv. verſ. 8. *nebuloſa* vertit. Merito autem hic locus a caligine nomen habere potuit, utpote qui valde depreſſus vix ſolem admitteret; habebat enim ab Oriente murum excelſum, quem Manaſſes rex 2. Paral. xxxiii. verſ. 14. dicitur exaltaſſe vehementer, in angulo item Orientis & Meridiei turris prominebat, ut habetur 2. Eſdræ iii. verſ. 26. a Meridie erat mons Sion, ab Occidente mons Moria, & templum, quo fiebat ut totus hic locus vix ſolis radiis tangeretur.

[2] *OPHER, & hanc cepit Jeſus rege illius interfecto.*

Ὀφὲρ, καὶ ταύτην ἐπολιόρκησεν Ἰησοῦς τὸν βασιλέα αὐτῆς ἀνελών.

OPHER, & hanc expugnavit Jeſus rege ipſius interfecto.

[3] *OPHERA, via Ophra ducens ad terram Saal.*

Ὀφρὰ, ὁδὸς ὀφρὰ ἐπὶ Σοάλ.

OPHRA, via Ophra ducens in Soal.

[4] *OPHIR, ſicut in regnorum libris legimus, eſt inſula unde aurum adferebatur Salomoni. Fuit autem unus de poſteris Heber nomine Ophir, ex cujus ſtirpe venientes a fluvio Cophene uſque ad regionem Indiæ, quæ vocatur Jeria, habi-*

Ὠφὲρ, ὅθεν τὸ χρυσίον ἐφέρετο τῷ Σαλωμῶνι, ὡς ἐν Βασιλείαις· ἦν δὲ καὶ ἑνὸς τῶν ἀπογόνων Ἐβὲρ ὄνομα Ὠφὲρ, οὗ τοὺς υἱοὺς ἀπὸ Κωφῆνος ποταμοῦ, ἕως τῆς Ἰνδικῆς, καὶ τῆς πρὸ αὐτῆς [5] Σηρίας κατοικῆσαι Ἰώσηππος ἱστορεῖ. ἀφ' οὗ καὶ τὴν χώραν εἰκότως τῆς προσ-

OPHIR, unde aurum adferebatur Salomoni ut eſt in libris regnorum. Fuit etiam nomen unius e poſteris Heber, Ophir, cujus liberos a Cophene fluvio uſque ad Indiam, quæ ante Seria (dicebatur) in ea habitaſſe Joſephus prodit,

N o t æ.

[1] Non videtur civitatis nomen, ſed ducis potius & principis nomen in terra Edom, Gen. 36. v. 41. & 1. Paral. 1. v. 52. Bonfrerius.

[2] Vide de *Opher* ſupra in EPHER. Idem.

[3] In noſtra verſione dicitur *Ephra*, 1. Reg. 13. v. 17. vide ſupra in EPHRA. Eſt & alia *Ophera* urbs in tribu Benjamin, Joſ. 18 v. 23. Idem.

[4] Sitne *Ophir* inſula in India merito addubitari poteſt, cum alii paſſim videantur regionem in continenti facere; vel certe in Aurea Cherſoneſo, ubi nunc *Malaca* eſt, quæ peninſulæ modum habet, cujuſmodi peninſula aliquando inſulæ nomine venit. Sunt tamen qui *Somatram* e regione Malacæ inſulam malint. De *Ophir* vide quæ diximus Gen. 10. v. 30. & quæ nos dicemus 3. Reg. 9 v. 28. Idem.

[5] Pro Seria hic Jeria repone, ut apud Hieronymum. Bonfrerius.

[5] Σηρίας ) Editum eſt in nupera Pariſina Κυρίας, quod vult editor mutari in Ἰηρίας, ex *Hieronymo*. Sed vide notata ad vocem *Evila*. Legendum hic, ut apud *Joſephum*, cujus verba hic corrupta ſunt. Clericus.

| HIERONYMUS. | ΕΥ'ΣΕ'ΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| *taſſe refert Joſephus: a quo puto & Regionem vocabulum conſecutam.* | ηγορίας τυχεῖν. | a quo & regionem merito ſortitam appellationem. |

OPHNI, urbs in tribu Benjamin, Joſ. XVIII. verſ. 24. quam ſuſpicor ſupra eamdem eſſe cum *Gophna*. Vide ſupra in ADASA & GOPHNA.

| HIERONYMUS. | ΕΥ'ΣΕ'ΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [1] *OR, mons in quo mortuus eſt Aaron juxta civitatem Petram; ubi uſque ad præſentem diem oſtenditur rupes, qua percuſſa Moyſes aquas populo dedit.* | Ὤρ, ὄρος ἐν ᾧ τελευτᾷ Ἀαρὼν, πλησίον Πέτρας πόλεως, ἐν ᾧ καὶ εἰς ἔτι νῦν δείκνυται ἡ ἐπὶ Μωϋσέως ῥεύσασα πέτρα. | OR, mons in quo moritur Aaron, juxta Petram urbem, ubi etiam hodie oſtenditur petra quę duce Moyſe fudit aquas. |
| [2] *ORAM, in tribu Nephthalim.* | Ὠράμ, κλήρου Νεφθαλείμ. | ORAM, ſortis Nephthali. |
| [3] *ORETH, civitas regni Nemrod in Babylone.* | Ὀρὲχ, πόλις βασιλείας Νεμρὼδ ἐν Βαβυλῶνι. | ORECH, civitas regni Nemrod in Babylonia. |
| [4] *ORONAIM, urbs Moabitarum, ſicut in Hieremia ſcriptum eſt.* | Ὠρωναείμ, πόλις Μωάβ, ἐν Ἱερεμίᾳ. | ORONAIM, civitas Moab in Hieremia. |
| [5] *OSA, in tribu Aſer.* | Ὧσα, κλήρου Ἀσήρ. | HOSA, ſortis Aſer. |
| [6] *OTHON, ubi ſecundo filii Iſrael caſtrametati ſunt egredientes de Sochoth juxta deſertum, quando profecti ſunt de Ægypto.* | Ὀθώμ, δεύτερος σταθμὸς, ἔνθα ἦλθον ἀπὸ Σοκχὼθ, παρὰ τὴν ἔρημον ἐξελθόντες ἀπὸ Αἰγύπτου (οἱ υἱοὶ Ἰσραήλ.) | OOTHOM, ſecunda ſtatio, ad quam venerunt e Socchoth juxta deſertum egreſſi de Ægypto filii Iſrael. |

OZENSARA, urbs in tribu Ephraim, utpote quam Sara Ephraimitis mulier ædificavit, 1. Paral. VII. verſ. 24. Videtur hæc urbs ab ipſa Sara nomen accepiſſe voce ab ea compoſita, *Ozenſara* enim ſignificat *auditum* vel *auriculam Saræ*.

N O T Æ.

[1] In verſione noſtra *Hor* appellatur, de quo & nos ſupra in voce HOR. Verum quod hic dicitur *de aquis eductis*, non in monte *Hor* contigit, ſed in manſione antecedenti, in *Cades* ſcilicet, ut ex Num. 20. & 33. liquet. BONFRERIUS.

[2] Hæc in verſione noſtra *Horem* appellatur, Joſ. 19. v. 38. IDEM.

[3] Paſſim nunc in codicibus omnibus Græcis Septuaginta Interpretum non *Oreth*, ſed Ὀρὲχ *Orech* habetur: in verſione noſtra *Arach*, Gen. 10. v. 10. IDEM.

[4] Meminerunt hujus in ſuis prophetiis adverſus Moabitas Iſaias Cap. 15. v. 5. & Hieremias Cap. 48 v. 3. IDEM.

[5] Hic locus in verſione noſtra vocatur *Hoſa*, Joſ. 19. v. 29. IDEM.

[6] Hic locus in verſione noſtra *Etham* appellatur, Exodi 13. v. 20. Num. 33. v. 6. 8. in quo facta eſt ſecunda Iſraelitarum manſio, priuſquam ad Mare Rubrum venirent. IDEM.

## P

PALÆSTINA, & *Palæſtinorum* nomen reſtrictius ſumuntur in Scriptura pro regione & gente ad mare, quos item *Philiſthiim*, *Philiſthæos*, *Philiſthinos* verſio noſtra appellat, Septuaginta Interpretes Ἀλλοφύλους: at Ptolemæo aliiſque profanis ſcriptoribus nomine *Palæſtinæ* etiam tota Judæa intelligitur. Utramque acceptionem etiam in ſcriptis Hieronymi reperies.

PALMA DEBORÆ, ſub qua Debora prophetiſſa júdicabat Iſraelem, Judic. IV. verſ. 5. Sita inter Rama & Bethel, ut aſſerit Scriptura, atque adeo in confinio tribus Benjamin & Ephraim; Brochardus leuca una Bethel abſuiſſe ait.

PALMIRA, urbs a Salomone ædificata in deſerto Syriæ, 3. Reg. IX. verſ. 18. & 2. Paralip. VIII. verſ. 4. *Palmyram* vocat Prolemęus & Stephanus. Hebraice dicitur תדמר *Thadmor*; Joſephus Lib. VIII. Antiq. Cap. 2. ait a Syris *Thadamoram* appellari. Infra hoc libro de locis Hebraicis *Thermoth* dicitur, at apud Septuaginta Interpretes *Thedmor* legitur. *Hadrianopolis* dicta poſtea fuit teſte Stephano. Fuit hęc urbs a tota Judęa remota, ſed cum Salomon totam regionem uſque ad Euphratem obtineret, ad regni ſui firmamentum ibi maximam & munitiſſimam urbem condidit. Cur autem ibi condiderit, rationem reddit Joſephus, *quod mediterranea per deſertum petentibus, ibi demum fontes ac putei reperiantur*. Hunc ei Joſephus ſitum attribuit, *a ſuperiore Syria duorum dierum itinere diſtantem* facit, *unius diei itinere ab Euphrate, ſex dierum Babylone*. Hanc urbem miris operibus Salomonem extruxiſſe aſſerit Hieronymus ad Ezech. XLVII. De ea urbe occupanda Romanis & Parthis ſtudium fuiſſe, quamdiu de imperio decertarunt, utpote in utriuſque imperii confinio ſita indicat Plin. Lib. V. Cap. 15. *Palmyra*, inquit; *urbs nobilis ſitu, divitiis ſoli, & aquis amœnis, vaſto undique ambitu arenis includit agros: ac veluti terris exemta a rerum natura privata ſorte, inter duo imperia ſumma*

HIERONYMUS. ΕΥΣΕΒΙΟΣ. EUSEBIUS.

*Romanorum Parthorumque*, & *prima in discordia semper utrimque cura*. A palma tam apud Hebręos, quam Latinos videtur nomen urbi esse factum, quod ibi palmeta sint plurima, ut quidam apud Hieronymum volunt ad Ezech. Cap. XLVIII.

PAMPHYLIA, Asię Minoris regio, habens ab Occasu Lyciam & partem Asię proprie dictę, a Septemtrione Galatiam, ab Oriente Ciliciam & partem Cappadociæ, a Meridie Pamphylium pelagus.

PAPHUS, Cypri insulę urbs: at Ptolemæus, Strabo & alii *duplicem* in ea insula *Paphum* distinguunt, *veterem*, & *novam*, unamque ab altera stadiis sexaginta distantem facit Strabo Lib. XIV.

PARTHI, a Parthia regione sic dicti populi, quę trans Mediam & Persidem sita est.

PATARA, urbs Lycię in Asia Minori.

PATMOS, Straboni & Plinio Icarii maris insula, ad quam relegatus fuit a Domitiano S. Joannes Apostolus.

PELLA, Cœlesyriæ oppidum trans Jordanem, cujus meminit frequenter Josephus: & Hieronymus libro hoc de locis Hebraicis non semel ab ea aliarum urbium sumit distantias, ab eaque sex milliaribus abesse Jabes Galaad Gerasam euntibus, nempe e regione Cis-Jordanina (contra quam intellexit Adrichomius) scribit Hieronymus in voce ASIROTH, & voce JABIS GALAAD. *Pellæ* nomen accepit a Pella Macedoniæ metropoli: nam & hæc trans Jordanem *Pella* fere a Macedonibus, qui in Asia sub Alexandro stipendia meruerant, fuit habitata: hinc & aqud Josephum Lib. XIII. Antiq. Cap. 23. habetur *Alexandrum Judæorum regem, cum Pellam expugnasset, eam diruisse, quod incolæ recusarent Judaicos ritus recipere*: ex quo satis colligitur incolas gentiles & exteros extitisse.

PELUSIUM, Ægypti urbs Plinio, Staboni, Stephano, Ptolemæo, Josepho; & huic quidem in Ægypti finibus, hoc est in ipso Ægypti aditu euntibus a Palæstina in Ægyptum; Hebraice סין *Sin* dicitur: eam quidam esse putant, quæ hoc tempore *Damieta* appellatur. Ab urbe nomen factum Pelusiaco ostio, quod e Nili ostiis primum versus orientem occurrit.

PENTAPOLIS, cujus fit mentio Sap. x. vers. 6. regio fuit amœnissima ad Jordanem, *quinque urbes*, ut vox ipsa sonat, habens, *Sodomam*, *Gomorrham*, *Adamam*, *Seboim*, *Segor*. Hanc Deus ob infanda incolarum peccata misso cœlitus igne exussit, præter Segor e quinque minimam, cui ad preces Lot parcitum est. Eo in loco, quem vastavit incendium, lacus erupit, quem Asphaltiten lacum, vel mare mortuum appellamus. Vide Gen. XIX. & ibi supra Cap. X.

PERCUSSIO OZÆ, locus ita dictus juxta Hierosolymam, in quo Oza a Deo fuit interfectus, quod ausus fuisset manu arcam inclinantem attingere, 2. Reg. VI. vers. 8. idem locus 1. Paral. XIII. vers. 11. dicitur *Divisio Ozæ*. In Hebræo utrobique una est eademque vox פרץ עזה *Perets Huzza*, quæ significat *divisionem*, *destructionem*.

PERGAMUS, Troadis urbs in Minore Asia, quæ una fuit e septem, ad quarum Angelos seu Episcopos scripsit S. Joannes suam Apocalypsim.

PERGE, urbs Pamphyliæ in Asia Minori Ptolemæo, Straboni, Plinio, Stephano, imo & Scripturæ Sacræ Act. XIII. vers. 13.

PERSEPOLIS, cujus fit mentio, 2. Machab. IX. vers. 2. Persidis Urbs Ptolemæo, Straboni, Plinio, Stephano; eademque teste Plinio Lib. VI. Cap. 26. regni caput.

PERSIS, Asiæ regio trans Chaldæam & Babyloniam.

[1] *PETRA*, *civitas Arabiæ* [2] Πέτρα, πόλις ἐν γῇ Ἐδὼμ τῆς PETRA; urbs in terra E-

N O T Æ.

[1] *Petra* Arabiæ Petrææ fuit metropolis, a qua & nomen accepit: ubi autem ea urbs sita fuerit non omnium eadem est opinio. Adrichomius, ubi de *Ar* loquitur, eandem urbem vult esse tribus hisce nominibus nuncupatam, *Ar*, *Aroer*, & *Petram*; atque adeo *Petram* in regione esse Moabitide, aut tribu Gad Trans-Jordanina, & pro eadem opinione Brochardum citat. Verum tres esse urbes diversas *Ar*, *Aroer*, *Petram*, mihi dubium non est: inter *Ar* & *Aroer* discrimen esse statuendum supra in AR ostendimus. *Petram* ab utraque priore distingui probari potest. Primo, quia *Ar* & *Aroer* multo Borealiores erant, utpote juxta Arnon, quin & toto mari mortuo Borealiores: *Petra* vero, si Ptolemæi tabulis credimus, toto mari mortuo Australior erat. Secundo quia *Aroer* in tribu Gad erat, olimque Moabitarum fuerat, *Ar* semper Moabitarum urbs fuit; at *Petra* vel *in terra Edom* fuit, ut hic seu Hieronymus, seu Eusebius asserit, vel *in regione Madianitide* trans Jordanem, ut Josephus Lib. IV. Ant. Cap. 7. siquidem hanc urbem Arabum primariam dictam asserit *Recem*, vel *Receme* ab uno e Madianitis regibus, qui adversum Israelitas tempore Moysis pugnarunt, cujus nomen erat Recemus; cujus nomen etiam in Scriptura, ubi hoc bellum refertur, proditur, Num. 31. v. 8. Quod autem ab Eusebio vel Hieronymo hic *in terra Edom* collocetur, a Josepho *in terra Madian*, idcirco forte factum, quod in utriusque regionis confinio esset, & modo ab his, modo ab illis populis possessa sit. Tertio Josephus Lib. IV. Ant. Cap. 4. vult montem Hor, in quo Aaron mortuus est, fuisse in agro hujus urbis *Petræ*; ergo non potest esse eadem cum *Ar* vel *Aroer*, sed debet esse multo Australior, utpote in finibus terræ Edom, ut habetur Num. 20. v. 23. & Num. 33. v. 37. Addo denique nec isti suæ opinioni satis Adrichomium adhærescere, cum ubi de *Petra* agit, eam reponat juxta montem Hor, & in tabula Chorographica eam ab Aroer (quam eamdem esse putat cum Ar) distinguat. Hæc non tantum *Recem* dicta est, ut hic & apud Josephum asseritur, sed etiam *Arcem* dictam asserit Josephus Lib. IV. Ant. Cap. 4. sunt qui eamdem *Nabatha* dictam velint. An hujus *Petræ* alicubi meminerit Scriptura, quæstio esse potest: sunt qui non improbabiliter ejus fieri mentionem putent, Isaiæ 16. v. 1. ubi *Petra deserti* dicitur; item Isaiæ 42. v. 11. ubi *habitatores Petræ* ad Dei laudes promendas provocantur. Hujus in lib. hoc de locis Hebr. sæpius fit mentio. Ab hac diversa videtur esse *Petra* illa, cujus fit mentio Judic. 1. v. 36. quæ cum Ascensu Scorpionis jungitur, fuitque in extremis Judææ ad Austrum finibus, in Idumæorum vel Amalecitarum montibus Judæam ab ipsorum regione disterminantibus, Josephus Lib. III. Ant. Cap. 2. Amalecitarum urbem facit. Et hæc *Petra* posterior illa, quæ ab Amasia rege nomen *Jectehel*, accepit, 4. Reg. 14. v. 7. BONFRERIUS.

[2] Πέτρα καὶ τὰ ἑξῆς) Hæc omnia deerant in Editione Bonfreriana, in qua legebatur sola *Hieronymi* versio. Itaque sunt a nobis ex nupera Parisina suppleta. CLERICUS.

in

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕ'ΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| *in terra Edom, quæ cognominata eſt Jectael, & a Syris Recem dicitur.* | Α'ραβίας, ἥτις ἐπεκλήθη Ι'εχθοὴλ, ἣ ϗ Ρ'εκὲμ παρὰ Α'σσυρίοις ὀνομάζεται. | dom Arabiæ, quæ cognominata eſt Jechthoel, quæ & Rekem apud Aſſyrios nominatur. |

PETRA DIVIDENS, I. Reg. XXIII. verſ. 28. ita dictus locus, quod Saul, occaſione Philiſthæorum ſeſe in Judæam effundentium, coactus eſt a Davide perſequendo deſiſtere, & retro abire, ut Philiſthæis ſe opponeret.

PETRA ETAM, ubi Samſon delituit in tribu Juda, Judic. XV. verſ. 8. II.

PETRA OREB, in qua Oreb unus e regulis Madian comprehenſus ab Ephraimitis, Gedeone Madianitas perſequente, interfectus eſt, a quo & huic Petræ nomen inditum. Fuit hic locus cis Jordanem, & ab eo non procul, inter mare Galilææ & Mare Mortuum, quantum e tota hiſtoria & circumſtantiis colligi poteſt, etſi certum ei locum nemo facile definiat; fit hujus mentio Judic. VII. verſ. 25. Iſaiæ X. verſ. 26.

PETRA REMMON, cujus fit mentio Judic. XX. & XXI. quo Benjaminitarum prope deletorum reliquiæ profugerunt. Ubi fuerit ſupra modum obſcurum eſt; in deſerto ponit Joſephus: ſed quodnam deſertum intelligat obſcurum eſt, cum & in tribu Benjamin eſſet ſolitudo Jericho, & in tribu Juda deſertum ad meridiem, quæ in diverſis partibus diverſa ſortitur nomina. Malim de hoc poſteriore intelligere; ſiquidem non aliam eſſe puto *Petram Remmon* & *Collem Remmon*: at *Collis Remmon* ( quod *collem malogranati* ſignificat ) ponitur ad Auſtrum Jeruſalem, Zach. XIV. verſ. 10. atque adeo & in tribu Juda, vel certe Simeonis. Adde quod in harum altera legamus *Remmon* civitatem. Joſ. XV. verſ. 32. & XIX. verſ. 7. & I. Paral. IV. verſ. 32. 2. Eſdræ XI. verſ. 29.

PHALLON, unde nomen patronymicum Phallonites, vicus vel oppidulum ignobile in tribu Ephraim, I. Paral. XXVII. verſ. 10.

PHANUEL. Vide FANUEL.

PHARAN. Vide FARAN.

PHARATON. Vide FRAATON.

PHARPHAR. Vide FARFAR.

PHARURIM, cujus fit mentio 4. Reg. XXIII. verſ. II. quis locus & ubi ſit obſcurum eſt valde: & vero ſunt non pauci qui Hebræam vocem appellative accipiunt, & pro *in Pharurim* reddunt *in ſuburbanis*, referuntque ad exedram illam ſeu cubiculum, de quo præceſſit, & pro *qui* relativo reddunt *quæ* vel *quod*, prout vox, quæ præcedit, poſtulat. Nihilominus nihil vetat pro loci nomine proprio cum Hieronymo, & Septuaginta Interpretibus accipere, præſertim cum non ſatis appareat quomodo illi ſolis eqni, quorum ibi fit mentio, eſſent in introitu templi Domini, & ſimul juxta exedram, quæ eſſet in ſuburbano loco. Itaque relativum *qui* retineo, ut is dicatur fuiſſe, ſeu habitaſſe *in Pharurim*; vel natalem ibi domum habuiſſe, nihilominus cum locorum nomina propria apud Hebræos fere ex rebus ipſis ſint ſumta, nomine autem urbis κατ' ἐξοχὴν merito Judææ metropolis ſeu Jeruſalem intelligi debeat, ita nomine *Pharurim*, ſeu *ſuburbani loci* abſolute poſiti locus eidem urbi vicinus videtur intelligendus. Addo tamen poſtremo nomine *Pharurim* vel *ſuburbiorum* recte poſſe intelligi eam urbis partem ad Occidentem templi, quæ monti Sion & urbi ſuperiori ſubjecta erat: quam explicationem nos ad illum locum præferemus, & pluribus comprobabimus.

PHASELIS, cujus fit mentio I. Machab. XV. verſ. 23. Plinio, Straboni, Stephano urbs eſt Pamphyliæ in Minori Aſia.

PHASGA. Vide FASGA.

PHATHURES. Vide FATURE.

PHAU, Idumæorum urbs, in qua natus Adar, vel Adad Idumæorum rex, Gen. XXXVI. verſ. 39. & I. Paral. I. verſ. 50. Ea in hoc libro de locis Hebraicis dicta eſt *Fogo*, quæ vox ſincerior eſt, quam *Phogor*, ut fere in Interpretibus Septuaginta legitur, præſertim in Geneſi.

PHELON, unde patronymicum Phelonites, I. Paral. II. verſ. 36. eadem quæ PHALLON ſupra.

PHESDOMIM. Vide APHESDOMIM.

PHETROS, Iſaiæ XI. verſ. II. quæ urbs ſit, vel regio, pleriſque non ſatis eſt liquidum. Ibi Septuaginta Interpretes pro eo, quod verſio noſtra *Phetros* habet, ipſi *Babyloniam* dicunt, a quibus nolim diſſentire; exiſtimo tamen per *Babyloniam* non intellexiſſe *eam quæ in Chaldæa eſt*, ſed *alteram Babylonem*, quæ eſt in Ægypto, nobiliſſimam videlicet & antiquiſſimam Ægypti urbem. Ratio hujus meæ opinionis ſumi poteſt nonnulla ex ipſo Iſaiæ loco, ubi ante hanc vocem proxime Ægypti fit mentio; paulo poſt vero fit mentio Sennaar, in qua regione erat Babylon illa, quæ erat in Chaldæa, ut proinde longe videatur proclivius explicare de Babylone, quæ in Ægypto erat, quam quæ in Chaldæa: ſed præcipue vero ad hanc opinionem me ducit, quod pro *Phetros* in Hebræo ſit פתרס *Pathros*, quæ vox alibi pluries habetur in Scriptura, pro qua in verſione noſtra *Pathures* dicitur; hanc autem *Phatures* ex aliis

Scri-

Scripturæ locis liquet in Ægypto fuisse, in eaque habitasse Judæos post captivitatem Babylonicam, qui e Judæa in Ægyptum profugerant Hieremia dissuadente, ab eodem Hieremia dicuntur Cap. 44. ab Isaia vero ibi supra reliquiæ dicuntur a Deo colligendæ, & in Judæam revocandæ.

PHIHAHIROTH, locus juxta Mare Rubrum, juxta quem, & e regione cujus Israelitæ castrametati sunt, priusquam sequenti nocte Mare Rubrum ex siccato alveo trajicerent, Exodi XIV. vers. 1. Num. XXXIII. vers. 7. 8. Vide supra in IROTH, & quæ nos ad Exodi XIV. diximus.

PHILADELPHIA, cujus fit mentio Apoc. I. & III. ad cujus Angelum, seu Episcopum scribit S. Joannes, videtur esse ea quæ in Lydia erat, cujus meminere Strabo, Stephanus, Ptolemæus; non autem ea, quæ in Cilicia: idque sive quia ista, quæ fuit Lydiæ, majoris fuit nominis, sive quia reliquæ omnes urbes, ad quarum Episcopos scribit S. Joannes, in eodem tractu ad mare Ægæum erant. Est & altera *Philadelphia*, cujus sæpe fit mentio in hoc libro de locis Hebraicis, a qua aliarum civitatum sumitur distantia, urbs in Cœlesyria Ammonitarum regia, cujus sub *Philadelphiæ* nomine etiam meminere Ptolemæus, Strabo, Stephanus, quam & *Ammana* alio nomine dictam ait Stephanus. In Scriptura sub *Philadelphiæ* nomine non fit ejus mentio, sed sub alio nomine sæpius, *Rabba* scilicet, *vel Rabbath*, vel cum addito *Rabbath filiorum Ammon*, ad distinctionem alterius *Rabbath*, quæ apud Moabitas erat. Vide supra in AMMAN, & infra in RABBA.

PHILIPPI, ad quorum cives est Apostoli Pauli epistola ad Philippenses dicta, Macedoniæ civitas est Ptolemæo, Stephano, & aliis.

PHILISTHÆA, PHILISTHIIM, PHILISTHINI. De his jam sæpius dictum. Vide CAPHTORIM, CERETHI, FILISTIM, PALÆTHINA.

PHISON. Vide FISON.

PHITHOM, urbs Ægypti ab Israelitis ædificata, dum in Ægypto gravi servitute premerentur, Exodi I. vers. 11. Eam hic liber de locis Hebraicis *Fithon* appellat.

PHOENICE, Syriæ regio Ptolemæo, Straboni, Plinio, Melæ, eademque fere ad mare Mediterraneum juxta Libanum & Antilibanum, cujus urbes primariæ fuerunt Tyrus & Sidon.

PHOGOR. Vide FOGOR.

PHRYGIA, Asiæ Minoris regio juxta Hellespontum, quam Ptolemæus in *Majorem* & *Minorem* distinguit.

PHUNON, mansio una filiorum Israel in deserto, Num. XXXIII. vers. 42. 43.

PISCINA GABAON, ab urbe vicina sic dicta, juxta quam dimicarunt ex una parte Abner cum sociis, & ex altera parte Joab cum sociis, 2. Reg. II. vers. 13. ubi Abner cum suis in fugam est actus.

PISCINA HEBRON, vel in urbe, vel potius in suburbano illius urbis agro sita, supra quam interfectorum Isboseth manus & pedes suspensi fuerunt, 2. Reg. IV. vers. 12.

PISCINÆ HESEBON, ( quæ urbs trans Jordanem fuit olim regis Sehon curia, & postea tribus Ruben primaria ) videntur geminæ fuisse in ejusdem urbis portis, seu juxta eas sitæ, Cant. VII. vers. 4. Opus, quantum colligi potest, visendum, & venustum, quandoquidem nihil potius habuerit sponsus, cui geminos sponsæ oculos venustos & amœnos compararet.

PISCINA INFERIOR & SUPERIOR, utraque extra muros civitatis David; montisque Sion, in quas derivabantur fontium Gion superioris & inferioris aquæ, e quibus deinde aquæ in hortos regios & vicina loca deducebantur. Dicitur autem una *superior* ratione situs loci; erat enim ad Meridiem montis Sion, altera *inferior* ( quæ dicta est etiam *Natatoria Siloe* ) ad Orientem, vel potius in angulo Orientis & Meridiei: erat autem ab Occidente in Orientem descensus perpetuus, sed lenis, quocirca & omnes aquæ versus Orientem decurrebant. Utriusque videtur auctor fuisse Salomon; nam & ipse Eccles. II. vers. 6. de se prædicat: *Exstruxi mihi piscinas aquarum, ut irrigarem Sylvam lignorum germinantium*. *Superior* tamen videtur fuisse magnificentior, unde & 2. Esdræ III. vers. 16. *dicitur piscina, quæ grandi opere constructa est*. Hinc etiam & hæc peculiariter *piscina* vel *aquæductus* regis dicta, 2. Esdræ II. vers. 14. & a Josepho *stagnum Salomonis* appellatur. Alias etiam *piscina vetus* dicta est.

PISCINA PROBATICA. Vide BETHESDA.

PISCINA SAMARIÆ, in qua canes sanguinem regis Achab occisi linxerunt, ut Elias prophetaverat, 3. Reg. XXII. vers. 38.

PISCINA SILOE. Vide SILOE, & PISCINA INFERIOR.

PISCINA SUPERIOR. Vide PISCINA INFERIOR.

PISIDIA, Asiæ Minoris regio, parsque Pamphyliæ Ptolemæo: Straboni vero *Pisidiæ* major pars extrema Tauri montis tenet.

PLANITIES JERICHO. Vide CAMPESTRIA JERICHO.

PON-

HIERONYMUS. ΕΥΣΕΒΙΟΣ. EUSEBIUS.

PONTUS, Asiæ regio, Hebraice & apud Septuaginta Interpretes, Gen. XIV. vers. 1. *Ellasar.* Sitne autem *Pontus*, cujus ibi in Scriptura fit mentio, illa regio, quæ Ponto Euxino adjacens itidem *Pontus* a Geographis appellatur, supra modum obscurum est.

PORTÆ URBIS HIEROSOLYMITANÆ, hæ leguntur sequentes:

PORTA ANGULI, quam Adrichomius, Brochardus, Arias Montanus in angulo Orientis & Septemtrionis collocant juxta turrim Hananeel: Villalpandus eam statuit in angulo Occidentis & Septemtrionis, cui ego potius assentior; id enim ex Hierem. XXXV. vers. 38. 39. & 2. Paral. XXV. vers. 23. non male colligit.

PORTA ANTIQUA, aut VETUS dicta, constituenda videtur inter portam Ephraim, & portam piscium ad latus Boreale, ut colligitur ex 2. Esdræ III. vers. 6. & Cap. XII. vers. 38. & ita censet Villalpandus. Ad Occidentem non recte constituit Adrichomius, alias & porta Ephraim ad Occidentem statuenda esset, quod neque facit, neque dici ullo modo potest. Dicta autem est *vetus*, quod jam inde a Melchisedeci temporibus credatur permansisse.

PORTA AQUARUM; omnes ad Orientem collocant trans Ophel, & merito; eum enim situm diserte ei Scriptura attribuit 2. Esdræ III. vers. 26. Sic dicta vel quod ad aquas illac exitus esset, nempe ad torrentem Cedron, fontem Rogel, piscinam Siloe; vel quod aquæ e monte Sion, aliisque vicinis ad Septemtrionem montibus in vallem Tyropoeon decurrentes per hanc portam effunderentur in Torrentem Cedron. Adrichomius & Brochardus *hanc portam* cum *porta fontis* confundunt; at has esse distinguendas satis perspicue indicat Scriptura, 2. Esdræ III. vers. 15. 16. & Cap. XII. vers. 35. imo *porta aquarum* ad Orientem, *porta fontis* ad Occidentem statuenda est, ut ex iisdem locis colligitur.

PORTA BENJAMIN, quæ & ubi fuerit paulo obscurius est. Eam Brochardus a *porta Ephraim* non distinguit; Adrichominus cum *porta Anguli* confundit; Villalpandus existimat *apertam* fuisse *portam in turri Hananeel*. Sed hæ omnes conjecturæ sunt, cum nihil ad eam rem probandam solidi adferri possit: illud tamen videtur non male colligi, si in urbis ambitu eo nomine porta statuenda est, vel in latere Septemtrionali, vel in Orientali, aut in utriusque angulo statuendam esse, cum ideo Benjamin dicta fuerit, quod ad tribum Benjamin duceret. At Villalpandus duplicem portam Benjamin distinguit, unam quæ sit in ambitu urbis, de qua nunc egimus: alteram qua ex urbe superiore ad inferiorem ibatur, quæ innuitur Hierem. XX. vers. 2. cum ibi dicatur fuisse *in domo Domini*, seu *juxta domum*. Ego vero crediderim hanc posteriorem sufficere, neque in ambitu urbis quærendam esse *portam Benjamin*. Neque obstat, quod ibi dicatur, in *porta Benjamin superiore*; id enim nihil aliud significat, quam carcerem istum de quo ibi agitur, fuisse in porta, quæ altiore loco erat constituta, nempe per quam e monte Sion ad inferiorem urbem veniebatur.

PORTA CUSTODIÆ, (quam eamdem esse existimat Villalpandus probabiliter cum *porta judiciali*) non videtur fuisse porta in urbis ambitu, sed per quam iretur in Ophel, ubi Nathinæi concludebantur, & custodiebantur, ut recte idem Villalpandus colligit.

PORTA EPHRAIM, (quam Adrichomius & Brochardus eamdem cum *porta Benjamin* faciunt) fuit omnium sententia in latere urbis Septemtrionali, nempe qua in tribum Ephraim ibatur, quæ tribus ad Septemtrionem vergebat. Videtur autem, quantum colligi potest ex 2. Esdræ XII. vers. 38. propior fuisse Occidentali lateri, quam Orientali.

PORTA EQUORUM, juxta regis palatium, per quam ad torrentem Cedron educebantur equi regii ad aquatum. Fuisse autem Orientalem hanc portam ipse loci situs satis indicat, diserteque ab Hieremia asseritur Cap. XXXI. vers. 40. Fuit autem ipsi Ophel Australis, aque adeo & ipsi templo ad latus versus Austrum. Forte hæc non alia fuit a porta aquarum, quæ & in eodem tractu videtur constituenda.

PORTA FICTILIS, nominatur ab Hieremia Cap. XIX. vers. 2. qua exibatur ad vallem filii Ennom, atque adeo necessario ad Orientem sita. Villalpandus eam *in muro Orientali montis Sion* aperit: at nulla usquam fit mentio portæ in muro montis Sion exstructæ, cum undique e monte illo præcipitium immineret; itaque ægre in hac re Villalpando assentiri possum. Forte *hæc* non alia a *porta aquarum*, quemadmodum & sensit Adrichomius: non enim video quid cogat has portas distinguere.

PORTA FONTIS, sic dicta a *fonte Siloe* seu *Gihon* celeberrimo, ad quem per hanc portam ibatur. Sita fuit haud dubie ad *Occidentem* juxta *gradus*, per quos ascendebatur ad *montem Sion*, ut recte statuit Villalpandus, & perspicue e Scriptura colligitur 2. Esdræ II. vers. 14. & Cap. III. vers. 15. & Cap. XII. vers. 37. Itaque perspicue hallucinantur Brochardus, & Adrichomius, qui portam hanc ad *Orientem* collocant, eamdemque esse volunt cum *porta aquarum*, cum tamen satis constet ibi non fuisse fontem Gihon.

PORTA FUNDAMENTI, eadem videtur quæ PORTA SCUTARIORUM, ut 4. Reg. XI. vers. 6. ostendetur.

PORTA GRECIS, haud dubie omnium sententia ad *Orientem* fuit juxta templum, nonnulla

nulla ad Aquilonem deflexione, per quam fere immolandæ victimæ in urbem inducebantur, juxta quam & forum pecuarium, & probatica piscina erat.

PORTA JUDICIALIS, eadem cum PORTA CUSTODIÆ, ut probabiliter colligit Villalpandus, ubi de Nathinæis noxiis judicia fiebant.

PORTA PISCIUM, non in Occidentali urbis latere in *valle Mello*, ut volunt Brochardus & Adrichomius, sed in latere Boreali fuit, eademque in eo latere proxima *Turri Hananeel*, quæ erat in angulo Septentrionis & Orientis, ut colligitur ex 2. Esdræ III. vers. 3. & Cap. XII. vers. 38. Itaque verisimile est hanc portam dictam a *piscibus*, qui a mari Galilææ in urbem per hanc *portam* inferebantur, non autem a piscibus, qui a mari magno illuc deportabantur, cum præsertim Phœnices & Philisthæi illius maris littora tenerent.

PORTA SCUTARIORUM, qua ex templo ibatur in regiam, vel e regia in templum, ut 4. Reg. XI. vers. 6. ostendendum erit.

PORTA STERCORIS, vel STERQUILINII statuenda est cum Villalpando ad Occidentem inter *portam vallis*, & *portam fontis*, ut colligitur e 2. Esdræ II. vers. 13. 14. additis sequentibus, & Cap. III. vers. 13. 14. 15. Sic dicta, non quod per eam decurrerent omnes sordes civitatis in torrentem Cedron tempore pluvio, ut volunt Brochardus & Adrichomius, ob eamque causam eam in Orientali urbis latere collocant; sed quia sordes, & quidquid fere immunditia legali pollutum erat, forasque efferendum, ut erant morticinia animalium per illam *portam* a majore civitatis parte efferebatur in locum immundum, nempe in monti Calvariæ subjectam vallem cadaverum.

PORTA SUR. Vide paulo post, PORTÆ TEMPLI.

PORTA VALLIS, non ad Orientem, ut volunt Brochardus & Adrichomius, sed ad Occidentem omnium maxime Borealis statuenda est, ut probat Villalpandus, & colligitur e 2. Esdræ II. vers. 13. 14. 15. ibi enim Nehemias totam circuit civitatem incipiendo a PORTA VALLIS & Cap. III. vers. 13. additis antecedentibus & consequentibus; ordine enim tota procedit ædificatio. Ex quo liquet nomine *vallis* non intelligi vallem Cedron, sed intelligi vallem cadaverum, quæ ad Occidentem erat juxta Calvariæ montem.

PORTÆ TEMPLI, fere nomen habuere a vario respectu ad diversas mundi plagas, ut *Orientalis*, *Occidentalis*, *Aquilonaris*, *Australis* dicerentur. Videtur tamen & Orientalis porta, quæ præcipua & ceteris augustior, habuisse alia nomina: ea enim videtur *porta Sur* appellari 4. Reg. XI. vers. 6. & de *porta fundamenti* 2. Paral. XXIII. vers. 5. vel 4. Reg. XI. declarandum erit. De portarum in templo numero non idem omnes sentiunt, atque imprimis an in Occidentali latere porta aliqua fuerit, an in singulis lateribus plures portæ: neque enim vel e Scriptura, vel e Josepho res satis est liquida. At meo judicio distinguenda sunt & atria, & tempora. *Atrium gentilium* in templo Salomonico, & deinceps ad Herodiana usque tempora videtur *quatuor* portas habuisse, ab unoquoque latere unam: & de hoc atrio intelligi debet quod habetur 1. Paral. IX. vers. 24. *Per quatuor ventos erant ostiarii*: id est, ad Orientem, & ad Occidentem, & ad Aquilonem, & ad Austrum: *Atrium Israelitarum*, eodem tempore *tres* portas habuit, Orientalem, Meridionalem, Aquilonarem, non plures in quoque latere; nam singulari numero de his portis semper Scriptura loquitur. Vide 2. Paral. XXXI. vers. 14. & 2. Esdræ III. vers. 29. Ezech. XLVI. vers. 9. Hoc atrium Occidentalem portam non habuit; id enim exigebat vicinitas Sanctuarii, & reverentia loco debita; unde nec in Herodiano templo ibi ulla porta fuit, ut ex Josepho liquet, cujus hæc verba sunt Lib. VI. de Bello Judaic. Cap. 6. *Occidua pars nullam portam habebat, sed perpetuus ibi murus erat exstructus*. *Atrium Sacerdotum* nullo tempore videtur plures quam *tres* portas habuisse, ad Orientem, Aquilonem & Meridiem. In Herodiano templo quoad reliqua duo atria videtur nonnulla fuisse diversitas, nam Atrium gentilium præter Orientalem, Aquilonarem, Meridianam, habuit in Occidente non *unicam* tantum portam, sed *quatuor*, ut scribit Josephus testis oculatus Lib. XV. Antiq. Judaic. Cap. 14. *Atrium* vero *Israeliticum unicam* quidem ab Oriente angustiorem ceteris, at *ternas* videtur in Meridiano latere, & in Aquilonari *totidem* portas habuisse, ut idem supra Josephus Lib. XV. Antiq. Judaic. Cap. 14. De hisce portis nihil addendum, nisi de *Porta speciosa*, cujus in novo testamento fit mentio, de qua proxime hic subjicio.

PORTA TEMPLI SPECIOSA, cujus fit mentio Act. III. vers. 2. & 10. videtur ea fuisse, qua a parte Orientali ingressus erat in atrium gentilium, seu in porticum Salomonis extimam, Villalpando nostro assentiente Tom. II. in Ezech. Par. 2. Lib. V. Disp. 4. Cap. 68. & vero hanc extimam portam multum pretio & dignitate præstitisse reliquis Josephus asserit Lib. VI. Belli Judaic. Cap. 6. ut merito SPECIOSA dici potuerit. Hanc Josephus ibi *Corinthiam* appellat, quod ex *ære Corinthio* esset.

PORTICUS SALOMONIS, fuit porticus atrii gentium a Salomone constructa, sic dicta, quantum arbitror, præ reliquis templi porticibus propter mirabilem substructionem muri a parte Orientali, profundasque valles inter murum & montem Moria impletas, cui substructioni tota hæc innitebatur porticus.

PRO-

| HIERONYMUS. | ΕΥ'ΣΕ'ΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|

PROBATICA PISCINA. Vide ſupra BETHESDA.

PTOLEMAIS & PTOLEMAIDA, Phœnices urbs maritima, Tyro ad Meridiem, Carmelo monti ad Septemptrionem, a quo quatuor milliaribus horariis diſtat juxta Adrichomium, centum viginti ſtadiis juxta Joſephum. Ejus uberiorem deſcriptionem vide apud Joſephum Lib. II. Belli Judaic. Cap. 6. Hæc olim ACCHO. dicta eſt, quod urbis nomen habes etiam in Scriptura Judic. I. verſ. 31. ex quo intelligimus eam cecidiſſe in ſortem tribus Aſer, licet Phœnices habitatores priſtinos expellere non potuerit. Hæc a Strabone, Plinio, Stephano *Ace* olim dicta proditur; hoc tempore *Acon* nominari aſſerunt Adrichomius, Mercator, Villanovanus in notis ad Ptolemæum. Apud Hieronymum in Epitaphio Paulæ mendoſe *Coth* vel *Cod* hujus urbis nomen exprimitur.

PUTEOLI, Campaniæ in Italia urbs Ptolemæo, *Potioli* dicitur a Stephano, *Dicæarchiam* vocat Strabo; quo nomine olim vocatam teſtes ſunt Plinius & Stephanus.

PUTEUS AQUARUM VIVENTIUM, Cant. IV. verſ. 15. Huic certum etiam locum, & ſitum aſſignant Brochardus & Adrichomius, nempe juxta Tyrum, ab eaque uno milliari parvo diſſitam facit Adrichomius verſus Auſtrum, a mari magno vero paulo amplius quam jactu arcus. Hunc copioſiſſimum eſſe fontem ajunt: imo Brochardus tres ait eſſe *puteos* miræ magnitudinis, omnes quadratos, ſed unum duobus reliquis majorem eſſe: videlicet quadraginta cubitorum in quadrum, duos alios viginti quinque cubitorum. Conſenſit Adrichomius in omnibus, niſi quod quatuor fontes vel *puteos* quadratos eſſe dicat. Hujus *aquis* totam illam regionem irrigari & fœcundari aſſerunt. Sed unde habeant illum eſſe puteum, qui a Salomone indicatus eſt, nec probant, nec ut arbitror, firmo argumento probare poſſunt.

PUTEUS ELIM, apud Moabitas, Iſaiæ XV. verſ. 8.

| | | |
|---|---|---|
| [1] *PUTEUS JUDICII, uſque in præſentem diem in regione Gerariticâ. Vocatur autem villa Berdam nomine, quod Latine dicitur puteus Judicii.* | Φρέαρ Κρίσεως, εἰς ἔτι νῦν ἐστι κώμη Βηρδὰν καλȣμένη ἐν τῇ Γεραριτικῇ. | PUTEUS JUDICII, eſt uſque hodie vicus qui vocatur Berdan in terra Geraritica. |
| [2] *PUTEUS JURAMENTI, quem fodit Abraham, id eſt, Berſabee in regione Geraritica. Diximus de hoc & ſupra.* | Φρέαρ ὁρκισμοῦ, ὃ ὤρυξεν Ἀβραάμ, ἔνθα ὤμοσεν. αὕτη νῦν καλεῖται Βηρσαβεὲ ἐν τῇ Γεραριτικῇ. | PUTEUS JURAMENTI, quem fodit Abraham in quo loco juravit. hæc nunc vocatur Berſabee in regione Geraritica. |
| [3] *PUTEUS JURAMENTI, ubi juraverunt Iſaac & Abimelech, vocaturque oppidum Iſaac.* | Φρέαρ ὅρκȣ, ἔνθα ὤμοσεν Ἰσαάκ. | PUTEUS JURAMENTI, ubi juravit Iſaac. |
| [4] *PUTEUS VISIONIS, in deſerto, apud quem habitavit Iſaac.* | Φρέαρ ὁράσεως, ἐπὶ τῆς ἐρήμȣ ἔνθα κατῴκει Ἰσαάκ. | PUTEUS VISIONIS, in deſerto, ubi habitavit Iſaac. |

PUTEUS VIVENTIS ET VIDENTIS. Vide PUTEUS VISIONIS proxime.

| | | |
|---|---|---|
| [5] *SUNT ET ALII, plures putei in ſanctis Scripturis, qui hodieque in Geraritica regione, & juxta Aſcalonem demonſtrantur.* | Καὶ πλείονά ἐστι φρέατα ἐν τῇ γραφῇ, καὶ εἰς ἔτι νῦν ἐν τῇ Γεραριτικῇ, καὶ ἐπ' Ἀσκαλῶνος δείκνυται. | Sunt & plures putei in ſcriptura, & uſque hodie tum in terra Geraritica, tum Aſcalone monſtrantur. |

NOTÆ.

[1] NUSQUAM reperio in Scriptura *Puteum Judicii*, neque *Berdan*, vel בארדן *Beerdan* in Hebræo, quod *puteum Judicii* ſignificat; ſed bene *fontem Judicii*, Gen. 14. v. 7. ſed ibi plane alia vox eſt in Hebræo עין משפט *hen miſchpat*: adde quod is fons procul eſſet a Geraritica regione. Videtur autem alludi hic ad puteos *diverſos*, quos fodit Iſaac in regione Geraritica, quibus ex diverſis occaſionibus diverſa impoſuit nomina, Gen. 26. v. 18. 19. 20. 21. 22. 25. 32. 33. attamen nullum invenio, qui nomen hoc acceperit. BONFRERIUS.

[2] De hoc puteo habes Gen. 21. ſub finem. Vide ſupra in BERSABEE. IDEM.

[3] Non eſt hoc nomen a præcedenti diverſum, in eodem enim loco Gerariticæ regionis habitarunt Abraham & Iſaac. Videtur tamen Iſaac levem voci attuliſſe mutationem, nempe ex באר שבע *Beerſebah* feciſſe באר שבע *Beerſebah*, hoc eſt ex *Puteo juramenti* vel *ſeptem* appellaſſe *puteum abundantiæ*. Vide dicta a nobis ad Gen. 26. v. 33. IDEM.

[4] In verſione noſtra vocatur *Puteus viventis & videntis*. De eo puteo, & Iſaac deambulante in via, qua ad eum puteum ibatur, ubi & Rebecca ei occurrit, habes Gen. 24. v. 62. De hujus autem nominis impoſitione ab Agar facta habes Gen. 16. v. 14. IDEM.

[5] Habes de his puteis variis ab Iſaaco effoſſis in regione Geraritica, variiſque nominibus iis impoſitis Gen. 26. v. 18. 19. 20. 21. 22. 25. 32. 33. IDEM.

## Q

QUERCUS FLETUS ad radices *Bethel*, ſub qua Debora nutrix Rebeccæ ſepulta eſt, quæque a luctu in ejus funere demonſtrato nomen hoc accepit. Gen. xxxv. verſ. 8.

QUERCUS SICHEM, juxta quam inunctus, coronatuſque eſt rex Abimelech Judic. ix. verſ. 6.

QUERCUS THABOR, 1. Reg. x. verſ. 3. quæ a monte illo *Thabor* in Scriptura nominato nomen non habuit, ſed aliunde, ſeu a viro quopiam, ſeu loco aliquo alias obſcuro & ignobili: fuit enim in tribu Juda vel Benjamin hæc *Quercus*, cum mons *Thabor* in tribus Zabulon, Iſſachar, & Manaſſes eſſet confinio.

## R

RABBA. Vide RABBATH proxime.

| Hieronymus | Eusebius (Gr.) | Eusebius (Lat.) |
|---|---|---|
| [1] *RABBATH, civitas regni Ammon, nunc Philadelphia, cujus meminit Hieremias.* | [4] Ῥαμμᾶ, πόλις βασιλείας Ἀμμών· αὕτη ἐστὶ Φιλαδελφία· μέμνηται αὐτῆς καὶ Ἱερεμίας. | RAMMA, civitas regni Ammon. hæc eſt Philadelphia. meminit hujus Hieremias. |
| [2] *RABBOTH, in tribu Iſſachar, eſt uſque hodie alia villa Rebbo in finibus Eleutheropoleos ad ſolis ortum.* | | |

RACHAL. Vide RACHEL proxime.

| Hieronymus | Eusebius (Gr.) | Eusebius (Lat.) |
|---|---|---|
| [3] *RACHEL, & ad hanc David ſpoliorum partem miſit.* | Ῥαχὴλ, ἔνθα ἀπέστειλε Δαβὶδ τῶν σκύλων. | RACHEL, ad quam miſit David partem prædæ. |

RAGAU, Judith 1. verſ. 6. campi magni nomen juxta Euphratem & Tigrin, in quo Nabuchodonoſor Aſſyriorum rex conflixit cum Arphaxad.

RAGES, civitas Medorum, paſſim toto Tobiæ libro. Ea a Stephano *Raga* appellatur: apud Strabonem quoque Lib. xi. ῥαγαῖς & ῥαγεία in Media legitur.

RAHAB, Pſal. lxxxvii. verſ. 4. plane, etſi nonnulli contrarium velint, urbis nomen eſt, cum jungatur media conjunctione copulativa cum Babylone. Forte non alia eſt ab ea, quæ Gen. x. verſ. 11. in Hebræo dicitur רחבת *Rechoboth*, nam ſcriptio utrobique in Hebræo concordat, niſi quod רחב *Rachab*, ſeu *Rabab* ſingulare ſit, ſignificans *Latitudinem*, רחבות *Rechoboth* plurale, ſignificans *Latitudines*. Porro verſio noſtra Gen. x. habet *plateas*: ſatis tamen liquet civitatis nomen eſſe; quocirca & pro eo quod verſio noſtra habet *plateas civitatis*, alii *Rechobot civitatem* dicunt. Forte non alia item hæc civitas ab ea, quæ Gen. xxxvi. verſ. 37. *Roboboth* dicitur; eſſe enim urbis, non fluvii nomen *Roboboth*, quæ & juxta Euphratem ſit, indicat ibi Chaldæus paraphraſtes, qui habet, *de Roboboth, quæ eſt juxta Euphratem*; & Septuaginta interpretes, qui dicunt: *de Roboboth, quæ eſt juxta fluvium*, ubi de more Scripturæ nomine *fluvii* Euphrates intelligitur. Quocirca & illud in verſione noſtra *de fluvio Roboboth*, ad modum regiminis ſumendum erit.

### NOTÆ.

[1] Sæpius in Scriptura hujus urbis fit mentio ſub nomine *Rabba* vel *Rabbath*, quæ vox ſignificat *grandem*, vel *numeroſam*, ſeu *populoſam*. Fuit autem regni Ammonitarum caput. Adverſus eam vaticinatur Hieremias Cap. 49. Vide *Amman* & *Philadelphiam*. Eſt & alia *Rabba* vel *Rabbath* regni Moabitarum caput, cujus videtur fieri mentio Joſ. 13. v. 25. ſub nomine *Rabba*, quam & ſupra in voce *Moab* Hieronymus aſſerit compoſita voce dictam eſſe *Rabbath Moab*. Bonfrerius.

[2] De *Rabboth* in tribu Iſſachar habes Joſ. 19. v. 20. a qua omnino diverſa eſt ea, quæ hic dicitur eſſe *in finibus Eleutheropoleos*. Idem.

[3] Hæc in verſione noſtra *Rachal* dicitur 1. Reg. 30. v. 29. ubi autem id oppidum fuerit non facile poteſt definiri, cum alibi nuſquam illius fiat mentio, neque ex eo loco ſatis res poſſit colligi. Suſpicor tamen in *tribu Juda* fuiſſe, ſive quia Siceleg, in qua tunc verſabatur David, tribui Judæ contermina erat, ſive quia David Saulem fugiens potiſſimum in tribu Juda verſatus fuerat, ab iiſque, utpote contribulibus ſuis multis beneficiis affectus, & in ſua illa calamitate recreatus, ſive denique quia fere cetera oppida, vel loca, quæ ibidem 1. Reg. 30. nominantur, & ad quæ ſpoliorum de Amalecitis partorum partem miſerat, erant in tribu Juda. Idem.

[4] Ῥαμμᾶ) Pro Ῥαββᾶ. Sæpe animadvertimus in nominibus barbaris miſta eſſe elementa B & M, quæ ejuſdem organi elementa, ut loquar Hebræorum Grammaticorum more, revera auris minus attenta, aut os hominis e naſo nonnihil loquentis facile confundit. Sic antea Μαριμὼθ vidimus, pro Μαριβὼθ; Sic paullo poſt Ῥαβαδὶ, pro Ῥαμαδί. Clericus.

| HIERONYMUS. | ΕΥ'ΣΕ'ΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [1] *RAMA, in tribu Benjamin civitas Saulis in sexto milliario ab Ælia ad Septemtrionalem plagam contra Bethel meminit & hujus Hieremias.* | Ρ'αμὰ, φυλῆς Βενιαμὶν, πόλις Σαοὺλ, ἀπὸ ϛ' σημείων εἰς βοῤῥᾶν ἀπέναντι Βηθήλ. μέμνηται αὐτῆς ϗ Ι'ερεμίας. | RAMA, tribus Benjamin, civitas Saulis in sexto lapide ad septentrionem e regione Bethel. meminit ejus Hieremias. |
| [2] *RAMA, in tribu Aser usque ad civitatem munitam* [3] *Assyriorum.* | Ρ'αμὰ, κλήρου Α'σὴρ, ἕως πόλεως ὀχυρώματος Τυρίων. | RAMA, tribus Aser, ad urbem usque quæ est munitio Tyriorum. |
| [4] *RAMA, in tribu Nephthalim.* | Ρ'αμὰ, κλήρου Νεφθαλεὶμ. | RAMA, sortis Nephthali. |
| [5] *IDCIRCO, eadem nomina viculorum tribubus variis assignantur: quia cum apud nos unum nomen sonare videantur, apud Hebræos diversis literis scribuntur.* | | |
| [6] *RAMALE, pro quo Aquila interpretatur, exaltabitur. Scriptum est in Zacharia. Est autem & alius locus in tribu Benjamin juxta Bethlehem de quo dicitur, vox in Rama audita est. De hoc in libris Hebraicarum quæstionum plenius dicitur.* | Ρ'αβεδὲ, Α'κύλας, ὑψωθήσεται, ἐν Ζαχαρίᾳ· ἔστι δὲ ϗ Ρ'αμὰ τοῦ Βενιαμὶν περὶ τὴν Βηθλεέμ. ἔνθα, φωνὴ ἐν Ρ'αμᾷ ἠκούσθη. | RABEDE, Aquila, (vertit) exaltabitur, in Zacharia. Est etiam Rama Benjamin circa Bethleem, ubi vox in Rama audita est. |

RAMATH, hæc vox semel reperitur ut nomen loci proprium, non tamen sola, sed duabus aliis vocibus conjuncta, *Baalath Beer Ramath*, de qua vide in BAALETH.

RAMATHA, urbs in tribu Ephraim, in confinio tamen tribus Judæ, qua parte videlicet ad Occidentem tribus Ephraim tribui Judæ conjungitur, ut e 1. Reg. XIX. vers. 22. colligitur. Fuit hæc urbs natalis patria Samuelis, eademque cum RAMATHAIM SOPHIM, de qua proxime dicendum: eadem in Evangelio levi mutatione *Arimathia* dicta.

ROMATHAIM SOPHIM, (quæ voces significant duo excelsa speculantia) urbs, in qua

NOTÆ.

[1] Fuisse *Rama* ad Septemtrionalem plagam Æliæ seu Jerusalem perspicue colligi potest e Judic. 19. v. 12. 13. ex Bethlehem enim, quæ ad Austrum erat Hierosolymæ, venienti in *Rama* transeundem fuit per Jebus seu Hierosolymam; ex quo liquet totum hoc iter fuisse ab Austro ad Aquilonem. Fuisse autem *in tribu Benjamin* habemus Jos. 18. v. 25. sed in extremis ejus finibus ad Aquilonem; erat enim vicina Bethel & Silo, quæ erant in tribu Ephraim. Dicitur autem hic *civitas Saulis*, non quasi in ea Saul natus esset, vel in ea sedem regiam fixisset, sed quod ea regiæ ipsius, quæ erat in Gabaa, proxima esset, eoque Saul spatiatum animi causa subinde concederet. Josephus Lib. VIII. Ant. Judaic. Cap. 6. eam urbem (quam *Ramathonem* vocat) quadraginta stadiis Hierosolyma distantem facit, quod fere cum Hieronymi vel Eusebii descriptione hic congruit. BONFRERIUS.

[2] Hæc *Rama* in versione nostra vocatur *Horma* Jos. 19. v. 29. in Hebræo est הרמה *harama*: Interpretes Septuaginta ibi habent *Rama*, nimirum censuerunt illud ה initiale minime ad urbis nomen pertinere, nec radicalem esse; at Hieronymus contra videtur existimasse eam ad urbis nomen pertinere. Illa autem verba, *usque ad civitatem munitam Assyriorum*, e Scriptura sumta sunt, sed insigni mendo depravata; pro *Assyriorum* enim legendum *Tyrum*, ut Jos. 19. supra habetur. Fateor tamen etiam hæc sine mendo lecta obscuritatem hic parere; quid enim est illud, *Rama esse civitatem in tribu Aser usque ad civitatem munitam Tyrum*? non enim sensus esse potest eam pervenisse usque ad urbem Tyrum: at in Scriptura sensus est perspicuus, ubi dicuntur *termini tribus Aser reverti in Horma*, & inde procedere usque ad *civitatem munitissimam Tyrum*. IDEM.

[3] *Assyriorum*) Male: itaque emenda, cum *Martianæo*, e MSS. Codd. & *Hieronymo*, *Tyriorum*, sed in Editione Bonfreriana deerant hic verba Græca *Eusebii*, quæ ex nupera editione supplevimus. Ceterum loquutionis, ὀχυρώματος Τυρίων, exempla habemus in voce Ρ'οὼβ, & alibi. CLERICUS.

[4] Hæc in versione nostra vocatur *Arama* Jos. 19. v. 36. Septuaginta habent *Rama*; in Hebræo rursum הרמה *Harama*, ubi rursum quæstio esse possit, an illud ה initio ad nomen urbis pertineat, an servilis litera sit. BONFRERIUS.

[5] Miror istam annotationem hoc loco esse adhibitam, cum omnium istarum trium urbium cognominum nomina iisdem plane literis in Hebræo scribantur: ex quo facile conjicio hæc verba non esse Hierouymi Hebraicæ linguæ peritissimi. Neque vero novum est & insolens idem omnino nomen invariatum scriptione diversis urbibus imponi. IDEM.

[5] *Idcirco* &c.) Crediderim hoc adnotatum ab *Hieronymo*, quia cum minime quæsivisset, in Scriptura, omnia nomina urbium, quæ *Rama* singulæ vocantur, suspicatus est posse fieri, ut quædam sic a LXX. Interpretibus male vocarentur, cum nomina aliter essent scripta, in Hebraicis Codicibus. Quod eo facilius suspicatus est, quod immania menda, ac nominum monstra passim inveniret in hoc Libro. CLERICUS.

[6] In codicibus Septuaginta Interpretum Zachariæ 14. v. 10. ubi versio nostra habet *exaltabitur*, legitur vox quasi propria, non tamen *Ramale*, quam satis constat esse depravatam, sed *Rhama*, quod voci Hebraicæ ראמה *Raama* non male respondet. Verum multo probabilius est eam vocem ad locorum propria nihil pertinere: si vero pertineret, haud dubie Benjaminia illa *Rama* Hierosolymæ vicina intelligenda esset. Porro Rama illa, cujus fit mentio Matth. 2. v. 18. in illis verbis: *vox in Rama audita est*, quod sumtum est ex Hierem. 31. v. 15. ubi versio nostra habet *in excelso* (id enim significat *Rama* sumtum appellative) hæc, inquam, *Rama* juxta historicum sensum non est alia ab illa *Rama*, quam diximus esse in tribu Benjamin; distat autem a Bethlehem quatuor horariis milliaribus. BONFRERIUS.

HIERONYMUS. ΕΥΣΕΒΙΟΣ. EUSEBIUS.

Elcana Levita pater Samuelis habitavit, eademque cum RAMATHA, in qua natus educatusque Samuel; nam quæ 1. Reg. 1. verſ. 1. eſt dicta RAMATHAIM SOPHIM, verſ. 19. ejuſdem capitis, & Cap. 11. verſ. 11. appellatur RAMATHA. Hujus nominis rationem adferemus 1. Reg. 1. verſ. 1.

RAMATHLECHI, hoc eſt *elevatio maxillæ*, idem locus, qui breviata voce dictus eſt LECHI, ſeu *Maxilla* Judic. xv. verſ. 9. ubi Samſon, fugatis Philiſthæis aſini mandibula, milleque eorum cæſis hoc ei nomen impoſuit.

[1] *RAMESSE, urbs quam ædificaverunt filii Iſrael in Ægypto; olim autem & univerſa provincia ſic vocabatur, in qua habitavit Jacob cum liberis ſuis.*

Ῥαμεσσὴ, πόλις ἣν ᾠκοδόμησαν οἱ υἱοὶ Ἰσραὴλ ἐν Αἰγύπτῳ. οὕτω δὲ καὶ ἡ χώρα πᾶσα τὸ παλαιὸν ἐκαλεῖτο, ἐν ᾗ κατῴκησεν Ἰακὼβ ἅμα τοῖς παισὶν αὐτοῦ.

RAMESEN, civitas quam ædificarunt filii Iſrael in Ægypto. ſic autem univerſa regio quondam vocabatur, in qua Jacob cum liberis ſuis habitavit.

RAMETH, urbs in tribu Iſſachar Joſ. xix. verſ. 21. eadem quæ RAMOTH dicitur 1. Paral. vi. verſ. 73. ubi & Leviticis civitatibus annumeratur; atque adeo & eadem cum ea, quæ JARAMOTH una e Leviticis civitatibus in tribu Iſſachar dicitur Joſ. xxi. verſ. 29.

[2] *RAMMOTH, in tribu Gad civitas Sacerdotalis & fugitivorum in terra Galaaditide. Nunc autem eſt vicus in quinto decimo milliario Philadelphiæ contra Orientem.*

Ῥαμμὼθ, πόλις φυλῆς Γὰδ ἱερατικὴ τῶν φυγαδευτηρίων ἐν τῇ Γαλααδίτιδι. καὶ νῦν ἐστιν ὡς ἀπὸ ιε´ σημείων Φιλαδελφίας [6] πρὸς δυσμάς.

RAMOTH, civitas in tribu Gad Sacerdotalis fugitivorum in Galaaditide. nunc eſt quaſi in decimo quinto milliario Philadelphiæ ad occidentalem plagam.

[3] *RAMMOTH GALAAD, villa trans Jordanem juxta fluvium Jaboc. Diximus de hac & ſupra.*

Ῥεμμὼθ Γαλαὰδ, κώμη νῦν ἐστιν ἐν τῇ περαίᾳ παρὰ τὸν Ἰαβὼκ ποταμόν. κεῖται καὶ ἀνωτέρω.

REMMOTH GALAAD, vicus eſt modo in ulteriori parte Jordanis juxta fluvium Jaboc. extat ſupra.

RAMOTH. Vide RAMMOTH ſemel & iterum.

[4] *RAPHACA, in deſerto, ubi filii Iſrael caſtrametati ſunt.*

Ῥαφακὰ, σταθμὸς τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ ἐπὶ τῆς ἐρήμου.

RAPHACA, ſtatio filiorum Iſrael in deſerto.

[5] *RAPHAIM, vallis Allophylorum ad Septentrionalem plagam Jeruſalem.*

Ῥαφαεὶν, κοιλὰς ἀλλοφύλων κατὰ βορρᾶν Ἱερουσαλήμ.

RAPHAIN, vallis alienigenarum ad Septentrionem Hieruſalem.

---

NOTÆ.

[1] De hac urbe *ab Iſraelitis ædificata in Ægypto* habes Exodi 1. v. 11. Videri tamen poſſit tantummodo reſtaurata, cum jam ante Gen. 47. v. 11. *Rameſſes* fiat mentio. Ab hac urbe *Rameſſes* tota regio circumjacens dicta eſt *terra Rameſſes*, Gen. 47. v. 11. eadem nimirum quæ *terra Geſſen*; nam paſſim ubi verſio noſtra habet *terram Geſſen*, Septuaginta Interpretum verſio habet *terram Rameſſe*. Ex quo colligi poteſt hanc urbem in ipſo fere primo Ægypti aditu fuiſſe, cum & ibidem terra Geſſen eſſet. BONFRERIUS.

[2] *Ramoth*, non *Rammoth* in verſione noſtra appellatur. Eadem hæc eſt *Ramoth* cum illa, de qua proxime ſequitur: eadem enim in tribu Gad, & in Galaad erat, cum tota tribus Gad in Galaaditide regione eſſet, & de eadem *Ramoth* utrumque in Scriptura aſſeratur, Deuteron. 4. v. 43. Joſ. 20. v. 8. & Cap. 21. v. 37. & 1. Paral. 6. v. 80. Quocirca & hæc paſſim ad aliarum ejuſdem nominis civitatum diſtinctionem *Ramoth Galaad* appellatur. Fuit autem hæc non *Sacerdotalis civitas*, ut hic aſſeritur, cum jam ſæpius dictum ſit, & e Scriptura demonſtratum, nullam Sacerdotalium urbium extra tribum Juda & Benjamin fuiſſe; ſed *Levitica* fuit *civitas* & *refugii*: inter *Leviticas* enim numeratur Joſ. 21. verſ. 37. & 1. Paral. 6. v. 80. inter *refugii* vero civitates Deuter. 4. v. 43. & Joſ. 20. v. 8. Eſt & alia *Ramoth* in tribu Iſſachar, eademque etiam Levitica civitas, de qua proxime in *Rameth* dictum eſt. Eſt item alia in tribu Juda, vel Simeonis ad meridiem, cujus fit mentio 1. Reg. 30. v. 27. quo nomine ibi non poteſt intelligi *Ramoth Galaad*, quandoquidem ibi addatur *ad meridiem*, quo nomine ſemper ſolet intelligi Daroma ſeu pars maxime Auſtralis totius terræ Cis-Jordaninæ: Ramoth vero Galaad trans Jordanem, & ad Orientem erat. IDEM.

[3] Hæc, ut diximus, non alia eſt a præcedenti: quocirca cum *Villa* hic dicitur, intellige id de Euſebii & Hieronymi tempore; alioqui urbem fuiſſe muratam & magni nominis Scriptura ſatis oſtendit, præſertim cum Levitica & refugii civitas fuerit. IDEM.

[4] Hæc in verſione noſtra *Daphea* appellatur Num. 33. v. 12. 13. in Hebræo autem דפקה *Dophea*, ubi Septuaginta Interpretes in optimis quibuſque codicibus habent *Raphea*, mutatione facta literæ ד in affinem literam ר, quomodo ipſi videntur legiſſe. IDEM.

[5] De hac *valle* ſupra abunde dictum eſt in *Cœlas Titanorum*. Tantum hic obſerva dici hoc loco vallem hanc eſſe ad *Septemtrionalem plagam Jeruſalem*, cum tamen potius ad *Occidentalem plagam montis Sion* fuerit, & ulterius verſus *Auſtrum Bethlehem uſque* extenderetur. Quocirca cum dicitur *vallis Allophylorum*, ne intelligas vallem fuiſſe apud Allophylos ſeu Philiſthæos: ſed *Allophylorum* dici, quod in ea Philiſthæi aliquoties caſtrametati fuerint, & a Davide inſigni clade affecti. IDEM.

[6] Πρὸς δυσμάς) *Hieronymus* habet contra *ad orientem*, hoc eſt, πρὸς ἀνατολάς, quomodo legi vellet Editor Pariſinus. Sed fallitur, nam Philadelphia, quæ fuit Metropolis Hammonitarum, erat ad orientem Tribus Gadi, cujus urbes proinde fuerunt *ad occidentem* Philadelphiæ, quomodo forte legendum in *Hieronymo*, niſi ipſe ἀπροσεξίᾳ erraret. CLERICUS.

1 Hanc

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [1] *RAPHET*, *urbs Aſſyriorum in regione Theman, de qua in Eſaia ſcribitur.* | Ῥαφὲθ, πόλις ἐν χώρᾳ [6] Θαιμὰν τῶν Ἀσσυρίων, ἐν Ἡσαΐᾳ. | RAPHETH, civitas in regione Thæmam Aſſyriorum in Iſaia. |
| [2] *RAPHIDIM*, *locus in deſerto juxta montem Choreb, in quo de petra fluxere aquæ, cognominatuſque eſt tentatio, ubi & Jeſus adverſus Amalec dimicat prope Pharam.* | Ῥαφιδὶμ, τόπος τῆς ἐρήμου παρὰ τὸ Χωρὴβ ὄρον, ἐν ᾧ ἐκ τῆς πέτρας ἐρρύηκε τὰ ὕδατα. καὶ ἐκλήθη ὁ τόπος πειρασμός. ἔνθα καὶ πολεμεῖ Ἰησοῦς τὸν Ἀμαλὴκ ἐγγὺς Φαρὰν. | RAPHIDIM, locus deſerti juxta montem Choreb, in quo e petra fluxerunt aquæ, & vocatus eſt locus ille, tentatio: ubi Jeſus pugnat adverſus Amalec juxta Pharan. |

RAPHON, 1. Machab. v. verſ. 37. oppidum fuit, etiam Joſepho teſte Lib. XII. Ant. Cap. 12. in *Galaaditide regione*, & quantum colligi poteſt ex omnibus circumſtantiis juxta *torrentem*, nempe *Jaboc* ( id enim nomine *torrentis* intelligo ) qui Gaditas a Manaſſitis Trans-Jordaninis dividebat, & a parte ejus torrentis Septentrionalis; quandoquidem Judas, qui in torrentis hujus parte Auſtrali verſabatur, expugnabatque ibi civitates ( nam *Boſer* tribus Ruben, & *Maſpha* tribus Gad, quæ a Juda ibi dicuntur expugnatæ, ab ea torrentis parte erant) ut cum Timotheo Ammonitarum duce confligeret, debuerit cum ſuis torrentem transfretare: ex quo perſpicue colligo Timothei caſtra a parte torrentis Septentrionali fuiſſe, atque adeo & RAPHON, juxta quam, vel e regione cujus Timotheus caſtrametatus fuiſſe ſcribitur.

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [3] *RATHMA*, *in deſerto, caſtra filiorum Iſrael.* | Ῥαθμὰ, σταθμὸς τῶν υἱῶν Ἰσραήλ. | RATHMA, caſtra filiorum Iſrael. |
| [4] *REBLA*, *in terra Emath, unde victor Pharao adductum Joachas tranſtulit in Ægyptum.* | Ῥεβαλὰ, ἐν [7] γῆ Λαιμὰθ, ἔνθα Φαραὼ μετέστησεν Ἰωαχάζ. | REBALA, in terra Limath, quo Pharao tranſtulit Joachaz. |
| [5] *REBLATHA*, *regio Babyloniorum, vel urbs, quam nunc Antiochiam vocant.* | Ῥεβλαθὰ, χώρα Βαβυλωνίων... | REBLATHA, regio Babyloniorum..... |

NOTÆ.

[1] Hanc vocem apud Interpretes Septuaginta habes Iſaiæ 37. v. 12. pro qua in verſione noſtra eſt *Reſeph*. Quomodo autem verum ſit quod hic dicitur, eſſe videlicet *urbem Aſſyriorum in regione Theman*, capere non poſſum: eſt enim *Theman*, eadem regio, quæ Idumæa, in qua & urbs Theman, ut infra ad vocem *Theman* dicetur; quomodo autem quæ in Idumæa ſit, *urbs* ſit *Aſſyriorum?* an forte Aſſyria in Idumæa? niſi forte *urbs Aſſyriorum* dicatur, quia expugnata ab Aſſyriis, quod admiſero facile, ſed hoc a communi modo loquendi abhorret. Porro urbem hanc eſſe *Aſſyriorum*, ſi proprie loquamur, nemo facile admiſerit, cum inter urbes ab Aſſyriis expugnatas ibi ſupra apud Iſaiam, & 4. Reg. 19. v. 12. ſtatuatur: nulla autem natio ſolet ſuas urbes expugnare, niſi forte rebellarint, quod hic de Aſſyriis dici non poteſt, ut qui externas gentes bello impetebant ad comparandum ſibi totius orbis imperium. Rurſum vero fueritne Reſeph *in regione Theman* ſeu Idumæa, Scriptura ſilente, & nuſquam hanc urbem inter Idumææ civitates nominante, ægre mihi perſuaderi poteſt: potius dixero in *Palmyrena Syriæ regione* eam fuiſſe, cum apud Ptolemæum Lib. v. Cap. 15. inter Palmyrenæ civitates primo loco nominatam legam *Rhæſapha*. Quin & infra ab Euſebio vel Hieronymo in voce *Reſeph* ea ponitur *civitas Syriæ*. BONFRERIUS.

[2] De hac manſione, aquis e petra eductis, bello cum Amalecitis geſto, habes Exodi 17. v. 1. ſit & hujus loci mentio Exodi 19. v. 2. & Num. 33. v. 14. 15. IDEM.

[3] In verſione noſtra hujus manſionis locus *Rechma* dicitur Num. 33. v. 18. 19. IDEM.

[4] Id paſſim aſſeritur in Scriptura *Rebla*, vel *Reblatha* eſſe *in terra Emath*; Quod autem de *Pharaone* hic aſſeritur ( quem Scriptura *Nechao* appellat ) habes 4. Reg. 23. v. 33. Vide plura proxime in *Reblatha*; idem enim locus eſt *Rebla* & *Reblatha*. IDEM.

[5] Priora hic verba, quibus aſſeritur *Reblatha urbem eſſe Babyloniorum*, Euſebii eſſe exiſtimo, qui in re Geographica, & locorum ſitu minus fuiſſe verſatus videtur: poſteriora vero eſſe Hieronymi, quibus, *Reblatha* ſtatuitur *Antiochia*; id enim & alibi aſſerit Hieronymus, nempe ad Ezech. 47. ſed ad Amos 6. regionem Antiochenam *Reblatha* fuiſſe appellatam dicit, ipſam vero Antiochiam *Emathrabba*, ſeu *Emath magnam* fuiſſe nuncupatam. Eſſe vero *urbem Babyloniorum* nemo facile admiſerit, cum ſatis conſtet a nemine terram Emath conſtitui in Babyloniorum regione. Adde Nabuchodonoſorem tempore obſidionis & expugnationis Jeruſalem fuiſſe in exercitu & Judæa, vel Judææ vicino loco, ut 4. Reg. 5. v. 16. & Hierem. 39. v. 1. 6. & 52. v. 4. 9. aſſeritur. Reſtat igitur, ut *Reblatha* vel ſit *Antiochia*, quod vult Hieronymus, vel aliqua altera *Syriæ* aut *Judææ* civitas, quod vult Adrichomius; quam & ipſe in *tribu Nephtalim* juxta *Jordanem* reponit. Quod priori illi de Antiochia opinioni faveat nihil eſt præter ſolam Hieronymi auctoritatem: poſteriori vero videtur favere Scriptura, quæ Num. 34. verſ. 11. ponit Rebla *juxta Jordanem*, & *in terminis terræ promiſſæ cis Jordanem*, ob quam Scripturæ auctoritatem potius ad hanc opinionem accedo. Dicere vero Antiochiam eſſe *in terminis terræ promiſſæ*, vel *juxta mare Cenereth* ( quod tamen viſus eſt voluiſſe Hieronym. ad Ezech. 47.) plane eſt inauditum. Vide quæ nos ad illum locum Num. 34. diximus. Adde Nabuchodonoſorem, cum oblatus eſt ei Sedecias ejuſque filii, ac viri principes in *Reblatha*, fuiſſe in via ut in Meſopotamiam & Chaldæam reverteretur; Fateturque Hieronym. ad Amos 6. *per Reblatha* fuiſſe in Meſopotamiam ab Hieroſolymis redeundum, primamque manſionem eo proficiſcentibus adhuc ſuo tempore vocatam *Emmas*, quod affinitatem nominis habet cum *Emath*: at neque Hieroſolyma in Meſopotamiam euntibus potuit iter eſſe per Antiochiam, ( quæ *Emath magna* dicitur ) ſed per Epiphaniam ( quæ *Emath minor*, vel abſolute *Emath* appellatur ) Jordanis fontes, Damaſcum &c. porro in hujus poſterioris Emath finibus erat *Rebla* illa juxta Jordanem, Joſephus de hac *Reblatha* Lib. x. Antiq. Jud. Cap. 11. aliud nihil dicit, quam *Syriæ eſſe civitatem*; nimirum & *Epiphania*, & tota illa Jordanis fluvii pars, quæ juxta Geneſaretidem eſt lacum, a Ptolemæo Syriæ adſcribitur. IDEM.

[6] *Θαιμὰν* ) Recte oſtendit *Bonfrerius* hanc lectionem ſtare non poſſe. Quandoquidem vero *Reſeph*, ut idem probat, fuit urbs Syriæ, & quidem in agro Palmyreno, crediderim hic eſſe legendum, *ἐν χώρᾳ Θεδμὼρ* aut *Θαδμυρὰ, τῶν Σύρων*. Nam *Θαδμυρὰ* nomen eſt Syriacum Palmyræ. Vide nos ad Indicem *Nic. Samſonis*, & *Bonfrerium* in *Palmira* & ad *Thermoth*. CLERICUS.

[7] Pro Λαιμὰθ lege Αἰμὰθ. BONFRERIUS.

[1] De

| HIERONYMUS. | ΕΥ'ΣΕ'ΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
| --- | --- | --- |
| [1] *RECCATH, in tribu Nephthalim.* | | |
| [2] *RECEM, hæc est Petra civitas Arabiæ, in qua regnavit Rocan, quem interfecerunt filii Israel, dicitur autem ipse quoque rex Madian.* | Ρ'εκὲμ, αὕτη ἐστὶ Πέτρα πόλις τῆς Α'ραβίας ἧς ἐβασίλευσε Ρ'οκὸμ, ὃν ἀνεῖλον οἱ ὑιοὶ Ι'σραὴλ. λέγεται δὲ καὶ αὐτὸς βασιλεὺς Μαδιάμ. | RECEM, Hæc est Petra civitas Arabiæ, in qua regnavit Rocom, quem interfecerunt filii Israel. dicitur etiam ipse rex Madiam. |
| [3] *RECEM, in tribu Benjamin.* | Ρ'εκὲμ, φυλῆς Βενιαμὶν. | RECEM, tribus Benjamin. |
| [4] *REMATH, ad quam David prædæ partem misit.* | Ρ'εμὼθ, ἔνθα ἀπέστειλεν ὁ Δαβὶδ τῶν σκύλων. | REMOTH, huc misit David partem spoliorum. |

REEMA, Ezech. XXVII. verſ. 22. civitas Felicis Arabiæ; conjungitur enim cum *Saba*, ejusque incolæ dicuntur omnium *primorum ſeu præcipuorum aromatum*, *pretioſorum lapidum*, & *auri mercaturam in Tyri nundinis exercere*; quæ nemini, niſi Felicis Arabiæ incolis, conveniunt. Mihi vero omnino perſuaſum eſt, non aliam eſſe urbem ab ea, quam Ptolemæus in Felici Arabia *Rhegama* nominat, & in Hebræo apud Ezechielem per *y* ſcribitur, quod ſæpe in g vertitur.

| HIERONYMUS. | ΕΥ'ΣΕ'ΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
| --- | --- | --- |
| [5] *REMMA, mons in Esaia, pro quo Aquila interpretatur mons Emona, Symmachus in Armenia. Est autem & villa Remmus in Daroma; porro in regnorum libris Remma domus dicitur Idoli Damaſceni.* | Ρ'εμμὰ, ὄρος ἐν Η'σαΐᾳ. Α'κύλας, ὄρος ἐν Ρ'εμμωνᾶ, [11] Σύμμαχος, εἰς Α'ρμενίαν. ἔστι δὲ καὶ κώμη Ρ'εμμοῦς ἐν τῷ Δαρωμᾶ. ἐν δὲ βασιλείαις, Ρ'εμμὰ οἶκος εἰδώλȣ Δαμασκοῦ. | REMMA, Mons in Iſaia. Aquila, mons in Remona in Armenia. eſt vero etiam vicus Remmon in Daroma in libris autem regnorum, Remma, domus Idoli Damaſci. |
| [6] *REMMAN, civitas Regum Syriæ, juxta Damaſcum.* | Ρ'εμμαὰ, πόλις βασιλέων Συρίας, πλησίον Δαμασκοῦ. | REMMAA, civitas regum Syriæ juxta Damaſcum. |

REMMON PHARES. Vide paulo poſt REMMON PHARES.

| HIERONYMUS. | ΕΥ'ΣΕ'ΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
| --- | --- | --- |
| [7] *REMMON, in tribu Simeonis, vel Judæ, hodieque eſt vicus Remmon juxta Æliam contra Aquilonem, in quintodecimo ejus milliario.* | Ρ'εμμὼν, φυλῆς Συμεὼν ἢ Ι'ούδα. νῦν Ρ'εμμὼν ἐστι πλησίον Αἰλίας κώμη ἐν βορείοις ἀπὸ σημείων ιέ. | REMMON, tribus Symeon ſeu Juda. nunc Remmon vicus eſt juxta Æliam in plaga ſeptentrionali in decimo quinto milliario. |
| [8] *REMMON, in tribu Simeonis, vel Zabulon.* | | |
| [9] *REMMON, Petra.* | [12] Ρ'εμμὼν, Πέτρα Ρ'εμμὼν, κλήρȣ Συμεὼν, ἢ Ζαβȣλὼν, κλήρȣ Ι'σσάχαρ. | REMMON PETRA, Remmon, ſortis Symeon, vel Zabulon, ſortis Iſſachar. |
| [10] *REMMON, hujus memi-* | Ρ'εμμὼν, Η'σαΐας ἐν ὁράσει τῆς | REMMON, Iſaias in vi- |

N o t æ.

[1] De hac habes Joſ. 19. v. 35. Bonfrerius.

[2] De hac ſupra dictum eſt in *Petra*, ubi & de hoc nomine *Recem* diximus, indito ab uno e Madianitis regibus debellatis, qui itidem *Recem* dicebatur, qui hic *Rocan* appellatur. Hoc tamen nomen pro urbe nuſquam in Scriptura habetur. Idem.

[3] De hac urbe habes Joſ. 18. v. 27. Idem.

[4] Hæc in verſione noſtra *Ramoth* appellatur 1. Reg. 30. v. 27. quam ſupra in *Ramoth*, in tribu Juda vel Simeonis ad Auſtrum collocavimus. Idem.

[5] Ego *Remma* illud montis nomen apud Septuaginta interpretes in Iſaia non reperio. Sed neque hæc vox apud Iſaiam in Hebræo legitur. De *Remma* autem vel *Remman* idoli apud Damaſcenos nomine, quod in verſione noſtra *Remmon* dicitur, habes 4. Reg. 5. v. 18. Idem.

[6] Non videtur *Remman* hic eſſe aliquid diverſum a præcedenti; ſed Euſebius hic *urbis* nomen fecit; cum in præcedentibus Hieronymus (ejus enim verba eſſe iſta mihi perſuadeo) *idoli* nomen eſſe dixerit, quod omnino ſequendum eſt. Idem.

[7] Primo fuit *Judæ* attributa tribui Joſ. 15. v. 32. poſtea ab ea avulſa, dataque fuit *Simeonis* tribui Joſ. 19. v. 7. & 1. Paral. 4. v. 32. poſt captivitatem tamen Babylonicam a tribu *Juda* habitata fuit 2. Eſdræ 11. v. 29. At ſi in tribu *Simeonis*, quo modo hic *ad Aquilonem Æliæ* ſeu Jeruſalem ſtatuitur? id enim ſtare nullo modo poteſt, cum tribus Simeonis extrema tribus Judæ ad *Auſtrum* tenuerit, Jeruſalem autem in ejuſdem Judæ tribus *Aquilonari* limite fuerit. Sed credi poteſt de altero loco poſterius hic ſermonem eſſe. Idem.

[8] Mirum eſt de una & eadem urbe dubitari ſitne in tribu Simeonis, an Zabulon, cum hæ duæ tribus eſſent inter ſe admodum loci ſitu disjunctæ: fuit quidem una in tribu Simeonis hoc nomine, de qua proxime ante dictum eſt; ſed & altera in tribu Zabulon Joſ. 19. v. 13. Itaque ſcribendum hic eſſet, *Remmon in tribu Simeonis, & ejuſdem nominis altera in tribu Zabulon*. Idem.

[9] De hac ſupra diximus ad vocem *Petra Remmon*, & *Collis Remmon*. Idem.

[10] Apud Iſaiam Cap. 15. & 16. quibus ſolis locis vaticinatur propheta contra Moab, nuſquam apud Septuaginta Interpretes, nedum in noſtra verſione *Remmon* legas; ſed neque in Hebræo in toto Iſaia hæc vox etiam appellative ſumta reperitur. Idem.

[11] Σύμμαχος, εἰς Α'ρμενίαν) Sic in Editione nupera, cum *Bonfrerius* edidiſſet ἐπὶ τῆς Α'ρμενίας. Clericus.

[12] Hieronymus hoc vocabulum a præcedenti ſejunxit: at Euſebius non male in unum conjungit. Eadem apud Hieronymum conjungi poſſent ſublata periodica interpunctione. Bonfrerius.

| HIERONYMUS. | ΕΥ̓ΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| *nit Esaias in visione contra Moab.* | κατὰ Μωαβίτιδος. | sione contra Moabitidem. |

REMMONO, inter Leviticas civitates *tribus Zabulon* nominatur 1. Paral. VI. verf. 77. at nulla hoc nomine habetur Jof. XXI. An eadem fit cum una earum, quæ recenfentur Jof. XXI. in tribu Zabulon, fed alio nomine ( neque enim infolens eft eamdem urbem plura habere nomina ) an hæc pofterius Leviticis urbibus accefferit, eademque forte cum *Remmon* in tribu Zabulon fupra, obfcurum eft.

| | | |
|---|---|---|
| [1] *REMMON PHARES, ubi filii Ifrael caftrametati funt.* | | |

RESEN, urbs ab Affur feu Nino ædificata *inter Niniven & Chale* Gen. x. verf. 12. hanc non aliam effe exiftimo ab ea, quæ inter Mefopotamiæ civitates RHESENA Ptolemæo dicitur.

| | | |
|---|---|---|
| [2] *RESEPH, civitas Syriæ.* | Ῥασὲφ, πόλις Συρίας. | RASEPH, civitas Syriæ. |
| [3] *RESSA, caftra filiorum Ifrael.* | | |
| [4] *RETH, hanc percuffit Afa rex.* | Ῥὲθ, ταύτην ἐπάταξεν [11] Ἀσάφ. | RETH, hanc percuffit Afaph. |
| [5] *RETHEM, pro quo Aquila interpretatur* ἄρκευθον, *id eft, Juniperum, Symmachus umbraculum.* | Ῥέμαθ, Ἀκύλας, ἄρκευθον. Σύμμαχος, σκέπην. | REMATH, Aquila, Juniperum. Symm. tegumenaum, vel præfidium. |

RETHMA, manfio filiorum Ifrael in deferto, Num. XXXIII. verf. 18. 19. A *juniperis* videtur ei loco nomen factum.

| | | |
|---|---|---|
| [6] *RETHOM, in tribu Iffachar.* | | |

RHEGIUM, quod RHEGIUM JULIUM vocant, Tufcorum in agro Brutio oppidum: eo in loco fitum, ubi Sicilia ab Italia avulfa creditur.

| | | |
|---|---|---|
| [7] *RHINOCORURA, civitas Ægypti cujus meminit Efaias. Sciendum autem, quod hoc vocabulum in libris Hebraicis non habetur, fed a Septuaginta Interpretibus propter notitiam loci additum eft.* | Ῥινοκούρουρα, Ἡσαΐας, πόλις Αἰγύπτου. | RHINOCURURA, Ifaias, civitas Ægypti. |

RHODUS, Carpathii maris infula, e regione Doridis.

| | | |
|---|---|---|
| [8] *ROBOOTH, civitas Affyriorum, quam ædificavit Affur* | Ῥωβὼθ, πόλις Ἀσσυρίων, ἣν ᾠκοδόμησεν Ἀσσοὺρ ἐξελθὼν ἐκ τῆς | ROOBOTH, civitas Affyriorum quam ædificavit Affur, |

## NOTÆ.

[1] In verfione noftra Num. 33. v. 19. *Remmomphares* hæc Ifraelitarum manfio dicitur; crediderim tamen *Remmon Phares* etiam in textu noftro legendum. Id enim Hebræo refpondet. Significat autem hæc vox *malogranati divifionem*, feu *apertionem*. BONFRERIUS.

[2] Hujus fit mentio 4. Reg. 19. v. 12. & Ifaiæ 37. v. 12. De hac & fupra pluribus eft actum ad vocem *Raphet*. In codicibus Septuaginta Interpretum fere hæc vox corrupta eft. IDEM.

[3] De hac in deferto filiorum Ifrael manfione habes Num. 33. v. 21. 22. IDEM.

[4] De percuffis ab Afa rege civitatibus nufquam habes, nifi 2. Paral. 14. v. 14. ubi tamen nullius nomen proditur, nifi quod dicatur *civitates omnes in circuitu Geraræ percuffiffe*: Sed neque alibi ufquam hæc vox in Scriptura occurrit, ne in Septuaginta quidem Interpretum verfione, quod fciam. IDEM.

[5] In codicibus Septuaginta Interpretum 3. Reg. 19. v. 4. varie iftud nomen legitur, *Ratham*, *Rathmen*, *Rathmon*, pro quo verfio noftra *Juniperum* habet: in Hebræo eft רתם *rothem*, quæ vox ad nomina propria nihil pertinet, fed appellative ea fignificatione, qua Hieronymus accepit, fumenda eft. IDEM.

[6] Nulla hoc nomine legitur in tribu Iffachar civitas, vel quæ affinitatem habeat etiam in verfione Septuaginta Interpretum Jof. 19. in quo folo loco ejus tribus civitates numerantur. IDEM.

[7] *Rhinocorura* etiam appellatur a Ptolemæo & Jofepho, *Rhinocurura* a Stephano, *Rhinocolura* vero a Plinio & Strabone, quod origini & nominis impofitioni videtur melius congruere: dicta eft enim *Rhinocolura* a præcifis naforum extremitatibus; ut enim facinorofos compefceret quidam Ægypti rex, eos amputatis naribus in hanc urbem relegabat, tefte Strabone Lib. XVI. Diodoro, Stephano; fuit autem hæc urbs in Ægypti Palæftinæque confinio, tefte Hieronymo ad Ifaiæ 27. v. 12. ubi Septuaginta Interpretes pro *torrente Ægypti Rhinocoruram* pofuerunt; alias enim hujus urbis nomen nufquam in Scriptura, fi Hebræa vel noftram verfionem attendas, reperies. Eft autem hæc urbs fita juxta torrentem, fed cis torrentem Judææ & Palæftinæ comparatione, cum idem Hieronymus ad Amos 6. dicat *inter Rhinocoruram & Pelufium torrentem iftum intercedere*. Inter Ægypti urbes a Ptolemæo, Strabone, Stephano, aliifque numeratur, fuit tamen fubinde a Judæis poffeffa, tefte Jofepho Lib. XIII. Ant. Cap. 23. Vide de *Rhinocorura* & *torrente Ægypti* plura a nobis dicta Gen. 15. v. 18. IDEM.

[8] Apud Septuaginta Interpretes in omnibus codicibus non *Robooth*, fed *Rooboth* legitur Gen. 10. v. 11. idque multo melius, cum Hebræum fit רחבת *Rechoboth*, pro qua verfio noftra habet, *plateas*; Mihi admodum probabile eft, omnino urbis nomen effe, fed & a fequente non diftingui, quod fupra in *Rahab* indicavi. IDEM.

[11] Afa, non Afaph legendum. IDEM.

| HIERONYMUS. | ΕΥ̓ΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| *egrediens de terra Senaar, & de hac in libris Hebraicarum quæſtionum plenius diximus.* | Σενναάρ. | egreſſus de Sennaar. |
| [1] *ROBOOTH, urbs alia juxta fluvium ubi erat rex Edom, & uſque hodie eſt præſidium in regione Gabalena, & vicus grandis, qui hoc vocabulo nuncupatur.* | [8] Ῥοωβώθ, πόλις ἄλλη ἡ παρὰ ποταμὸν, ἔνθα ἦν βασιλεὺς [9] Ἀσσυρίων. καὶ νῦν ἔστι φρούριον ἐν τῇ Γαβαληνῇ. | ROOBOTH, civitas alia juxta fluvium, ubi erat rex Aſſyriorum. & eſt nunc præſidium in Gabalene. |
| [2] *ROGEL, nomen fontis in tribu Benjamin.* | Ῥογὴλ, πηγὴ οὕτω καλουμένη ἐν κλήρῳ Βενιαμίν. | ROGEL, fons qui ita vocatur in ſorte Benjamin. |
| [3] *ROGELLIM, unde fuit Berzellai Galaaditides, amicus David.* | [10] Ῥωγελλείμ, ὅθεν ἦν Βερζελλεὶ Γαλααδίτης. | ROGELLIM, unde erat Berzellei Galaadita. |

ROHOB. Vide paulo poſt ROOB.

ROHOBOTH. Vide paulo ante ROBOOTH.

| HIERONYMUS. | ΕΥ̓ΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [4] *ROOB, quam tranſierunt exploratores, qui ab Jeſu filio Naue miſſi ſunt, & uſque hodie vicus Raoba in quarto lapide Scythopoleos ſic vocatur, qui & Levitis ſeparatus fuit.* | Ῥοώβ, δι' ἧς ἦλθον οἱ μετὰ Ἰησοῦ κατάσκοποι. καὶ ἔστι Ῥοῶβ κώμη ἀπὸ δ' σημείου Σκυθοπόλεως. ἦν δὲ Λευίταις ἀφωρισμένη. | ROOB, per quam tranſierunt qui cum Jeſu exploratores. eſtque Rhoob vicus in 4. lapide Scythopoleos. Fuit autem ſeparata Levitis. |
| [5] *ROOB, in tribu Aſer civitas ſeparata Levitis.* | Ῥοώβ, κλήρου Ἀσήρ. [11] ἕως πόλεως ὀχυρώματος Τυρίων. | ROOB, ſortis Aſer. uſque ad civitatem munitionis Tyriorum. |

ROMA, nota civitas, olim imperii caput, nunc Pontificia ſede, & ſpirituali totius Eccleſiæ imperio multo nobilior.

| HIERONYMUS. | ΕΥ̓ΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [6] *ROOS, quam pertranſivit David, pro quo Aquila & Symmachus interpretantur arcem.* | Ῥαώς, ἔνθα ἦλθε Δαβίδ. Ἀκ. Σύμμ. [12] τὴν ἄκραν. | RAOS, quo venit David. Aquila & Symmachus (interpretantur) arcem Rogellim, unde fuit Berſelin Galaadites. |
| [7] *RUMA, quæ & Arima, ubi ſedet Abimelech, ſicut in* | Ῥουμὰ, ἡ καὶ Ἀριμὰ, ἔνθα ἐκάθισεν Ἀβιμέλεχ, ἐν κριταῖς. νῦν | RUMA, quę & Arima. ubi ſedit Abimelech, ut in |

N O T Æ.

[1] Hæc in verſione noſtra *Rohoboth* dicitur, Gen. 36. v. 37. Sed hanc a præcedente non diſtingui mihi admodum probabile eſt: erat enim hæc juxta Euphratem, ut ſupra ad vocem *Rahob* probavi; at ubi commodius novas civitates excitaret novus Aſſyriorum rex, quam ubi primum aſſurrexit Aſſyriorum imperium, nempe in Chaldæa & Meſopotamia? Itaque credi poteſt regem iſtum Idumæorum caſu aliquo in hac urbe ab Idumæis extranea natum fuiſſe. BONFRERIUS.

[2] De hoc fonte dictum ſupra ad nomen *fons Rogel*. IDEM.

[3] ROGELIM cujus fit mentio 2. Reg. 17. v. 27. & Cap. 19. v. 31. urbs Trans Jordanina, an in dimidia tribu Manaſſe, an in tribu Gad fuerit, non ſatis liquet. IDEM.

[4] Habes iſtam exploratorum expeditionem, & aditam ab iis *Rohob* Num. 13. v. 21. Sed memoriæ lapſus hic videtur, quod hi exploratores dicantur a *Joſue miſſi*, cum a *Moyſe* miſſi ſint, & Joſue unus eſſet exploratorum. *Gemina* autem habetur in Scriptura *Rohob*, & utraque in tribu Aſer, Joſ. 19. v. 28. & 30. atque adeo & utraque Aquilonaris verſus Libanum; prior tamen Aquilonarior, & in extremis finibus Judææ. Ex quo ſequitur neutram iſtarum poſſe cum *vico* illo, de quo poſterius agit Hieronymus, coincidere, cum a *Scythopoli* multo abeſſet utraque remotius. Fuit autem alterutra iſtarum Levitica civitas, de qua & proxime acturus eſt. Ex harum altera priores incolas expellere non valuit tribus Aſer Judic. 1. v. 31. quod ego potius de poſteriore intellexero quam de priore, cum poſterior eſſet ad mare, & ibidem alteri urbi, videlicet *Aphec* conjungatur, cui rurſum illa poſterior conjungitur Joſ. 19. v. 30. IDEM.

[5] Hæc non alia eſt ab alterutra præcedentium, ut paulo ante notavi. Inter Leviticas autem urbes cenſetur Joſ. 21. v. 31. & 2. Paral. 6. v. 75. IDEM.

[6] Nuſquam habes hanc vocem apud Septuaginta Interpretes, ubi de *Rogelim* ſermo eſt, cujus bis tantummodo fit mentio 2. Reg. 17. v. 17. & 19. 31. habetur tamen hæc vox *Roos* vel *Rhos* in eadem Davidis fuga 2. Reg. 15. v. 32. & Cap. 16. v. 1. ubi non de arce aliqua ſermo eſt, ſed de *vertice* montis Oliveti; ſignificat enim hæc vox ראש *Roſch* Hebræis *caput*, *verticem*, *ſummitatem*. IDEM.

[7] Fit hujus mentio Judic. 9. v. 41. Verum ad eum locum oſtendimus neque eandem eſſe poſſe cum *Arimathia*, neque *in finibus Dioſpoleos*, ſed juxta Sichem, ut tota iſta Abimelechi hiſtoria exigit, quæ ab *Arimathia* aliquanto remotius aberat. Eſt & altera *Ruma* in tribu Juda Joſ. 15. v. 52. IDEM.

[8] Ῥοωβώθ) De duplicibus Rechobothis, quarum alteræ in Aſſyria fuerunt, alteræ ad Euphratem, ubi natus erat Idumæorum Rex, vide quæ collegit, *Sam. Bochartus* Phalegi Lib. IV. Cap. 21. CLERICUS.

[9] Ἀσυρίων) Videtur hoc eſſe mendum imperiti Librarii, non ignorabat enim *Euſebius* Aſſyriorum imperium ad Gabalenam non pertinuiſſe. Præterea locus Geneſeos, ad quem ſpectat, oſtendit agi de Rege Idumæorum. IDEM.

[10] Ῥωγελλείμ) Hic poſuimus quæ perperam ſubjuncta erant voci *Roos*, ut recte judicavit *Martianæus*. IDEM.

[11] Ἕως πόλεως ὀχυρώματος Τυρίων) Vide ſupra dicta ad vocem *Rama*. IDEM.

[12] Τὴν ἄκραν) Huic voci male adſuta erant quæ ante occurrerunt ad vocem *Rogellim*, ſuntque a nobis ſuo loco poſita; ſi hoc animadvertiſſet *Bonfrerius*, non ita ceſpitaſſet ut hic fecit. IDEM.

HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS.

*libro Judicum ſcriptum eſt, quæ nunc appellatur Remphis. eſt autem in finibus Dioſpoleos, & a pleriſque Arimathea nunc dicitur.*

αὕτη Ῥεμφὶς λέγεται, καὶ ἔστιν ἐν ὁρίοις Διοσπόλεως, ἥτις ἐστὶν Ἀριμαθαία.

lib. Judicum. nunc hęc dicitur Remphis, & eſt in finibus Dioſpoleos quæ eſt Arimathæa.

## S

QUod in libris Hebraicorum nominum diximus, hoc etiam nunc in S literæ videtur titulo prænotandum, apud Hebræos tria eſſe S; hoc eſt SAMECH ס, ZADE צ & SIN ש. Quæ cum apud Græcos & Latinos ſono ſimili proferantur, in ſua lingua aliter atque aliter reſonant. Unde accidit, ut eadem nomina apud nos diverſum ſonare videantur, & pluſquam ceteræ literæ hæc habeant. non enim ex una, ſed ex tribus literis loca, & urbes, & viculi deſcribuntur.

[1] *SAAL, in tribu Juda vel Simeon.*

Σαάλ, φυλῆς Ἰούδα, ἢ Συμεὼν, ἐν τῷ Δαρωμᾷ.

SUAL, tribus Juda, ſeu Symeon. in Daroma.

[2] *SAALIM, villa per quam pertranſit Saul in finibus Eleutheropoleos contra Occidentem, ſeptem ab ea millibus diſtans.*

Σααλείμ, [5] ἣν διῆλθε Σαοὺλ. κώμη ἐστὶν ἐν ὁρίοις Ἐλευθεροπόλεως πρὸς δυσμὰς, ὡς ἀπὸ σημείων ζ΄.

SAALIM, per quam tranſivit Saul, vicus eſt in finibus Eleutheropolis, ad occidentem, quaſi ſeptem milliaribus.

SAANANIM, regionis vel populi nomen, ad radices montis Antilibani, quemadmodum nos colligimus pluribus Joſ. XIX. verſ. 33. in quo ſolo loco Scripturæ hæc vox habetur.

[3] *SAARA, vicus in finibus Eleutheropoleos contra Septemtrionem pergentibus Nicopolim, quaſi in decimo milliario in tribu Dan, ſive Juda.*

Σαρδά, κώμη ἐστὶν ἐν ὁρίοις Ἐλευθεροπόλεως πρὸς βορρᾶν ἀπιόντων εἰς Νικόπολιν, ὡς ἀπὸ σημείων ι΄· φυλῆς Δὰν ἢ καὶ Ἰούδα.

SARDA, vicus eſt in finibus Eleutheropoleos ad ſeptentrionem pergentibus Nicopolim quaſi in decimo milliario: tribus Dan, ſeu etiam Juda.

SAARIM, urbs in tribu Juda vel Simeonis I. Paral. IV. verſ. 31. eadem forte cum ea, quæ Joſ. XV. verſ. 36. SARAIM appellatur, ubi etiam inter urbes tribus Juda cenſetur, eadem enim utrobique in Hebræo eſt vocis ſcriptio. Duplex tamen SAARIM vel SARAIM eſt diſtinguenda, una in *tribu Simeonis* verſus extremos Judææ fines: altera in *tribu Juda* vel *Dan* verſus Aquilonarem tribus Judæ plagam, cujus fiat mentio I. Reg. XVII. verſ. 52. per quam a Valle Terebinthi in *Geth* vel *Accaron* ibatur.

[4] *SABA, civitas regalis Æthiopiæ, quam Joſephus a Cambyſe rege Meroen cognominatam ex ſororis vocabulo refert.*

[6] Σαβά, πόλις Αἰθιόπων βασιλική, ἣν φησιν Ἰώσηππος Καμβύσην ὀνομάσαι Μερόην ἐξ ἰδίας ἀδελφῆς ἐπιθέντα τοὔνομα.

SABA, civitas Æthiopum regia, quam Joſephus ait Cambyſem nominaſſe Meroen ſuę ſororis impoſito nomine.

SABAIM, Iſaię XLV. verſ. 14. videtur eſſe patronymicum & *gentile* nomen a poſteriore illa *Saba Æthiopiæ*, nam & Hebraice ſcribitur per ס & Æthiopiæ conjungitur. *Sabaim* ve-

### NOTÆ.

[1] In verſione noſtra *Sual* dicitur 1. Reg. 13. v. 17. quæ vox *vulpem* ſignificat. Unde autem colligi poſſit eſſe *in tribu Juda* vel *Simeonis* non video, cum neque uſquam inter urbes tribus Judæ vel Simeonis recenſeatur, niſi quis dicat eo nomine eundem locum indicari, qui Joſ. 15. v.28. & Cap. 19. v. 3. *Haſer-Sual* appellatur, quod ſignificat *villam vulpis*: at cum aliud ſit *villa vulpis*, aliud *terra vulpis*, & ex alio loco adjuncto ſatis perſpicue colligatur terram hanc *Sual* non poſſe eſſe in tribu Juda vel Simeonis (ibi enim dicitur; *pergebat contra viam Ephra ad terram Sual*; porro *Ephra* erat in dimidia tribu Manaſſe Gedeonis patria, ut liquet e Judic. 8.) neceſſe eſt etiam & in iiſdem regionibus ad Aquilonem, non ad Auſtrum fuiſſe terram *Sual*. BONFRERIUS.

[2] In verſione noſtra *Salim* locus hic dicitur 1. Reg. 9. v. 4. (quæ vox *vulpes* ſignificat) quem nos ibi colligimus eſſe eundem, qui alibi itidem a vulpibus *Salebim* dicitur, atque adeo in Danitica tribu fuiſſe, quod cum ea deſcriptione, quæ hic datur *in finibus Eleutheropoleos ad Occidentem* coincidit. IDEM.

[3] In verſione noſtra *Saraa*, vel *Sarea* vel *Sara* urbs hæc dicitur, primo *tribui Judæ* attributa Joſ. 15. v. 33. Deinde vero *Danitis* adſcripta Joſ. 19. v. 41. in qua natus Samſon & educatus, juxtaque eam ſepultus. IDEM.

[4] Duplex in Scriptura *Saba* regio diſtinguenda eſt, una eſt, quæ in *Arabia felice* eſt thurifera & aromatum ferax regio; in qua videtur regnaſſe *regina illa Saba*, quæ ad Salomonem viſendum venit. Altera eſt *Saba*, *pars Æthiopiæ & Africæ*, quæ ad Ægyptum ex interiore Æthiopia vergit, comprehendebatque *Meroen*, *Syenem* & adjacentes regiones: nam & Septuaginta interpretes pro hac *Saba* nonnunquam *Syenem* dixerunt, & Joſephus Lib. II. Ant. Judaic. Cap. 5. *Sabam Æthiopum regiam*, quæ poſtea *Meroe* appellata ſit, facit. Porro etſi difficile ſit in Latina verſione diſtinguere de utra ſit ſermo, quod utraque iiſdem literis exprimatur; at in Hebræo facile eſt unam ab altera diſtinguere, prior enim illa in *Arabia* in Hebræo per ש ſcribitur, altera *Æthiopum* per ס. IDEM.

[5] Ἣν διῆλθε) Hæc & ſequentia perperam addita erant voci *Saliſa*, cui minime conveniunt; itaque ſunt a nobis huc, unde diſtracta fuerunt, revocata. Nulla enim cauſa erat, cur *Hieronymum* non ſequeremur. CLERICUS.

[6] Σαβά) De quadruplici Saba vide *Sam. Bochartum* Phalegi Lib. II. Cap. 25. Oſtendit idem Cap. ſequente, contra *Joſephum*, nullam fuiſſe in Æthiopia Sabam. CLERICUS.

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|

ro 2. Esdræ VII. verſ. 59. videtur eſſe *viri* nomen, præſertim ſi verſionem noſtram attendamus.

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [1] *SABAMA, civitas Moab in terra Galaad, quæ cecidit in ſortem tribus Ruben. Meminit & hujus Eſaias in viſione contra Moab.* | Σαβαμὰ, πόλις Μωὰβ ἐν Γαλαὰδ, ἣν ἔλαβε φυλὴ Ῥουβίν. μέμνηται δὲ καὶ αὐτῆς Ἡσαΐας ἐν ὁράσει [11] κατὰ τῆς Μωαβίτιδος. | SABAMA, civitas Moab in Galaad, quam cepit tribus Ruben. meminit etiam ejus Eſaias in viſione contra Moabitidem. |

SABAN, Num. XXXII. verſ. 3. non eſt a pręcedente SABAMA diverſa, in eadem enim regione trans Jordanem ſita, & eodem modo per ם in fine ſcribitur, ut potius SABAM; quam SABAN ſcribi debeat: illud autem ה ſervile alibi in fine additum apud Hebręos nullius momenti eſt ad nominum diverſitatem ſtatuendam.

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [2] *SABARIM, inter Damaſcum & Emat, ſicut ſcribit Ezechiel.* | Σαβαρεὶμ, ἀνὰ μέσον ὁρίων Δαμασκοῦ καὶ Αἰμὰθ, ὡς ἐν Ἰεζεχιὴλ. | SABARIM, inter fines Damaſci & Æmath, ut in Ezechiele. |
| [3] *SABEE, in tribu Simeon.* | Σαβὲ, φυλῆς Συμεών. | SABE, tribus Symeon. |
| [4] *SABIM, ubi Saul præliatus eſt.* | Σαβεὶμ, ἔνθα ἐπολέμησε Σαοὺλ. | SABIM, ubi Saul pręliatus eſt. |

SACHACHA, urbs in tribu Juda, Joſ. XV. verſ. 61.

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [5] *SACHARONA, in tribu Juda.* | Σαχωρὼν, φυλῆς Ἰούδα. | SACHORAN, tribus Juda. |
| [6] *SACHOTH, in tribu Gad ſuper Jordanem.* | | |
| [7] *SADADA, terminus Judæ.* | | |
| [8] *SADALA, terminus Judæ, ſicut ſcribit Ezechiel.* | | |
| [9] *SADEMOTH, ubi Joſias rex Idolorum ſigna combuſſit.* | Σαδημὼθ ἔνθα κατέκαυσε τὰ εἴδωλα Ἰωσίας. | SADEMOTH, ubi combuſſit idola Joſias. |
| [10] *SAIS, civitas Ægypti cujus meminit Ezechiel, a qua & Saites pagus.* | | |

SALABONI, patria Eliabæ unius e fortibus Davidis 2. Reg. XXIII. verſ. 32. & 1. Paral. II. verſ. 13. Videtur fuiſſe oppidum vel vicus ignobilis alicubi, utpote cujus alibi nuſquam fit mentio.

SALAMINA, SALAMINE, vel SALAMIS Ptolemæo, Straboni, Plinio urbs *Cypri*.

NOTÆ.

[1] Hæc *Moabitarum* prius fuerat, poſtea *Amorrhæorum*, deinde *Rubenitarum*, ut e Num. 32. v. 38. & Joſ. 13. v. 19. colligitur, atque adeo cis Arnon; tandem rurſum *Moabitarum* regioni adjuncta, ut ex Iſaiæ 16. v. 8. 9. & Hierem. 48. v. 32. adverſum Moab prophetantium colligi poteſt. *Vinearum* ferax ejus fuit ager; unde apud illos prophetas mentio fit *vineæ Sabama*. BONFRERIUS.

[2] Ita Ezech. 47. v. 16. *Sabarim* conſtituitur *terminus Damaſci*, & *confinium Emath*, hoc eſt, *terræ Emath*. Eſt & alius locus *Sabarim* dictus juxta urbem *Hai* Joſ. 7. v. 5. ad quem refugerunt Iſraelitæ terga vertentes incolis Hai eos perſequentibus. IDEM.

[3] De hac habes Joſ. 19. v. 2. IDEM.

[4] Nuſquam reperimus apud Septuaginta Interpretes locum *Sabim* appellatum, in quo *Saul pugnaverit*; ſed locum quempiam ita appellatum reperimus, ad quem Philiſthæi, qui non procul Saule & caſtris ejus caſtrametati fuerant, prædabundi excurrerunt 1. Reg. 13. v. 18. quamquam & ibi apud eoſdem altera vox addatur *Gæ Sabim*, quod ſignificat *vallem Sabim*: verſio noſtra habet *vallem Seboim*: ſignificat autem *Seboim*, *regulos*, *baſiliſcos*, *ſerpentes*. Fuit autem *Seboim* urbis nomen in tribu Benjamina 2. Eſdræ 11. v. 34. vergens verſus ſolitudinem Hierichuntinam, ut 1. Reg. 13. indicatur, qua de re ad eum locum plura. IDEM.

[5] In verſione noſtra locus hic appellatur *Sechrona* Joſ. 15. v. 11. in terminis Aquilonaribus & confinio Philiſthæorum, quamquam hæc omnia loca videantur poſtea tribui *Judæ* avulſa, & *Danitis* attributa. IDEM.

[6] Hæc in verſione noſtra *Socoth* appellatur Joſ. 13. v. 27. de qua urbe & loco plura ad vocem *Socoth*. IDEM.

[7] Hic locus in verſione noſtra *Sedada* appellatur Num. 34. v. 8. Ezech. 47. v. 15. e quibus locis manifeſtum eſt, non eſſe terminum *Judæ*, ſed *Judææ*, ſeu totius terræ promiſſæ cis Jordanem ad Aquilonem juxta Libanum ſeu Antilibanum montem; quæ loca plurimum diſtant a tribu Juda, ut proinde veriſimile ſit hic reſtituendum *Judææ*, pro *Judæ*. IDEM.

[8] Non eſt hic alius locus a præcedenti, ſed corrupte hic locus exprimitur, *Sadada*, enim, vel *Sedada*, vel *Seddada* legendum, quandoquidem & fere omnes codices *Seddada* vel *Sedada* habeant. Sed & illud *Judæ*, ut paulo ante diximus, in *Judææ* mutandum. IDEM.

[9] De hoc loco habes apud Septuaginta Interpretes 4. Reg. 23. v. 4. ubi tamen & altera vox ei adjungitur *Cedron*. Noſtra autem verſio pro *Sademoth Cedron* habet, *convallem Cedron*: Significat enim Hebræa vox שדמות *Schadmoth*, *regiones*, *planities*, *campeſtria*. IDEM.

[10] Habes vocem hanc apud Ezechielem Cap. 30. v. 15. 16. pro qua verſio noſtra *Peluſium* habet, itemque Chaldæi paraphraſtæ ibidem Latinus Interpres. In Hebræo & Chaldæa paraphraſi eſt סין *Sin*. Meminerunt *Sais* oppidi in Ægypto, *Saitici oſtii*, *Saitæ Nomi* ſeu *Præfecturæ* Ptolemæus Lib. IV. Cap. 5. Strabo Lib. XVII. Stephanus, Plinius Lib. V. Capp. 9. & 10. IDEM.

[11] Κατὰ τῆς μωαβίτιδος) Abſurde erat τῆς κατὰ Μωαβίτιδος, quod non commemorarem, niſi viderem ita etiam legi in nupera Pariſina, nec ſemel, vid. Eſai. XV. 1. CLERICUS.

HIERONYMUS. ΕΥ̓ΣΈΒΙΟΣ. EUSEBIUS.

SALEBIM, Danitarum urbs, Judic. I. verſ. 35. de qua ad eum locum plura. Eadem SELEBIN dicitur Joſ. XIX. verſ. 42.

SALECHA, quæ & alibi SELEHA in verſione noſtra appellatur, *extremus terminus Og regis Baſan*, quæ tota regio poſtea ceſſit *dimidiæ tribui Manaſſe Tran-Jordaninæ*. Sitne hæc urbs ſtatuenda verſus *Montem Hermon*, & in *Aquilonari* illius regionis *limite*, ut Adrichomio, mihique aliquando viſum; an vero *in limite* verſus Gaditas *Auſtrali*, quæſtio eſt: locus qui habetur I. Paral. V. verſ. 11. 12. 16. plane videtur exigere ut in limite *Auſtrali* ſtatuatur, qua de re ad eum locum plura.

[1] *SALEM, civitas Sicimorum, quæ eſt Sichem, ſed & alia villa oſtenditur uſque in præſentem diem juxta Æliam contra Occidentalem plagam hoc nomine: in octavo quoque lapide a Scythopoli in campo vicus Salumias appellatur. Joſephus vero Salem eſſe affirmat, in qua regnavit Melchiſedec, quæ poſtea dicta eſt Solyma, & ad extremum Hieroſolimæ nomen accepit.*

Σαλὴμ, πόλις Σικίμων, ἥτις ἐστὶ Συχὲμ, ὥς φησιν ἡ γραφή. ἔστι δὲ καὶ ἄλλη κώμη εἰς ἔτι νῦν [4] διαμένουσα. μέμνηται αὐτῆς Ἠσαΐας ἐν ὁράσει τῆς κατὰ Μωαβίτιδος.

SALEM, civitas Sicimorum quæ eſt Sychem, ut ait ſcriptura. eſt & alia villa uſque hodie permanens. meminit ejus Iſaias, in viſione contra Moabitidem.

SALIM, cujus fit mentio Joannis III. verſ. 23. *juxta quam erat Ænnon locus ubi Joannes baptizabat*, non procul erat Scythopoli, ut Hieronymus Epiſtola ad Evagrium indicat: neque hic alius videtur locus ab eo, quem paulo ante Hieronymus in SALEM ſuo adhuc tempore SALUMIAM dici aſſeruit, quam *in octavo lapide a Scythopoli* diſtantem ponit, ut ſupra ÆNNON quoque *in octavo lapide ab eadem Scythopoli* diſtantem facit, in voce Ænon. Ex quo colligo hunc locum in dimidia tribu Manaſſe Cis-Jordanina fuiſſe, uti & Adrichomius reponit, atque adeo diverſum omnino fuiſſe a *Salem* ſeu *Sichem* urbe, juxta quam habitavit Jacob, in ejuſque ſuburbano prædium emit, quam urbem in tribu Ephraim fuiſſe conſtat. Eſt & alia in verſione noſtra SALIM urbs dicta, de qua ſupra in voce SAALIM.

[2] *SALISA, quem Saul tranſiit.*

Σαλισὰ, ἣν διῆλθε Σαοὺλ.

SALISA, quam tranſiit Saul.

[3] *SALISA, pro quo Aquila interpretatur triennalem, meminit hujus Hieremias.*

Σαλισὰ, Ἀκύλα, τριέτης, ὡς ἐν [5] Ἰεζεχιήλ.

SALISA, Aquilæ, triennalis, ut in Ezechiele.

SALMONA, manſio filiorum Iſrael in deſerto, Num. XXXIII. verſ. 41.

SALMONE, Orientale promontorium *Cretæ inſulæ*, quod Strabo Lib. II. SALMONIUM vocat Plinius SAMMONIUM, Ptolemæus SAMONIUM. Hujus fit mentio Act. XXVII. verſ. 7.

SAMA, urbs in *tribu Juda*, Joſ. XV. verſ. 26.

SAMARAIM, urbs in *tribu Benjamin* Joſ. XVIII. verſ. 22.

---

N o t æ.

[1] In Scriptura duplex diſtinguenda *Salem*. Una eſt illa *civitas Sichimorum*, juxta quam primum habitavit Jacob reverſus ex Meſopotamia Gen. 33. quam non aliam exiſtimo ab ipſa urbe *Sichem*, ut probavi ibidem Gen. 33. v. 18. idque hoc præcipue argumento, quod ipſe dicatur ibi *habitaſſe juxta oppidum Salem*, *emiſſeque partem agri*, *in quo fixerat tabernacula*; atqui eadem pars agri Joſ. 24. v. 32. dicitur fuiſſe *in Sichem*. Item Joan. 4. v. 5. idem prædium dicitur fuiſſe *in*, *vel juxta Sichar*, quæ vox nonnihil corrupta ibi pro *Sichem* ponitur. Altera *Salem* eſt ipſa *Jeruſalem*, in qua regnavit Melchiſedec, quæ prius dicta fuit *Salem*. Vide a nobis dicta Gen. 14. v. 18. & Gen. 33. v. 18. Altera *Salem*, quam videtur Hieronymus hic ponere *juxta Scythopolim*, videtur eſſe illa, quæ in Evangelio vocatur *Salim*, ut mox dicam. Significat hæc vox *ſanitatem*, *integritatem*. BONFRERIUS.

[2] Habes de hac *Terra Saliſa*, quam *adiiſſe* dicitur *Saul* 1. Reg. 9. v. 4. Alibi vero nullam *Saliſa* reperimus præter *Segor* juxta mare mortuum, de qua proxime dicitur, cujus agrum adiiſſe videtur Saul aſinas requiſiturus, quæ hic *Terra Saliſa* dicatur. IDEM.

[3] Hanc *Saliſa* non eſſe aliam a *Segor* teſtatur D. Hieronymus in Traditionibus Hebraicis in Geneſim, nomine a *tribus* ſumto, שלש *ſchaloſch* enim Hebræis *tria* ſignificat; eam autem ſic dictam ait Hieronymus, quod *ter in altum terræ motu ſalierit*, *& a terra hauſta ſit*. Hinc nomine etiam novato, ſed a *tribus* ſumto Iſaiæ 15. v. 5. & Hierem. 48. v. 34. eadem *Segor* in noſtra verſione *vitula conternans* appellatur, in Hebræo עגלה שלישיה *hegla ſcheliſchiia*, quaſi dicas, *vitula ter idem repetens*, ſive *ter in altum ſaliens*. IDEM.

[4] Διαμένουσα ) Eſt in Regio Codice διαμένει, quamquam vitioſe. Sequentia verba repetitio ſunt eorum, quæ habuimus antea in *Sabama*, cujus re vera fit mentio in viſione Iſaiæ, contra Moabitidem Cap. XVI. 9. cum illic nulla ſit mentio Salemi. Itaque delenda hæc verba omnino cenſuerim. CLERICUS.

[5] Ἰεζεχιὴλ ) Ex *Hieronymo* videtur legendum Ἱερεμίας, ut recte *Martianæus* adnotavit. IDEM.

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
| --- | --- | --- |
| [1] *SAMARIA, civitas regalis in Israel, quæ nunc Sebaste dicitur. Sed & omnis regio, quæ fuit circa eam, a civitate quondam nomen acceperat.* | [8] Σαμαρεία, πόλις βασιλικὴ τοῦ Ἰσραὴλ, ἡ νῦν Σεβαστὴ, καὶ ἡ περὶ αὐτὴν χώρα. | SAMARIA, civitas regia Israel, quæ nunc Sebaste, & omnis circum eam regio. |
| [2] *SAMAS, pro quo Theodotio & Symmachus transtulerunt Solis.* | Σὰμ, Σύμμ. Θεοδοτίων, ἡλίου. | SAM, Symmach. Theodotio, solis. |
| [3] *SAMEN, in tribu Juda.* | | |
| [4] *SAMES, id est fons Sames, in tribu Benjamin, pro quo Aquila interpretatur fontem solis.* | Σὰμ, πηγὴ Σὰμ, φυλῆς Βενιαμίν. Ἀκύλα, πηγὴ ἡλίου. | SAM, fons Sam tribus Benjamin. Aquilæ, fons solis. |
| | Σαμὲρ, κλήρου Δάν. | SAMER, sortis Dan. |

SAMIR, *urbis* nomen in *tribu Juda*, Jos. xv. vers. 48. Item *montis* nomen in *tribu Ephraim*, Judic. x. vers. 1. 2.

[5] *SAMIS, in tribu Dan, de qua & supra mentionem feci sub nomine Bethsamis.*

SAMOTHRACIA, Act. xvi. vers. 11. insula juxta Thraciam, quæ ejusdem nominis habet *civitatem*, Ptolemæo, Plinio, Straboni, Stephano SAMOTHRACE dicitur.

SAMUS, cujus fit mentio Act. xx. vers. 15. & 1. Machab. xv. vers. 23. insula est in Icario mari e regione Ioniæ & Cariæ.

SANAN, urbs in tribu Juda, Jos. xv. vers. 37.

SANIR, mons idem, qui HERMON in termino ad Aquilonem regionis Trans-Jordaninæ, Deuter. iii. vers. 9.

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
| --- | --- | --- |
| [6] *SANSANNA, in tribu Juda.* | Σανσανὰ φυλῆς Ἰούδα. | SANSANA, in tribu Juda. |
| [7] *SAORTH, in tribu Ruben super Jordanem.* | Σαὼρ, φυλῆς Ῥουβὶν, [9] ὑπὲρ τὸν Ἰορδάνην. | SAOR, tribus Ruben, super Jordanem. |

## NOTÆ.

[1] Fuit hæc urbs in *monte* sita, ut indicatur Michææ 1. v. 6. & ad eum locum Hieronymus. Ejus conditor fuit *Amri rex Israel* emto monte a *Somer* vel *Semer*, qui montis erat Dominus, a quo & civitati a se conditæ idem rex nomen imposuit, ut habes 3. Reg. 16. v. 24. & apud Josephum Lib. viii. Antiq. Judaic. Cap. 7. Hæc deinceps Regum Israel sedes fuit. Hanc urbem fuisse munitissimam testatur Josephus Lib. xiii. Ant. Judaic. Cap. 18. In uberrimo Judææ sitam loco asserit Hieronymus ad Michææ 1. Postea *Sebasten* appellatam, hoc est, *Augustam* ab Herode rege in honorem *Augusti Cæsaris* testatur non uno loco Josephus, ut Lib. xiii. Ant. Judaic. Cap. 18. & Lib. xv. Cap. 11. item Hieronymus ad Osee 1. & 14. ad Amos 3. in Abdiam initio & alibi; quod etiam habes apud Strabonem Lib. xvi. Hallucinatus est haud dubie Stephanus, sive cum *Sebasten Samaritidis* Πολίχνιον, hoc est, *oppidulum* vocat, sive cum *Samariam*, non *Sebasten* alio nomine, sed *Neapolim* dictam fuisse vult: non enim *Samaria*, sed *Sichem* alio nomine dicta est *Neapolis*. In *Samaria* condita fuisse ossa Joannis Baptistæ testatur Hieronymus ad Osee 1. Ab hac urbe regia tota regio (hoc est decem tribus, quæ regibus Israel adhæserunt) subinde nomine *Samariæ*, præsertim apud Prophetas, intelligitur; sed hæc paulo fusior vocis est acceptio: alias enim restrictiore acceptione nomine *Samariæ* intelligitur *regio* comprehensa *inter Galilæam & Judæam*, ut habet Josephus Lib. iii. Belli Judaic. Cap. 2. ubi & totius Samariæ descriptionem habes. Videtur autem Samaria comprehendere tribum Ephraim & dimidiam tribum Manasse. Ab hac regione dicti postea *Samaritani*, qui translatis in Assyriam Israelitis in eorum locum ab Israelitica gente exteri suffecti sunt, cum quibus perpetuas inimicitias coluere Judæi. BONFRERIUS.

[2] Ego hanc vocem apud Septuaginta Interpretes in nostris codicibus non reperio: quidquid sit, non videtur dubium, sicubi reperiatur, appellative pro *Sole* sumendam esse, id enim Hebræis significat שמש *Schemesch* seu *Semes*. IDEM.

[3] Hæc non alia videtur ab ea, quæ in nostra versione *Sama* dicta est Jos. 15. v. 26. pro quo codices Septuaginta Interpretum habent nunc fere *Seme*. Nisi malis eam indicari urbem, quæ in versione nostra dicitur *Sensenna*, quandoquidem Eusebius pro eo, quod in Hieronymo legimus *Samen*, urbis nomen habeat σανσανά. IDEM.

[4] Hic fons in communibus terminis tribus Juda & Benjamin situs appellatur in nostra versione *Fons solis*, vel retenta omnino voce Hebraica *Ensemes*, Jos. 15. v. 7. & Cap. 18. v. 17. Septuaginta retenta tantummodo voce Hebræa posteriore dixerunt *fontem Sames* Jos. 18. v. 17. IDEM.

[5] Ita quidem *Sames* vel *Samis* proprium nomen apud Interpretes Septuaginta legimus *in tribu Dan* Jos. 19. v. 41. nisi quod una vox prætermittatur πόλεις *urbes*, vel potius πόλις *urbs*, ut habet codex regius, quam ad vocis proprium nomen pertinere existimandum est: in Hebræo enim hujus urbis nomen est עירשמש *Hirsemes*, quam vocem Hieronymus in versione nostra retinuit addita tamen Latina interpretatione, *id est, civitas solis*. *Bethsames* autem alia urbs est ab *Hirsemes* in tribu Juda. IDEM.

[6] Hæc in versione *Sensenna* nuncupatur Jos. 15. v. 31. IDEM.

[7] Hæc urbs non videtur alia ab ea, quæ in versione nostra vocatur *Sarathasar* Jos. 13. v. 19. nam & ibi in sincerioribus codicibus Septuaginta Interpretum legitur *Sarth.* Verum advertendum, Interpretes Septuaginta ibi vocem ex duabus compositam divisisse, interjecta etiam media conjunctione copulativa, & videri ex una urbe duas fecisse. IDEM.

[8] Σαμάρεια) Fallitur *Bonfrerius*, dum erroris arguit *Stephanum Byzantinum*, quod Sebasten πολίχνιον vocarit; erat enim ejus tempore oppidulum. Vide *Christoph. Cellarii* Collectaneorum Hist. Samariticæ Cap. 1. CLERICUS.

[9] Ὑπὲρ τὸν Ἰορδάνην) Vertendum fuit hic & alibi, *trans Jordanem*, ut jam observavimus. IDEM.

1 In-

HIERONYMUS. | ΕΥ'ΣΕ'ΒΙΟΣ. | EUSEBIUS.

[1] *SAPHAMOTH, ad quem locum misit David.*

Σαφαμώθ, ἔνθα ἀπέστειλε Δαβίδ.

SAPHAMOTH, quo misit David.

[2] *SAPHAR, mons Saphar in deserto castra filiorum Israel.*

[3] *SAPHARVAIM, de quibus locis Assyrii transmigrantes habitaverunt in Samaria, & ab ipsis Samaritanorum gens sumsit exordium. Meminit horum & Esaias.*

Σαφφαρυΐμ, ὅθεν μετελθόντες Ἀσσύριοι, τὴν Σαμαρείαν ᾤκησαν, ἐξ ὧν οἱ Σαμαρεῖται. μέμνηται δὲ Ἡσαΐας αὐτῆς.

SAPHPHARVIM, unde transmigrantes Assyrii, habitarunt Samariam, a quibus Samaritani. Meminit hujus Isaias.

[4] *SAPHIR, villa in montanis sita inter Eleutheropolim, & Ascalonem in tribu Juda.*

Σαφείρ, ἐν γῇ ὀρεινῇ κώμη ἐστὶ μεταξὺ Ἐλευθεροπόλεως καὶ Ἀσκαλῶνος, φυλῆς Ἰούδα.

SAPHIR, vicus est in terra montana inter Eleutheropolim. & Ascalonem, in tribu Juda.

[5] *SAPHON, in tribu Gad supra Jordanem.*

Συφών, φυλῆς Γάδ, ὑπὲρ τὸν Ἰορδάνην.

SYPHON, in tribu Gad, supra Jordanem.

SAPHORIS. Vide infra SEPHORIS.

SARA. Vide supra SAARA.

SARAA. Vide supra SAARA.

SARAIM. Vide proxime SARAIN.

[6] *SARAIN, in tribu Juda.*

Σαραείν, φυλῆς Ἰούδα.

SARAIN, in tribu Juda.

[7] *SARARA, civitas pergentibus Edom.*

Σερωρά, πόλις ἀπιόντων εἰς Ἐδώμ.

SERORA, civitas peragentibus Edom.

SARATHASAR, urbs in tribu Ruben, Jos. XIII. vers. 19.

SARDIS, Lydiæ in Asia civitas Ptolemæo, Straboni, Stephano.

[8] *SAREA, in tribu Dan, ubi Samson fuisse legimus, juxta Estaol, de qua supra diximus.*

SARED. Vide infra SARITH.

SAREDA, urbs in tribu Ephraim, natalis patria Jeroboam filii Nabath Ephratæi, ut habetur, 3. Reg. XI. vers. 26. qui fuit primus rex Israelis scisso post Salomonem regno, idemque pessimus, & idololatriæ propagator. Septuaginta Interpretes eam urbem mutato elemento vocant SARIRA, eamque in monte Ephraim, iidem Septuaginta in Romano codice constituunt 3. Reg. XII. vers. 2.

SAREDATHA, 2. Paral. IV. vers. 17. videtur locus, vel urbs fuisse trans Jordanem in tribu Gad, quandoquidem & SOCHOT, cujus ibidem fit mentio, ( *inter quæ duo loca dicitur rex Salomon fudisse ærea templi vasa* ) in eadem tribus Gad trans-Jordanina regione esset. Addo vero plane fieri verisimile, non esse aliam urbem a SARTHAN quadoquidem idem de *Sarthan* asseratur 3. Reg. VII. vers. 46. nempe ea *vasa inter Sochoth & Sarthan fusa esse*.

NOTÆ.

[1] Intellige *misisse partem prædæ ab Amalecitis reportatæ* 1. Reg. 30. v. 28. ubi urbs hæc in versione nostra *Sephamoth* appellatur. Ubi autem hæc urbs fuerit, ad eum locum quærimus; fatendumque est rem supra modum obscuram esse, utpote cujus alibi nulla usquam fiat mentio: auguramur tamen ad eum locum fuisse in *tribu Juda*, cum pleræque cæterarum urbium, vel locorum, quæ ibi exprimuntur, in tribu Juda extiterint. BONFRERIUS.

[2] In versione nostra *Sepher* hæc Israelitarum in deserto mansio appellatur, Num. 33. v. 23. 24. IDEM.

[3] Hæc in versione nostra *Sepharvaim* appellatur 4. Reg, 17. v. 24. 31. Cap. 18. v. 34. Cap. 19. v. 13. Isaiæ 36. v. 19. Cap. 37. v. 13. esseque nomen civitatis habetur 4. Reg. 19. v. 13. & Isaiæ 37. v. 13. Fuisse autem a rege Assyriorum expugnatam, & ex ea colonos in Samariam translatos istis omnibus Scripturæ locis indicatur. Sed *ubi*, & *in qua regione* sita sit hæc civitas nusquam prod tur: suspicor autem alicubi in *Syria* vel *Mesopotamia* fuisse, sicuti *Emath* & *Arphad*, quibus fere ubique conjungitur. IDEM.

[4] Hujus nulla usquam in Scriptura mentio. IDEM.

[5] De hac habes Jos. 13. v. 27. Eadem alibi dicitur *Sophan* Num. 32. v. 35. IDEM.

[6] In versione nostra *Saraim* appellatur Jos. 15. v. 36. vel *Saarim* 1. Paral. 4. v. 31. De duplici tamen *Saraim* vel *Saarim* vide supra in *Saarim*. IDEM.

[7] Nusquam hanc vocem in versione nostra lego, sed neque apud Septuaginta interpretes reperi: mihi tamen non alius videtur locus hic notari, quam qui in versione nostra 4. Reg. 8. v. 21. dicitur *Seira*, ubi rex Joram Idumæos, qui rebellaverant, *nocte oppressit*, ubi tamen apud Septuaginta interpretes constanter in omnibus codicibus lego *Sior*. IDEM.

[8] Vide supra in *Saara*. IDEM.

<table>
<tr><th>HIERONYMUS.</th><th>ΕΥ'ΣΕ'ΒΙΟΣ.</th><th>EUSEBIUS.</th></tr>
<tr><td>[1] SAREPTA, civitas Sidoniorum in via publica sita, ubi habitavit quondam Elias.</td><td>[8] Σαρεπτὰ, κώμη Σιδῶνος ἐπίσημος, ἔνθα παρῴκησεν Ἠλίας.</td><td>SAREPTA, oppidum Sidonis illustre, in quo habitavit Elias.</td></tr>
<tr><td colspan="3">SAREPHTA. Vide proxime SAREPTA.</td></tr>
<tr><td colspan="3">SARID. Vide paulo post SARITH.</td></tr>
<tr><td colspan="3">SARION, mons alio nomine HERMON dictus, in extremis regionis Trans-Jordaninæ ad Aquilonem finibus. Deuteron. III. vers. 9.</td></tr>
<tr><td>[2] SARITH, terminus Zabulon.</td><td>Σαρὶθ, ὅριον Ζαβυλών.</td><td>SARITH, terminus Zabulon.</td></tr>
<tr><td colspan="3">SAROHEN, urbs in tribu Simeonis Jos. XIX. vers. 6.</td></tr>
<tr><td>[3] SARON, cujus & Esaias meminit dicens in paludes versus est Saron. Usque in præsentem autem diem regio inter montem Thabor, & Stagnum Tiberiadis Saronas appellatur. Sed & a Cæsarea Palæstinæ usque ad oppidum Joppe omnis terræ, quæ cernitur, dicitur Saronas.</td><td>Σαρὼν, Ἠσαΐας· ἕλη ἐγένετο ὁ Σαρών. ἡ ἀπὸ τοῦ ὄρους Θαβὼρ ἐπὶ τὴν Τιβεριάδα λίμνην χώρα. καὶ ἄλλος ἐστὶ Σαρωνάς, ἡ ἀπὸ Καισαρείας ἐς Ἰόππην χώρα.</td><td>SARON, Isaias: paludes factus est Saron. regio quæ a monte Thabor ad stagnum Tiberiadis (extendit.) item alius est Saronas, regio (scilicet) inter Cæsaream & Joppen.</td></tr>
<tr><td colspan="3">SARONA. Vide proxime SARON.</td></tr>
<tr><td>[4] SARTHAN, quæ est ad radices Jezrael.</td><td>Σαρθὰν, ὑποκάτω Ἰεζραέλ.</td><td>SARTHAN, in ima parte, seu ad radices Jezrael.</td></tr>
<tr><td colspan="3">SARTHANA. Vide SARTHAN proxime.</td></tr>
<tr><td>[5] SASIMA, terminus Issachar.</td><td>Σασιμὰ, ὅριον Ἰσσάχαρ.</td><td>SASIMA, terminus Issachar.</td></tr>
<tr><td>[6] SATTIM, ubi populus pollutus est fornicatione filiarum Moab. est autem juxta montem Phogor, unde & Jesus exploratores ad investigandam, & noscendam terram misit Hiericho.</td><td>Σταγὲν, ἔνθα ἐβεβηλώθη ὁ λαὸς τοῦ πορνεῦσαι ἐν θυγατράσι Μωάβ. παράκειται τῷ ὄρει Φογώρ. ἐντεῦθεν δὲ καὶ Ἰησοῦς ἀπέστειλε κατασκοπῆσαι τὴν Ἰεριχώ.</td><td>STAGIN, hic pollutus est populus, ut fornicaretur inter filias Moab. adjacet monti Phogor. hinc Jesus misit qui explorarent Hiericho.</td></tr>
<tr><td>[7] SAVE, civitas antiqua</td><td>Σαυῆ, πόλις ἀρχαία, ἐν ᾗ κα-</td><td>SAVE, civitas antiqua, in</td></tr>
</table>

NOTÆ.

[1] In versione nostra *Sarephta* appellatur 3. Reg. 17. v. 10. ubi a vidua tempore famis pastus est Elias, hydria farinæ inexhausta permanente, lecythoque olei. Oppidum est inter Tyrum & Sidonem situm, teste Josepho Lib. VIII. Antiq. Judaic. Cap. 7. Adrichomio, Cotovico, duobus a Sidone versus Austrum milllaribus, ut hi duo posteriores asserunt. Eam *Radzivilus* ad radices montis Carmeli statuit, meo judicio parum recte. BONFRERIUS.

[2] In versione nostra *Sarid* vel *Sared* appellatur Jos. 19. v. 10. 12. IDEM.

[3] Ex his colligimus *Saron* regionis feracis & pinguis nomen esse, de qua nos supra in *Lasaron* abunde diximus. Est tamen & *Saron* urbis nomen, quæ & *Sarona* appellatur Act. 9. v. 35. in eadem regione positæ, cum ibi Act. 9. v. 35. satis perspicue juxta *Lyddam* statuatur, ubi & regio illa ferax & campestris erat. Est rursum & Galaaditide regione altera *Saron*, regio item campestris, cujus sit mentio 1. Paral. 5. v. 16. ubi per *suburbana Saron* intellige villas & vicos extra urbes positos. IDEM.

[4] Sumtum est hoc e 3. Reg. 4. v. 12. ubi dicitur, *& universam Bethsan, quæ est juxta Sarthana subter Jezrael*: ex quo videtur hic collegisse Eusebius, *Sarthan* vel *Sarthana* fuisse *ad radices Jezrael*. At urbs *Jezrael* non erat in monte, sed in valle, ad radices montis Gelboe occidentales, & in ipso primo aditu vallis Jezrael; quomodo igitur *Sarthan* potuit *ad radices ejus* esse? Itaque ego quod ibi dicitur, *subter Jezrael* ad *Bethsan* refero, non ad *Sarthana*: Fuit autem Bethsan *subter Jezrael* (quod potius pro *valle Jezrael*, quam pro *urbe* accipio) quia Bethsan erat in *Aulone valle* juxta Jordanem; e valle autem Jezrael ad Aulonem vallem & Jordanem descensus erat, cum ad flumina aquæ & torrentes decurrant. *Sarthan* vero ego existimo fuisse *juxta Jordanem*; idque perspicue indicatur Jos. 3. v. 16. sed addo omnino videri fuisse *trans Jordanem*: id enim requirit locus alter 3. Reg. 7. v. 46. E regione tamen & vicinia *Bethsan*, ut requirit locus. Neque ego video e Scriptura quid urgeat plures ejus nominis urbes statuere, quod tamen alioqui faciunt. IDEM.

[5] In versione nostra *Sebesima* appellatur Jos. 19. vers. 22. IDEM.

[6] In versione nostra appellatur locus hic *Settim* vel *Setim*, eratque idem cum *campestribus Moab*, vel certe ejus pars aliqua. De *fornicatione* illa *cum filiabus Moab*, & fœda populi Israelitici idololatria in isto loco habes Num. 25. v. 1. de *missis a Josue* ex eodem loco in *Hierico exploratoribus* habes Jos. 2. v. 1. IDEM.

[7] Significat *Save* planitiem & locum æquatum. Duplex autem locus in Scriprura distinguendus est, cui hoc nomen tamquam proprium adhæserit: habes utrumque eodem Gen. 14. Cap. & unum quidem v. 5. quæ dicitur *Save Cariathaim*; Est autem *Cariathaim* urbis apud Moabitas nomen, quæ postea in *tribu Ruben* fuit. Fuit igitur *planities* in hujus urbis vicinia dicta tamquam proprio nomine *Save*, quæ planities forte alia non est a *Campestribus Moab*: & de hac *Save* hic sermo est ad *Orientalem plagam Sodomæ* & Pentapoleos, quam *vastando percurrit Chodorlaomor*; in qua tunc habitabant *Emmim*, quos hic vocat *Ommæos*, quos postea regione sua expulerunt Moabitæ. Fuisse autem *civitatem* appellatam *Save*: quod videtur hic asserere Eusebius, non existimo solide probari posse. Est altera *Save* eodem Cap. 14. v. 17. ubi dicitur *Vallis Save*, quæ & ibidem *Vallis regis* nuncupata asseritur. Ubi autem ista vallis fuerit, dicetur in voce *Vallis regis*. IDEM.

[8] Σαρεπτά) Cum hoc sit notissimum apud Græcos nomen urbis, cumque optimi quique Codices Versionis LXX. Interpretum sic habeant, non video cur pertinaciter retineamus men-

| HIERONYMUS. | ΕΥ'ΣΕ'ΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| *in qua habitaverunt Ommæi gens valida super regionem Sodomæ, quam excidit Chadorlaomor.* | τῴκεν οἱ [7] Α'μοῤῥαῖοι, ἔθνος [8] ὑπέρ τὴν Σοδομῖτιν, οὓς ἀνεῖλε Χοδολαγόμορ. | qua habitabant Amorrhæi, gens supra Sodomam, quos interfecit Chodolagomor. |
| [1] *SCACHA, in tribu Juda.* | [9] Σακχὰ, φυλῆς Ι'ούδα. | SACCHA, tribus Juda. |
| [2] *SCENÆ, id est tabernacula, locus in quo habitavit Jacob regressus de Mesopotamia, qui lingua Hebraica appellatur* Sochot. | Σκηναὶ, οὗ ἐσκήνωσεν Ι'ακὼβ ἐπανελθὼν ἐκ Μεσοποταμίας. | SCENÆ, ubi tabernaculum fixit Jacob reversus ex Mesopotamia. |
| [3] *SCIPH, ubi Samuel invenit Saulem.* | [10] Σὺμ, ἔνθα εὗρε Σαοὺλ τὸν Σαμουήλ. | SYM, ubi invenit Saul Samuelem. |

SCYTHOPOLIS. Vide supra BETHSAN.

SEBASTHE, toto hoc libro de locis Hebraicis eadem est, quæ SAMARIA. Vide supra SAMARIA.

| HIERONYMUS. | ΕΥ'ΣΕ'ΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [4] *SEBOIM, civitas impiorum, in æternos cineres dissoluta, juxta urbem quondam Sodomam.* | Σεβωείμ, πόλις ἀσεβῶν, περὶ [11] τὴν Σοδομῖτιν, ἀφανισθεῖσα. | SEBOIM, civitas impiorum, circa urbem Sodomam, deleta funditus. |

SECHRONA. Vide SACHARONA supra.

SEDADA, locus in terminis totius Judææ juxta Libanum montem Aquilonaribus, Num. XXXIV. vers. 8. Ezech. XLVII. vers. 15. Vide supra in SADADA & SADALA.

| HIERONYMUS. | ΕΥ'ΣΕ'ΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [5] *SEDRACH, terra Damasci, legimus in Zacharia.* | Σεδρὰχ, γῆ τῆς Δαμασκοῦ, ἐν Ζαχαρίᾳ. | SEDRACH, terra Damasci, in Zacharia. |
| [6] *SEGOR, quæ & Bala & Zoara una de quinque civitatibus Sodomorum ad preces Lot de incendio reservata, quæ usque nunc ostenditur. meminit hujus & Esaias in visione contra Moab, de qua & supra diximus.* | | |

NOTÆ.

mendum manifestum Σαρεσά, ut erat in utraque Editione hujus libelli. CLERICUS.

[1] Unus hic Hieronymi liber habet *Sachacha*, quæ sincera est nostri textus lectio Jos. 15. v. 61. sed ægre mihi persuadeo ita legisse Eusebium in codicibus Septuaginta Interpretum, cum in omnibus codicibus hæc vox sit supra modum corrupta. Regius codex habet σχαχά *Schacha*, quæ lectio bona est, & ita forte olim legit Eusebius. BONFRERIUS.

[2] Ita Septuaginta Interpretes appellarunt locum illum vertentes appellative Gen. 33. v. 17. qui in nostra versione tamquam proprio nomine dicitur *Socoth*, a *tabernaculis* ibi a Jacob fixis, ut ex illo Gen. loco liquet, id enim significat vox *Sochot*. IDEM.

[3] Potius videtur dicendum *ubi Saul invenit Samuelem*; non enim Samuel *Saulem*, sed Saul *Samuelem* quærebat. Porro locus hic non *Sciph*, sed *Siph* videtur scribi debuisse; ita enim constanter in omnibus Septuaginta Interpretum codicibus expressum legitur, magisque ad Hebræa & versionem nostram accedit, in qua habetur *Suph* 1. Reg. 9. v. 5. ex quo Scripturæ loco colligimus *terram Suph* dictam illam fuisse, in qua erat *Ramatha*, cujus nominis originem ad eum locum investigabimus. IDEM.

[4] Fuit hæc una e Pentapoleos civitatibus cum Sodoma & Gomorrha cœlesti incendio absumtis, interque eas recensetur Deuter. 29. v. 23. fuit & alia *Seboim*, urbs in tribu Benjamin juxta desertum, seu solitudinem Hierichuntinam, cujus fit mentio 1. Reg. 13. v. 18. & 2. Esdræ 11. v. 34. sed hæc a præcedenti in Hebræo nonnihil scriptione differt; prior enim illa dicitur צבוים quasi dicas *inflatos*: posterior צבעים, hoc est, *tinctos*, *serpentes*, *basiliscos*. IDEM.

[5] In versione nostra *Hadrach* terra hæc vel regio nominatur Zachar. 9. v. 1. IDEM.

[6] Fuit hæc inter Pentapoleos civitates *minima*, ut ipsa vox sonat, (significat enim *Segor parvam*, vel *minimam*) est autem sita juxta mare mortuum, post absumtas reliquas incendio Pentapoleos civitates. Unde de hac urbe, ejusque nominibus plura a nobis dicta ad Gen. 19. v. 20. Meminerunt autem hujus Isaias Cap. 15. v. 5. & Hierem. Cap. 48. v. 34. adversum Moab prophetantes, non quod ea in Moabitide regione esset, siquidem cis Jordanem vel mare mortuum erat, sed quod in Moabitarum esset vicinia, clamorque Moabitarum in captivitatem abducendorum eousque exaudiri posset. IDEM.

[7] Α'μοῤῥαῖοι) Sine dubio legendum Ο'μμαῖοι, quod nomen ignotum mutatum est in notius, pro consuetudine Librariorum. CLERICUS.

[8] Υ'πὲρ τὴν Σοδομῖτιν) Recte sine dubio, unde *Hieronymus*, *super regionem Sodomæ*. Absurde *Martianæus* edidit ὑπὲρ τὴν Σοδομίτων, ut jam antea monuimus. IDEM.

[9] Σακχά) Recte conjicit *Bonfrerius* rectam esse lectionem *Sachacha*, cum sit consentanea Hebraico nomini; sed testatur *Martianæus* in MSS. *Hieronymi* legi *Scacha*, non *Scatha*, ut ediderat *Bonfrerius*. Forte eodem modo, aut Σχαχά, aut Σοχαχά, ut habet Codex Alexandrinus, legerat. IDEM.

[10] Σὺμ καὶ τὰ ἑξῆς) Hæc desumsimus ex editione *Martianæi*, nam erant perperam a *Bonfrerio* omissa. LXX. Intt. ex Codice Vaticano habent Σὶφ, ex Alexandrino Σεὶφ, ut omnino credibile sit apud *Hieronymum* legendum etiam esse *Siph*, ut fecit *Martianæus*; qui tamen temere incusat *Bonfrerium*, quasi prorsus præteritæ hujus vocis, non tantum in Græcis, sed etiam in Latinis. IDEM.

[11] Περὶ τὴν Σοδομῖτιν) Optime, male vero *Martianæus*, τὴν Σοδομίτων, quem errorem sæpius admisit. Sed vertendum non erat *circa urbem Sodomam*, sed *circa Sodomitidem*; nimirum, terram. De *Segor* vide ad *Soora*. IDEM.

SEHESIMA, locus in finibus tribus Issachar versus Occidentem, Jos. xix. vers. 22.

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [1] *SEIR, mons in terra Edom in qua habitavit Esau in regione Gabalena, quæ ex eo quod Esau pilosus esset & hispidus, Seir, id est, pilosi nomen accepit, in quibus locis prius habitavit Chorræus, quem interfecit Chodorlaomor. Meminit montis Seir & Esaias in visione Idumææ.* | Σηείρ, ὄρος γῆς Ἐδώμ, ἔνθα ᾤκει Ἠσαῦ ἐν τῇ Γαβαληνῇ, ἀπὸ Ἠσαῦ [9] κληθεῖσα. ἐτετρίχωτο γάρ, ὅλος δασὺς ὤν. τριχωτὸς δὲ ἑρμηνεύεται Σηείρ. λέγει δὲ ἡ γραφή, ὅτι καὶ πρὸ τοῦ Ἠσαῦ, ὁ οἰκῶν τὸν τόπον Χορραῖος Σηεὶρ ἐκαλεῖτο, ὃν ἀνεῖλε Χοδολαγομόρ. μέμνηται τῆς Σηεὶρ καὶ Ἡσαΐας ἐν ὁράσει τῆς Ἰδουμαίας. | SEIR, mons terræ Edom, ubi habitabat Esau in terra Gabalenæ ab Esau vocata. Pilosus enim fuerat totus hispidus existens. Pilosus autem exponitur Seir. Porro Scriptura dicit ante Esau, Chorræum, qui eum locum incolebat, vocatum fuisse Seir, quem interfecit Chodolagomor. Meminit Seir Isaias in visione Idumææ. |
| [2] *SEIRA, hanc cepit Jesus filius Nave.* | Σκειρά, ἣν ταύτην εἷλεν Ἰησοῦς. | SCIRA, & hanc cepit JESUS. |
| [3] *SEIRA, nomen putei, a quo Joab fecit reverti principem exercitus Abner.* | Σειρά, φρέαρ ὅθεν ἀπέστρεψεν Ἰωὰβ τὸν Ἀβεννήρ. | SEIRA, puteus unde reverti fecit Joab Abenner. |

SEIRATH, Judic. III. vers. 26. quantum ex circumstantiis, quæ ibi adferuntur, colligi potest, videtur fuisse in *tribu Ephraim*, in ejusque ad Austrum finibus.

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [4] *SELA, in tribu Benjamin.* | Σελα, φυλῆς Βενιαμίν. | SELA, tribus Benjamin. |
| [5] *SELA, ubi percussus est Joas.* | Σελά, ἔνθα ἐπατάχθη Ἰωάς. | SELA, ubi percussus est Joas. |
| [6] *SELAB, in tribu Dan, usque hodie vicus grandis ostenditur in finibus Sebastenes, nomine Selaba.* | [10] Σελάβ, κλήρου Δάν, ἀλλὰ καὶ ἔστι νῦν κώμη ἐν ὁρίοις Σεβαστῆς Σαλαβὰ καλουμένη. | SELAB, sortis Dan. Sed & nunc est vicus in finibus Sebastes dictus Salaba. |
| [7] *SELCHA, civitas regis Og in regione Basanitide.* | Σελχά, πόλις Ὢγ βασιλέως, ἐν τῇ Βασανίτιδι. | SELCHA, civitas regis Og in Basanitide. |
| [8] *SELCHA, civitas in regione Basanitide.* | | |

## NOTÆ.

[1] An mons ille ab *Esau* nomen habuerit revocari posset in dubium, cum in Idumæa illa *Australi* non habitarit Esau, & antequam illuc venirent Idumæi jam videatur nomen illud habuisse, Gen. 14. v. 6. potueritque nomen habere a *Seir Horræo* ejus regionis principe Gen. 36. v. 20. ante Idumæorum in eam regionem adventum. Videtur & *Seir* regionis ac montis nomen esse in Idumæa *Orientali*, ubi habitavit Esau & Idumæi ejus posteri, priusquam in Idumæam Australem commigrarent Gen. 32. v. 3. & Cap. 33. v. 14. quod nomen ab *Esau* accepisse supra modum verisimile est. Porro *Mons* ille *Seir* in Idumæa Orientali, vel *regio* videtur pars montis *Galaad* fuisse, vel regionis ad istius montis radices. BONFRERIUS.

[2] Nusquam in libro Josue hanc inter urbes a Josue captas legimus etiam apud Septuaginta Interpretes. Est altera *Seira* 4. Reg. 8. v. 21. ubi Joram rex ex improviso nocte superveniens oppressit Idumæos. Ea vero non alibi videtur reponenda quam in Idumæa: Joram enim aggressor erat, ut qui ad officium Idumæos rebellantes vellet compellere, idque ipsum diserte in ea historia referenda sensit Josephus, etsi e Scriptura res paulo sit obscurior. Non tamen existimandum est nomen *Seira* ibi idem esse nomen quod *Seir* mons, vel regio Idumæorum; aliter enim in Hebræo scribitur. IDEM.

[3] De hoc *puteo* seu cisterna, quæ in versione nostra *Sira* appellatur, habes 2. Reg. 3. v. 26. IDEM.

[4] De hac habes Jos. 18. v. 28. IDEM.

[5] In versione nostra *Sella* appellatur 4. Reg. 12. v. 20. Ubi autem is locus vel *descensus* fuerit, supra modum obscurum est. Mihi fit probabile tam *domum Mello*, cujus ibidem fit mentio, quam *descensum Sella* non alibi fuisse, quam in *monte Sion*: non enim Joas rex censendus est, dum ambularet, vel aliquo descenderet, fuisse occisus; satis enim constat ex 2. Paral. 24. v. 25. *in lecto* fuisse occisum, ex quo plane fit verisimile eum Hierosolymis occisum esse. Adde quod *Mello* ædificium & propugnaculum legamus a Salomone Hierosolymis ædificatum fuisse, &, ut quidem ego censeo, in parte editissima montis Sion, ibi enim *Mello* fuisse mihi persuadeo, ut pluribus docebo ad 2. Reg. 5. v. 9. Dormiebat forte rex in ea domo, quod sibi forte ab aliqua conjuratione timeret, in eaque domo securius, quam in regia videretur agere. Porro quia undique a parte illa montis Sion editissima mox ab omni parte *descensus* erat, in qua domus illius parte dormiret indicatur, cum additur *in descensu Sella*, sive *Sella* nomen sit *loci*, in quo descensus ille terminaretur, sive ipsius *descensus* nomen, qui quia *stratus esset lapide*, sit *Sella* dictus; id enim vox illa Hebraica significat a radic. סלל *Salal*, quod est *viam sternere*. IDEM.

[6] Inter Danitarum urbes Jos. 19. non legimus *Selab*, sed *Selebin* in versione nostra, & *Selebin* vel *Salabin* in codicibus Septuaginta Interpretum, quæ & in versione nostra *Salebim* Judic. 1. v. 35. dicitur. IDEM.

[7] Hæc in versione nostra etiam *Selcha*, vel *Salecha* appellatur, de qua supra diximus in *Salecha*. IDEM.

[8] Hæc a præcedenti non est diversa, ut per se satis liquet, & locis omnibus Scripturæ, in quibus de *Salecha* vel *Selcha* sermo est. IDEM.

[9] An non forte κληθὲν legendum? IDEM.

[9] Κληθεῖσα) Aut legendum κληθὲν, cum *Bonfrerio*, ita ut referatur ad ὄρος, aut κληθεῖσαν, si sit construenda hæc vox cum antecedente Γαβαληνῇ. Mallem referre ad montem, qui proprie ita dictus, & apud *Hieronymum*, mutare *quæ* in *qui*, propter sequentia. CLERICUS.

[10] Σελάβ) Hoc nomen, quod deerat in Codice Græco, recte a *Bonfrerio* additum est. Sed miror eum edidisse in verbis *Hieronymi*, *Sebastenis*, quod sequutus est & Martianæus, est enim a recto *Sebastene*, quod more Græco in Genitivo habet *Sebastenes*, Σεβαστηνῆς. In vertenda ea nominum Græcorum forma, non solet mutari η in ε, nisi ab imperitis. IDEM.

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|

SELEBIN, Vide SALEBIM.

| | | |
|---|---|---|
| [1] *SELEI, in tribu Juda.* | Σαλεεί, φυλῆς Ἰούδα. | SALEI, tribus Juda. |

SELEUCIA, cujus meminit Scriptura 1. Machab. XI. verf. 8. & Act. XIII. verf. 4. Syriæ urbs eft juxta mare e regione Cypri infulæ, quam Ptolemæus *Seleuciam Pieriam* appellat.

SELIM, urbs in tribu Juda Jof. XV. verf. 32.

SELLA. Vide fupra SELA fecundo.

| | | |
|---|---|---|
| [2] *SELMON, mons in quem confcendit Abimelech adverfus Sicimam dimicans.* | Σελμών, ὄρος ἐφ᾽ ὃ ἀνέβη Ἀβιμελὲχ πολεμῶν τῇ Σικιμᾷ. | SELMON, mons in quem afcendit Abimelech dimicans adverfus Sicima. |
| [3] *SELMONA, caftra filiorum Ifrael in deferto.* | Σελμωνά, σταθμὸς τῶν υἱῶν Ἰσραήλ. | SELMONA, Caftra filiorum Ifrael. |
| [4] *SELO, in tribu Ephraim, in quo loco arca teftamenti manfit, & tabernaculum Domini ufque ad tempora Samuelis. Eft autem in decimo milliario Neapoleos in regione Acrabitena: Sed & Judæ Patriarchæ filium Selon appellatum legimus.* | Σηλώ, φυλῆς Ἐφραίμ. ἐν ταύτῃ κατέμεινε τὸ πρὶν ἡ κιβωτὸς μέχρι τῶν χρόνων Σαμουήλ, ὡς ἀπὸ σημείων ιβ᾽ ἐν τῇ Ἀκραβαττινῇ. Σιλώμ δὲ καὶ Ἰούδα τοῦ Πατριάρχου εἷς τῶν υἱῶν ἐκαλεῖτο. | SELO, tribus Ephraim. in hac permanfit antea arca ufque ad tempora Samuelis, quafi in duodecimo lapide in Acrabattene. Sed & unus filiorum Judæ Patriarchæ vocabatur Selon. |
| [5] *SEMERON, hanc cepit Jefus rege illius interfecto. Dicunt autem nunc pro ea Sebaften vocari oppidum Palæftinæ, ubi S. Joannis reliquiæ conditæ funt. Legimus in regnorum libris quod Amri rex Ifrael emerit montem Semeron, a quodam Semer, & ædificaverit in vertice ejus civitatem, quam ex nomine domini appellaverit Semeron.* | Σομερών, καὶ ταύτην εἷλεν Ἰησοῦς τὸν βασιλέα αὐτῆς ἀνελών. ταύτην λέγουσιν εἶναι Σεβαστήν, τὴν νῦν πολίχνην Παλαιστίνης, λέγεται δὲ ἐν Βασιλείαις Ζαμβρὶ βασιλέα Ἰσραὴλ ἐωνῆσθαι τὸ ὄρος τοῦ Σεμερὼν παρὰ Σεμήρ, κτίσαι τε ἐπ᾽ αὐτοῦ πόλιν, καὶ ἐπονομάσαι Σεμερών, παρὰ τὸν Σεμήρ. | SOMERON, & hanc cepit Jefus rege ejus interfecto. Hanc effe dicunt Sebaften, quæ nunc eft oppidum Palæftinæ. porro narratur in libris regnorum Xambri regem Ifrael emiffe montem Semeron a Semer, & condidiffe in eo civitatem, eamque appellaffe Semeron, a Semer. |
| [6] *SEMRI, in tribu Benjamin.* | Σερίμ, φυλῆς Βενιαμίν. | SERIM, tribus Benjamin. |
| [7] *SEMRON, in tribu Zabulon.* | Σεμερῶν, κλήρου Ζαβουλών. | SEMERON, fortis Zabulon. |

SEN, cujus fit mentio 1. Reg. VII. verf. 12. alibi nufquam, *urbs* videtur fuiffe, cùm lapis ille monumentum victoriæ, de quo ibi fermo eft, dicatur fuiffe pofitus *inter Mafphath & Sen*: *Mafphath* autem *urbis* nomen erat in confinio tribus Judæ & Benjamin, atque adeo verifimiliter & alterum *urbis* nomen cenferi debet, ut a duabus hinc inde urbibus iftius fitus lapidis & monumenti fuerit indicatus. Porro etfi determinatus hujus urbis fitus non facile poffit indicari, tamen cum lapis ille adjutorii fuerit in tribu Juda, ut fupra in *Abenezer* declaratum eft, idemque juxta *Bethfames*, quæ erat in terminis tribus Juda ad Aquilonem, ut habetur Jof. XV. verf. 10. & proxima Philifthæorum regioni, ut e 1. Reg: VI. verf. 12. colligitur: rurfum a Bethfames in defcribendis terminis tribus Juda Jof. XV. verf. 10. proxime verfus Occi-

NOTÆ.

[1] Hæc in verfione noftra *Selim* appellatur, Jof. 15. v. 32. BONFRERIUS.

[2] De hoc monte & facto Abimelech ex eo monte ligna fuccidentis ad compellendos fumo excitato habitatores turris Sichimorum ad deditionem, habes Judic. 9. v. 48. 49. IDEM.

[3] In verfione noftra *Salmona* hæc manfio appellatur, Num. 33. v. 41. IDEM.

[4] In verfione noftra *Silo* urbs hæc dicitur, in qua a Jofue & Ifraelitis fixum eft tabernaculum cum arca Jof. 18. v. 1. quæ ibidem ad trecentos annos & amplius permanferunt, donec fublata a Philifthæis Arca, non diu poft etiam tabernaculum fœderis in *Nobe* migravit. An fub *Samuele*, an fub *Saule* id factum fit difputabimus 1. Reg. 21. v. 1. IDEM.

[5] Duplex eft in Scriptura *Semeron*; una eft in *tribu Zabulon* civitas, Jof. 19. v. 15. de qua paulo poft meminit Eufebius fub nomine *Semron*; & hæc haud dubie eft illa, quam Jofue *cepit*, cujufque *regem interfecit*: altera enim urbs, quæ paffim in Hebræo *Someron* dicitur, in verfione noftra *Samaria*, & poftea *Sebafte* appellata, plus annis poft Jofue quingentis ædificata fuit, in *tribu Ephraim* 3. Reg. 16. v. 24. Adde reges illos, qui cum rege *Afor* Jof. 11. pugnaverunt, inter quos erat rex *Semeron*, fuiffe Aquilonares & fubditos regi Afor, atque adeo *non* fuiffe illam *Semeron* in tribu Ephraim, quæ erat Auftralior. Eft quoque & in verfione noftra locus *Semeron* dictus, *montis* nomen *in tribu Ephraim*, 2. Paral. 13. v. 4. qui omnino diverfus fuit ab altero monte *Semeron* vel *Someron*, fuper quem condita fuit *Samaria*, etfi uterque in *tribu Ephraim* fuerit; fiquidem *Semeron mons*, in cujus vertice fita fuit Samaria, in Hebræo per ש fcribitur, appellaturque שמרון *Schomeron*: at alter mons 2. Paral. 13. v. 4. qui itidem in verfione noftra *Semeron* dicitur, Hebraice צ fcribitur, diciturque צמרים *Tfemaraiim*. IDEM.

[6] Hæc urbs in verfione noftra *Samaraim* dicitur Jof. 18. v. 22. IDEM.

[7] De hac vide paulo ante in *Semeron*. IDEM.

dentem eos producendo veniatur in *Thamna*; hæc vero intra tribum *Dan* ceciderit, ſæpeque a Philiſthæis poſſeſa ſit, neceſsario fit ut SEN in *tribu Dan* fuerit, vel in ea regione, quam Philiſthæi Danitis eripuerant.

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [1] *SENAM, in tribu Juda.* | Σενναάν. φυλῆς Ἰούδα. | SENNAAN, tribus Juda. |
| SENE. Vide paulo poſt SENNA ſecundo. | | |
| [2] *SENNA, terminus Judæ, & uſque hodie oſtenditur in ſeptimo lapide Hierichus contra Septentrionalem plagam villa nomine Magdalſenna, quod interpretatur* turris Senna. | Σεννά, ὅριον [7] τῆς Ἰδουμαίας. καὶ ἔστι νῦν μεγάλη Σεννὰ ἀπὸ ὀγδόου σημείου Ἰεριχοῦς εἰς βοῤῥᾶν. | SENNA, terminus Idumææ. eſtque nunc magna Senna in octavo lapide Hierichuntis verſus Septentrionem. |
| [3] *SENNA, nomen petræ.* | | |
| [4] *SENNAAR, campus Babylonis in quo turris exſtructa eſt; unde egreſſus Aſſur ædificavit Niniven. meminit hujus loci Joſephus in* 1. *Antiquitatum libro ita ſcribens*: de campo, qui in Babylonia regione vocatur Sennaar, narrat Heſtiæus hiſtoricus dicens; quidam Sacerdotum profugi de templo Enyalii Jovis ſacra rapientes in Sannar campum Babyloniæ pervenerunt. | Σενναάρ, πεδίον Βαβυλῶνος, ἔνθα ὁ πύργος ᾠκοδομήθη, ἀφ᾽ ἧς ἐξῆλθεν Ἀσσοὺρ καὶ ᾠκοδόμησε τὴν Νινευήν. μέμνηται δὲ αὐτῆς καὶ Ἰώσηππος λέγων οὕτως ἐν τῇ α ἀρχαιολογίας. Περὶ δὲ τοῦ λεγομένου Σενναὰρ ἐν τῇ Βαβυλωνίᾳ χώρᾳ μνημονεύει Ἑστιαῖος λέγων οὕτω· τῶν δὲ ἱερέων τοὺς διασωθέντας [8] τοῦ Ἐνυαλίου Διός ἱερώματα λαβόντας εἰς Σενναὰρ τῆς Βαβυλῶνος ἐλθεῖν. | SENNAR, campus Babylonis ubi turris ædificata eſt, unde egreſſus eſt Aſſur, & ædificavit Niniven. meminit ejus & Joſephus ita referens primo Antiquitatum de (campo) qui dicitur Sennaar in regione Babyloniæ narrat Heſtiæus ita dicens: e ſacerdotibus eos, qui ſalvi profugerant, Enyalii Jovis Sacra capientes veniſſe in Sennaar Babylonis. |
| [5] *SENNAAR, pro quo Aquila Sennan, Symmachus interpretatur uberem. Meminit hujus & Michæas propheta.* | Σενναάρ, ἐν Μιχαίᾳ, Ἀκύλας, Σενναάρ. Σύμμαχος, εὐθηνοῦσαν. | SENNAAR, in Michæa. Aquila. Sennaar: Symmachus, abundantem, uberem. |
| [6] *SENNAR, unde fuit Amraphel, qui adverſus Reges Sodomorum bellum geſſit.* | Σαναάρ, ὅθεν ἦν ὁ πολεμήσας τοὺς ἀμφὶ τὴν Σόδομα. | SANAAR, unde fuit is, qui bellum geſſit adverſus eos, qui erant circa Sodomam. |

NOTÆ.

[1] Hæc in verſione noſtra *Sanan* appellatur Joſ. 15. v. 37. BONFRERIUS.

[2] In verſione noſtra Joſ. 15. v. 3. *Sina* locus hic appellatur; Num. 34. v. 4. etiam *Senna*. Fuit autem locus hic in extremis tribus Judæ, atque adeo & totius Judææ *finibus Auſtralibus*, quocirca non poteſt eſſe illa, quam hic Hieronymus dicit fuiſſe ad *Septemtrionalem plagam Hierichus*; ita enim debuit fuiſſe toti tribui Judæ & Benjamin Aquilonaris. Quod autem fuerit hæc *Senna* in terminis Judææ *Auſtralibus*, conjecturam meam attuli ad Num. 34. v. 4. fuiſſe videlicet petram, & in petra urbem. IDEM.

[3] Hæc in verſione noſtra *Sene* appellatur, de qua habes 1. Reg. 14. v. 4. ubi etiamnum apud Septuaginta Interpretes in omnibus codicibus nomen expreſſum legitur *Senna*, vel *Sena*. IDEM.

[4] Sennaar eſſe regionis illius, & terræ nomen, in qua Babylon turriſque Babel condita eſt e Gen. 10. verſ. 10. & Cap. 11. v. 2. Dan. 1. v. 2. liquet. Hinc & paſſim Chaldæus paraphraſtes pro *terra Sennaar*, ponit *terram Babylonis*. IDEM.

[5] Legitur hæc vox apud Septuaginta interpretes in nonnullis codicibus Michææ 1. v. 11. at alii codices habent *Senan*, quod voci Hebrææ צאנן *Tſaanan*, vel molliori pronunciatione *Saanan* multo rectius convenit, voluntque multi Hebræi cum Septuaginta Interpretibus & Aquila eſſe *nomen proprium*, alii *appellative* vertunt, quod & fecit in verſione noſtra Hieronymus, qui *in exitu* dixit. Quod ſi ut *nomen proprium* ſumendum eſſet, cum ibi propheta vaticinetur adverſum Jeruſalem & Judam, confuſe ſaltem aliquomodo de ſitu hujus loci conſtitui poſſet. IDEM.

[6] Hæc in verſione noſtra & codicibus Septuaginta interpretum *Sennaar* quoque appellatur, & in Hebræo eadem vox eſt, quæ alibi, cum de *Babylonica Sennaar* ſermo eſt. Itaque non eſt hæc alia *Sennaar* ab ea, de qua primo loco actum eſt; neque enim ulla idonea ratio fingi poteſt hanc ab illa diſtinguendi, præſertim cum & Gen. 14. v. 9. ubi de rege hoc fit mentio, & totum illud bellum Sodomiticum refertur, pro *rege Sennaar* Chaldæus paraphraſtes *regem Babylonis* dicat. IDEM.

[7] Τῆς Ἰδουμαίας) Cum deſertum *Tſin* Num. XXXIV. 3. 4. quod in verſione Vulgata dicitur *Senna*, & corrupte in Græca Ἐννάκ, fuerit ad fines Idumææ, nolim mutare hic *Idumæam* in *Judæam*, ut fecit *Hieronymus*. Nihil enim vetat *Sennam*, de qua in ſequentibus verbis agit *Euſebius*, aliam eſſe. Imo debet eſſe alia prorſus, ſi ei fines tribus Judæ noti fuerint; debuit enim eſſe intra fines Ephraimi, cum fuerit octo millibus paſſuum ad ſeptemtrionem Jerichuntis, quæ ſita fuit in borealibus finibus Benjaminis. CLERICUS.

[8] Τοῦ Ἐνυαλίου Διός) Cum ſic habeant MSS. Codices *Joſephi*, poſſitque hoc Epitheton Jovis eſſe non minus ac Martis, non video cur cum vitioſis exemplaribus legamus Ἐνυελίου, aut Ἐννυαλίου. Vide hac de re *Ger. Joan. Voſſium* de Theologia Gentilium Lib. 1. Cap. 16. Emendavimus etiam *Hieronymum*, ex MSS. quos profert *Martianæus*; cui tamen fides habenda non eſt, dicenti, *ſe de Jove Enyalio plurima legiſſe, apud optimos Scriptores*. Quam enim hoc frequens Epitheton eſt Martis, tam raro de Jove occurrit, nec temere alibi inveniatur. *Euſtathius* quidem ad Iliad. N. p. 944. Ed. Rom. ait Veteres dicere *Enyalium* fuiſſe filium Saturni & Rheæ, ſed Jovem non nominat. IDEM.

HIERONYMUS. ΕΥ'ΣΕΒΙΟΣ. EUSEBIUS.

SENNIM VALLIS. Vide infra VALLIS SENNIM.

SENSENNA, urbis nomen in tribu Juda, Jos. xv. verf. 31.

[1] *SEON five SOEN, in tribu Iffacbar, bodieque oftenditur villa juxta montem Thabor.*

Σηών, κλήρου Ἰσσάχαρ, καὶ νῦν ἔστι παρὰ τὸ ὄρος Θαβώρ.

SEON, fortis Iffachar, eftque hodie juxta montem Thabor.

[2] *SEORA, urbs juxta Sodomam, quæ & Segor, & Zoara; de qua fupra diximus.*

[7] Σωορά, πόλις τῆς περιχώρου Σοδόμων, ἡ καὶ Σεγὼρ ὀνομάζεται, καὶ Ζοαρά.

SOORA, civitas regionis finitimæ Sodomis, quæ & Segor appellatur & Zoara.

SEPHAATH. Vide paulo poft SEPHET.

[3] *SEPHAMA, terminus Judæ ad folis ortum.*

Σεφεμά, ὅριον τῆς [8] Ἰδουμαίας πρὸς ἀνατολάς.

SEPHEMA, terminus Idumææ ad plagam orientalem.

SEPHAMOTH. Vide fupra SAPHAMOT.

SEPHAR, mons in extrema ad Orientem India, qui fuit Orientalis terminus habitationis filiorum *Jectam*, qui totam Indiam profeminarunt & incoluerunt. Gen. x. verf. 30. Vide quæ nos ad eum locum.

SEPHARVAIM. Vide fupra SAPHARVAIM.

SEPHATA, vallis nomen in tribu Juda, juxta urbem *Marefa* verfus extremos fines tribus Judæ ad Auftrum, in qua Afa rex cum *Zara* rege Æthiopum conflixit, eumque in fugam compulit, 2. Paral. XIV. ubi de *Sephata* habes verf. 10. Vide & fupra MARESA.

[4] *SEPHELA, ficut fcribit Efaias, pro quo Aquila campeftrem, Symmachus vallem interpretantur. ufque bodie omnis regio juxta Eleutheropolim campeftris & plana, quæ vergit ad Aquilonem & Occidentem, Sephala dicitur.*

Σεφηλά, ἐν Ἡσαΐᾳ· Ἀκύλα, πεδινή· Συμμάχῳ, κοιλάς καὶ εἰς ἔτι νῦν Σεφηλὰ καλεῖται. αὕτη ἐστὶ πᾶσα ἡ περὶ τὴν Ἐλευθερόπολιν πεδινὴ χώρα πρὸς βοῤῥᾶν καὶ δυσμάς.

SEPHELA, In Ifaia: Aquilæ, campeftris: Symmacho, vallis. & ufque hodie Sephela vocatur. Hæc eft omnis illa circum Eleutheropolim regio campeftris ad Septentrionem & Occidentem.

SEPHER, montis nomen in deferto, in quo facta eft una Ifraelitarum manfio Num. XXXIII. verf. 23. 24.

[5] *SEPHET, Chananæorum locus.*

Σεφέθ, τῶν Χαναναίων.

SEPHETH, Chananæorum locus.

[6] *SEPHINA, pro quo Aquila & Symmachus interpretantur Aquilonem.*

Σεφινά, Ἀκύλ. Σύμμ. βοῤῥᾶν.

SEPHINA, Aquila, & Symmachus (interpretantur) Septemtrionem.

SEPHORIS, vel SAPHORIS, cujus Scriptura non meminit, fed Hieronymus toto hoc libro de locis Hebr. fæpius; Galilææ civitas tefte Jofepho Lib. XIV. Ant. Judaic. Cap. 10. & Lib. XVII. Cap. 12. & Lib. III. Belli Judaic. Cap. 1. quin aliquando fub Herode facta Galilææ caput, ut habet Jofephus Lib. XVIII. Ant. Judaic. Cap. 3. dicta fuit alio nomine DIOCÆSAREA tefte Hieronymo proœmio in Jonam, & hic in voce Araba. Hæc a *Cafaloth* feu *Cefeleththabor*, quæ ad radices montis Thabor erat, diftare ponitur octo milliaribus verfus Occidentem, fupra a Hieronymo in *Achafeluth* & *Achfaph*. A monte Thabor decem mil-

## NOTÆ.

[1] De hac habes Jof. 19. v. 19. quæ & in verfione noftra *Seon* appellatur. BONFRERIUS.

[2] Nufquam apud Septuaginta Interpretes nunc *Seora* pro *Segor*, fed bene Gen. 13. v. 10. & Hierem. 48. v. 34. lego Ζόγορα *Zogora*, quod cum voce Syriaca *Zoara* propemodum confentit. IDEM.

[3] Pro *Judæ* hic repone *Judææ*, fic tamen, ut per *Judæam* intelligamus hic totam terram Cis-Jordaninam, quomodo aliquando diximus nomen *Judææ* fumi. Fuit autem locus hic ad minorem Jordanem, inter Jordanis fontes & Semechonitem lacum, ut fatis colligitur ex defcriptione horum terminorum regionis Cis-Jordaninæ, quæ habetur Num. 34. v. 10. 11. IDEM.

[4] Hanc vocem fæpe tamquam *propriam* ufurpant Septuaginta Interpretes, ut 2. Paral. 26. v. 10. Hierem. 32. v. ult. & Cap. feq. v. 13. Abdiæ v. 19. pro quo verfio noftra femper *campeftria* habet. Sed & nomen *Sephela* [in noftra verfione femel 1. Machab. 12. v. 38. tamquam nomen *proprium* ufurpatur, quæ non videtur alia ab ea, quam hic defcribit Hieronymus *juxta Eleutheropolim*. Quam item defcriptionem rurfum adfert in commentario in Abdiam ad v. 19. ubi ait *Sephelam campeftrem regionem dici, quæ circa Eleutheropolim eft*. IDEM.

[5] In verfione noftra *Sephaath* locus hic appellatur, eftque vel *urbis* vel *regionis* nomen, quam tenebant Chananæi Judic. 1. v. 17. Vide quæ nos ad eum locum, & Num. 1. v. 3. diximus. Eft & alia *Sephet*, cujus fit mentio Tob. 1. v. 1. quæ ibidem non obfcure conftituitur in tribu Nephthali. IDEM.

[6] Significat haud dubie hæc vox *appellative* fumta *Aquilonem*, fed ubi eam Septuaginta Interpretes ad modum nominis *proprii* retinuerint, non invenio. IDEM.

[7] Σωορά ) Fallitur *Bonfrerius*; cum ad vocem *Segor* collocat hanc urbem ad occafum lacus Afphaltitæ, quæ fine dubio fuit ad ortum in Moabitide, ut oftendimus in Differt. de *ftatua Salina*. CLERICUS.

[8] Ἰδουμαίας ) Et *Hieronymi* verfio & Scripturæ locus a *Bonfrerio* laudatus oftendunt legendum hic Ἰουδαίας. IDEM.

liaribus verſus Occidentalem plagam diſtare ſtatuitur infra in THABOR. Brochardus duabus leucis a *Cana* Galilææ removet, & totidem a *Nazareth*.

SEPULCHRA CONCUPISCENTIÆ, Num. XI. verſ. 34. ubi plerique Iſraelitarum ob concupitas carnes in deſerto, & ad faſtidium uſque comeſtas a Deo cæſi ſunt, eodemque in loco ſepulti.

SER, urbis nomen in tribu Nephtali, Joſ. XIX. verſ. 35.

SESACH, Hierem. XXV. verſ. 26. & Cap. LI. verſ. 41. pro *Babylone* ponitur voce immutata per occultas literarum notas, & modum quemdam *Cabalæ* de quo nos egimus in noſtris Scripturæ *Præloquiis* Cap. XXI. Sect. 3. ubi ſecundum modum *Cabalæ* ſecundi generis tradidimus.

SETIM. Vide ſupra SATTIM.

SETTIM. Vide SATTIM.

[1] *SICELECH, quam Achis rex alienigenarum dedit ad inhabitandum David. Eſt autem in Daroma, ſortis Judæ, vel Symeonis.*

Σικελάγ, ταύτην ἔδωκεν Ἀγχοὺς τῷ Δαβίδ· [4] φυλῆς Ἰούδα. ἢ Συμεὼν, ἐν τῷ Δαρωμᾷ.

SICELAG, hanc dedit Anchus Davidi: in tribu Juda ſeu Symeon in Daroma.

SICELEG. Vide proxime SICELECH.

[2] *SICHAR, ante Neapolim, juxta agrum, quem dedit Jacob filio ſuo Joſeph, in quo Dominus noſter, atque Salvator, ſecundum Evangelium Joannis, Samaritanæ mulieri ad puteum loquitur, ubi nunc Eccleſia fabricata eſt.*

Συχάρ, πρὸ τῆς Νέας πόλεως πλησίον τοῦ χωρίου, οὗ ἔδωκεν Ἰακὼβ Ἰωσὴφ τῷ υἱῷ αὐτοῦ. ἐν ᾗ ὁ Χριστὸς κατὰ τὸν Ἰωάννην Σαμαρείτιδι παρὰ τῇ πηγῇ διαλέγεται, καὶ εἰς ἔτι νῦν δείκνυται.

SYCHAR, ante Neapolim juxta agrum, quem dedit Jacob Ioſepho filio ſuo. in qua Chriſtus ſecundum Joannem diſſerit cum Samaritana ſecus fontem, & uſque hodie monſtratur.

[3] *SICHEM, & SALEM, quæ Latine & Græce Sicima vocata eſt, civitas Jacob, nunc deſerta eſt. Oſtenditur autem in ſuburbanis Neapoleos, juxta ſepulchrum Joſeph, quam ſubvertit Abimelech, & ſeminavit in ea Salem, ſicut in libro Judicum ſcriptum eſt. Poſtea vero inſtaurata eſt ab Hieroboam, ut Regnorum narrat hiſtoria, & ſita eſt in finibus Ephraim. Sed & filius Emmor appellabatur Sichem, a quo & locus nomen*

Συχέμ, καὶ ἡ Σικιμὰ, ἡ καὶ Σαλὴμ πόλις Ἰακὼβ, νῦν ἔρημος. δείκνυται δὲ ὁ τόπος ἐν προαστείοις Νέας πόλεως, ἔνθα καὶ ὁ τάφος δείκνυται τοῦ Ἰωσὴφ, καὶ παράκειται. καθεῖλε δὲ αὐτὴν Ἀβιμέλεχ, καὶ ἔσπειρεν αὐτὴν ἅλας, ὡς ἐν κριταῖς. Ἤγειρε δὲ αὐτὴν Ἱεροβοάμ, ὡς ἐν Βασιλείαις. κεῖται ἐν ὁρίοις κλήρου Ἐφραίμ. Συχὲμ δὲ καὶ υἱὸς Ἐμμὼρ ἐκαλεῖτο, ἀφ' οὗ καὶ ὁ τόπος. ἦν δὲ καὶ Συχὲμ ἐν ὁρίοις Ἐφραὶμ, πόλις φυγαδευτηρίου.

SYCHEM, quæ & Sichima, & Salem, civitas Jacob, nunc deſerta. porro oſtenditur locus ille in ſuburbiis Neapolis, ubi & ſepulcrum monſtratur Joſephi, quod vicinum eſt. Subvertit autem eam Abimelech, & Salem ſeminavit, ut eſt in lib. Judicum. Excitavit vero eamdem Jeroboam, ut eſt in libr. regnorum. Sita eſt in finibus ſortis Ephraim. Sychem præterea filius Emmor vocabatur, a quo & ille locus.

N o t æ.

[1] In verſione noſtra *Siceleg* nuncupatur. Fuerat hæc primo attributa *tribui Judæ* Joſ. 15. v. 31. poſtmodum ei avulſa eſt, & data *tribui Simeonis*, Joſ. 19. v. 5. Poſtea cum in Philiſthæorum eſſet confinio, ab iis fuit occupata; unde factum, ut quo tempore David Saulem fugiens apud Philiſthæos perfugium quæſiit, eam impetrarit, ut in eam cum ſociis ſe reciperet. qua ex occaſione factum eſt, ut ea regum Judæ deinceps particularis poſſeſſio cenſeretur 1. Reg. 27. verſ. 5, 6. Bonfrerius.

[2] Non eſt diſtinguenda meo judicio *Sichar*, cujus fit mentio Joann. 4. v. 5. *a Sichem* ſeu *Neapoli*: utraque enim erat civitas *Samariæ*, utraque juxta montem *Garizim*, utraque habebat prædium illud, quod Jacob emerat dederatque Joſeph filio ſuo, vicinum & ſuburbanum, ut e Scriptura liquet: quæ omnia ſatis indicant, fruſtra inter hæc diſcrimen poni; niſi forte inter *Sichem* & *Neapolim* nonnulla diſtinctio ſtatuenda ſit, qua de re proxime dicetur. Adde nominis affinitatem, nam illud *Sichar* nonnulla vocis corruptione a *Sichem* videtur deformatum. Idem.

[3] *Sichem* & *Salem* eandem eſſe urbem etiam ſupra in *Salem* diximus, quæ & alibi in verſione noſtra *Sichima* dicitur, & in Evangelio corrupta voce *Sichar*. Sita fuit in *tribu Ephraim* in *monte*, ut habetur Joſ. 20. v. 7. & Cap. 21. v. 21. & 3. Reg. 12. v. 25. & 1. Paral. 6. v. 67. Quamquam & alii montes *Garizim* & *Hebal* eidem imminerent. Quin & ipſa vox *Sichem* aliquid *altius elevatum* ſignificat. *Sichem* enim *humerum* ſignificat. Fuit autem Levitica civitas & *refugii* Joſ. 20. v. 7. & Cap. 21. v. 21. & 1. Paral. 6. v. 67. Exciſa fuit ab Abimelech, ut habetur Judic. 9. v. 45. A Jeroboamo reſtituta eſt, ubi & ipſe ſedem regiam fixit. 3. Reg. 12. v. 25. Poſtea rurſum reſtituta dicta eſt *Neapolis*, ſeu *nova civitas*, teſte Hieronymo in Epitaphio Paulæ, & in Oſee 6. quamquam ſint qui *Neapolim* diſtinguant, & aliquantum loco disjungant a *Sichem*, quod hic indicatur a Hieronymo, qui Sichem ponit in *ſuburbanis Neapoleos*: cui conſentiunt Breindenbachius, & ex eo Adrichomius, qui ajunt novam urbem a veteri ( cujus adhuc ruinas cerni dicunt ) abfuiſſe quantum bis arcus jacere poteſt: & hoc modo *gemina* quodammodo urbs *Sichem* ſtatui poteſt. Porro hæc ipſa eſt, quæ *fugitivorum*, ſeu *refugii* civitas fuit, quare non videtur recte hic duplex eo nomine civitas ſtatui. Idem.

[4] Φυλῆς Ἰούδα καὶ τὰ ἑξῆς ) Verſionem Hieronymianam horum verborum omiſerat *Bonfrerius*; cur vero, non intelligo. Clericus.

HIERONYMUS. | ΕΥ'ΣΕ'ΒΙΟΣ. | EUSEBIUS.

*accepérat ; fuit autem & altera Sichem in monte Ephraim civitas fugitivorum.*

Fuit vero etiam Sychem in finib. Ephraim civitas refugii.

[1] *SICHEM, in tribu Manasse, civitas sacerdotalis & fugitivorum in monte Ephraim : ubi sepelierunt ossa Joseph, de qua & supra diximus.*

Συχὲμ, πόλις φυλῆς Μανασσῆ, ἡ πρὶν οὖσα ἱερατικὴ τῶν φυγαδευτηρίων, ἐν ὄρει Ἐφραὶμ, οὗ ἔθαψαν τὰ ὀστέα Ἰωσήφ· κεῖται ἀνωτέρω Συχέμ.

SYCHEM, civitas tribus Manasse, quæ prius erat sacerdotalis fugitivorum, in monte Ephraim, ubi sepelierunt ossa Joseph : Extat superius Sychem.

SICHIMA. Vide paulo ante SICHEM.

SICYON, cujus fit mentio 1. Machab. xv. vers. 23. Ptolemæo & Stephano *Peloponnesi* civitas.

SIDE, cujus fit mentio 1. Machab. xv. vers. 23. *Pamphyliæ* civitas Ptolemæo, Straboni, & Stephano.

[2] *SIDON, urbs Phœnices insignis, olim Chananæorum terminus ad Aquilonem respiciens, & postea regionis Judææ. Cecidit autem in sortem tribus Aser, sed eam non possedit, quia hostes nequaquam valuit expellere.*

Σιδὼν, πόλις ἐπίσημος Φοινίκης, ὅριον δὲ ἦν τὸ παλαιὸν τῶν Χαναναίων βόρειον· ὕστερον δὲ τῆς Ἰουδαίας, ἐπεὶ καὶ αὐτὴ γέγονε τῆς κληρονομίας τοῦ Ἰσραήλ· φυλὴ γοῦν Ἀσὴρ ἐκεκλήρωτο. ἀλλ' οὐκ ἐξῆρεν αὐτῆς τοὺς ἀλλοφύλους ἡ φυλὴ Ἀσὴρ, φησὶν ἡ γραφή.

SIDON, civitas nobilis Phœnices, terminus olim Chananæorum Septentrionalis : postea Judææ, cum ea facta est hæreditatis Israel ; tribus quippe Aser eam sorte acceperat : sed non sustulit ex ea alienigenas tribus Aser, inquit scriptura.

SIDONIA, regio *Sidoniorum*, urbi *Sidoni* adjacens & subjecta, in qua erat & *Sarephta*, in qua habitavit Elias, Lucæ iv. vers. 26.

[3] *SIENAIM, quercus pertinens ad terminum Nephthalim.*

Σενναναὶμ, [5] δρῦς, ὅριον Νεφθαλείμ.

SENNANIM, quercus, terminus Nephthali.

[4] *SIHOR, locus contra faciem Ægypti. sed & hodie ostenditur villa nomine Sihor, inter Æliam & Eleutheropolim, in*

Σιὼρ, [6] ἡ κατὰ πρόσωπον Αἰγύπτου· ἔστι δὲ καὶ κώμη Σιὼρ μεταξὺ Αἰλίας καὶ Ἐλευθεροπόλεως· φυλῆς Ἰούδα.

SIOR, locus contra faciem Ægypti ; est autem vicus Sior inter Æliam & Eleutheropolim : tribus Juda.

## NOTÆ.

[1] Satis liquet hanc a præcedenti non esse diversam, cum ad prius dicta se referat ; satisque constet in *Sichem* illa, quæ erat in tribu Ephraim, sive in prædio ejus suburbano, condita fuisse ossa Joseph, Jos. 24. v. 31. 32. eamdemque fuisse *fugitivorum* civitatem, & *Leviticam*, pro quo hic *Sacerdotalem* ponit, cum tamen extra tribum Juda & Benjamin nullæ fuerint *civitates Sacerdotales*, satisque liqueat hanc a Scriptura *Leviticam* statui civitatem, non *Sacerdotalem*, Jos. 21. v. 21. & 1. Paral. 6. v. 67. Quocirca illud mirum est, hic eam urbem *in tribu Manasse* constitui, quam supra *in tribu Ephraim* constituerat : etsi in *monte Ephraim* sita, ut hic dicitur, & passim in Scriptura, quomodo eadem in tribu *Manasse*? Id unum forte vult, fuisse juxta confinia dimidiæ tribus Manasse. BONFRERIUS.

[2] Fuit hæc urbs Tyro Borealior ad mare, & Antilibano monti vicinior, eademque fere in angulo Occidentis & Aquilonis toti Chananææ, & terræ promissæ. *Tribui Aser* assignatam habes Jos. 19. v. 28. sed *inde non exclusisse pristinos habitatores*, qui etiam erant Chananææ originis, habes Judic. 1. v. 31. Diu inter Tyrum & *Sidonem* certatum est de imperio, magnitudine, opulentia, emporii celebritate ; sed in Scriptura fere ubique videntur Tyro primæ partes dari, eademque magis celebrari, etsi *Sidon* Tyro fuerit antiquior, & Tyrus Sidoniorum fuerit colonia. Distat a Tyro *Sidon* versus Boream juxta Strabonem ducentis stadiis, hoc est, Italicis milliaribus viginti quinque, belgicis seu horariis milliaribus novem vel decem. Sed hæc distantia videtur mihi nimia. Adrichomius in sua tabula Chorographica, sex horaria milliaria distantiæ, & paulo amplius ponit : Ptolemæus his omnibus multo minorem ; siquidem apud Villanovanum longitudinis utrique gradus assignat 64. latitudinis vero exiguum discrimen, nam *Sidoni* assignat gradus latitudinis 33. & $\frac{1}{3}$ Tyro vero 33. & $\frac{1}{4}$, quod duo tantum milliaria horaria distantiæ redderet : quamquam omnino suboleam in hisce minutiis errorem esse ; variat enim Maginus, licet fœdiori errore Tyrum Sidone Borealiorem faciat : facile quinque aut sex milliaribus inter se distare crediderim. Vide quæ de *Sidone*, & Tyro dixi Jos. 19. v. 28. & 29. IDEM.

[3] Videtur hæc vox non parum corrupta, pro qua in versione nostra conformiter Hebræo legimus *Saananim* Jos. 19. v. 33. quæ vox multo adhuc corruptior legitur in codicibus Septuaginta Interpretum, Romano, Aldino, Basileensi. Videtur autem *Saananim regionis* vel *populi* potius juxta Libanum esse nomen, quam *quercus*. Porro quod Eusebius id *quercus* nomen esse dicat mirum est, cum urbes in *quercubus* esse non soleant; ibi autem dicantur oppida *Heleph* & *Elon esse in Saananim*. Videri posset Eusebius nactus codicem Septuaginta Interpretum, in quo illud *Elon* ( quod Hebræis *quercum* significat ) *appellative* redditum esset, cum *proprium* nomen esse longe sit verisimilius, & velut *proprium* nomen exhibeant nunc omnes codices Septuaginta Interpretum, licet voce fere corrupta. IDEM.

[4] Hujus fit mentio etiam in versione nostra 1. Paral. 13. v. 5. quo nomine ibi intelligitur *torrens* ille *Ægypti* extremus versus Ægyptum, assignatus passim in Scriptura terræ promissæ terminus : ita enim & alibi idem *torrens* in Hebræo appellatur שיחור *Scichor* Jos. 13. v. 3. quamquam nonnulli eo nomine *Nilum* intelligant, qui aliquando eodem nomine in Hebræo dictus invenitur Hierem. 2. v. 18. Significat autem *Sihor nigrum*, vel *nigredinem*. Est & alius locus in *tribu Aser* juxta Carmelum montem, & mare, *Sihor* a *nigredine* appellatus, Jos. 19. v. 26. cujus nominis inditi originem ad eum locum venari studemus. IDEM.

[5] Δρῦς ) Erat in Codice Regio δρυὸς in genitivo, teste *Martianæo*. CLERICUS.

[6] Ἡ κατὰ πρόσωπον ) subaudiri videtur χώρα. Sed nusquam legimus regionem sic dictam ; *Hieronymus* habet *locum*, sed nec de *loco*, hoc est, oppido, aut vico nomen hoc usurpatum legitur. De fluvio tantum dicitur, quem Nilum esse ad Jos. XIII. 3. multis ostendimus. IDEM.

[1] Du-

HIERONYMUS. | ΕΥ'ΣΕ'ΒΙΟΣ. | EUSEBIUS.

*tribu Juda. ſuper hoc in libris Hebraicarum quæſtionum plenius diximus.*

SILO. Vide ſupra SELO.

SILOE, idem fons, qui alio nomine *Gibon* dictus eſt, quod probandum nobis erit pluribus ad 3. Reg. I. verſ. 33. Vide ſupra in GIHON. Fuit & *Natatoria Siloe*, juxta montem *Sion*, in ipſo fere angulo Orientis & Meridiei, *piſcina* videlicet, in quam derivabantur prioris illius fontis aquæ, de qua & nos ſupra diximus in voce NATATORIA SILOE. Ab hac *piſcina* totus ille locus, qui erat juxta piſcinam ad radices montis Sion, dictus eſt etiam *Siloe*. Hinc Lucæ XIII. verſ. 4. *e monte Sion turris in præceps delapſa octo & decem viros in Siloe exiſtentes oppreſſit.*

[1] *SIN, deſertum inter mare rubrum & ſolitudinem Sina. Nam de deſerto Sin filii Iſrael venerunt in Raphidim, & a Raphidim in deſertum Sina, juxta montem Sina, ubi Moyſes tabulas legis accepit. Deſertum autem Sin idem dicit eſſe Scriptura quod & Cades: ſed hoc juxta Hebræos. Cæterum in Septuaginta interpretibus non habetur.*

Σὶν, ἔρημος ἡ μεταξὺ παρατείνουσα τῆς ἐρυθρᾶς θαλάσσης καὶ τῆς ἐρήμου Σινά. ἀπὸ γὰρ Σὶν ἦλθον εἰς Ῥαφιδεὶμ, ἀπὸ δὲ ταύτης εἰς τὴν ἔρημον Σινὰ παρὰ τὸ Σινὰ ὄρος, ἔνθα Μωϋσῆς τὴν νομοθεσίαν λαμβάνει. τὴν δὲ ἔρημον τὴν αὐτὴν λέγει τὴν τῆς Κάδδης ἡ παρ' Ἑβραίοις γραφὴ, ἀλλ' οὐχὶ τῶν ό.

SIN, deſertum quod extenditur inter mare rubrum & deſertum Sina. nam a Sin venerunt in Raphidim, inde in deſertum Sina juxta montem Sina, ubi Moyſes accipit jus ferendæ legis. Hoc autem deſertum idem eſſe ait quod Caddes Scriptura Hebræorum, ſed non Septuaginta.

SINA, locus nuncupatur in extremis tribus Judæ totiuſque Judææ terminis *Auſtralibus*, Joſ. XV. verſ. 3. qui alibi Num. XXXIV. verſ. 4. *Senna* dicitur, de quo & nos ſupra in SENNA. Alias *Sina* ſæpius nonnulla decurtatione ponitur pro *monte Sinai*, de quo proxime dicendum. Sed & prior ille locus in Hebræo per צ initio ſcribitur, poſterior per ס.

SINAI, mons in deſerto Arabiæ Petrææ, quod eſt ad Auſtrum totius Judææ, a quo & tota circumjacens regio deſerta *deſertum Sinai* in Scriptura appellatur. In hoc monte vidit Moyſes illuſtrem illam viſionem rubi ardentis citra conſumtionem, Deo e rubro Moyſen alloquente. Ad radices hujus montis annum fere totum egerunt Iſraelitæ ex Ægypto egreſſi, ubi & a Deo e monte Decalogum intonante, & Moyſe deinde in montis verticem aſcendente, illuſtribuſque in eodem monte editis prodigiis, iidem Iſraelitæ legem acceperunt. Quam procul hic mons diſtet a finibns Auſtralibus terræ promiſſæ, vide quæ diximus Deut. I. verſ. 2. & quæ a nobis dicentur 3. Reg. XIX. verſ. 8. Vide & ſupra ad vocem CHOREB.

[2] *SION, mons urbis Hieruſalem,*

Σιὼν, ὄρος ἐν Ἱερουσαλήμ.

SION, mons in Hieruſalem.

[3] *SIOR, in tribu Aſer.*

Σιὼρ, κλῆρος Ἀσήρ.

SIOR, ſortis Aſer.

SIPH. Vide SCIPH.

SIRA, ciſternæ nomen 2. Reg. III. verſ. 26.

[4] *SIROTHA, (vel ut alii libri habent Seirotha) quo confugit Judex Abod. diximus autem ſupra de Seira.*

Σειρωθὰ, ἔνθα κατέφυγεν Ἀώδ. κεῖται καὶ ἀνωτέρω Σεειρά.

SIROTHA, quo confugit Aud. poſita etiam ſupra Seira.

---

N o t æ.

[1] Duplex in Scriptura diſtinguendum *deſertum Sin*, *unum* eſt illud, cujus hic fit mentio *inter mare rubrum & montem Sinai*, cujus fit mentio Exodi 16. v. 1. & Cap. 17. v. 1. & Num. 33. v. 11. in quod Iſraelitæ venerunt anno *primo* egreſſionis ex Ægypto, eſtque ab *Occidentali* parte Idumææ. *Alterum* eſt *deſertum Sin* juxta *Cades*, ab *Orientali* plaga Idumææ, in quod venerunt Iſraelitæ *quadrageſimo* tantummodo anno egreſſus ex Ægypto, cujus fit mentio Num. 13. v. 22 & Cap. 20. v. 1. & Cap. 27. v. 14. & Cap. 33. v. 36. & Cap. 34. v. 3. Deuter. 32. v. 51. Joſ. 15. v. 1. Et quamquam nonnihil difficile videri poſſit, hæc duo deſerta inter ſe in verſione noſtra Latina diſtinguere, eſt tamen id in Hebræo facile, cum diverſa ſit utriuſque ſcriptio: prius enim סין *ſin* dicitur; poſterius צן *Tſin* nuncupatur. Bonfrerius.

[2] Fuit hic mons in *Auſtrali* plaga urbis Jeruſalem, idemque cæteris ejuſdem urbis montibus altior, præſertim qua parte ad Occidentem & Meridiem ſpectabat, ſic fere ut ad Septemtrionem & Orientem perpetuus eſſet deſcenſus, in cujus Occidentali parte Jebuſæorum arx, & poſtea civitas David fuit *Sion* Hieronymus *ſpeculam* interpretatur. Eſt & Sion *alterius* montis nomen, Deuteron. 4. v. 48. qui vulgari nomine *Hermon* dictus eſt, in extremis finibus regionis Transjordaninæ ad Aquilonem. Verum inter hos duos montes, etſi verſio noſtra quoad ſcriptionem non diſtinguat, eſt tamen in Hebræo non parva diſtinctio; *prior* enim ille mons Hieroſolymitanus ציון *Tſion* dicitur, *alter* vero trans Jordanem שיאן *Sion* appellatur. Idem.

[3] Hæc in verſione noſtra *Sibor* appellatur Joſ. 19. v. 26. de quo ſupra ſuo loco diximus. Eſt vero & alterius urbis nomen *Sior* in tribu Juda Joſ. 15. v. 54. Idem.

[4] In verſione noſtra *Seirath* appellatur Judic. 3. v. 26. de quo ſupra ſuo loco dictum eſt. Idem.

1 In-

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|

SIS, clivus in tribu Juda, & deserto Thecue, ut ex adjunctis circumstantiis, & tota narratione colligitur 2. Paral. xx. vers. 16.

SMYRNA, Ptolemæo, Straboni, Stephano Ioniæ in Asia proprie dicta urbs.

SOBA, quæ & SOBAL, & SUBA in Scriptura appellatur, Syriæ pars est, quæ & *Syria Soba* in Scriptura dicitur, videturque ea pars Syriæ fuisse, quæ Manassitas trans Jordanem contiguos habebat ad Austrum, ad Septemtrionem vero Damascenos, quandoquidem rege David proficiscente ut dilataret imperium suum usque ad Euphratem, primus qui ab eo percutitur, est rex *Soba* 2. Reg. VIII. vers. 3. & 1. Paral. XVIII. vers. 3. erat igitur in primo Syriæ ex Judæa aditu. Eadem *Soba* extendi videtur ad radices Antilibani cis Jordanem in *Emath* usque, quandoquidem Emath *Sobæ* annumeretur 2. Paral. VIII. vers. 3. & *Soba* regioni *Emath* 1. Paral. XVIII. vers. 3.

SOBAL. Vide SOBA proxime.

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [1] *SOCCHO, in tribu Juda. Sunt autem usque hodie viculi duo pergentibus Æliam de Eleutheropoli in nono milliario viæ publicæ, unus in monte, alter in campo situs, qui Sochoth nominantur.* | [6] Σοχχὼ, κῶμαί εἰσι δύο ἀνιόντων ἀπὸ Ἐλευθεροπόλεως εἰς Αἰλίαν ἐν τῷ θ' σημείῳ· ἡ μὲν ἀνωτέρα, ἡ δὲ κατωτέρα, Σοηχὼθ χρηματίζουσαι, φυλῆς Ἰούδα. | SOCCHO, Duo sunt vici ascendentibus Eleutheropoli Æliam in nono milliario: alter superior, alter inferior, qui vocantur Soechoth in tribu Juda. |
| [2] *SOCCHO, de qua & supra dictum est. Dicuntur autem Samaritani, qui de Babylone profecti sunt, hunc viculum condidisse.* | Σοχχὼ, ἀνωτέρω κεῖται ἡ Σοηχώ· λέγονται δὲ αὐτὴν κτίσαι οἱ ἀπὸ Βαβυλῶνος Σαμαρεῖται. | SOCCHO, Supra posita est Soecho. porro dicuntur hanc condidisse Samaritani illi, qui Babylone profecti sunt. |
| [3] *SOCHOTH, prima mansio filiorum Israel in deserto, postquam de Ægypto sunt profecti, antequam mare transirent Rubrum.* | Σοχχὼθ, τοῦτο σταθμὸς τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ, ἐπὶ τῆς ἐρήμου, πρὸ τῆς ἐρυθρᾶς θαλάσσης ἐξελθόντων ἀπὸ Αἰγύπτου. | SOCCHOTH, id est statio filiorum Israel in eremo ante mare rubrum, cum egressi sunt de Ægypto. |

SOCOTH, duplex imprimis locus distinguendus in Scriptura est, & uterque a *tabernaculis* dictus (id enim סכת *Succoth*, vel *Socoth* Hebraice significat) unus est locus ille, in quo prima nocte & mansione sua tabernacula fixerunt Israelitæ egressi ex Ægypto, Exodi XII. vers. 37. Num. XXXIII. vers. 5. in extremis fere Ægypti, juxta mare rubrum, finibus. Alter locus est trans Jordanem juxta torrentem *Jaboc*, in quo Jacob ex Mesopotamia reversus ædificata domo, fixisque tentoriis primum consedit Gen. XXXIII. vers. 17. quod nomen *tribu Gad*, Josue XIII. vers. 27. Addi potest his & urbs in *tribu Juda Socoth* dicta Jos. xv. vers. 48. Sed hæc per ש initio in Hebræo scribitur.

SODI, flumen in Babylonia, Baruch 1. vers. 4.

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [4] *SODOMA, civitas impiorum divino igne consumta, juxta mare mortuum.* | Σόδομα, πόλις ἀσεβῶν ἀνδρῶν ἀφανισθεῖσα. περὶ τὴν νεκρὰν θάλασσαν. | SODOMA, civitas impiorum hominum deleta funditus circa mare mortuum. |
| [5] *SOENE, civitas Thebaidis, sicut scribit Ezechiel.* | | |

N O T Æ.

[1] Inter tribus Judæ urbes campestres *Socho* numeratur Jos. 15. v. 35. eademque *Socho Judæ* dicitur 1. Reg. 17. v. 1. Juxta hanc urbem habitum est illud singulare certamen, idemque memorabile Davidis & Goliath 1. Reg. 17. v. 1. fuisse juxta Ramatha, & terminos tribus Ephraim colligitur e 1. Reg. 19. v. 22. fuisse & aliam *Socho* in tribu Zabulon, cujus fiat mentio 3. Reg. 4. v. 10. colligo, qua de re ad eum locum dicendum erit. BONFRERIUS.

[2] Samaritanos eam urbem vel vicum condidisse, qui in tribu Juda *Socho* dicebatur, nullo modo potest esse verum, cum ille in tribu Juda vicus multo ante Samaritanorum in terram Israel adventum extiterit, & Samaritani nunquam in tribum Juda penetraverint. Sed neque illud verum esse existimo, Samaritanos Babylone profectos ullum vicum *Socho* vel *Sochoth* nomine excitasse: alludit enim hic Eusebius ad id, quod habetur 4. Reg. 17. v. 30. *Viri Babylonii fecerunt Sochothbenoth*; ubi vox illa *Sochoth* vel *Sochothbenoth* non est vici nomen, sed idoli. IDEM.

[3] In versione nostra *Socoth* appellatur hæc prima Israelitarum mansio Exodi 12. 13. & Num. 33. v. 5. de qua proxime in *Socoth*. Est & *Sochoth* locus alter trans Jordanem in tribu Gad, cujus fit mentio 3. Reg. 7. v. 46. de quo plura in *Socoth*. IDEM.

[4] Fuit hæc prima inter Pentapoleos civitates, in qua Lot habitavit, eademque maxime impia, & nefanda libidine inquinatissima, a qua & illi nomen factum, ut *peccatum Sodomiticum* appellatur. BONFRERIUS.

[5] In versione nostra *Syene* appellatur Ezech. 29. v. 10. & Cap. 30. v. 6. quin & apud Septuaginta Interpretes in omnibus codicibus fere *Syenen* legimus. Est autem *Syene* urbs Ægypti in *extremitate Thebaidis* & confinio Æthiopiæ, subjecta tropico Cancri. IDEM.

[6] Σοχχὼ) Ita recte *Martianæus*, non Σοηχὼ, ut habebat *Bonfrerius*. LXX. Intt. in Codice Vaticano habent Σαωχὼ, in Alexandrino Σωχώ. CLERICUS.

HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS.

[1] *SONAM, unde fuit illa mulier Sunamitis. Est autem hodie vicus in finibus Sebastæ in regione Acrabitena vocabulo Sanim.*

Σωνὰμ, ὅθεν ἦν ἡ Σωναμῖτις. κώμη ἐστὶν ἐν ὁρίοις Σεβαστῆς ἐν τῇ Ἀκραβαττινῇ Σανὶμ καλουμένη, ὅθεν λέγουσιν τὴν Σωναμῖτιν.

SONAM, unde fuit illa Sonamitis. vicus est in finibus Sebastes in Acrabattine, qui vocatur Sanim, ex quo ajunt fuisse illam Sonamitidem.

SOORA. Vide SEORA.

SOPHAN, urbs in tribu Gad, Num. xxxii. vers. 35. Eadem dicta SAPHON Jos. xiii. vers. 27.

[2] *SOPHERA, mons Orientis in India, juxta quem habitaverunt filii Jectam, filii Heber, quos Josephus refert a Cophene flumine & Indiæ regionibus usque ad id locorum pervenisse, ubi appellatur regio Jeria, sed classis Salomonis per triennium hinc quædam commercia deportabat.*

Σωφειρὰ, ὄρος ἀνατολῶν πρὸς τῇ Ἰνδικῇ, παρ᾽ ᾧ κατώκησαν υἱοὶ Ἰεκτὰν υἱοῦ Ἐβὲρ, οὓς φησιν Ἰώσηπτος [7] ἀπὸ Κωφῆνος ποταμοῦ τῆς τε Ἰνδικῆς καὶ τῆς πρὸς αὐτῆς Συρίας κατασχεῖν. ἐντεῦθεν δὲ καὶ τῷ Σολομῶνι ἡ ναῦς τὸν φόρτον διατριετοῦς ἐκόμιζε χρόνου.

SOPHIRA, mons orientis juxta Indiam, apud quem habitarunt filii Jectam filii Heber, quos ait Josephus a Cophene fluvio & regione Indiæ usque ad ipsam Syriam occupasse. Hinc etiam Salomoni classis onus suum per triennium deportabat.

[3] *SOPHERA, quæ est & Sophir, unde veniebant naves Salomonis: de qua supra diximus. Est autem mons Orientis pertinens ad Indiæ regionem.*

Σοφειρὰ, ἡ καὶ Σουφὶρ, ἔνθα ἤρχετο ἡ ναῦς Σολομῶν· κεῖται καὶ ἀνωτέρω, ὄρος ἀνατολῶν ἐν τῇ Ἰνδικῇ.

SOPHIRA, quæ & Suphir, quo veniebat classis Salomonis: extat etiam supra mons orientis in Indiæ regione.

[4] *SOPHIM, mons Ephraim in loco Arimathem.*

Σωφεὶμ, ἐν ὄρει Ἐφραὶμ τῆς Ἀρμαθάμ.

SOPHIM, in monte Ephraim Armatham.

[5] *SOR, Tyrus, metropolis Phœnices, in tribu Nephthalim.*

Σὸρ, Τύρος, Φοινίκης μητρόπολις, κλήρου Νεφθαλείμ.

SOR, Tyrus, Phœnices metropolis, sortis Nephthali.

SOREC. Vide SORECH proxime.

[6] *SORECH, nomen torrentis, de quo loco fuit Dalila illa Samsonis; sed & usque hodie ad Septemtrionalem plagam Eleutheropoleos vicus ostenditur nomine Capharsorech juxta villam Saara, unde fuit Samson.*

Σωρὴκ, χειμάῤῥους, ὅθεν ἦν Δαλιλὰ ἡ τοῦ Σαμψών. ἔστι δὲ καὶ κώμη [9] ἐν ὁρίοις Ἐλευθεροπόλεως [8] Βαρὴχ λεγομένη, πλησίον δὲ Σαάρ, ὅθεν ἦν Σαμψών.

SOREC, Torrens, unde erat Dalila uxor Sampsonis. est antem etiam vicus in finibus Eleutheropoleos, qui dicitur Barech juxta Saar, unde fuit Samson.

NOTÆ.

[1] Hæc in versione nostra *Sunam*, vel *Sunem* appellatur, fuit autem urbs in *tribu Issachar* Jos. 19. v. 18. Huc ad *Sunamitidem* mulierem solebat Helisæus divertere, 4. Reg. 4. v. 8. Ex eadem urbe fuit *Abisag* illa *Sunamitis* Davidis senis calefaciendo corpori adhibita, 3. Reg. 1. v. 3. 4. BONFRERIUS.

[2] Hic mons in versione nostra *Sephar* appellatur Gen. 10. v. 30. de quo supra in *Sephar*. IDEM.

[3] *Sophir*, *Suphir*, vel *Sophira* ( scribunt enim per ει σωφείρα, Josephus σωφίρα dicit Lib. VIII. Antiq. Judaic. Cap. 2. eam regionem appellant Septuaginta Interpretes, ) quam Hebraicus textus & versio nostra *Ophir* nuncupant, unde Salomoni ex India aurum deportabatur, quam Eusebius eamdem esse vult cum *Sophera*, de quo paulo ante dictum, versio autem nostra *Sephar* appellat: at *Sophir* vel *Ophir* regionis nomen est, *Sephar* montis. IDEM.

[4] Non *Sophim* simpliciter, sed *Ramathaim Sophim* appellatur *Ramatha*, seu *Arimathia* 1. Reg. 1. v. 1. de qua nos supra. IDEM.

[5] Ita passim ubique vocatur in Hebræo Tyrus צר *Tsor*, vel molliore pronunciatu *Sor*. Septuaginta Interpretes passim fere ubique *Tyrum* cum nostro interprete dixere; aliquoties tamen toto videlicet Cap. 26. & 27. Ezechielis *Sor* retinuerunt. Fuit autem *Sor* vel *Tyrus* non in tribu *Nephthalim*, ut hic dicitur, sed in *tribu Aser*, ut e Jos. 19. vers. 29. liquet. De Tyro plura in voce *Tyrus*. IDEM.

[6] Habes de hoc torrente, vel valle, qui in versione nostra sine adspiratione in fine *Sorec* dicitur, Judic. 16. v. 4. Liquet autem ex hac Hieronymi descriptione hunc torrentem fuisse in tribu Dan, cum & *Saraa Samsonis* patria in tribu Dan esset; quamquam statui debet etiam hunc torrentem per Philisthæos in mare decurrisse: unde & Josephus *Dalilam Palæstinam* facit, quæ in valle *Sorec* habitabat. Porro *Caphar Sorec* significat *villam Sorec*, quæ a torrente nomen acceperit. Adrichomius, etsi ibi ad Septemtrionem Eleutheropoleos torrentem statuat, non tamen illum *torrentem Sorec* facit, sed alium in tribu Dan magis Australem, qui idem fit cum *Nebelescol*, quo in utroque pronunciato ei assentiri non possunt: nam quo ad *torrentem Sorec* ei hic repugnat Hieronymus ( ejus enim posteriora illa verba esse mihi persuadeo ) *Nebelescol* vero vel *torrentem botri* passim omnes alii in tribu Juda reponunt. IDEM.

[7] Ἐν ὁρίοις ) *Hieronymus* legit ἐν βορείοις, *in Septemtrionalibus*. CLERICUS.

[6] Satis liquet vocem Βαρὴχ supra modum esse corruptam, pro qua Hierouymus habet Capharsorech. Saar autem hic ponitur pro Saraa. BONFRERIUS.

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
| --- | --- | --- |
| [1] *SORETH, in tribu Dan, ubi Samson fuisse legimus, juxta Esthaol, de qua supra diximus.* | Σωρὴκ, κλήρου Δὰν, ἔνθα ἦν Σαμψὼν πλησίον τῆς λεγομένης Ἐσθαὸλ. | SORECH, sortis Dan, ubi erat Samson, prope urbem dictam Esthaol. |

SPARTA, a qua Spartiatæ incolæ, urbs est Laconica primaria, postea LACEDÆMON dicta.

STAGNUM GENESARETH. Vide MARE GENESARETH.

SUAL, terra 1. Reg. XIII. vers. 17. quantum colligi potest ex *Ephra*, quæ illi conjungitur, videtur fuisse in dimidia tribu Manasse Cis-Jordanina, cum & *Ephra* illa Gedeonis patria in eadem tribu fuerit.

| | | |
| --- | --- | --- |
| [2] *SUBA, cujus regem percussit David.* | Σουβὰ, ταύτης τὸν βασιλέα ἐπάταξε Δαβίδ. | SUBA, hujus regem percussit David. |
| [3] *SULEM, in tribu Issachar, & usque hodie vicus ostenditur nomine Sulem in quinto milliario Thabor montis, contra Australem plagam.* | Σουβὴμ, κλήρου Ἰσσάχαρ. καὶ νῦν ἔστι κώμη Σουλὴ, ὡς ἀπὸ σημείων ε τοῦ Θαβὼρ ὄρους κατὰ νότου. | SUBEM, in sorte Issachar. estque modo vicus Sule quasi in quinto milliario montis Thabor contra Australem plagam. |

SUNAM & SUNEM. Vide SONAM & SULEM.

SUPH, terra ea dicta est, quæ erat juxta *Ramatha* 1. Reg. IX. vers. 5. cujus inditi nominis rationem ad eum locum investigabimus.

| | | |
| --- | --- | --- |
| [4] *SUR, ubi invenit Angelus ancillam Saræ Agar, inter Cades & Barad. Extenditur autem desertum Sur usque ad mare rubrum, quod ad Ægypti confinia pervenit. Porro Cades solitudo est super urbem Petram. Sed & Scriptura desertum Cades contra faciem Ægypti extendi memorat: ad quod primum venere Hebræi, rubro mari transvadato.* | | |
| [5] *SUR OREB, quod Aquila interpretatur*, petra Oreb. | Σοὺρ Ὠρὴβ, πέτρα Ὠρήβ. | SUR OREB, petra Oreb. |

SUSA, Susianæ in Asia trans Tigrim metropolis, & urbs insignis *inter Babyloniam & Persidem* sita Ptolemæo, Straboni; *Persidi* Stephanus adscribit: sed & Strabo Lib. XV. *Susianam* ait fere *Persidis partem* esse. In hac Cyrus & Persarum reges, subactis Medis & Babylonia, regiam suam collocarunt.

SUSAN, toto libro Esther eadem, quæ alibi in Scriptura, & apud prophanos scriptores SUSA passim dicitur, de qua proxime diximus.

SYENE. Vide SOENE.

SYRACUSA, cujus fit mentio Act. XXVIII. v. 12. vel ut fere numero plurali efferunt profani Scriptores, SYRACUSÆ urbs est Siciliæ amplissima & opulentissima. Eam Cicero Lib. IV. *in Verrem*, & Plutarchus *in vita Marcelli*, *quatuor urbibus* constare tradunt; *quatuor urbibus*, videlicet conjunctis, quarum singulæ suos muros & portas haberent, quæ unam ab aliis separarent, etsi uno in ambitu muro communi continerentur. Strabo Lib. VI. *quinque* hujus

---

NOTÆ.

[1] *Saraa* an *Sorec torrens*, de quo proxime dictum est, his verbis significetur obscurum est, cum in utraque Samson fuerit: pro *Saraa* facit, quod in Scriptura *juxta Esthaol* ponatur, & quod Hieronymus hic ad præcedentia se referat, ubi de *Saara*, non de *Sorec* ab eo actum fuerat: vox tamen, quæ apud Hieronymum & Eusebium est, potius *Sorec* indicat. BONFRERIUS.

[2] In versione nostra fere *Soba* appellatur, subinde *Suba*, vel *Sobal*, de qua diximus in *Soba*. De *Aderezer rege Soba* a Davide percusso & subacto habes 2. Reg. 8. v. 3. & 1. Paral. 18. v. 3. IDEM.

[3] Hæc est eadem cum ea, quæ *Sunam* vel *Sunem* in versione nostra dicitur, de qua in *Sonam* diximus: sed & in codicibus Septuaginta Interpretum non aliter legimus quam *Sonam*, *Sunam*, vel *Sunem*, sive ubi tribui Issachar adscribitur Jos. 19. v. 18. sive alibi. IDEM.

[4] Fuit *Sur* desertum, vel pars deserti Arabiæ Petrææ, quæ extremitati maris rubri & Ægypto vicinior est, extenditur vero versus Aquilonem ad terminos Australes terræ promissæ. Porro per *Cades* hic *Cadesbarne* intellige, non *Cades* alteram, in qua populo aqua e petra anno peregrinationis quadragesimo educta est Num. 20. IDEM.

[5] Eodem modo & Hieronymus in nostra versione *Petra Oreb* dixit, Judic. 7. v. 25. ubi Septuaginta Interpretes vocem Hebraicam retinuerunt, *Sur Oreb*; צור *Tsur* vel *Sur petram* significat. Dicta est autem *Petra Oreb* ab Oreb uno e Madianitarum regulis ibi interfecto. Ubi autem locus hic fuerit, conjecturam nostram supra attulimus in *Petra Oreb*. IDEM.

modi *urbibus* olim constitisse dicit, quarum murus, quo continebantur, in ambitu centum octoginta stadia complecteretur, hoc est septem vel octo horaria milliaria.

SYRIA, nota & late patens Asiæ regio, quam Hebræi ARAM appellant, in varia membra & partes etiam in Scriptura divisa: legimus enim *Syriam Soba*, *Syriam Maacha*, *Syriam Damasci*, *Syriam Rohob*, *Mesopotamiam Syriæ*, quæ in Hebræo appellatur *Syria Padan*, seu *Syria duorum fluviorum*, interjecta videlicet inter Tigrim & Euphratem. Apud prophanos vero Scriptores distribuitur in *Cœlesyriam*, *Palmyrinam*, *Chalcidicem*, *Cassiotidem*, *Phœniciam*, *Apamenem*, *Laodicinem*, *Commagenam*, *Chalibonitidem*, *Cyrrhesticam*, *Pieriam*, *Seleucidem*.

## T

[1] *TABATH, ubi pugnatum est adversus Madian.*

Ταβάμ, ἔνθα ἐπολέμησαν πρὸς τὸν Μαδιάν.

TABAM, ubi pugnarunt (filii Israel) adversus Madian.

[2] *TAFNAS, civitas Ægypti lege Osee, Ezechiel, & Hieremiam. In hac habitaverunt Judæi, qui ob metum Babyloniorum cum Hieremia fugerunt.*

Ταφνάς, πόλις Αἰγύπτου, ἐν Ὠσηὲ, καὶ ἐν Ἰεζεχιὴλ, καὶ ἐν Ἰερεμίᾳ, ἔνθα κατῴκησαν οἱ μετὰ Ἰερεμίου [5] εἰσελθόντες εἰς Αἴγυπτον Ἰουδαῖοι.

TAPHNAS, civitas Ægypti, in Osee, Ezechiele, & Hieremia, ubi habitarunt qui cum Hieremia sunt ingressi Ægyptum Judæi.

[3] *TALEM, in tribu Juda.*

Τελέμ, φυλῆς Ἰούδα.

TELEM, tribus Juda.

TANACH. Vide paulo post in THAANACH.

[4] *TANIS, civitas Ægypti, sicut Esaias & Ezechiel scribunt.*

[6] Τάνις, πόλις Αἰγύπτου, καὶ ἐν Ἰεζεχιὴλ, καὶ ἐν Ἱερεμίᾳ.

TANIS, civitas Ægypti, in Ezechiele, & Hieremia.

TAPHNE vel TAPHNIS. Vide in TAFNAS.

TAPHSAR, quæ vox habetur Hieremiæ LI. vers. 27. in versione nostra, quid sit non est admodum facile definire, cum ea vox nec alibi in Scriptura, nec apud profanos auctores & Geographos inter locorum censeatur nomina. Adde quod Hebræi, & Hebraice periti nolint nomen esse proprium, quamquam fateri debeant vocem esse peregrinam, non Hebraicam. Itaque Pagninus, Vatablus & alii, *principem*, *ducem* reddunt, Tigurini *nobilitatem*, Septuaginta Interpretes etiam *appellative* reddiderunt, sed a cæteris illis abeunt, nam βελοστάσεις, *bellicas machinas* dixerunt. Fatendum est rem esse obscuram, & in re obscura adhærendum potius nostræ versioni, quæ videtur *proprium* nomen facere: de quo aliud nihil possumus dicere, quam fuisse Asiæ gentem, quæ sub Cyro & Persis contra Babylonem militavit, ad ejusque excidium operam suam contulit.

### NOTÆ.

[1] In versione nostra locus hic vocatur *Tebbath* Judic. 7. v. 23. cujus alibi nusquam fit mentio: ex adjunctis tamen locis & circumstantiis satis colligitur fuisse cis Jordanem, eidemque fluvio vicinum, & in dimidia tribu Manasse, aut ejus vicinia, cum *Abelmehula*, cujus ibidem fit mentio, in eadem dimidia tribu Cis-Jordanina esset juxta Jordanem, ut supra in *Abelmaula* dictum est. BONFRERIUS.

[2] In versione nostra *Taphne*, vel *Taphnis* appellatur. Meminit hujus sæpe Hieremias Cap. 2. v. 16. Cap. 43. v. 7. 8. 9. Cap. 44. v. 1. Cap. 46. 14. & Ezechiel Cap. 30. v. 18. De habitatione Judæorum in ea urbe habes apud Hieremiam Cap. 44. v. 1. Eadem autem vocatur *Tanis*, de qua paulo post in *Tanis*. Esse autem unam eandemque urbem *Tanim* & *Taphnim* manifeste probari potest, quia in Hebræo una est eademque vox צען *Tsohan*, quæ modo *Tanis*, modo *Taphnis* vertitur a nostro interprete, nam Ezech. 30. v. 14. eam *Taphnis* vertit, quam ibi Septuaginta Interpretes *Tanim* dicunt, & alibi semper *Tanim* reddidit Hieronymus. Habet alibi in Hebræo *Taphnis* aliud nomen תחפנס *Tachpenes* vel תחפנחס *Tachpanches*. Deinde utraque statuitur civitas *regia Ægypti*, & *Pharaonum sedes*; nam de *Tani* id asserit Hieronymus ad Isaiæ 30. idque probat, quia in *Tani* sua coram Pharaone prodigia Moyses edidit, ut habetur Psal. 77. v. 12. *Taphnim* vero fuisse *urbem regiam*, & in ea Pharaonem habitasse liquet ex Hierem. 43. v. 9. IDEM.

[3] In versione nostra *Telem* appellatur Jos. 15. v. 24. IDEM.

[4] De hac *Tani* vide paulo ante in *Tafnas*. IDEM.

[5] Εἰσελθόντες οἱ Ἰουδαῖοι) Hic sensus plane contrarius est emendationi *Bonfrerii* ad vocem *Magdolus*, ubi vide a nobis notata. Vehementer hic quoque fallitur, ubi Daphnas Ægyptias Hebraice תחפנחס *thahhphanhhes*, quas *Taphnas* vocant LXX. Intt. cum צען *Tsohan*, vel Tani confundit; ea tantum de causa, quod צען *tsohan*. Ezech. XXX. 14. *Taphnis* vertatur in Vulgata Translatione; quæ inconstantia fortasse est scribarum, non *Hieronymi*, & quamvis ipsius esset, laudari minime deberet. De Daphnis egimus, Hieronymiana Quæstione V. Præsidium fuit, ut ostendimus, non procul a Pelusio, Arabum & Syrorum excursionibus oppositum, adeoque ad ortum Pelusii, qua Syri aut Arabes in Ægyptum irrumpere poterant: at Tanis ad occasum sita fuit, trans Nili ostium Taniticum, & nomi Tanitici Metropolis. De qua vide *Joan. Marshamum* ad Sæcul. 1. Canon. Ægyptiaci. CLERICUS.

[6] Τάνις) Addendum fuit hanc fuisse, temporibus Mosis, Metropolin inferioris Ægypti & sedem Pharahonum, quod probarunt *Joan. Marshamus*, eo quem dixi loco, & *Sam. Bochartus*, in Epistola ad *Sanctamantium*, quæ est inter opera postuma, præsertim ex verbis Psaltæ Ps. LXXVIII. 12. IDEM.

| HIERONYMUS. | ΕΥ'ΣΕ'ΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|

TAPHUA. Vide infra THAFFU & THAPHUE: est enim in nostra versione duplex *Taphua*, una in tribu Juda Jos. xv. vers. 34. Altera in dimidia tribu Manasse Cis-Jordanina Jos. xvii. vers. 8.

TARSUS, potens urbs *Ciliciæ* Ptolemæo, Straboni, Stephano: sed & e Scriptura id probari potest, nam Act. xxi. vers. 39. & xxiii. vers. 3. dicit se Paulus natum *in Tarso Ciliciæ*.

TEBBATH. Vide supra TABATH.

TELEM, urbs in tribu Juda, Jos. xv. vers. 24.

| HIERONYMUS. | ΕΥ'ΣΕ'ΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [1] *TEREBINTHUS, in Sicimis, sub qua abscondit Jacob Idola, juxta Neapolim.* | Τερέβινθος, ἡ ἐν Σικίμοις, ὑφ' ἣν ἔκρυψε τοὺς θεοὺς ἀλλοτρίους Ἰακὼβ, πλησίον Νέας πόλεως. | TEREBINTHUS, quæ est in Sicymis, sub qua Deos alienos abscondit Jacob, prope Neapolim. |
| [2] *THESAN, tribus Juda.* | Τεσσάμ, φυλῆς Ἰούδα. | TESSAM, tribus Juda. |
| [3] *THAANACH, civitas, quam expugnavit Jesus rege illius interfecto. Fuit autem in tribu Manasse separata Levitis, & nunc in quarto milliario oppidi Legionis hoc nomine vicus ostenditur.* | [7] Θαναὰχ, πόλις, ἣν ἐπολιόρκησεν Ἰησοῦς, τὸν βασιλέα αὐτῆς ἀνελὼν, ἣ γέγονε φυλῆς Μανασσῆ, Λευΐταις ἀφωρισμένη, καὶ νῦν ἐστι ἀπὸ δ' σημείου τοῦ Λεγεῶνος. | THANACH, civitas, quam expugnavit Jesus rege ipsius interfecto, quæ fuit tribus Manasse, Levitis separata, & nunc est in 4. milliario Legionis (oppidi.) |
| [4] *THAAT, castra filiorum Israel.* | | |
| [5] *THAATH, juxta Galaad.* | Θαάδ, ἐγγὺς Γαλαάδ. | THAAD, juxta Galaad. |
| [6] *THABOR, terminus Zabulon. est autem mons in medio Galilææ, mira rotunditate sublimis, distans a Diocæsarea decem millibus contra Orientalem plagam, qui confinium quoque inter tribum Issachar & Nephthalim fuit.* | Θαβὼρ, ὅριον Ζαβουλών. ἔστι δὲ ὄρος ἐν τῇ πεδιάδι κείμενον, ἀπὸ σημείων ι' Διοκαισαρείας κατὰ ἀνατολάς. τὸ δὲ αὐτὸ καὶ ὅριον ἦν φυλῆς Ἰσσάχαρ καὶ Νεφθαλείμ. | THABOR, terminus Zabulon. est autem mons in planitie situs in decimo milliario Diocæsareæ prope Orientem. hic autem etiam terminus fuit tribus Issachar & Nephtali. |

THACASIN, urbs in tribu Zabulon, in ejusque terminis Jos. xix. vers. 13. quantum vero ego possum colligere in Orientali ejusdem tribus termino, atque adeo juxta mare Genesareth.

---

## NOTÆ.

[1] De hac *Terebintho* habes Gen. 35. v. 4. BONFRERIUS.

[2] Ego nullam isto nomine reperio urbem in tribu Juda, præsertim Jos. 15. ubi istius tribus urbes nominatim recensentur: mihi persuasum est depravatam hic esse vocem, suspicorque eam urbem significari, quæ *Esaan* dicitur Jos. 15. v. 52. IDEM.

[3] In versione nostra *Thanach* vel *Thenach* appellatur. *Dimidiæ tribus Manasse Cis-Jordaninæ* attributam habes Jos. 17. v. 11. *Leviticis urbibus* adscriptam Jos. 21. v. 25. Ex ea pristinos habitatores Chananæos exturbare non potuit, vel noluit hæc tribus, ut habetur Judic. 1. v. 27. fuisse autem urbem hanc sitam in *Aquilonaribus* terminis hujus dimidiæ tribus, nempe juxta *torrentem Cison* & *montem Thabor*, atque adeo in confinio tribus Zabulon, ob idque & ad *Occidentem* montis Thabor non obscure colligo e cantico Deboræ Judic. 5. v. 19. conflictus enim ille a Barac cum Sisara commissus juxta montem Thabor & torrentem Cison, indicatur ibi fuisse *juxta Thanach* habitus; Vide *Thanaach*. IDEM.

[4] In versione nostra *Thahath* hæc mansio appellatur Num. 33. v. 26. 27. IDEM.

[5] Ego nullum ejusmodi locum in Scriptura reperio præter illum, de quo paulo ante, in deserto. IDEM.

[6] Fuit hic *mons* supra modum amœnus, cum insigni in vertice planitie, in qua Christus transfiguratus fuit, & Barac cum Sisara conflicturus suas copias collegit; ad cujus montis radices postea ipse cum eodem conflixit, & victoriam reportavit. Vide quæ de hoc monte pluscula dicimus Judic. 4. v. 6. Fuit autem hic mons *in tribu Zabulon*, sed *in confinio tribus Issachar*, ut subeat mirari quomodo hic dicatur mons hic fuisse *in confinio tribus Issachar & Nephthali*, cum satis constet inter tribum Issachar & Nephthali tribum Zabulon intercessisse. Quocirca vel librariorum, vel memoriæ hic lapsus est. Est & *Thabor urbis* nomen in eadem tribu Zabulon, civitas Levitica 1. Paral. 6. v. 77. quam existimo ad *radices* montis Thabor fuisse positam; eamque non esse aliam ab ea, quæ alibi composita voce *Ceseleththabor* nuncupatur, vel etiam simplici vocabulo *Chasaloth*, non improbabiliter forte quis sentire posset; quia tamen in dinumeratione urbium tribus Issachar Jos. 19. distinguuntur urbes illæ *Chasaloth* & *Thabor*, potius mihi persuasero *Chasaloth* & *Ceseleththabor* eamdem urbem esse, *Thabor* vero ab altera diversam. IDEM.

[7] Θαναὰχ) Sic scripsi ex Codice Alexandrino, pro Θαναί, quæ prava est scriptura. CLERICUS.

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [1] *THAFFU, in tribu Juda, civitas quam expugnavit Jesus rege illius interfecto; diximus & supra de termino Palæstinæ & Ægypti, quæ appellatur Betaphu.* | Θαφφοῦ, πόλις, ἣν ἐπολιόρκησεν Ἰησοῦς τὸν Βασιλέα αὐτῆς ἀνελών, ἣ γέγονε φυλῆς Ἰούδα. κεῖται καὶ ἀωτέρω Βηθαφοῦ. ὅριον Παλαιστίνης καὶ Αἰγύπτου. | TAPHPHU, civitas, quam expugnavit Jesus rege ipsius interfecto, quæ fuit tribus Juda. extat & superius Bethaphu, terminus Palæstinæ & Ægypti. |

THAHATH, mansio Israelitarum in deserto Num. XXXIII. vers. 26. 27.

THALASSA, civitas Cretæ insulæ, juxta locum, qui dictus est BONIPORTUS, Act. XXVII. vers. 8. At in Græco pro *Thalassa* legitur Λασαία. Hieronymus, vel quisquis est auctor libelli *de locis Actuum Apostolorum*, vult in versione vulgata mendum irrepsisse, & pro *Thalassa* legendum esse LASÆA. Arias contra vult in Græco mendum esse, legendumque ΘΑ΄ΛΑΣΣΑ pro Λασαία. Apud Geographos & profanos omnes auctores neque de *Thalassa*, neque de *Lasæa* quidquam reperies, ut ex iis nodus hic solvi non possit. In re obscura libentius versioni vulgatæ adhæreo.

| | | |
|---|---|---|
| [2] *THALASSAR, regio Syriæ.* | Θαλασάρ, χώρα Συρίας. | THALASAR, regio Syriæ. |
| [3] *THALCHA, in tribu Simeon; nunc vicus grandis Judæorum dicitur Thella, quasi in sexto decimo milliario Eleutheropoleos contra australem plagam.* | Θαλχά, φυλῆς Συμεών. νῦν Θαλα καλεῖται Ἰουδαίων μεγίστη κώμη, ὡς ἀπὸ σημείων ις' Ἐλευθεροπόλεως [5] ἐν τῷ Δαρωμά. | THALCHA, tribus Symeon. nunc Thala vocatur vicus Judæorum maximus, fere in decimo sexto lapide Eleutheropoleos in Daroma. |

THAMAR, apud Ezech. Cap. XLVII. vers. 19. & Cap. XLVIII. vers. 28. loci nomen in extremis Judææ ad Austrum terminis, quantumque ex iis locis colligi potest, juxta *initium torrentis Ægypti*; a quo deinde loco totus terminus Australis describitur, *a Thamar usque ad aquas contradictionis Cades*, & ab eodem loco quidquid interjacet usque ad mare magnum, nempe totus ille torrens. Significat autem THAMAR *palmam arborem*. Existimavit Hieronymus ad Ezech. Cap. XLVII. *Thamar* ibi esse *Palmyram* urbem a Salomone ædificatam; at Ezechielis descriptio nullo modo id ferre videtur.

| | | |
|---|---|---|
| [4] *THAMNA, ubi oves suas totondit Judas; ostenditur hodieque prægrandis vicus in finibus Diospoleos euntibus Æliam in tribu Dan, sive Judæ.* | Θαμνά, ἔνθα ἔκειρεν Ἰούδας τὰ ἑαυτοῦ πρόβατα. διαμένει κώμη μεγάλη ἐν ὁρίοις Διοσπόλεως, μεταξὺ ἀπιόντων εἰς Αἰλίαν. ἦν δὲ φυλῆς Δάν, ἢ Ἰούδα. | THAMNA, ubi tondebat Judas suas oves. permanet vicus magnus in finibus Diospoleos inde pergentibus Æliam. fuit autem tribus Dan, sive Juda. |

## NOTÆ.

[1] Hæc in versione nostra dicitur *Taphua* Jos. 15. v. 34. De *rege illius interfecto* habes Jos. 12. v. 17. quamquam nonnulla possit esse dubitatio, an ibi de hac *Taphua in tribu Juda* sit sermo, an vero de altera *in confinio tribus Ephraim & Manasse*, de qua infra in *Thaphue*: eodem enim modo utraque in Hebræo scribitur, ut ex eo nihil lucis ad eam dubitationem tollendam haberi possit. Adde quod Jos. 12. v. 16. *Bethel*, de cujus rege proxime ante sermo est, fuerit rex *in confinio tribus Benjamin & Ephraim*, *Opher* vero, de cujus rege proxime subjicitur, fuerit *in tribu Zabulon*, atque adeo inter utramque *Taphua* illa, quæ erat *in confinio tribus Ephraim & Manasse*, ut videatur ibi nonnullus esse processus ab urbibus Australibus ad Aquilonares. Verum in re non satis clara malim aliorum sententiæ adhærere; significat autem Taphua *pomum*. Quod autem hic de *Betaphu* dicitur, videtur alia fuisse civitas *Beththaphua* dicta in eadem tribu Juda, cum eodem Cap. Jos. 15. v. 34. 53. utraque *Taphua* & *Beththaphua* tanquam diversæ urbes recenseantur. BONFRERIUS.

[2] E Scriptura ægre colligi potest, ubi hæc regio *Thalassar* vel *Thelassar* ( utrumque enim in versione nostra 4. Reg. 19. v. 12. & Isaiæ 37. v. 12. nomen habet ) sita fuerit; sitque valde verisimile circa *Syriam* vel *Mesopotamiam* extitisse; præsertim cum *in Thalassar* dicantur *fuisse*, seu *habitasse filii Eden*. *Eden* autem regio, in qua & Paradisus terrestris in Scriptura dicitur extitisse, videatur fuisse juxta *Mesopotamiam*: hinc & Ezech. 27. v. 23. Eden cum *Haran* ( quam constat fuisse urbem in Mesopotamia ) conjungitur. IDEM.

[3] Legitur hoc urbis nomen apud Interpretes Septuaginta, *in tribu Simeon*, Jos. 19. v. 7. in solo Romano codice, cui in Hebræo & nostra versione nihil respondet: quæ causa esse potuit aliis, qui hæc Biblia e manuscriptis consarcinarunt, vocem illam, ut superfluam, expungendi. Potuerunt tamen Septuaginta Interpretes aliqua urbium nomina adjecisse, quæ in Hebræo minime cernebantur, quemadmodum subinde nonnullas sententias prophetico spiritu inseruerunt, quæ in Hebræo non habebantur; & Exod. 1. v. 11. inter urbes ab Israelitis ædificatas, vel restauratas addunt ipsi, *On*, *quæ est Heliopolis*, quod in versione nostra & Hebræo deest. Et vero satis constat non omnes singularum tribuum urbes in libro Josue fuisse expressas; ut enim de cæteris taceam, Jos. 15. nulla fit mentio *Bethlehem Ephratæ* in tribu Juda, quam tamen & diu ante, tempore videlicet *Jacobi Patriarchæ* extitisse ex Genes. 35. v. 19. & Cap. 48. v. 7. perspicuum est; itemque paulo post *Josue* tempora exstitisse ex ea historia, quæ habetur Judic. 19. constat. IDEM.

[4] Vocatur hæc urbs in versione nostra *Thamna*, *Thamnas*, *Themna*, vel *Thamnatha*. Fuit autem primo *tribui Judæ* attributa Jos. 15. v. 57. postmodum *Danitis* adscripta Jos. 19. v. 43. Eadem cum in Philisthæorum esset confinio, sæpe in eorumdem manus venit, cum victores existerent; nam & Samsonis tempore, cum Samson inde uxorem Philisthæam puellam accepit, in eorum erat potestate, Judic. 14. & tempore Achaz regis eamdem in sua potestate redactam Philisthæi incoluerunt 2. Paral. 28. v. 18. Vide de *Thamna* & *Thamnatha* plura Gen. 38. v. 12. ubi hanc quæstionem ex professo disputavi, sintne diversæ urbes *Thamna* & *Thamnatha*. IDEM.

[5] Ἐν τῷ Δαρωμά ) Norunt omnes hæc *ad meridiem* significare, attamen *Hieronymus* in Bonfreriana, aliisque editionibus, habet *ad Orientalem plagam*, sed *Martianæus* ostendit ex Codicibus MSS. legendum *australem*. CLERICUS.

HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS.

[1] *THAMNA, civitas alia Principum Edom, sed ex concubina Eliphaz filii Esau Thamna appellata est, quæ peperit ei Amalech, unde Amalechitæ.*

Θαμνὰ, ἄλλη πόλις ἡγεμόνων Ἐδώμ. ἦν δὲ καὶ Παλλακὴ Ἐλιφὰζ ὑοῦ Ἡσαῦ, ἥ τις ἔτεκεν αὐτῷ τὸν Ἀμαλὴκ, ὅθεν οἱ Ἀμαληκῖται.

THAMNA, alia civitas principum Edom. fuit autem & concubina Eliphaz filii Esau, quæ peperit ei Amalec, unde Amalecitæ,

THAMNAS. Vide THAMNA primo paulo ante.

THAMNATHA. Vide THAMNA primo paulo ante.

THAMNATHSARA vel THAMNATHSARE. Vide paulo post in THAMNATHSARA.

[2] *THAMPSA, terminus regni Salomonis.*

Θαμσὰ, ὅριον τῆς βασιλείας Σολομών.

THAMSA, terminus regni Salomonis.

[3] *THANAAC, civitas, juxta quam Debora adversus Sisaram dimicavit in tribu Manasse, separata Levitis, quam tenere non potuit pristinis cultoribus nequaquam ejectis. est autem villa nunc prægrandis distans a Legione tribus millibus.*

Θαναὰχ, οὐχ εἷλε ταύτην ἡ φυλὴ Μανασσῆ, ὅτι μὴ τοὺς ἀλλοφύλους μετέστησεν ἐξ αὐτῆς. ἐνταῦθα δὲ τὸν Σισαρὰ ἡ Δέβοῤῥα ἐκπολεμεῖ. ἦν δὲ καὶ αὕτη ἀφωρισμένη Λευΐταις· καὶ νῦν ἔστι κώμη μεγίστη ἀπέχουσα τῆς Λεγεῶνος σημεῖα [8] γ΄.

THANAACH, hanc non cepit tribus Manasse, quia non transtulit alienigenas ex ea. Hic autem Debora Sisaram debellat. Fuit & hæc separata Levitis, estque modo vicus maximus distans Legione tribus milliaribus.

THANACH. Vide supra THAANACH.

THANATHSELO, urbs, vel oppidulum in Orientalibus terminis tribus Ephraim, Jos. XVI. vers. *6.*

[4] *THANNA, in tribu Juda.*

[5] *THANNATHA, posuimus & supra.*

Θαμναθὰ, κεῖται καὶ ἀνωτέρω Θαμνὰ, φυλῆς Δάν.

THAMNATHA, extat supra Thamna tribus Dan.

[6] *THANNATSARA, civitas Jesu filii Nave in monte sita; de qua & supra sub nomine Thanne diximus; in qua usque in præsentem diem sepulcrum ejus ostenditur, in tribu Dan.*

Θαμνασθαρὰ, πόλις Ἰησοῦ τοῦ Ναυὴ ἐν τῷ ὄρει κειμένη. αὕτη ἐστὶ Θαμναὶ, ἡ καὶ ἀνωτέρω κειμένη, ἐν ᾗ εἰς ἔτι νῦν δείκνυται τὸ Ἰησοῦ μνῆμα, [9] φυλῆς Δάν.

THAMVASTHARA, civitas Jesu Nave in monte sita. hæc est Thamnæ de qua superius, in qua usque hodie monstratur sepulcrum Jesu, tribus Dan.

[7] *THAPHET, legimus in Hieremia Aram Thaphet; est autem in suburbanis Æliæ usque hodie locus, qui sic vocatur, juxta piscinam fullonis, & agrum Acheldema.*

Θαφὲθ, Βωμὸς τοῦ Ταφὲθ ἐν Ἱερεμίᾳ, ἐν προαστείοις Αἰλίας εἰς ἔτι νῦν δείκνυται ὁ τόπος οὕτω καλούμενος, ᾧ παράκειται ἡ κολυμβήθρα τοῦ κναφέως, καὶ ὁ ἀγρὸς τοῦ κεραμέως, ἢ τὸ Ἀχελδαμὰ χωρίον.

THAPHETH, Ara Taphet in Hieremia, in suburbanis Æliæ adhuc modo ostenditur ille locus ita nuncupatus, cui vicina est piscina fullonis, & ager figuli, seu locus Aceldama.

---

NOTÆ.

[1] Legimus apud Idumæos *Thamna viri & ducis* nomen, Gen. 36. v. 40. & 1. Paral. 1. v. 36. & 51. Item *mulieris & concubinæ Eliphaz* nomen, Gen. 36. v. 12. at *civitatis* nomen *Thamna* nusquam Scriptura meminit. BONFRERIUS.

[2] In versione nostra *Thaphsa* appellatur 3. Reg. 4. v. 24. De ea dicemus in *Thaphsa*, ubi & hujus urbis situm assignabimus. IDEM.

[3] De hac supra dictum est in *Thaanach*. Fuisse autem juxta hanc urbem dimicatum a Barac & Debora adversus Sisaram indicatur in cantico Deboræ Judic. 5. v. 19. IDEM.

[4] Neque hæc alia est ab ea, quæ *Thamna* supra dicta est, & in Scriptura quidem Jos. 15. v. 37. *tribui Judæ* assignatur, sed ita ut e Jos. 19. v. 43. satis liqueat *tribui Judæ* ereptam, & *Daniticæ* tribui attributam. IDEM.

[5] In versione nostra *Thamnatha* appellatur. Vide supra in *Thamna* primo. IDEM.

[6] In versione nostra vocatur hoc oppidum *Thamnathsara* vel *Thamnathsare*; Fuit hæc peculiaris Josue possessio, in qua & habitavit, & *sepultus est*; in *tribu Ephraim* sita & *monte*, quæ omnia liquent e Jos. 19. v. 50. & Cap. 24. v. 30. & Judic. 2. v. 9. Montis autem illius nomen videtur fuisse *Gaas*, cujus Septemtrionalem partem hæc urbs tenebat, ut indicat Scriptura locis citatis Jos. 24. v. 30. & Judic. 2. v. 9. quod etsi alio sensu accipi possit, nempe ut *mons Gaas* alius plane esset ab eo, in quo sita *Thamnathsare*; at ita intellexit supra Hieronymus in voce *Gaas*, ut idem ipse mons esset *Gaas*, cujus Septemtrionalem partem hæc urbs teneret. De hac urbe sub nomine *Thamne* nihil usquam lego in toto de locis Hebr. libro, quod tamen hic asseritur. At quod additur. IDEM.

[7] Ita locus hic apud Septuaginta Interpretes exprimitur Hierem. 7. v. 31. & 32. In versione nostra *Topheth* appellatur tum ibi, tum alibi sæpius, de quo plura infra in *Topheth*. Porro pro Aranthaphet hic repone *Aram Taphet* divisis vocibus: est enim hic *Aram* latina vox & appellativa; est enim in Græco ibi supra apud Septuaginta Interpretes *βωμὸς τοῦ ταφὲθ ara Tapheth*, pro quo versio nostra habet, *excelsa Topheth*. IDEM.

[8] Σημεῖα γ΄) In voce *Thanach*, quæ eadem est, sunt σημεῖα δ΄. Quis dicat utrum verius sit? CLERICUS.

[9] Φυλῆς Δάν) Imo vero Ephraim, ut recte *Bonfrerius*. Peccatum videtur esse memoriæ. IDEM.

| HIERONYMUS. | ΕΥ'ΣΕ'ΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [1] *THAPHOL, locus in deserto trans Jordanem, in quo Deuteronomium scripsit Moyses contra Hiericho.* | | |

THAPHSA, Hebraice תפסח *Thiphsach*, duplex in Scriptura distinguenda est, cujus utriusque tantummodo semel in Scriptura fit mentio. Et una quidem est illa, cujus fit mentio 3. Reg. IV. vers. 24. ubi constituuntur fines utrimque regni & imperii Salomonis; eo enim in loco dicitur *obtinuisse omnem regionem a Thaphsa usque ad Gazam;* porro *Gazam* constat fuisse regni Salomonis finem a parte *Occidentali* & versus *Ægyptum;* ex quo fit ut THAPHSA constituenda sit in opposito limite ad *Orientem*. Constat vero e Scriptura Davidem versus Orientem dilatasse imperium suum usque ad *Euphratem*, totamque eamdem ditionem tenuisse Salomonem; ex quo manifeste sequitur *Thaphsa* fuisse sitam *ad Euphratem*. Et vero id etiam probari potest ex auctoribus profanis: fuit enim in Euphratis ripa urbs nominatissima THAPSACUS dicta (quæ vox ad vocem Hebraicam proxime accedit) Ptolemæo, Straboni, Stephano, Xenophonti, ut ex ipsis ad eum Scripturæ locum 3. Reg. IV. vers. 24. explicabimus; quam urbem Ptolemæus Lib. V. Geographiæ Cap. 19. *Arabiæ desertæ* attribuit; erat enim *cis Euphratem*: Stephanus & Strabo *Syriæ* adscribunt; forte quod in utriusque esset confinio. Videtur autem hoc *posterius* e mente esse Scripturæ, quæ, ut David hoc potiretur imperio, & urbem hanc ad Euphratem cum cæteris imperio suo adjungeret, facit eum dimicantem adversus reges *Syriæ*, non Arabiæ 2. Reg. VIII. vers. 5. 6. & 1. Paral. XVIII. vers. 5. 6. Addi etiam posset a plerisque magnam partem Cœlesyriæ & Syriæ aliquando *Arabiæ* annumeratam fuisse: siquidem & *Damascus*, quæ *Syriæ* caput fuit, aliquando ad *Arabiam* pertinuit, teste Tertulliano Lib. III. contra Marcionem Cap. 13. Est altera THAPHSA, cujus fit mentio 4. Reg. XV. vers. 16. in regione Cis-Jordanina Judææ, cujus *incolas omnes peremit Manahem rex Israel, quod ei portas non aperuissent*. Ubi sita fuerit non admodum liquidum est, nisi quod ibi supra insinuetur non procul *Thersa* urbe regia eam fuisse, hoc est, quantum ego colligo, *in tribu Ephraim* vel *dimidia tribu Manasse*; qua in re nonnihil divinandum est, cum neque de situ urbis *Thersa*, de qua suo loco, satis constet.

| | | |
|---|---|---|
| [2] *TAPHUE, in tribu Joseph.* | | |
| [3] *THAPHUT, in tribu* Ma*nasse.* | Θαφφοὺς φυλῆς Μανασσῆ. | THAPHPHUS, tribus Manasse. |
| [4] *THARA, castra filiorum Israel.* | | |

THARE. Vide THARA proxime.

THARELA, urbis nomen in tribu Benjamin, Jos. XVIII. vers. 27.

| | | |
|---|---|---|
| [5] *THARSA, ubi Asa rex Israel fuit.* | Θαρσὰ, ὅθεν ἦν Ἀσὰ βασιλεὺς Ἰσραήλ. | THARSA, unde fuit Asa rex Israel. |
| [6] *THARSILA, unde fuit Manaem, usque hodie est vicus Samaritanorum in regione Batanæa, qui Thersila dicitur.* | Θαρσιλὰ, ὅθεν ἦν [7] Μαναὲμ, καὶ νῦν ἐστι κώμη Σαμαρειτῶν ἐν τῇ Βαταναίᾳ Θαρσιλὰ λεγομένη. | THARSILA, unde fuit Manaem, & nunc est vicus Samaritanorum in Batanæa, qui dicitur Tharsila. |

---

N O T Æ.

[1] In versione nostra locus hic *Thophel* appellatur Deuteronom. 1. v. 1. quem, juxta ea quæ nos ibi diximus, non trans Jordanem e regione Hiericho, sed in deserto Pharan constituimus. BONFRERIUS.

[2] In versione nostra *Thaphua* appellatur Jos. 16. vers. 8. & Cap. 17. v. 7. 8. a qua ibidem fontem & terram *Thaphue* nomen accepisse legimus. Fuit autem hæc *Thaphua* & *terra Thaphua* ab ea cognominata in *tribu Manasse*, ut ibi supra Cap. 17. v. 8. asseritur, in confinio tamen utriusque tribus, *Ephraim*, & *Manasse*, ut ex utroque cap. colligitur. IDEM.

[3] Non est hæc alia a *Thaphue* vel *Thaphua* præcedenti, quam diximus esse in *tribu Manasse*, non in tribu *Ephraim*, esto sit in ejus confinio. IDEM.

[4] In versione nostra *Thare* mansionis hujus locus nuncupatur Num. 33. v. 27. 28. IDEM.

[5] In versione nostra *Thersa* vocatur; de qua & infra plura in *Thersa*. Quod autem hic dicitur de *rege Asa*, perspicuum mendum est, reponendumque *Baasa*: neque enim *Asa rex Israel* fuit, sed *Juda*, *Baasa* vero *rex Israel* eodem tempore, quo *Asa in Juda* regnavit. Hunc autem in *Thersa* habitasse e 3. Reg. 15. v. 21. 33. liquet: sed neque hic solus regum Israel in ea regiam habuit, neque primus, ut infra in *Thersa* dicetur. IDEM.

[6] Hæc non est diversa a præcedente *Tharsa*, vel *Thersa*, diserte enim in versione nostra *Thersa* habetur, ubi de hujus *Manahem* regis Israel natali patria sermo est 4. Reg. 15. v. 14. ubi Septuaginta Interpretes Θαρσιλὰ vel Θερσιλὰ habent. At mirum est hic ab Eusebio eam poni in *regione Batanæa*, & tamen *Samaritanorum* eam facere, cum utrumque constet, videlicet *Samariam*, in qua Samaritani habitarunt, *cis Jordanem* fuisse, & *Batanæam* in *trans-Jordanina regione* extitisse, ut proinde uni & eidem urbi competere non potuerit, esse *Samaritanorum*, & esse *in Batanæa*, sicuti nec eidem convenire potest, esse *cis* & *trans Jordanem*. Quocirca in his vel Eusebii oscitantia agnoscenda est, vel credi debet hæc ab aliquo perperam esse depravata. Vide infra *Thersa*. IDEM.

[7] Μαναὴμ rectius legas cum Septuaginta Interpretibus. IDEM.

1 Quia

**HIERONYMUS. — ΕΥ'ΣΕ'ΒΙΟΣ. — EUSEBIUS.**

[1] *THARSIS, unde aurum afferebatur Salomoni, hanc putat Josephus Tharsum urbem esse Ciliciæ. Porro juxta Ezechielem prophetam Carthago sentitur. Siquidem in eo loco secundum Septuaginta interpretes legimus Carthaginem, in Hebræo habemus Tharsis scriptum. Nonnulli Indiam putaverunt, & de hoc tam in libro epistolarum, quas ad Marcellam scripsimus, quam in libro Hebraicarum quæstionum plenius diximus.*

Θαρσεῖς, ὅθεν ἤρχετο τῷ Σολομῶντι χρυσός· κατὰ μὲν τὸν Ἰώσηππον, Ταρσός ἐστιν ἡ τῆς Κιλικίας. κατὰ δὲ τὸν Ἰεζεχιὴλ, Καρχηδών. ἀντὶ γὰρ παρὰ τοῖς ό κειμένης Καρχηδόνος, τὸ ἑβραϊκὸν ἔχει [7] Ταρσός· ἄλλοι δὲ τὴν Ἰνδίαν ὑπετύπωσαν.

THARSIS, unde veniebat aurum Salomoni. juxta Josephum quidem Tharsis est Ciliciæ, juxta Ezechielem vero Carthago. nam apud Septuaginta pro voce posita Carthaginis, Hebræa habent Tarsus alii Indiam imaginati sunt.

[2] *THARTHAT, quam in terra Judææ Evæi condiderunt.*

Θαρὰκ, ταύτην ἔκτισαν ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ οἱ Εὐαῖοι.

THARAC, hanc in Judęa condiderunt Evæi.

THEBATH, una ex urbibus *Adarezer regis in Syria Soba*, e qua David *magna æris spolia* superato Adarezer abstulit 1. Paral. XVIII. vers. 8.

[3] *THEBES, urbs, quam cum oppugnaret Abimelech fragmine molæ ictus interiit. est autem usque hodie vicus nomine Thebes in finibus Neapoleos pergentibus Scythopolim quasi in tertio decimo ejus lapide.*

Θήβης, πόλις, ἔνθα πολεμοῦντος Ἀβιμέλεχ, ἀπὸ τοῦ πύργου γυνὴ κλάσμα μύλου ἐπὶ τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ ἔρριψεν. ἔστιν ἐν ὁρίοις Νεαπόλεως Θήβης, νῦν λεγομένη κώμη, ὡς ἐπὶ Σκυθόπολιν ἀπιόντων ἐπὶ τὸ τρὶς καὶ δέκατον σημεῖον.

THEBES, civitas, in qua bellante Abimelech, mulier e turri fragmen molæ in caput ejus conjecit. est in finibus Neapoleos Thebes, quæ nunc dicitur vicus quasi in decimo tertio milliario pergentibus Scythopolim.

[4] *THECUA, usque hodie juxta desertum civitatis Æliæ vicus ostenditur, unde & Amos propheta fuit.*

Θεκὼ, ἡ νῦν Θεκωὲ, ἔστι παρὰ τὴν ἔρημον Αἰλίας, πόλις τὸ πρὶν οὖσα φυγαδευτηρίου, ὅθεν ἦν Ἀμμὼς ὁ προφήτης.

THECO, quæ nunc Thecoe, est juxta desertum Æliæ civitas prius refugii, unde fuit Amos propheta.

[5] *THELAMAGE, locus in quo Abner misit ad David, sed sciendum quod pro hoc verbo Aquila interpretatur, extemplo; Symmachus, pro semetipso.*

[8] Θηλαμουγῆ, ἔνθα ἀπέστειλεν Ἀβεννὴρ πρὸς Δαβίδ. Ἀκύλας, παραχρῆμα. Σύμμαχος, ἀνθ' ἑαυτοῦ.

THELAMUGE, quo misit Abenner ad David. Aquila, confestim. Symmachus, pro seipso.

THELASSAR. Vide supra THALASSAR.

---

## NOTÆ.

[1] Quid *Tharsis* in Scriptura sit supra modum obscurum est, multique in ea re definienda valde laborarunt, præsertim cum iis locis, quibus in Hebræo habetur תרשיש *Tharsis*, versio nostra & Septuaginta interpretes subinde quidem illam vocem retineant, alias *Carthaginem*, alias *mare* reddant. Josephus *Tharsicum mare* vel *regionem*: alii quampiam in *India* regionem: Pineda in suo Salomone *Tartessum in Hispania Tharsis* nomine intelligunt: quæ opinionum diversitas perspicue declarat hujus rei obscuritatem. Ego quid de ea re sentiam indicavi ad Cap. 10. Gen. v. 4. deque ea re forte plura ad 3. Reg. 10. v. 22. in eaque etiamnum persto sententia, debere unam aliquam hujus vocis notionem reperiri, quæ omnibus locis Scripturæ adaptari possit, eamque puto esse, ut hoc nomine universim significentur ea loca, quæ navibus adiri debeant, sive eæ insulæ sint, sive loca transmarina, quæ commode terra adiri non possint, nisi longo circuitu & magnis diverticulis. Unus in Scriptura locus est, Judith 2. v. 13. ubi *filii Tharsis* pro *Tharsensibus* & *Cilicibus* videri possint positi. Sed quid de ea re sentiamus supra diximus in *Melothi*. BONFRERIUS.

[2] In versione nostra *Tharthac* habetur 4. Reg. 17. v. 31. verum non *urbis*, sed *Idoli* nomen est, ut perspicue liquet, siquis totum illum locum attente examinet; ut merito mirere, qui factum sit, ut omnia ista *idolorum* nomina, quæ Samaritani e diversis confluentes regionibus fabricarunt, quasi pro *urbium* nominibus hic liber de locis Hebr. acceperit; quem lapsum nemo facile Hieronymo adscripserit. IDEM.

[3] De hac habes Judic. 9. v. 50. ubi & in sequentibus v. 53. 54. *Abimelechi interitus* subjicitur. IDEM.

[4] Urbis nomen est in *tribu Juda* ad Austrum Jerusalem, & Bethlehem; ab hac sex milliaribus Italicis, ab illa duodecim distans, sic ut in media via esset Bethlehem. Ab hac urbe desertum vicinum *desertum Thecue* in Scriptura appellatur; De hac urbe & vicino deserto vide quæ dicturi sumus ad 2. Reg. 14. v. 2. IDEM.

[5] Mihi perspicuum est, hanc vocem imprimis hic omnino corruptam & mendosam esse, pro qua legimus in codice Romano, Aldino, & Basileensi *Thælam* 2. Reg. 3. v. 12. pro qua & versio nostra habet, *pro se*. Addo vero & vocem illam *Thælam* plane esse spuriam & adulterinam, cum ei nulla istiusmodi vox in Hebræo respondeat, sed תחתו *tachthau*, quod id significat, quod Hieronymus & Symmachus expresserunt. IDEM.

[6] Non Ταρσὸς, sed Θαρσεῖς ut ante, vel potius Θαρσὶς legendum; id enim tam Hebræo, quam Septuaginta interpretibus respondet. IDEM.

[7] Apud Septuaginta interpretes tres voces habentur, Θηλάμ vel Θαιλὰμ οὗ ἦν, *Thælam ubi erat*: & forte ita scripsit Eusebius, posterioris enim voculæ abbreviatio, ut e manuscripto expressa est, ignota est, & peritorum oculos suspendit. IDEM.

[8] Θηλαμουγῆ) De hac ficta voce diximus, Quæstione III. Hieronymiana, Num. XVII. quod opusculum adeant, quicumque monstrosæ vocis natales cognoscere avebunt. CLERICUS.

HIERONYMUS. ΕΥΣΕΒΙΟΣ. EUSEBIUS.

THELHARSA, urbs in regione Babylonis 1. Esdræ II. verf. 57. & 2. Esdræ VII. verf. 61.

THELMALA vel THELMELA, 1. Esdræ II. 59. & 2. Esdræ VII. verf. 61. urbs in regione Babylonica, ubi habitaverant Judæi aliqui, qui de captivitate redierant.

THEMA, urbs in regione Ismaelitide, Job. VI. verf. 19. Hierem. XXV. verf. 23. a THEMA uno e *filiis Ismaelis*, de quo habes Gen. XXV. verf. 15. & 1. Paral. 1. verf. 30. ita nuncupata.

| HIERONYMUS | ΕΥΣΕΒΙΟΣ | EUSEBIUS |
| --- | --- | --- |
| [1] *THEMAN, regio Principum Edom in terra Gebalitica a Theman filio Eliphaz filii Esau sortita vocabulum. Sed & usque hodie est villa nomine Theman, distans ab urbe Petra quinque millibus, ubi & Romanorum militum præsidium sedet, de quo loco fuit Eliphaz rex Themanorum. Unus quoque filiorum Ismael appellabatur Themam. Sciendum autem quod omnis australis regio Hebræis Theman dicitur.* | Θαιμὰν, χώρα ἡγεμόνων Ἐδὼμ ἐν τῇ Γεβαλιτικῇ, ἀπὸ Θαιμὰν υἱοῦ Ἐλιφὺρ, υἱοῦ Ἠσαῦ. ἀλλὰ καὶ εἰς ἔτι νῦν κώμη ἐστὶ Θαιμὰν, ἀπέχουσα [6] Πετρῶν ἀμφὶ τὰ ιε σημεῖα, ἐν ᾗ καὶ ἐγκάθηται στρατιωτικὸν, ὅθεν ὡρμᾶτο Ἐλιφὺρ ὁ Θαιμὰν βασιλεύς· καὶ τοῦ Ἰσμαὴλ δὲ Θαιμὰν γεγονέναι λέγεται παῖς. καὶ πᾶς δὲ ὁ πρὸς νότον τόπος οὕτω καλεῖται· καὶ γὰρ ἑρμηνεύεται Θαιμὰν, νότος. | THEMAN, Regio principum Edom in terra Gebalitica, a Thæman filio Eliphur filii Esau. sed & usque hodie vicus est Thæman, distans ab urbe Petra quindecim circiter milliaribus, in qua etiam sedet præsidium militare, unde erupit Eliphur Themanorum rex: Quin & Thæman dicitur fuisse filius Ismaelis. atque omnis locus ad auvrum (situs) ita vocatur. etenim Thæman interpretatur auster. |
| [2] *THEMAN, juxta Ezechielem, civitas Idumææ. Porro Esaias in visione eam ponit Arabiæ. meminit hujus & Hieremias. Abdias autem scribit Esau. Sed & unus filiorum ejus Themam appellabatur, sicut supra diximus.* | Θαιμὰν, ὡς Ἰεζεκιὴλ, πόλις τῆς Ἰδουμαίας· ὡς δὲ Ἠσαΐας, πόλις τῆς Ἀραβίας. κεῖται καὶ ἐν Ἱερεμίᾳ. ἐν δὲ τῷ Ἀβδίᾳ λέγεται πόλις Ἠσαῦ. Θαιμὰν δὲ καὶ εἷς τῶν υἱῶν Ἠσαῦ ἐκαλεῖτο· κεῖται καὶ ἀνωτέρω. | THÆMAN, ut (habet) Ezechiel, civitas Idumææ. ut autem Isaias, civitas Arabiæ. extat & in Hieremia. In Abdia vero dicitur civitas Esau. porro Thæman vocabatur unus e filiis Esau. invenitur etiam superius hæc vox. |

THEMNA. Vide THAMNA.

THENAC. Vide THAANACH.

| HIERONYMUS | ΕΥΣΕΒΙΟΣ | EUSEBIUS |
| --- | --- | --- |
| [3] *THENATH, in tribu Joseph, hodieque villa est Thenath in decimo milliario Neapoleos contra Orientem, descendentibus Jordanem.* | Θανὰθ, φυλῆς Ἰωσὴφ, καὶ νῦν ἔστι κώμη Θανὰθ ἀπὸ σημείων ι Νεαπόλεως ἐπ᾽ ἀνατολὰς κατιόντων ἐπὶ τὸν Ἰορδάνην. | THANATH, tribus Joseph, estque hodie vicus Thanath in decimo milliario Neapoleos versus orientem descendentibus in Jordanem. |
| [4] *THERELA, in tribu Benjamin.* | Θεραμὰ, φυλῆς Βενιαμίν. | THERAMA, tribus Benjamiu. |
| [5] *THERMOTH, civitas* | [7] Θερμοὼθ, πόλις, ἣν ᾠκοδό- | THERMOOTH, civitas, |

NOTÆ.

[1] *Theman regionis* vel *urbis* alicujus primariæ esse nomen apud Idumæos manifeste liquet ex Hierem. 49. v. 7. 20. & Amos 1. v. 11. 12. adversum *Idumæam* prophetantibus. Ab hac dicuntur incolæ *Themani* & *Themanitæ* in Scripturæ. De *filio Eliphaz* ac *nepote Esau Theman* dicto, a quo huic urbi inditum nomen, habes Gen. 36. v. 11. 15. & 1. Paralip. 1. v. 36. 53. Porro filius Ismael non *Theman*, sed *Thema* dictus est. Pro *Australi* regione sæpe hoc nomen in Hebræo ponitur, ob idque frequenter *Austrum* vel *Africum* reddidere Hieronymus & Septuaginta interpretes, sed & idem nomen *Theman* in ea significatione sumtum retinent subinde Septuaginta interpretes in sua versione ut Isaiæ 21. vers. 14. Ezech. 20. v. 46. & Cap. 25. v. 13. apud Abdiam v. 9. Habacuc 3. v. 3. quibus locis nostra versio *Austrum* vel *meridiem* habet. BONFRERIUS.

[2] Non est hæc a præcedente diversa, ut per se liquet; neque si in *Arabia* eam ponit Isaias Cap. 21. v. 14. ubi tamen versio nostra *Austrum* habet, diversum sentit, cum & *Idumæa* pars esset *Arabiæ Petrææ*: quamquam subinde *Arabiæ* nomen pressius sumtum in Scriptura *Ismaeliticam regionem* significet. IDEM.

[3] Haud dubie oppidulum illud significatur, de quo supra egimus, quod nuncupatum est in Hebræo & versione nostra *Thanathselo*, quomodo etiam habent Interpretes Septuaginta in melioribus codicibus; hic autem decurtata & truncata voce effertur. IDEM.

[4] In versione nostra *Tharela* appellatur Jos. 18. v. 27. alii qui apud Hieronymum codices hic *Therema* exprimunt, sed ex Hebræo & nostra versione, itemque codicibus Septuaginta Interpretum, quos nunc habemus, satis liquet *Tharela*, *Therala*, vel *Therela* legendum esse. IDEM.

[5] In versione nostra hæc urbs in deserto a Salomone ædificata dicitur *Palmira*, 3. Reg. 9. v. 18. & 2. Paral. 8. v. 4. In Hebræo ea urbs appellatur תרמר *Thadmor*, quam vocem recte expresserunt Septuaginta Interpretes 2. Paral. 8. *Thedmor*: at 3. Reg. 9. ut sunt literæ affines ד & ר, videntur unam pro altera legisse, vel eas inter se loco commutasse, & legisse *Thermod*, pro quo hic vitiose *Thermoth* exprimitur; in codicibus vero Septuaginta Interpretum adhuc vitiosius *Therme* habetur. De hac urbe vide supra in *Palmira*. IDEM.

[6] Πετρῶν) In hoc libro semper *Petra* dicitur in singulari hæc urbs, ut Hebraice סלע *Selah*, & Arabice חגר *hhager*; sed tamen & Πετρὰς, numero multitudinis, dictam a Græcis ostendit *Stephanus* Byzantinus in Γία. Sequentia aliquot vocabula ex editione Parisina nupera reposuimus; quippe sine ratione a *Bonfrerio* mutata. In sequente voce Θαιμὰν, erant etiam, flagitio Typothetarum, ea vocabula quæ sunt a voce Ἠσαῦ ad vocem ἐκαλεῖτο omissa, quæ sunt a nobis ex Editione *Hieronymi* suppleta. CLERICUS.

[7] Non in tribu aliqua, sed in deserto hæc urbs ædificata fuit, quemadmodum expressum habes apud S. Hieronymum. BONFRERIUS.

| HIERONYMUS. | ΕΥ̓ΣΈΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| *quam ædificavit Salomon in deserto, cujus in libro Hebraicarum quæstionum mentionem plenius fecimus.* | μησε Σολομῶν ἐν τῇ φυλῇ .... | quam ædificavit Salomon in tribu ...... |
| [1] *THERSA, & hanc cum rege suo cepit Jesus.* | Θερσά, καὶ ταύτην εἷλεν Ἰησοῦς ἅμα τῷ βασιλεῖ αὐτῆς. | THERSA, & hanc cepit Jesus una cum ejus Rege. |
| [2] *THESBA, unde ortus est Elias propheta Thesbites.* | Θεσβά, ὅθεν ἦν Ἠλίας ὁ Θεσβίτης. | THESBA, unde fuit Elias Thesbites. |

THESSALONICA, ad cujus cives Paulus binas scripsit epistolas, urbs est *Macedoniæ* nobilis & populosa Ptolemæo, Straboni, Stephano.

THOCHEN, villa, seu oppidulum non muratum in *tribu Simeonis* I. Paral. IV. ver. 32.

| | | |
|---|---|---|
| [3] *THOGORMA, legimus in Ezechiele.* | Θουραμά, ἐν τῷ Ἰεζεχιήλ. | THOURAMA, in Ezechiele. |
| [4] *THOLAD, in tribu Juda, seu Simeonis.* | Θωδλάδ, φυλῆς Ἰούδα, ἢ Συμεών. | THODLAD, tribus Juda, seu Symeon. |

THOPHEL. Vide supra THAPHOL.

THUBAL, regio, & gens *Asiatica* Ezech. XXVII. vers. 13. & XXXII. vers. 26. & XXXVIII. vers. 2. 3. & XXXIX. vers. 1. ab uno e filiis Japheth Gen. X. vers. 2. sic dicta. Hos putant esse *Iberos Asiaticos* juxta Colchidem, Albaniam, Sarmatiam, cujus Sarmatiæ pars est ea, quæ nunc appellatur *Moschovia*, quam nomine *Mosoch* intelligi in Scriptura fere omnium est consensus: porro THUBAL ubique *Mosoch* conjungitur.

THYATIRA, *Lydiæ* in Asia minori oppidum Ptolemæo, & Stephano: Strabo *Mysorum* extremam facit civitatem, in *confinio Lydiæ*.

TIBERIAS, urbs ad mare Galilææ posita, a qua & lacus etiam *maris Tiberiadis* nomen accepit. Condita est ab *Herode Antipa*, non restaurata, ut quidam volunt, quemadmodum satis indicat Josephus Lib. XVIII. Ant. Cap. 3. & in honorem *Tiberii* tunc imperantis *Tiberias* appellata. Hinc liquet non fuisse eamdem cum *Cenereth*, prout quidam voluerunt; quam ad rem facit etiam argumentum, quod attuli in voce CHENNERETH. Hanc in *tribu Zabulon* reponit Adrichomius, ego *tribui Issachar* includo. Josephus in vita sua centum & viginti stadiis a Scythopoli remotam facit, ab Hippostadiis triginta, a Gadara stadiis sexaginta. Adrichomius duabus leucis Bethulia dissitam facit, Brochardus in nonnullis exemplaribus una leuca; at illa terræ sanctæ descriptio, quam Brochardi nomine edidit Henricus Canisius, sex leucarum distantiam ponit.

TICHON, domus in extremis terminis ad Aquilonem trans Jordanem in confinio Damasci & regionis Emath, Ezech. XLVII. vers. 16.

---

N O T Æ.

[1] De rege *Thersa* occiso habes Jos. 12. v. 24. In hac urbe habitarunt, regiamque suam fixerunt plures reges Israel, donec e *Thersa* in *Samariam* translata est sedes regia ab *Amri* rege 3. Reg. 16. v. 23. 24. Videtur Josephus Lib. VIII. Ant. Judaic. Cap. 6. *Baasam* primum regem facere, qui in *Thersa* habitaverit, ibique regiam fixerit: at e Scriptura satis liquet jam inde fere a principio *Hieroboamum* cæpisse ibi habitare; etsi enim in *Sichem* primo domicilium suum fixerit 3. Reg. 12. v. 25. satis tamen liquet ex 3. Reg. 14. v. 17. adhuc ipso vivente translatam fuisse regiam in *Thersa*. In *qua autem tribu* sita fuerit illa *Thersa*, nusquam in Scriptura proditur, etsi de ea frequens sit mentio; sed neque apud Josephum, Hieronymum, vel alium probatum auctorem de ea requicquam reperias, ut proinde necesse sit hanc rem manere obscuram. Adrichomius eam in *dimidia tribu Manasse Cis-Jordanina* collocat, nullo tamen in eam rem allato argumento. Brochardus videtur potius in *tribu Ephraim* constituere; procedendo enim ab Aquilone ad Austrum dicit, de Samaria ad tres leucas *Thersam* civitatem sitam esse in monte, ex quo sequitur esse Australiorem, atque adeo non videri posse esse in *tribu Manasse*, sed *Ephraim* potius, quod etiam mihi magis probatur. Adde in *tribu Ephraim* fere mansisse regum Israel sedem regiam; ob id enim apud prophetas nomine *Ephraim* intelliguntur *decem tribus*: & tribus Ephraim ubique prælata est tribui Manasse. Denique *Hieroboam*, qui primus regiam in *Thersa* fixit, erat de *tribu Ephraim*, ut nullo modo sit verisimile eum extra tribum suam transferre regiam voluisse. Significat *Thersa* [gratiosam, *acceptam*, *beneplacentem*, *amœnam*: ex quo deducimus insignem & amœnam ad aspectum fuisse civitatem, ut non de nihilo sit, quod in ea reges Israel domicilium figere voluerint. BONFRERIUS.

[2] Sed ubi sita hæc civitas? satis constat eam in *Galaaditica* regione fuisse, cum diserte Eliam Scriptura *unum de habitatoribus* vel *advenis Galaad* statuat 3. Reg. 17. v. 1. uti & Josephus Lib. VIII. Ant. Cap. 8. An vero in *tribu Gad*, an in *dimidia tribu Manasse trans-Jordanina* non facile definias: videtur *dimidiæ tribui Manasse* favere, quod hæc maxime propria & restrictissima significatione dicta sit *Galaad*. Adrichomius tamen in *tribu Gad* statuit, sed nullo in eam rem allato argumento. IDEM.

[3] Habes de *Thogorma* apud Ezechielem Cap. 27. v. 14. & Cap. 38. v. 6. e quibus illud tantummodo colligitur, fuisse regionem & gentem *Aquilonarem*. Addo vero multo verisimilius videri esse gentem *Asiaticam*, cum ibi fere conjungatur aliis *Asiaticis* populis, & posteriore loco de bello cum *Asiatico* populo gerendo sermo sit. Quænam autem sit illa gens, difficile est definire: videri tamen verisimillimum, esse vel *Phryges*, vel *Turcas*. Vide quæ de *Thogorma* a nobis dicta sunt Gen. 10. v. 3. IDEM.

[4] Habes hoc urbis nomen in *tribu Simeonis* 1. Paral. 4. v. 29. Eadem alibi *Eltholad* dicta Jos. 15. v. 30. & Cap. 19. v. 4. ex quibus locis colligitur, primo quidem fuisse *Judæ* attributam; postmodum tamen ademta, & *Simeonitis* datam. IDEM.

### HIERONYMUS.

[1] *TIGRIS*, *fluvius de paradiso exiens juxta Scripturæ fidem*, *pergensque contra Assyrios*, *& post multos circuitus*, *ut vult Josephus*, *in mare rubrum influens*. *Vocatur autem hoc nomine*, *propter velocitatem instar bestiæ nimia pernicitate currentis*.

[2] *TINA*, *in tribu Juda*.

[3] *TOB*, *terra in qua habitavit Jepte*.

[4] *TOPHET*, *in valle filiorum Ennom*, *ubi populus Israel gentium simulacra venerabatur*. *est autem locus in suburbanis Hierusalem*.

### ΕΥ̓ΣΕ΄ΒΙΟΣ.

Τίγρις, ποταμὸς ἀπὸ παραδείσου ἐξιὼν, φερόμενος μὲν, ὡς ἡ γραφὴ, κατέναντι Ἀσσυρίων, ἐκπίπτων δὲ ἐπὶ τὴν ἐρυθρὰν θάλασσαν, ὥς φησιν [5] Ἰώσηππος. καλεῖται Τίγρις διὰ τὴν ὀξύτητα, ἐμφερῶς τῇ τοῦ ὁμωνύμου ζώου προσηγορίᾳ.

Τινὰ, φυλῆς Ἰούδα.

Τὼβ, ἔνθα κατῴκησεν Ἰεφθαέ.

Ταφὲθ, ἐν φάραγγι τῶν υἱῶν Ἐννώμ. ἔνθα εἰδωλολάτρει ὁ λαὸς ἐν προαστείοις Ἱερουσαλήμ.

### EUSEBIUS.

TIGRIS, fluvius e paradiso egrediens, qui quidem, ut ait Scriptura, fertur contra Assyrios, delabitur autem in rubrum mare, ut ait Josephus. Vocatur Tigris propter velocitatem, ex similitudine appellationis illius animalis ejusdem nominis.

TINA, tribus Juda.

TOB, ubi habitavit Jephthe.

TAPHET, in valle filiorum Ennom, populus idola colebat in suburbanis Hierusalem.

---

TOPHETH, vide proxime TOPHET.

TORCULAR ZEB, Judic. VII. verf. 25. fic dictus a *Zeb* Madianitarum regulo ibi interfecto. fuit autem locus hic juxta & cis Jordanem.

TORRENS ÆGYPTI, qui & subinde in Scriptura FLUVIUS ÆGYPTI dicitur, *torrens est*, inquit Hieronymus in Amos VI. *de eremo veniens*, hoc est, cujus aquæ de deserto *Sur* colliguntur, & alveo non perpetuo & perenni in mare Mediterraneum supra Ægyptum decurrunt. Fuit autem hic Torrens *extremus limes Judææ versus Ægyptum*, cujus termini in Scriptura sæpius a *torrente*, *rivo*, *fluvio Ægypti* describuntur. Vide quæ de hoc *torrente* plura diximus Gen. XV. verf. 18.

TORRENS ARNON. Vide ARNON.

TORRENS BESOR. Vide BESOR.

TORRENS BOTRI. Vide NEHELESCOL.

TORRENS CADUMIM. Vide CADOMI.

TORRENS CARITH. Vide CHORATH.

TORRENS CEDRON. Vide CEDRON.

TORRENS CISON. Vide CISON.

TORRENS GAAS, a monte *Gaas*, e quo ejus aquæ fluunt, appellatus. Vide GAAS.

TORRENS GERARÆ, cujus fit mentio Gen. XXVI. verf. 17. juxta quem habitavit Isaac, olimque habitarat Abraham effossis juxta torrentis alveum puteis, sic dictus a Gerara urbe vicina, quæ in extremis ad Austrum Judææ erat finibus.

TORRENS JABOC. Vide JABOC.

TORRENS MAMBRE, in Mesopotamia, Judith. II. v. 14. sed in Græco est, TORRENS ABRONA.

---

N O T Æ.

[1] De *Tigri* habes Gen. 2. v. 14. quod *adversus Assyrios procedat*: sed hoc intelligendum est de primis ipsius fluminis originibus, nam postea prætervecta *Assyria* alias alluit regiones, Mesopotamiamque cum Euphrate in medio relictam efficit, & ab Oriente terminat, donec tandem mixtus Euphrati in *sinum Persicum* effundatur; non in *mare Rubrum*, ut visus est Josephus voluisse: quod tamen intellige, si Scripturæ more loquaris, quæ *mare rubrum* tantummodo appellat *Sinum Arabicum*: alias enim apud Historicos & Geographos *maris rubri* nomine tam *sinus Persicus*, quam *Arabicus* intelligitur, imo & quidquid est Oceani inter Sinum Arabicum & Indiam *maris Rubri* nomine comprehenditur. Hinc Eustathius dicit *Indiam ad Rubrum Oceanum pertingere*. Et Seneca de *Tigri* ait:

*Tepidum rubenti Tigrin immiscet freto.*

Sed & Plinius dicit: *Persæ Rubrum mare semper accoluere*. Et juxta hunc morem locutus Josephus, dum ait Lib. I. Ant. Judaic. Cap. 2. *Euphratem & Tigrim in Mare rubrum exire*, nihil peccasse censendus est. BONFRERIUS.

[2] Ego nullam eo nomine urbem in tribu Juda Jos. 15. vel alibi reperio, etiam in codicibus Septuaginta Interpretum. Forte *Tina* pro *Cina* est suppositum, quam inter urbes tribus Juda legimus Jos. 15. v. 22. IDEM.

[3] Fuit hæc *terra Tob* Judic. 11. v. 3. (in qua pulsus a suis dicitur *Jephte habitasse*) in trans-Jordanina regione & *Galaaditide*, ut omnes circumstantiæ exigunt; quemadmodum & nos pluribus ad eum locum declaramus. IDEM.

[4] Erat *Topheth* (sic enim in versione nostra vocatur) is locus, in quo Israelitæ sub impiis regibus filios suos sacrificabant & cremabant idolo *Moloch*. Erat autem Topheth *in valle filiorum Ennom* ad Orientem montis Sion. Vide quæ de hoc loco & barbaro sacrificio diximus Levit. 18. v. 21. IDEM.

[5] Ἰώσηππος. καλεῖται &c.) Sic est interpungendum & legendum, cum ex *Hieronymo*, tum ex re ipsa. Nam *Josephus* testatur quidem Tigrin in mare Erythræum undas devolvere, sed de ratione nominis *Tigris*, nihil habet, eaque inanis videtur. Itaque male antea legebatur καλεῖσθαι Τίγριν, quod & constructionem vitiabat. CLERICUS.

HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS.
--- | --- | ---
 | Φάραγξ Σαρὲ, μέρος τι τῆς ἐρήμου. | VALLIS ZARE, pars quædam eremi.

TORRENS ZARED. Vide infra ZARED.

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
| --- | --- | --- |
| [1] *TRACHONITIS*, *regio*, *five Ituræa*, *cujus Tetrarches fuit Philippus*, *juxta Evangelium Lucæ*; *Diximus de hac & supra*. [2] *Est autem trans Bosram Arabiæ civitatem in deserto*, *contra Australem plagam quasi ad Damascum respiciens*. | Τραχωνῖτις χώρα, ἡ καὶ Ἰτουραία, ἔνθα ἐτετράρχει Φίλιππος κατὰ τὸν Εὐαγγελιστὴν Λουκᾶν. | TRACHONITIS, Regio seu Ituræa, ubi tetrarchiam administrabat Philippus juxta Lucam Evangelistam. |

TRES TABERNÆ, Oppidum fuit ( quidem & D. Gregorii tempore Episcopum habuit, Gregor. Lib. II. Registri Epistola 35. ) non procul Roma in via Appia ultra Ariciam, quantum colligere licet ex Antonini Imperatoris supputatione, triginta tribus milliaribus Italicis Roma distans. Huc usque aut ulterius ad *Appii forum* ( quod ex ejusdem Antonini supputatione quinquaginta & uno milliaribus urbe aberat ) *obviam Paulo vincto Christiani*, *qui Romæ erant*, *processerunt*, Act. XXVIII. vers. 15.

TRIPOLIS, cujus fit mentio 2. Machab. XIV. vers. 1. Phœniciæ urbs est ad mare, & juxta Antilibanum Ptolemæo, Straboni, Stephano.

TROAS, Phrygiæ minoris civitas ad littus maris Ægæi, atque ita in Scriptura nomen illud usurpatur: quamquam apud profanos auctores & Geographos fere pro tota ipsa regione vox hæc usurpetur.

TROGLODYTÆ, Troglodytarum regio in Africa est Ptolemæo & Plinio. Eam autem ita describit Ptolemæus Lib. IV. Geographiæ Cap. 8. *Totum* inquit, *littus*, *quod juxta Arabicum & Avalitem sinum usque montem Elephantem*, *regio Troglodytica universim appellatur*. Pertingit autem mons Elephas ad littus maris, idemque proxime ad Æquinoctialem circulum. Dicuntur autem, teste etiam Strabone Lib. I. TROGLODYTÆ, *quod in cavernis*, *propter solis æstus habitent*, ἀπὸ τῶ τρώγλας ὑποδεδυκέναι.

TUBIANÆI, 2. Machab. XII. vers. 17. non alii videntur esse quam qui in *Locis Tubin* habitabant, de quibus dicendum proxime.

TUBIN, loca trans Jordanem fuerunt in regione Galaaditide 1. Machab. V. vers. 13. Porro hæc LOCA TUBIN non videntur esse alia a *terra Job*, in qua habitavit Jephte, de qua & supra actum est, quod etiam Serarius noster censuit.

TURRES, numero plurimas legimus apud Josephum fuisse Hierosolymis, sed quæ nomen habeant in Scriptura paucæ sunt; TURRIS EMATH, TURRIS FURNORUM, TURRIS GREGIS, & TURRIS HANANEEL.

TURRIS EMATH, 2. Esdræ XII. vers. 39. Hebraice TURRIS MEA, quod significat *Turris centum*; unde & 2. Esdræ III. vers. 1. ubi in Hebræo eadem est vox, versio nostra habet *Turris centum cubitorum*, ubi Hieronymus explicare voluit, quænam essent illa *centum*. Fuit autem Turris hæc ad Orientem juxta *portam gregis*, ut e locis citatis 2. Esdræ III. vers. 1. & Cap. XII. vers. 39. colligitur. Eadem videtur intelligi apud Michæam Cap. IV. vers. 8. nomine *turris gregis nebulosæ*, ut dicatur *turris gregis*, quia erat juxta portam gregis, *nebulosa* vero, quia quod alta esset, difficile esset ad ejus cacumen visu pertingere.

TURRIS FURNORUM, ad Occidentem sita, & ad *Aquilonem portæ vallis*, ut colligi potest e 2. Esdræ III. vers. 11. Cur autem ita dicta sit obscurum est; significat enim vox Hebræo תנורים *thannurim furnos coquendo pani destinatos*, an forte quod eo relegati essent qui panes familiis coquerent?

TURRIS GREGIS. Vide TURRIS EMATH paulo ante. Fuit & alia TURRIS GREGIS extra Jerusalem *juxta Bethlehem*. Vide quæ nos supra diximus in GADER, & ad Gen. Cap. XXXV. vers. 21.

TURRIS HANANEEL, fuit una ex Hierosolymitanis turribus, cujus fit mentio Lib. II. Esdræ Cap. III. vers. 1. & XII. vers. 39. Hierem. XXXI. vers. 38. & Zachar. XIV. vers. 10. Ea autem recte ab Adrichomio & Villalpando statuitur juxta angulum Orientis & Aquilonis.

NOTÆ.

[1] De *Trachonitide* videnda sunt quæ nos supra diximus in voce *Ituræa*. BONFRERIUS.

[2] *Est autem trans Bosram Arabiæ* &c. ) Non satis commode indicat *Hieronymus* situm Trachonitidis, quæ fuit, ut docet *Josephus* Antiq. Lib. 1. c. 7. μέση τῆς Παλαιστίνης καὶ κοιλῆς Συρίας. *Media inter Palæstinam & Syriam Cavam*. Qui situs non patitur dici eam fuisse *contra Australem plagam*, *quasi ad Damascum respiciens*; fuit enim contra *Borealem plagam*, si comparetur cum Bostra. CLERICUS.

HIERONYMUS. ΕΥΣΕΒΙΟΣ. EUSEBIUS.

TURRES EXTRA URBEM, nominatæ ſunt hæ.

TURRIS GREGIS. Vide paulo ante in TURRIS GREGIS.

TURRIS LIBANI, Cant. VII. verſ. 4. turris erat, ut meliores auctores cenſent, a Salomone ædificata juxta extremitatem montis Libani; ſeu potius Antilibani Orientalem, infra quam erat Damaſcus non procul inde ſita, unde & ipſa proſpici poterat: ob id & ibi ſupra Cant. VII. verſ. 4. dicitur hæc turris *reſpicere contra Damaſcum*. Creditur, autem ibi a Salomone extructa, ut exinde ſpeculatores intueri poſſent numquid novi motus belli a Damaſcenis & Syris exoriretur, ut ſi quid eſſet, monitus tempori ipſe occurreret.

Videtur autem *turris* illa ſumma arte, proportione, ſymmetria conſtructa fuiſſe, ut ob id ibi ſupra Cant. VII. verſ. 4. *ei ſponſæ naſus comparetur*. Potuiſſe autem ibi Salomonem *turrim* ædificare nihil mirum, cum ipſe iis omnibus regionibus imperitaret.

TURRIS PHANUEL, cujus ſit mentio Judic. VIII. verſſ. 9. & 17. civitati *Phanuel* trans Jordanem adjuncta erat, ejuſdemque civitatis propugnaculum, quam *turrim Gedeon evertit occiſis civitatis habitatoribus*, etſi Iſraelitæ eſſent, quod inhumaniter erga ipſum & ſocios pro libertate Reipublicæ pugnantes ſe geſſiſſent.

TURRIS SICHEM, cujus ſit mentio Judic. IX. verſ. 46. 47. non erat urbi Sichem conjuncta, ſed in ejus territorio, quam igne & ſumo expugnavit Abimelech.

TURRIS SYENES, ſit mentio Ezech. XXIX. verſ. 10. & 30. quæ videtur ad urbis propugnaculum fuiſſe excitata: erat enim SYENE urbs Ægypti, ſed in Æthiopiæ ſita confinio, ut proinde inſigni aliqua *arce* vel *turri* adverſus Æthiopum irruptiones videri poſſit indiguiſſe.

[1] *TYRUS*, *in tribu Nephthalim*. Τύρος, φυλῆς Νεφθαλεὶμ. TYRUS, tribus Nephtali.

N O T Æ.

[1] In *tribu Aſer* dicendum fuit, ut liquet e Joſ. 19. v. 29. etſi totum illum ad mare tractum, in quo *Tyrii* & *Sidonii* habitarunt, nunquam potuerit hæc tribus obtinere. Fuit autem TYRUS Sidoniorum colonia, eademque urbs olim inſignis & opulenta, emporiumque nobiliſſimum; certavitque diu cum *Sidone* de imperio, opibus, potentia, imo & ſuperavit: nam Scriptura magis *Tyrum* celebrat: quanquam Homerus *Sidonem* prædicet, *Tyri* ne meminerit quidem, ut annotavit Strabo Lib. XVI. at, ut ibidem ait, *exteræ coloniæ a Tyro in Africam & Hiſpaniam deductæ, eam plurimum celebraverunt*: concluditque ambas & tunc & antiquitus claras illuſtreſque extitiſſe, & etiamnum controverſum manere utra earum Phœnicum metropolis dici debeat. Fuit autem *Tyrus* olim *Inſula*, & freto circumjacente a continente divulſa, unde a Scriptura dicitur *in corde maris*, hoc eſt, intra mare ſita, ut expugnatu eſſet difficillima: bis tamen ante Chriſtum expugnata fuit, primo quidem a Nabuochodonoſor rege Chaldæorum, deinde vero ab Alexandro Magno, qui ad eam expugnandam jactis in mare aggeribus eam continenti adjunxerunt, & ex inſula peninſulam effecerunt, cujuſmodi etiamnum cernitur. Vide de TYRO plura Joſ. 19. v. 29. & ſupra in voce SIDON. BONFRERIUS.

## V

VALLIS ACHOR. Vide ſupra ACHOR, & EMEC ACHOR.

VALLIS ARTIFICUM, videtur eſſe urbs in tribu Benjamin, cujus nomen Hebraicum ſit גי חרשים *Gè charaſchim*, quod hoc ipſum ſonat quod Hieronymus dixit, *Vallem artificum*, 2. Eſdræ XI. verſ. 35. ubi habetur: *& Ono Valle artificum*: quæ verba indicant unam eamdemque eſſe urbem, quæ dicta ſit *Ono*, & alio nomine appellata ſit *Vallis artificum*: plane enim videtur illud per appoſitionem dictum; ſiquidem non loci ſitus indicatur, alias enim fuiſſet in Hebræo ב ſervile appoſitum, & in verſione noſtra *in valle* dictum fuiſſet: neque alia urbs a præcedenti indicatur; alias enim fuiſſet particula copulativa interjecta *& valle*, cum hæc eſſet omnium urbium poſtrema, & præcedenti voci *Ono* ea fuerit adjecta. De hujus urbis conditore habes 1. Paral. IV. verſ. 14. ubi *Joab* nepos Othonielis judicis ex fratre dicitur *pater Vallis artificum*, hoc eſt, conditor; ſolent enim in Scriptura urbium conditores vocari *patres*: ſunt enim urbes & ædificia quaſi hominum *partus*, ſicut e contra filii velut parentum *ædificatio*: unde & בן *ben* hoc eſt *filius* a בנה *bana*, quod eſt *ædificare*, deducitur. ex quibus liquet etiam Vallem artificum *urbis* nomen eſſe, non enim valles *patres* vel *conditores* habent. Nominis etiam inditi ibidem 1. Paral. IV. verſ. 14. ratio adfertur, *quia ibi artifices erant*.

VALLIS ARUNDINETI, in terminis communibus tribus Ephraim & Manaſſe, Joſ. XVI. verſ. 8. & Cap. XVII. verſ. 9. ſic tamen ut vallis ipſa cum agris in ſorte dimidiæ tribus Manaſſe fuerit; urbes tamen Ephraimitis ad habitandum ſint datæ.

VALLIS BENEDICTIONIS, in deſerto Thecue, ubi Joſaphat Cantoribus Dei laudes concinentibus hoſtes ſuos Moabitas, Ammonitas, Idumæos arma in ſe mutuo vertentes ſuis ipſorum gladiis confecit, 2. Paral. XX. verſſ. 20. 21. 22. 23.

VALLIS BEN ENNOM. Vide ſupra BEN ENNOM.

HIERONYMUS. ΕΥΣΕΒΙΟΣ. EUSEBIUS.

VALLIS BOTRI. Vide NEHELESCOL.

Φάραγξ βότρυος, ὅθεν οἱ κατάσκοποι ἔλαβον καρπὸν εἰς δεῖγμα τῆς γῆς, ἥτις λέγεται εἶναι ἡ Γοφνά, ἄμπελος ἑρμηνευομένη, ἀπέχουσα Αἰλίας σημείοις ιέ, κατὰ τὴν ὁδὸν τὴν εἰς Νεάπολιν ἄγουσαν. ζητεῖται δὲ, εἰ ἀληθὴς ὁ λόγος.

VALLIS BOTRI, unde exploratores acceperunt fructum pro indicio illius terræ, quæ dicitur esse Gophna, quam interpreteris vineam, distans Ælia quindecim milliaribus juxta viam quæ ducit Neapolim. quæritur vero an verus hic sermo.

Φάραγξ Ἐννόμ, γῆ Ἐννὼμ ἑβραϊκῶς. διότι τινές φασιν εἶναι γέενναν. παράκειται δὲ τῇ Ἱερουσαλήμ. λέγεται δὲ εἰς ἔτι νῦν φάραγξ Ἰωσαφάτ.

VALLIS ENNOM, terra Ennon, Hebraice. idcirco quidam ajunt esse geennam. vicina est Hierosolymis, & dicitur usque hodie vallis Josaphat.

VALLIS CASIS, urbs in tribu Benjamin, Jos. XVIII. vers. 21. Vide AMEC CASIS.

VALLIS CEDRON. Vide CEDRON.

VALLIS FILII ENNOM, vel FILIORUM ENNOM. Vide in BEN ENNOM.

VALLIS GIGANTUM. Vide COELAS TITANORUM.

VALLIS JEPHTHAEL, est in confinio duarum tribuum Zabulon & Aser, Jos. XIX. vers. 14. 27.

VALLIS JEZRAHEL, ita dicta vallis a civitate quondam regia *Jezrahel* in tribu *Issachar*, ab Occidente in Orientem procurrens, inter montes *Hermon* & *Gelboe* posita, desinensque in *Aulonem vallem*. Vide supra JEZRAHEL.

VALLIS ILLUSTRIS, eadem est, quæ *Aulon* dicta fuit, de qua supra in AULON.

VALLIS JOSAPHAT, eadem quæ *vallis Cedron*, ad Hierosolymitanæ urbis Orientem inter urbem & montem Oliveti. Vide supra CEDRON.

VALLIS LACRYMARUM, de qua loquitur Psalmista Psalmo LXXXIII. vers. 7. vel ad quam alludit juxta varias istius loci interpretationes, est locus ille, qui dictus est Judic. II. verss. 1. 5. *locus flentium* vel *lacrymarum*, ad occasum montis *Sion* & *Vallis Raphaim*. Vide quæ a nobis ibi dicuntur.

VALLIS RAPHAIM. Vide COELAS TITANORUM.

VALLIS REGIS, ad Orientalem urbis Hierosolymitanæ plagam nonnulla ad Meridiem inclinatione, ubi erant & *horti regii*, *duobus*, ut inquit Josephus Lib. VII. Antiq. Judaic. Cap. 9. *dumtaxat stadiis ab urbe dissita*.

VALLIS SALINARUM, vallis est in Idumæa, de qua & supra in GEMELA dictum est.

VALLIS SAVE, eademque gemina legitur in Scriptura; Gen. XIV. vers. 5. & vers. 17. una apud Moabitas *trans Jordanem*: altera *cis Jordanem* juxta Hierosolymam, quæ & alio nomine dicta est *Vallis regis*. Vide supra in SAVE.

VALLIS SEBOIM, in tribu Benjamin ab urbe *Seboim* nuncupata. Vide SEBOIM.

VALLIS SENNIM, in tribu Nephthali, juxta *Cedes Nephthali*, ubi Haber Cinæus, & Jahel ejus uxor habitabant, ad quem locum cum ex fuga anhelus pervenisset Sisara, & ex lassitudine obdormisset, eum Jahel adacto in ejus tempora clavo, perterebratoque ejus cerebro interfecit, Judic. IV. vers. 9. 10. 17. 21.

VALLIS SILVESTRIS, in regione *Pentapoleos* fuit, in qua nunc est *mare salsum*. In hac *valle* a quatuor regibus adversum Pentapolitas acriter dimicatum est Gen. XIV. verss. 3. 8. 9. 10. 11. victique Pentapolitæ. De ratione nominis diximus Gen. XIV. vers. 3.

VALLIS SOREC. Vide supra SORECH.

VALLIS TENDENS ET IN TRANS PROCUL, Deuter. XI. vers. 30. eadem est, quæ *Vallis illustris* & *Aulon* dicta fuit. Vide supra in AULON, & quæ nos diximus Gen. XII. vers. 6. ubi de hisce omnibus nominibus & nominum ratione diximus.

VALLIS TEREBINTHI, in tribu Juda, in qua David cum Goliath gigante singulari certamine dimicavit I. Reg. XVII.

VILLA EMONA, urbs in tribu Benjamin. Jos. XVIII. vers. 24.

VILLA ENAN. Vide EMAN.

ULAI, Dan. VIII. vers. 2. 16. versio nostra videtur *portam* facere in Susis urbe vel castro, qua in versione videtur Hieronymus Septuaginta Interpretes sequutus, ut in commentario ipse indicat. alii Hebræam vocem אובל *Ubal*, quam *portam* Hieronymus & Septuaginta Interpretes vers. 2. verterant, *paludem* reddiderunt, inter quos est Symmachus, quomodo & Hieronymus eamdem vocem vers. 3. ejusdem capitis reddidit. alii *rivum* vel *fluvium* verterunt. Et hoc postremum ad rei veritatem forte quam proxime accedit, ut passim viri quique doctissimi vo-

HIERONYMUS. ΕΥΣΕΒΙΟΣ. EUSEBIUS.

volunt: satis enim constat ex Ptolemæi tabulis & Plinio ibi fuisse *flumen Eulæum*, de quo ita Plinius Lib. VI. Cap. 27. *Susianen ab Elymaide disterminat amnis Eulæus, ortus in Medis, modicoque spatio cuniculo conditus, rursusque exortus, & per Mesobatemem lapsus, circuit arcem Susorum ac Dianæ templum augustissimum illis gentibus : & ipse amnis in magna est ceremonia, siquidem reges non ex alio bibunt, & ob id in longinqua portant*. Quod postremum etiam habet Strabo sub finem Lib. XV. qui id regum luxui & delitiis tribuit, quod aquam ex Eulæo tantummodo biberent, cujus rei & rationem reddit, quod ea esset omnium levissima, ut Atticæ heminæ comparata drachma minus appenderet. Neque aliud forte intellexerunt Hieronymus & Interpretes Septuaginta per *portam Ulai*, quam portam aliquam, quæ a flumine illo nomen accepisset, nempe quia vel porta aliqua amnis ad castrum admitteretur, vel in amne pons esset, qui portas haberet, ut in plerisque locis vidimus, qui a subjecto flumine *porta Ulai* diceretur.

[1] *ULAMAUS, pro quo in Hebræo scriptum habetur Luza. Eadem est autem quæ & Bethel, sicut supra diximus. Sed & quædam villa nomine Ulama in duodecimo Diocæsareæ lapide ostenditur contra solis ortum.*

[4] Οὐλαμμοῦς, τὸ ἑβραϊκὸν ἔχει Λουζά. αὕτη ἐστὶν ἡ καὶ κληθεῖσα [5] Ζαβουλά, καὶ μετὰ ταῦτα Βαιθήλ. δεδήλωται ἀνωτέρω. ἔστι δὲ καὶ ἄλλη Οὐλαμμὰ ἀπὸ ιβʹ σημείων Διοκαισαρείας πρὸς ἀνατολάς. κεῖται καὶ ἀνωτέρω Ὀδολλάμ. μέμνηται αὐτῆς Ἡσαΐας.

ULAMMUS, Hebraicum habet Lusa. hæc est quæ vocata est Zabula, deinde Bæthel. ostensum est supra. est & alia Ulamma in duodecimo lapide Diocæsareæ versus Orientem. extat item supra Odollam. hujus meminit Isaias.

[2] *UR CHALDÆORUM, ubi mortuus est Aram frater Abrahæ, cujus hodieque, sicut Josephus refert, tumulus ostenditur, & super hoc quid nobis videatur in libris Hebraicarum quæstionum plenius diximus.*

Οὐρ, πόλις βασιλείας τῶν Χαλδαίων, ἔνθα ἀπέθανεν Ἀῤῥὰν ὁ ἀδελφὸς Ἀβραάμ, οὗ καὶ ὁ τάφος εἰς ἔτι νῦν δείκνυται, ὡς Ἰώσηππος ἱστορεῖ.

UR, civitas regni Chaldæorum, ubi mortuus est Arram frater Abrahæ, cujus etiam sepulcrum usque hodie monstratur, ut refert Josephus.

URBS PALMARUM, in Scriptura Judic. I. vers. 16. & Cap. III. vers. 13. & 2. Paral. XXVIII. vers. 15. non alia est ab *Hiericho*, ut e postremo Scripturæ loco liquet: ita dicta a *palmarum solo fertili*. Vide Josephum Lib. V. Belli Judaic. Cap. IV.

[3] *UZ, unde fuit Job de regione Ausitide, sed & unus de posteris Esau Uz nomine appellabatur: de quo in libris Hebraicarum quæstionum diximus.*

Οὖς, ὅθεν ἦν Ἰώβ, ἐν χώρᾳ τῇ Αὐσίτιδι. Οὗς δὲ καὶ ὁ υἱὸς τοῦ Ἡσαῦ ἐκαλεῖτο.

HUS, unde fuit Job in regione Ausitide. Hus præterea etiam vocatur filius Esau.

N o t æ.

[1] Diversimode hæc vox lecta fuit apud Interpretes Septuaginta Gen. 28. v. 19. Ulamaus, Ulammaus, Lammaus, Ualamaulas, Ulam Luz, quod postremum solum aliquo modo syncerum haberi potest, in Hebræo enim est אולם לוז *Ulam Luz*, verum ex his sola posterior vox *Luz* ad urbis nomen pertinet: nostra autem versio loco duarum vocum habet, *prius Luza*. Vide ad eum Gen. locum plura. Bonfrerius.

[2] In hac urbe natus est Abraham, e qua Deo vocante ad declinandam idololatriam profugit. Significat autem *Ur ignem*, idque omnino verisimiliter, quod ibi *ignis* pro Deo coleretur. Vide de *Ur* plura Gen. XI. v. 28. & Joseph. Antiq. Lib. I. c. 7. Idem.

[3] In versione nostra *Hus* appellatur, de qua & supra in HUS a nobis est dictum. Idem.

[4] Οὐλαμμοῦς) De loco Geneseos, ex quo male intellecto orta est hæc lectio, diximus in Commentario nostro ad eum Mosis Librum, & Hieronymiana Quæstione V. §. 8. Clericus.

[5] *Luzam* vel Bethel dictam fuisse Zabulam nusquam Scriptura prodit: Sed neque Hieronymus hic tale quid habet. Bonfrerius.

X

[1] *XIL, in tribu Juda.*

Ξίλ, φυλῆς Ἰούδα.

XIL, tribus Juda.

N o t æ.

[1] Nulla est isto nomine urbs in tribu Juda Jos. 15. etiam in versione Septuaginta Interpretum: quæ in versione nostra maxime ad hanc vocem accedit est *Cesil* Jos. 15. v. 30. Bonfrerius.

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|

## Z

ZAMBRI, Hebraice זמרי *zimri*, regio est Asiæ, *plura* regna continens, Jeremiæ xxv. verf. 25. Quæ autem sit hæc regio & conjecturæ locus relictus est, cum alibi nusquam neque apud sacros, neque apud profanos scriptores illius regionis fiat mentio. Apud Jeremiam *Arabiæ*, *Persidi*, *Mediæ* conjungitur : quid si PARTHIAM esse dicamus *Persidi vicinam* . *Partem Arabiæ*, vel *Persidis* censet esse Hieronymus ad eum Jeremiæ locum, sed ipse quemadmodum & nos, divinat.

ZANOA vel ZANOE. Vide proxime in ZANOHUA.

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [1] *ZANOHUA, in tribu Juda usque hodie in finibus Eleutheropoleos Æliam pergentibus villa Zanua nuncupatur.* | Ζανώσα, φυλῆς Ἰούδα. καὶ νῦν ἐν ὁρίοις ἐστὶν Ἐλευθεροπόλεως, πλησίον Χεβρὼν, ἀπὸ σημείων η´ πρὸς ἀνατολὰς, ἔνθα ἐκρύπτετο Δαβίδ. | ZANAUSA, tribus Juda. & nunc in finibus est Eleutheropoleos, juxta Chebron, in octavo milliario versus Orientalem plagam, ubi occultatus est David. |

ZARED. Vide proxime ZARET.

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [2] *ZARED, vallis.* | | |
| [3] *ZARED, in parte deserti.* | Σαρὲδ, φάραγξ ἐν μέρει τῆς ἐρήμου. | ZARED, prærupta vallis in parte deserti. |
| [4] *ZEB, civitas Amman, hodieque villa Zia ostenditur, in quintodecimo lapide Philadelphiæ, contra Occidentem de qua scribit Hieremias.* | Ζὴμ, ἐν Ἱερεμίᾳ, πόλις Ἀμμὼν, καὶ ἔστι νῦν Ζία κώμη, ὡς ἀπὸ ιε´ σημείων Φιλαδελφίας ἐπὶ δυσμάς. | ZEM, in Hieremia, civitas Amman, & nunc est Zia vicus, quasi in decimo quinto milliario Philadelphiæ ad occidentem. |
| [5] *ZEPHRONA, terminus Judæ ad Septemtrionem.* | Ζετφρονὰ, ὅριον τῆς [8] Ἰδουμαίας βόρειον. | ZETPHRONA, terminus Idumææ Septemtrionalis. |
| [6] *ZIPH, in octavo milliario Chebron contra Orientem usque hodie vicus ostenditur, ubi absconditus est David. Fuit autem tribus Juda in Daroma, in finibus Eleutheropoleos.* | | |
| [7] *ZIPH, mons squallidus, vel caligans, sive nebulosus: juxta Ziph in quo sedit David prope Chermelam, quæ in Scripturis sanctis Carmelus appellatur; vicus hodie Judæorum, unde fuit Nabal Carmelius; sed* | Ζεὶβ, ὄρος αὐχμῶδες τῆς Ζεὶβ, ἐν ᾧ ἐκάθητο Δαβὶδ, ᾧ παράκειται Χερμαλά. ἣ τις ἑρμηνεύεται ὁ Καρμηλὸς, οὕτω καλουμένη εἰς ἔτι νῦν κώμη Ἰουδαίων, ἔνθα Ναβὰλ ὁ Καρμήλιος. Ζεὶβ δὲ ἐκαλεῖτο καὶ εἷς τῶν υἱῶν Χαλέβ, ὡς | ZIB, mons squallidus Zib, in quo sedit David, cui adjacet Chermala, quam interpretantur Carmelum, ita nunc vocatum vicum Judæorum, ubi Nabal Carmelius. Zib vero vocabatur etiam unus filio- |

### NOTÆ.

[1] Hæc in versione nostra *Zanoa*, vel *Zanoe* appellatur. Verum *gemina* isto eodemque nomine urbs in tribu Juda adfertur Jos. 15. v. 34. & 56. BONFRERIUS.

[2] Pro *Zaret* in versione nostra est *Zared* Num. 21. v. 12. Deuter. 2. v. 13. 14. Septuaginta Interpretes nomine φάραγγος, hoc est *vallis* ubique insigniunt: noster interpres *torrentem* appellat. Hebræa vox נחל *nachal* utrumque significat: suntque hæc fere inter se connexa, nam in *vallibus torrentes* esse solent. IDEM.

[3] Non est hoc a præcedenti diversum; siquidem & ille torrens *in deserto* juxta *Moabitas* erat. Adde, videri manifeste ex Eusebio uno contextu esse legendum : ZARED : *vallis Zared in parte deserti*. IDEM.

[4] Nusquam hanc vocem apud Hieremiam in codicibus Septuaginta Interpretum reperio, neque in versione nostra usquam legitur. Fit mentio *torcularis Zeb* Judic. 7. v. 25. in quo *Zeb* Madianitarum regulus ab Ephraimitis fuit interfectus: sed locus hic nihil ad *Ammonitas* pertinet. IDEM.

[5] Repone hic *Judææ*, pro *Judæ*. Fit autem hujus loci mentio Num. 34. v. 9. quo in loco non *tribus Judæ*, sed *totius Judææ*, seu *regionis Cis-Jordaninæ* termini describuntur. Porro cum hic locus in *Judææ* terminis ad Aquilonem fuerit, necesse est *juxta Libanum*, seu *Antilibanum* montem fuisse. IDEM.

[6] Gemina eo nomine civitas in tribu Juda nominatur Jos. 15. v. 24. & 55. Hinc *desertum Ziph*, & *mons solitudinis Ziph* in Scriptura 1. Reg. 23. v. 14. 24. legitur, quod de *Ziph posteriore*, cujus ibi supra fit mentio v. 55. juxta *Maon* & *Carmelon* est intelligendum. Semel & iterum *Ziphæi* Davidem ad Saulem detulerunt, nec per eos stetit quo minus David in Saulis manus veniret, 1. Reg. 23. v. 19. 20. & 26. v. 1. IDEM.

[7] De hoc monte in deserto *Ziph* habes 1. Reg. 23. v. 14. ubi & in nostra versione habetur *mansisse Davidem in monte solitudinis Ziph*, *in monte opaco*; quibus postremis verbis *in monte opaco*, quæ in Hebræo non habentur, videtur nominis *Ziph* ratio explicari, ut ad eum locum explicabitur. Septuaginta Interpretes aliquid simile nostræ versioni habent. IDEM.

[8] Ἰδουμαίας ) Ex *Hieronymo* & re ipsa patet legendum esse Ἰουδαίας. CLERICUS.

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| *& unus de posteris Caleb dictus est Ziph. lege Paralipomenon.* | ἐν παραλειπομένοις. | rum Chaleb, ut est in libro Paralipomenon. |
| [1] *ZIT, in tribu Juda.* | Ζέφ, φυλῆς Ἰούδα. | ZEPH, tribus Juda. |
| [2] *ZOAB, civitas Ammorrhæorum sita in Arnone, de qua scriptum est*, propterea dicitur in libro bellorum Domini: Zoab inflammavit & torrentes Arnon. | Ζοόβ, διὰ τοῦτο λέγεται ἐν βίβλῳ πολέμων τοῦ κυρίου. τὴν Ζοόβ ἐφλόγισαν, καὶ τοὺς χειμάῤῥους Ἀρνών. πόλις Ἀρνὼν ἐν τῷ Ἀμοῤῥαίῳ. ἐν τῷ Ἀρνὼν κειμένη. | ZOOB. Idcirco dicitur in libro bellorum Domini: Zoob incenderunt & torrentes Arnon. civitas Arnon in Amorhæo. in Arnone sita. |

ZOARA, in hoc libro de locis Hebraicis non semel usurpatur. Vide proxime ZOCHORA.

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [3] *ZOCHORA, in Hieremia civitas Moabitarum. hæc est quæ nunc vocatur Zoara, sive Segor, una de quinque civitatibus Sodomorum.* | Ζογερά, ἐν Ἱερεμίᾳ. πόλις Μωάβ, αὕτη νῦν καλεῖται Ζοοῤῥά, ἡ καὶ Σεγώρ, μία οὖσα τῆς πενταπόλεως τῶν Σοδόμων. | ZOGERA, in Hieremia civitas Moab, hæc nunc vocatur Zoorha, quæ & Segor, una e quinque civitatibus Sodomorum. |
| [4] *ZOELETH, nomen lapidis, ubi Adonias immolavit victimas juxta fontem Rogel.* | Ζωελέθ, λίθος οὕτω καλούμενος, ἐν ᾧ Ἀδωνίας ἔθυσεν [6] ἐχόμενα τῆς Ῥωγέλ. | ZOELETH, lapis ita dictus, in quo Adonias immolavit victimas, juxta Rogel. |

ZOHELETH. Vide proxime ZOELETH.

ZOMZOMMIM, gigantum nomen, qui olim Ammonitarum regionem possederunt, quos Ammonitæ expulerunt, in eorumque locum successerunt, Deut. II. vers. 20. 21.

| HIERONYMUS. | ΕΥΣΕΒΙΟΣ. | EUSEBIUS. |
|---|---|---|
| [5] *ZOPHOIM, regio Principum in terra Edom, quæ nunc vocatur Gabalena.* | Ζαφωείμ, χώρα ἡγεμόνων Ἐδώμ, ἐν τῇ νῦν Γεβαληνῇ. | ZAPHOIM, regio Principum Edom, in ea quæ nunc est Gebalene. |

ZUZIM, Gen. XIV. vers. 5. eosdem esse existimo cum iis, qui Deuter. II. vers. 20. appellantur ZOMZOMMIM, qui prius Ammonitarum regionem tenuerant; siquidem & nominis aliqua affinitas est, & conjunguntur *Emim*, qui & ipsi in vicina Moabitarum regione consederant; item tota istorum regum progressio & excursio, quæ ibi Gen. XIV. describitur, ab Aquilone in Austrum, requirit ut e Galaaditide, ubi erant *Raphaim*, ordine procedendo venirent ad *Zomzommim* & *Ammoniticam* regionem, inde ad *Emim*, ac tandem ad *Chorrhæos* in Idumæa Australi tunc temporis habitantes penetrarent.

---

NOTÆ.

[1] Hoc nomen inter nomina urbium tribus Juda Jos. 15. non reperitur, etiam in codicibus Septuaginta Interpretum: videtur mendose *Zit* pro illa *Ziph* priore Jos. 15. v. 24. positum. BONFRERIUS.

[2] Non *Zoab*, sed *Zoob* legitur in omnibus codicibus Septuaginta Interpretum Num. 21. v. 14. pro quo alia omnia habet nostra versio. In Hebræo est והב *vaheb*, quid autem illud sit non parva est disceptatio, suntque qui cum Septuaginta Interpretibus & Rabbi Davide *loci nomen* esse velint, quamquam Interpretes illi per ז initio pro ו videantur legisse. Alii ad locorum nomina propria *nihil pertinere* volunt: & in versione nostra pro ea voce habetur, *sicut fecit*. IDEM.


[3] Scribendum est *Zogora*; ita enim *Segor* appellant Septuaginta Interpretes, Hierem. Cap. 48. v. 34. & alibi semel aut iterum, non *Zochora*, idque rectius, ad vocem enim Hebræam propius accedit, proxime vero ad vocem Syriacam זערא *Zoara*, mutato ע in G, ut sæpe fit. Porro quamquam illo supra Cap. Hieremias adversus Moabitas vaticinaretur, non tamen hæc urbs apud Moabitas fuisse censenda est: satis enim constat *Segor unam e quinque Pentapoleos civitatibus* fuisse, eamque fuisse *cis Jordanem* vel mare Mortuum, cum contra Moabitarum regio *trans Jordanem* & mare Mortuum esset. Vult igitur Propheta vocem Moabitarum in captivitatem abducendorum trans Jordanem & mare Mortuum a *Segor* usque esse exaudiendam. IDEM.

[4] In versione nostra *Zoheleth* appellatur 3. Reg. I. v. 9. Est autem locus hic ad Orientem montis Sion, juxta hortos regis, ubi clandestina inauguratione conatus est Adonias in regnum surrepere, illudque Salomoni præripere. IDEM.


[5] In codicibus Septuaginta Interpretum non *Zophoim*, sed *Zaphoim* legimus Gen. 36. v. 43. quæ Hebrææ voci עירם *Hiram* (quam & nostra habet versio) nullo modo affinis est, ut mirum sit unde illa, si non ex Hebræo, emerserit. Sed neque *Hiram* ibi *regionis* nomen est, sed *viri* & *ducis Idumæi*. IDEM.


[6] Ἐχόμενα τῆς Ῥωγήλ) Habebat *Bonfrerius* ἐχόμενος, cum sit in MSS. ἐχόμενα, ut in textu LXX. Int. 3. Reg. I. 9. Addidimus ex eo loco τῆς Ῥωγήλ, quod legerat *Hieronymus*, & sine quo mutila oratio est. Subaudiendum autem πηγῆς, ut ex *Hieronymo* intelligere est. Atque hæc ad *Eusebium* hactenus, in quibus non de locis ipsis agere, sed *Eusebii* præsertim verba illustrare & emaculare, *Hieronymumque* puriorem, ex nupera Parisina Editione emittere constitueramus. Alioqui multa taciti, in *Eusebio*, *Hieronymo* & *Bonfrerio*, quæ non probabamus, prætermisimus; sed de quibus commodius acturi sumus, in Commentariis ad Vetus Testamentum, quam hic. CLERICUS.

JACO-


TABULA GEOGRAPHICA TERRÆ SANCTÆ
Hermon Mons
Mons Galaad
ITURÆA
TERRA TOB
GAULANITIS
REGIO BATHANÆA
ARGOB
VEL REGIO
BAAL HARMON
TERRA MASPHA
SYRIA MACHA
SYRIA
SOBA
Damascus
MARE GALILÆÆ CENERET ET TIBERIADIS, QUOD ET STAGNUM CENESARETH
TRIBUS
SUPERIOR
NEPHTALI
GALILÆA
TRIBUS AZER
GALILÆA INFERIOR
TRIBUS
ZABULON
TRIBUS ISSACHAR
TRIBUS
GAD
TRIBUS
RUB
Jordanes
MANASSE
TRIBUS
DIMIDI
EPHRAIM
TRIBUS
BENJAMIN
DESERTUM JERICHO
TRIBUS
SARONA REGIO FERTILISSIMA
TERRA SUPH
MARE MAGNUM SEU MEDITERRANEUM SEU OCCID
Scala milliarium horariorum
In Tribu Nephtali
Juxta Mare
Trans Jordanem fuere
Juxta Montem Thabor
Juxta Jordanem in
In Tribu Ephraim
In Tribu Benjamin
In Tribu Juda
In Tribu Dan




MOAB REGIO
MADIANITIS REGIO
ASPHALTITES LACUS
MARE SALSUM
VEL MORTUUM
IDUMÆA
IDUMÆA
SEIR
MONTES
HEVILA
HEVILA
CAMPESTRIA PHARAN
DESERTUM MAON
DESERTUM ZIPH
DESERTUM SIN
DESERTUM SUR
VEL ETHAM
Pharan
Montes
TRIBUS
SIMEONIS
TRIBUS DAN
PHILISTÆORUM REGIO
AMALECITARUM REGIO
SOLITUDO
SINUS ARABICUS
MARE RUBRUM
ÆGYPTI
PARS
AFRICÆ PARS
ENTALE
Terra Gessen





# JACOBI BONFRERI ANNOTATIONES
## *IN SEQUENTEM*
## PROMISSÆ TERRÆ
## CHOROGRAPHICAM TABULAM.

INTER eos, qui de ſacris *terræ promiſſæ locis* ſcripſere, nemo hactenus copioſius, nemo forte felicius ſcripſit quam CHRISTIANUS ADRICHOMIUS, qui præter chorographicam illius terræ tabulam etiam ſingula loca enucleatius in ſuis particularibus deſcriptionibus perſecutus eſt, qua in re de rerum ſacrarum ſtudioſis bene meritum eſſe, & Scripturam ſacram non parum illuſtraſſe nemo inficiari poſſit. Et vero quis ea loca melius certiuſque deſcribere poſſit, quam qui ſe oculatum locorum iſtorum inſpectorem fuiſſe fateatur, quique totam eam regionem curioſius luſtraverit? Quocirca eum, qui iſta loca nec obiverit unquam, nec inſpexerit, *Adrichomio* velle ſe opponere, quid aliud cenſeri poſſit, quam temeritatis maximæ opus aggredi, & cornicum, ut ajunt, oculos velle configere? Fateri debeo nunquam me loca ſacra luſtraſſe, nunquam regionem illam tot divinorum miraculorum illuſtratam prodigiis, tot divinarum gratiarum imbribus irrigatam adiviſſe; auctoritate tamen illorum adductus, quorum vel præceptis non obtemperare, vel monita reſpuere inſignis impudentiæ fuiſſet, non potui non ea promere, quæ in *Adrichomio* deſiderabam, non repugnandi contradicendique, ſed veritatis indagandæ ſtudio, & rerum ſacrarum ſtudioſis aliquid, quod in eorum ſit uſum, adferendi. Non diffiteor rem magni momenti eſſe ad rem coſmographicam vel chorographicam regiones adiviſſe, loca ipſa luſtraſſe; ſed in iis, in quibus ab *Adrichomio* diſſentio, non dubito me certiorem ducem ſequi, cum Scripturæ ſacræ inſiſto veſtigiis, quam ſi meis ipſe oculis crederem: atqui ea, in quibus ab illo recedo, fere omnia iſtiuſmodi ſunt, ut ſacræ Scripturæ magis conſentanea ſint, quæ *Adrichomius* vel non ſatis advertiſſe, vel non ſatis expendiſſe viſus eſt; paucula ſunt quæ vel *Joſephus*, vel *Hieronymus*, vel *Ptolemæus* Geographorum princeps ſuggerunt; qua in re ſi *Joſephum*, *Hieronymum*, *Euſebium Adrichomio* oppoſuero, oculatos videlicet inſpectores oculato inſpectori, immo indigenas vel eos, qui in terra Sancta maximam ætatis partem triverunt, ei qui tantum obiter & in tranſcurſu ea loca inſpexit, ad-

adjunctis etiam rationibus subinde, quæ nos in alteram partem impellant, si *Ptolemæum* Geographiæ accuratissimum descriptorem, ab omnibus Geographis in pretio habitum, *Adrichomii* assertioni anteposuero, videbor non sine justa ratione ab eo recessisse. Accedit, quod perspicue evinci possit, in plerisque *Adrichomium* dubiam conjecturam sequi, incerta pro certis assumere; quod plane necesse fuit, nisi innumera loca, de quorum situ determinato e Scriptura vel aliis probatis auctoribus non constat, e chorographica sua tabella rejicere vellet; quis enim in locorum situ designando non laboraverit, quorum præter nomen nihil in Scriptura proditur, apud alios autem scriptores ne nomen quidem extet? Deinde esto sane loca sancta adierit Adrichomius, & de singulis curiosius perscrutatus fuerit, at quomodo eorum locorum situm assequi potuerit, quorum & nomina interciderint, & nulla locorum vestigia a multis seculis remanserint? quomodo eorum locorum certam notitiam nancisci potuit, quorum commutata sunt jampridem nomina, prioribus nominibus obliteratis oblivionique traditis? quomodo diversarum tribuum fines, eorundemque finium flexus oculis usurpari potuerunt, qui esse tot seculis desierunt, confusa harum sortium distributione? Fuerit sane vel fuisse fingatur nonnulla de hisce rebus penes homines traditio; at hæc quam incerta sit & diversis erroribus obnoxia nemo nescit, illudque ipsum est, non jam oculorum judicio fidere, sed aurium lubricam fidem sequi. Quocirca nisi vel Scripturæ sacræ facem præviam sequaris, vel antiquos illos Scriptores duces tibi proponas, sicubi hæc defuerint, necesse erit in quamplurimis oculorum judicio frustrari. Hæc cum ita sint, benigne Lector, decrevi (etsi & ab hac re abstinere maluissem) non tam novam chorographicam terræ sacræ tabellam delineare, quam *Adrichomii* tabellam emendatiorem adferre, annotatisque iis sigillatim, in quibus visus est impegisse *Adrichomius*, ea promere, quæ ad sensa nostra correctionemque stabiliendam facere possint.

Igitur rem hanc ut aggrediamur, Primo, nullo modo imprimis videtur rem assecutus *Adrichomius* in *Magnetica pixide constituenda, & partium orbis situ: Septemtrionem enim nimis ad Occidentem inflectit & Europæ regiones*, ut constat ex omnium Geographorum tabulis, qui mare Mediterraneum, (ab Hebræis Occidentale dictum, propterea quod terminus esset terræ promissæ versus Occidentem) producunt a Septemtrione in Austrum, modica semper versus Rhinocoruram & Ægyptum ad Occidentem inclinatione: at *Adrichomius* fere *ab Oriente in Occidentem producit*.

Secundo; graviter ab eo peccatum est, cum *idem mare Occidentale ultra Rhinocoruram continuo & directo tractu versus Ægyptum & Nilum protraxerit*; Cum satis constet, & omnium Geographorum tabulis, a Rhinocorura paulatim multis recurvis finibus illud mare reflecti in Occidentem, & tandem ab Ægypto & Nili ostiis directo fere aspectu ad Gaditanum fretum versus Occidentem procedere.

Tertio; quid sibi velit nescio, cum *Amorrhæum montem extra fines Chananitidis ab extremis fere terræ promissæ finibus usque ad Asiongaber & Sinum Arabicum producit* (quis enim unquam legit in deserto aut montibus istis Amorrhæos habitasse?) Cum potius in isto loco collocandi essent montes Seir, quos Israelitæ dicuntur longo tempore circuivisse, donec venirent in Ælath & Asiongaber, Deuter. II. vers. 1. 8.

Quarto; non levitur ab eo peccatum, quod *Idumæam tam exiguis finibus circumscripserit, cujus longitudo sit juxta montes Australes terræ promissæ, ab Oriente fere in Occidentem*; Cum ejus longitudo potius statuenda esset a Septemtrione in Austrum, a montibus videlicet illis, qui eam a Chananitide seu terra promissa dirimebant, usque ad mare rubrum, seu Sinum Arabicum: quandoquidem constet e Scriptura, Ælath & Asiongaber, quæ erant ad mare rubrum, fuisse in Idumæa, ex Deuter. II. vers. 8. & 3. Reg. IX. vers. 26. & 2. Paral. VIII. vers. 17. quod nullo modo exprimit *Adrichomii* chorographica tabula.

Quinto; egregie in hac re hallucinatus est *Adrichomius*, quod *Amalecitarum sedem, juxta mare rubrum ultra Ælath & Asiongaber constituat*; Cum satis e Scriptura constet, Amalecitas habitasse in confinio Idumæorum; atque in montibus, qui Judæam & terram promissam ab Austro terminabant, juxta Cadesbarne. Num. XIV. vers. 43. 45. Hinc factum est, ut tanto studio conati sint Amalecitæ avertere Israelitas a suis finibus, ne per illos in Chananæam conarentur irrumpere, Exod. XVII. & Saul rex factus tam facili negotio ad Amalecitas penetraverit, ut eos

eos deleret & exterminaret. Adde, ſatis liquere, non poſſe ibi Amalecitarum ſedem conſtitui, ubi eam ſtatuit *Adrichomius*, ſi, uti paulo ante dixi, Idumæi a Judææ extremis montibus aduſque mare rubrum pertigerint; quandoquidem ipſe addat *Amalecitas a ſua regione in Ægyptum uſque extendi*: quod fieri non potuit Idumæis medium tenentibus, niſi forte fingat Idumæorum fines fuiſſe interruptos hinc & inde, Amalecitis ſeſe per medium inſinuantibus. Ex quo & illud colligo non recte *Hevilam trans Idumæos ad Orientem* ab eodem *Adrichomio* conſtitui, ſed potius ejus ſitum cis Idumæam, ad ejus videlicet Occidentem, ſtatuendum eſſe, a qua Hevila uſque ad Sur deſcribitur in Scriptura tam Amalecitarum, quam Iſmaelitarum in deſerto ſedes & habitatio.

Sexto; ut ea, quæ ad fines & extremos limites terræ promiſſæ, abſolvamus, non recte *Adrichomius a Septemtrionali parte ejus extremum limitem cis Jordanem ſtatuit Libanum montem, prout ab Antilibano condiſtinguitur, ſi fere in iiſdem limitibus Borealibus conjungendo Antilibanum, quem mari mediterraneo viciniorem facit*. Etſi enim mons ille, qui Libanus appellatur, latiore ſignificatione poſſit tam Libanum, quam Antilibanum comprehendere, & in Scriptura paſſim Libanus appelletur, qui terram promiſſam a Boreali latere proxime claudit; ex *Ptolemæo* tamen & aliis Geographis, qui Libanum & Antilibanum condiſtinguunt, non dubium eſt, eum montem, qui terram promiſſam a Boreali plaga claudit, totum eſſe Antilibanum, nec Libanum proprie dictum, prout ab Antilibano condiſtinguitur, terram promiſſam contingere, vel in ejus terminis eſſe: unde cum de hiſce terræ promiſſæ terminis ſermo eſt, Septuaginta Interpretes ſemper pro eo, quod in Hebræo eſt לבנון *Lebanon*, & in verſione noſtra *Libanus* dicitur, *Antilibanum* dicunt: Libanus vero ita a parte Aquilonari Antilibani conſtituendus eſt, ut fere parallelus ſit Antilibano. Fere dixi, quia modica eſt inclinatio, magiſque ad Antilibanum accedit, qua parte Orientem ſpectat. Inter hos autem duos montes magna Cœleſyriæ pars includitur.

Septimo; de *Eleuthero fluvio* illud fateor incertius ex auctoribus eſt, ubi *ejus fontes* ſint collocandi, cum *fontium Ptolemæus* non meminerit, & de hujus *fontibus* valde inter ſe auctores diſſentiant. *Bertius* autem & *Villanovanus* in Ptolemaicis tabulis *ejus fontes reponant a parte Aquilonari montis Libani Antilibano oppoſiti*. Maginus *ejuſdem fontes a regione trans-Jordanina juxta Boſor vel Boſram, quæ Antilibano ad Auſtrum eſt, accerſit*. Adrichomius *ex ipſo Antilibano a parte ejuſdem Auſtrali*, cum quo malim ſentire propter Scripturæ locum, qui habetur 1. Machab. XII. verſ. 30. ubi copiæ regis *Demetrii*, quæ in *Amathite* regione verſabantur, *una nocte fugientes Jonathan transgrediuntur Eleutherum*, ita ut ob hanc cauſam Jonathas inſequens eas non potuerit comprehendere; ſi autem ultra montem Libanum fuiſſent Eleutheri fluminis fontes, non potuiſſent tam cito fuiſſe hujus fluminis alveum prætergreſſi, cum ex Amathite regione ad ea Syriæ loca, quæ trans Libanum ſunt, facile viginti milliaria horaria, vel plura ſint, cum major ſit diſtantia quam gradus unius. Forte verius Eleutheri fluminis fontes conſtituas ex Antilibano monte a parte Septemtrionali. Quidquid tamen de hac re ſit, quod fateor eſſe incertum, nolim cum *Adrichomio Eleutheri fluminis oſtia inter Sidonem & Tyrum* conſtituere: id enim repugnat *Ptolemæo*, qui *ſupra Tripolim ad Aquilonem* illius oſtia ſtatuit, cæteriſque Geographis.

Octavo; *Arnon* in regione trans-Jordanina terminum fuiſſe Moabitarum, diviſiſſeque Moabitas ab Amorrhæis, habetur diſertis verbis Num. XXI. verſ. 13. Amorrhæorum autem regionem trans Arnon occuparunt poſtea tribus Ruben & Gad: at certum eſt juxta deſcriptionem *Adrichomii nullo modo Amorrhæos, vel poſtea Rubenitas & Gaditas fuiſſe diſterminatos a Moabitis Arnone torrente*. Deinde eodem Num. XXI. Cap. verſ. 11. indicatur, Hebræos, ut tranſirent ad Amorrhæos, ad Orientalem plagam regionis Moab ambulaſſe, quod nullo modo exprimit *Adrichomii* tabula. Rurſum Hebræos Arnonem torrentem pertranſiſſe juxta eum locum, ubi torrens e rupe, quæ itidem Arnon dicta eſt, egreditur, indicatur eodem Capite Num. XXI. verſ. 14. 15. licet obſcure, prout *Hieronymi* & aliorum eſt ſententia, & nos ad eum locum explicuimus: a qua re quam longe abſit *Adrichomii* deſcriptio nemo non judicabit.

Nono; *Aroer* ubique in Scriptura ponitur *ſuper torrentem Arnon*, & *in tribu Gad*, quod utrumque recte quidem expreſſit *Adrichomius*: ſed in duobus aliis hallucinatur: unum, quod cum

Scriptura ubique Aroer extremum limitem versus Austrum totius regionis trans-Jordaninæ, occupatæ ab Israelitis, constituat, ipse eam *longe ab hisce extremis finibus Australibus removet:* alterum, quod *Aroer & Ar Moabitarum unam eamdemque urbem statuat*, quod omnino a veritate alienum est; quomodo enim una eademque urbs Gaditarum simul fuerit & Moabitarum, eadem cis & trans Arnonem; quandoquidem inter Moabitas & Israelitas trans-Jordaninos medius torrens Arnon fuerit? Itaque quantum ad loca illa Australia regionis trans-Jordaninæ in multis ab *Adrichomio* peccatum est, quæ nullo modo cum Scriptura stare possunt.

Decimo; *Jazer* Adrichomius *super torrente Arnon constituit*, quod tamen nusquam in Scriptura ne verbulo quidem indicatur; sed neque stare potest cum iis, quæ habet *Hieronymus* in AZER & JAZER, ubi eam statuit in *decimo* vel *octavo a Philadelphia milliario, ab Hesebon quindecim;* atque adeo neque ejus magnum flumen, seu, ut vocat Jeremias, mare, hoc est, lacus statui potest in ipso torrente Arnon, sed a torrente longius semotum.

Undecimo; *Gerasam* in trans-Jordanina regione *vicinam ponit* Adrichomius *mari Galilææ, seu stagno Genesareth*, at ex *Josephi* Lib. III. Belli Judaic. Cap. 2. & *Ptolemæi* descriptionibus constat cum Philadelphia fuisse in terminis Orientalibus regionis trans-Jordaninæ juxta montem Galaad.

Duodecimo; *Vallis Salinarum* ab *Adrichomio* constituitur *in tribu Juda;* at mihi certum est, eam nec in tribu Juda, nec intra terræ promissæ fines esse statuendam; sed extra eam in Idumæa. Vide quæ in hanc rem a nobis dicentur 2. Reg. VIII. vers. 13.

Decimotertio; *Vallem Raphaim* in tabula tribus Benjamin particulari *uno fere milliario horario Hierosolyma distantem* ponit, eandemque *in tribu Benjamin*, in tabula vero totius terræ promissæ chorographica *quatuor facile milliaribus horariis in tribu itidem Benjamin ab eadem urbe removet*: neutrum recte, cum ea urbi fere ad Occidentem fuerit conjuncta, totaque in tribu Juda, utpote cujus extremitas Borealis fuerit terminus tribus Judæ Aquilonaris; inde vero longo tractu eadem vallis procurreret ad Meridiem usque Bethlehem. Vide quæ de hac re diximus Jos. XV. vers. 8. Judic. II. vers. I. vel quæ dicentur 2. Reg. V. vers. 18.

Decimo quarto; inter Philisthæorum satrapias hunc ordinem ipse constituit, progressum faciendo *a Meridie in Septentrionem, ut prima sit Gaza, deinde Ascalon, Azotus, Accaron, Geth:* at mihi partim Scripturam secuto Jos. XIII. vers. 3. partim auctores alios non paucos, qui ab *Adrichomio* dissentiunt, magis hic ordo placet, Gaza, Ascalon, Azotus, Geth, Accaron.

Decimo quinto; *Aphec* vel *Apheca* tribus Judæ *Adrichomius* constituit *in deserto Ziph tribus Judæ*: at ea meo judicio collocanda est in extremis versus Occidentem ejusdem tribus finibus, quandoquidem ea multo tempore occupata fuerit a Philisthæis, ibique exercitus sui lustrationem Philisthæi habuerint, I. Reg. IV. vers. I. & Cap. XXIX. vers. I. de ea enim accipio ea, quæ illis locis habentur, quemadmodum ad ea loca explico.

Decimo sexto; *Bethsames* & *Cariathjarim* urbes fuisse vicinas colligitur e I. Reg. VI. vers. 21. idemque indicatur Jos. XV. vers. 9. 10. at eas Adrichomius *nimium a se invicem dissitas* collocat. Rursum utraque in tribu Juda, ut diserte habetur in Scriptura pluribus locis: *utramque* autem Adrichomius *in tribu Dan* reponit. Denique utraque in finibus tribus Judæ Aquilonaribus, & Cariathjarim in communibus terminis tribus Judæ & Benjamin, ut habetur Jos. XV. vers. 9. 10. & Cap. XVIII. vers. 14. quæ omnia nullo modo exprimit *Adrichomii* tabula.

Decimo septimo; *Socho*, *Azeca*, *Vallem Terebinthi*, *fines Dommim*; seu *Aphesdommim* fuisse loca conjuncta, perspicue colligitur e I. Reg. XVII. vers. I. 2. at Adrichomius *ea nimium disjungit*. Rursum *Azeca* fuisse inter Eleutheropolim & Æliam habet *Hieronymus* in AZECA, quod nullo modo exprimit *Adrichomius*. Ex quo colligo nec Eleutheropolim ab eo recte fuisse constitutam, præsertim cum & Maceda in octavo ab ea milliario contra solis ortum constitui debeat, ut habet *Hieronymus* in locis Hebraicis, quod fieri non potest, nisi & Eleutheropolis & Maceda alio statuantur loco. Deinde Ramatha tribus Ephraim fuisse, non procul Socho tribus Judæ, manifeste colligitur e I. Reg. XIX. vers. 22. cum e Socho quasi digito ostenderetur Ramatha. Ex quo & illud videtur confici, has duas tribus hac sui extrema parte fuisse conjunctas, & tribum Ephraim sese inter tribum Benjamin & Dan insinuasse, ut ea parte tribum

Judæ

Judæ contingeret : quæ omnia nullo modo exprimit tabula *Adrichomii*, cum apud eum *tribus Ephraim nulla sui parte contingat tribum Judæ*, *& Socho vel Sochot Judæ remotior ponatur a Ramatha & extremis finibus tribus Ephraim*.

Decimo octavo ; *Najoth* ; quæ dicitur esse in Ramatha, hoc est, in suburbano loco urbis Ramathæ, Adrichomius *ita in tribu Ephraim ab ea removet, ut duodecim milliaribus ab ea distet*.

Decimo nono ; *Maspha* locum orationis *intra terminos tribus Benjamin* collocat *Adrichomius*, *Hieronymus* in locis Hebraicis *tribui Judæ adscribit* : verius puto in utriusque tribus confinio, quandoquidem utrique tribui a Scriptura videatur adscribi, Jos. xv. vers. 38. & Cap. xviii. vers. 26. quin & a tribus Judæ hominibus potius fuisse habitatam, eidemque tribui potius esse adscribendam non obscure colligitur e Judic. xx. vers. 1. ad quem locum vide quæ diximus, & Onomasticon nostrum in MASPHA.

Vigesimo ; *Jericho* in tribu Benjamin *nimis* ab *Adrichomio* in tabula *abducitur a finibus tribus Ephraim*, *eademque vicinior statuitur tribui Judæ, quam tribui Ephraim*; cum tamen ea statuenda sit juxta fines tribus Ephraim, ut indicat Scripturæ locus Jos. xvi. vers. 7. ubi fines tribus Ephraim perveniunt in Jericho, quod etiam fatetur *Adrichomius* in descriptione locorum tribus Benjamin, num. 81. ubi de *Jericho* agit, quam dicit *communem esse limitem tribuum Ephraim & Benjamin*, idemque patet ex iis, quæ idem *Adrichomius*, *Brochardus*, & *Hieronymus* in locis Hebraicis habent de GALGALA. Quibus adde *Josephum*, qui Lib. v. Belli Judaic. Cap. 4. asserit *a Jordane in Jericho sexaginta fuisse stadia* : at hæc sexaginta stadia ita digerit *Josephus* Lib. v. Antiq. Judaic. Cap. 1. ut dicat *Israelitas transgressos Jordanem, & in Galgala progressos quinquaginta processisse stadia, & in decimo ab Hierichunte stadio castrametatos fuisse*. Erat igitur Galgala in recta via euntibus a Jordane in Jericho, qua parte videlicet proxime distabat Jordanes, ubi & Israelitæ Jordanem transgressi erant : quæ tamen omnia nullo modo exprimit tabula *Adrichomii*, in qua *ex Jericho ad Jordanem recta via nullo modo transitur per Galgala, sed a recta via abest longius*; immo prout exprimit Adrichomius, *duplex est viæ spatium a Galgala in Jericho, quam sit a Galgala ad Jordanem.* Vide quæ & nos diximus Jos. iv. vers. 19.

Vigesimo primo ; *Clauthmon* ; sive locus flentium, quem Adrichomius *Clautomon* vocat, nec recte ab eo ponitur *in tribu Benjamin, juxta Galgala, & fines tribus Ephraim*; cum locus ille potius statui debeat in tribu Juda juxta Hierosolymam ad Occidentem trans Vallem Raphaim. Vide quæ a nobis dicuntur Judic. Cap. 11.

Vigesimo secundo ; *Bethel* urbs ab *Adrichomio* statuitur *in tribu Benjamin*; *nec omnino in confinio tribus Ephraim*; cum tamen juxta ea, quæ nos diximus Gen. xxviii. vers. 19. potius statuenda sit in tribu Ephraim, in confinio tamen tribus Benjamin.

Vigesimo tertio ; *Rama* ab Adrichomio *in tribu Benjamin vicinior Hierosolymæ* constituitur, & *Australior quam Gabaa*; cum tamen e Judic. xix. vers. 13. perspicue colligatur *Rama* fuisse remotiorem & Aquilonariorem ipsa Gabaa, cum e Bethleem & Hierosolyma venientibus prius occurrat Gabaa, quam Rama. Adde his *Josephum*, qui a Rama Hierosolymam majorem distantiam statuit, nempe sex milliarium Italicorum, a Gabaa vero Hierosolymam viginti duntaxat stadiorum intervallum. Vide ea quæ nos ad eum locum Judic. xix. dicimus.

Vigesimo quarto ; Constringenda magis tribus Benjamin, præsertim vero qua parte Hierosolyma in Gabaa & Rama itur, ut Rama fere sex milliaribus Italicis Hierosolyma distet, Gabaa viginti stadiis *Josephi*, hoc est, quatuor milliaribus *Josephi* : nam in quoque ipsius milliari illud fere observatur quinque duntaxat *Josephi* esse stadia. Vide unde hæc colligam 1. Reg. x. vers. 2.

Vigesimo quinto : *Bethania*, & *Bahurim* paulo viciniores Hierosolymæ constitui debent, sic ut Bahurim, quæ ab Adrichomio *fere duobus milliaribus horariis Hierosolyma abducitur*, tantummodo semimilliari Belgico seu horario ab illa removeri debeat. Vide quæ nos de hac re dicimus 2. Reg. xvi. vers. 5. *Bethphage* quoque ab Adrichomio *nimis a monte Oliveti removetur*, quam tamen in extremo ejusdem montis descensu, seu primo vallis aditu fuisse satis constat ex iis, quæ de BETHPHAGE in Onomastico diximus. Eam *Brochardus in recta via, qua ex Jerusalem itur in Bahurim*, & *in medio itinere collocat*, quod nullo modo exprimit tabula *Adrichomii*.

Vigesimo sexto ; *Ramatha* Samuelis patria in tribu Ephraim conjungi debet tribui Judæ, ut supra diximus num. 17.

17. An autem tribus Benjamin & Ephraim extremitates Occidentales ita sinuari debeant, ut e Ramatha per sepulcrum Rachel juxta Bethlehem iter esset in Gabad, quemadmodum videri possit indicari 1. Reg.x. vers.2. in medio reliquimus, quam difficultatem a nobis ibi pertractatam vide.

Vigesimo septimo; *Bethoron inferior* nullo modo statuenda in tribu Benjamin, sed in tribu Ephraim, in confinio tribus Benjamin, juxta ea quæ a nobis dicta sunt Jos. x. vers. 10. & a nobis dicentur 1. Reg. XIII. vers. 18.

Vigesimo octavo; In *Silo* nullo modo sibi constat *Adrichomius*, quam in descriptione particulari singulorum locorum ipse ponit *in tribu Ephraim*; at in tabula chorographica totius terræ promissæ, vel tabula particulari tribus Ephraim & Benjamin ipse collocat *in tribu Benjamin*. Fuisse in tribu Ephraim dubitari non debet, quemadmodum & asserit *Hieronymus* Lib. de locis Hebraicis. Adde id non obscure colligi e Scriptura sacra, etiamsi nusquam diserte asseratur. Primo enim ob id Eleazaro Aaronis filio primo pontifici ab ingressu in terram promissionis data est extraordinaria sedes & habitatio *in tribu Ephraim* Jos.ult. vers.ult. quia & tabernaculum,quod in Silo urbe vicina erat, collocatum fuit *in tribu Ephraim*, cum tamen reliquæ omnes urbes sacerdotales essent vel in tribu Juda, vel in tribu Benjamin. Rursum Psal. LXXVIII. vers. 60. de tabernaculo quod situm erat in Silo dicitur: *Et repulit tabernaculum Silo, tabernaculum suum, ubi habitavit in hominibus*, quod ob id dicitur, quia Silunte jam ablatum erat tabernaculum fœderis, & brevi Hierosolymæ in templum & domum fixam erat commutandum. Eadem autem res paulo post eodem Psal. LXXVIII. vers. 67. 68. aliis verbis ita explicatur: *Et repulit tabernaculum Joseph, & tribum Ephraim non elegit: sed elegit tribum Juda, montem Sion quem dilexit*: erat ergo tabernaculum fœderis Silunte collocatum *in tribu Joseph*, seu *Ephraim*. Deinde id meo judicio manifeste patet e situ urbis Silo, qui a Scriptura assignatur Judic. XXI. vers. 19. ubi hæc habes: *Ecce solemnitas Domini est Silo anniversaria, quæ sita est ad Septentrionem urbis Bethel, & ad Orientalem plagam viæ, quæ de Bethel tendit ad Sichimam*: cum enim Bethel in tribu esset Ephraim, sed in confinio tribus Benjamin; tribus autem Ephraim Aquilonaris esset tribui Benjamin, necesse est ut Silo, quæ ad Aquilonem erat Bethel, fuerit in tribu Ephraimi: item cum Orientalis esset viæ quæ ex Bethel ducebat in Sichimam; utraque autem tam Bethel, quam Sichima in tribu Ephraim esset, necesse est & Silo, quæ inter utramque urbem paululum ad latus erat intercepta fuisse etiam *in tribu Ephraim*. Quæ omnia quam male in tabula expresserit *Adrichomius* quilibet videre poterit, ut qui Silo *ad Occidentem potius Bethel* statuerit, eamdem *ad Occidentalem etiam plagam viæ, qua e Bethel ibatur Sichimam*, collocaverit.

Vigesimo nono; In collocanda *urbe Sichem in tribu Ephraim* nullo modo videtur mihi rem attigisse *Adrichomius*, utpote quæ omnino videtur fuisse Orientalior, & Jordani propinquior, quam eam collocet *Adrichomius*, utpote quæ statui debeat in Aulone, seu Valle illustri, vel juxta eam: Aulon autem seu vallis illustris juxta Jordanem erat, & ad ejus ripas hinc & inde porrigebatur. In ea autem valle vel juxta eam fuisse sitam urbem Sichem plane colligimus ex Gen. XII. vers. 5. 6. *Cumque venissent in eam* (terram videlicet Chanaan) *pertransivit Abraham terram usque ad locum Sichem, usque ad convallem illustrem*. Idem suaderi potest e Deuter. XI. vers. 29. 30. ubi duo montes *Garizim* & *Hebal*, quos constat fuisse omnino vicinos urbi Sichem, dicuntur *esse trans Jordanem*, comparatione videlicet Israelitarum, qui tunc erant in campestribus Moab, *post viam, quæ tendit ad Solis occubitum*, seu ad mare; *in terra Chananæi e regione Galgalæ*, quæ seu Galgala, seu via esse dicitur juxta vallem tendentem & intrantem procul, qua periphrasi non dubium est significari *Aulonem vallem*, seu *vallem illustrem*, ut nos ad eum locum explicuimus: fuerunt igitur Sichem, Garizim & Hebal, Galgala, Aulon vallis loca vicina, & sese invicem respectantia. Idem indicatur Gen. XXXIII. vers. 17. 18. ubi Jacob e Socoth trans Jordanem dicitur proxime transito Jordane venisse in Sichem. Denique si verum est, quod ait *Hieronymus* libro de Locis Hebraicis in voce *Agai*, ex urbe Sichem venientibus Hierosolymam transiri per Agai vel Hai, necessario statuenda est Sichem Jordani vicinior, cujusmodi transitum per Hai venientibus e Sichem Hierosolymam nullo modo fert tabula *Adrichomii*. Denique idem colligi potest ex descriptione Australis limitis dimidiæ tribus Manasse. Jos. XVII. vers. 7. ubi Australis ille

ille limes inchoatur versus Orientem *ab Aser in Machmethath*, qui locus dicitur *respicere Sichem*, seu esse e regione illius, & inde ad Occidentem, seu mare producitur: fuit igitur Sichem e regione illius loci vel urbis, quæ in illo limite fere proxime ad Jordanem vergebat.

Trigesimo; Aliter constituendos esse limites tribus Ephraim, quam *Adrichomius* constituat, imprimisque Aquilonares & Orientales, liquere potest ex iis quæ nos dicimus Josue XVI. & XVII. imprimisque erratum ab eo in productione finium Orientalium versus Jericho, in Bethoron superiore, in Valle arundineti; quam fuisse in confinio tribus Ephraim & dimidiæ tribus Manasse constat, ipse vero eam collocat *juxta extremos fines tribus Ephraim Australes in confinio tribus Benjamin*, de finibus ejusdem tribus partim Australibus, partim Occidentalibus, de Ramatha, de Bethoron inferiore diximus supra num. 17. 26. 27.

Trigesimo primo; In dimidiæ tribus Manasse cis-Jordaninæ finibus constituendis, tribus Issachar, tribus Zabulon, tribus Aser, & ea, quam inter se habent hæ tribus, habitudine hallucinatum esse *Adrichomium* mihi plane persuadeo. *Tribum Issachar pertigisse usque ad mare* statuit Adrichomius, *in eaque reponit Carmelum montem*: at mihi e Scriptura videtur certum, nullo modo ad mare pervenisse, non tantum quia de ea re silet Scriptura, sed etiam quia scriptura videtur in ejus extremis finibus, quantum existimo, versus Occidentem *Thabor urbem* constituere, Jos. XIX. vers. 22. quæ urbs monti Thabor vicina esset. Verum multo magis id probat quod dimidia tribus Manasse debeat tribum Aser contingere, quod Scriptura perspicue indicat Jos. XVII. vers. 10. quo posito impossibile est tribum Issachar ad mare pervenisse. Adde quod Judicum V. vers. 19. videar mihi pervincere dimidiam tribum Manasse tribum Zabulon alicubi etiam contigisse, nempe inter montem Thabor & montem Carmelum, ubi duæ illæ fuerint urbes in dimidia tribu Manasse, *Thanach* & *Mageddo* ad torrentem Cison, torrens autem Cison a plerisque, ipsoque *Adrichomio*, qua parte ab Occidente fluit, statuatur terminus tribus Zabulon, quandoquidem & ipse mons Thabor, e quo torrens ille manabat, in tribu esset Zabulon. Deinde tribum Aser ad montem Carmelum pervenisse constat e Scriptura Jos. XIX. vers. 26. Item Doram dimidiæ tribus Manasse, urbem ad mare ad radices Carmeli montis sitam fuisse scribit *Josephus* Lib. II. contra Appionem. Denique ad Carmelum montem pervenisse tribum Aser, tribum Zabulon, & dimidiam tribum Manasse idem *Josephus* scribit Lib. V. Antiq. Judaic. Cap. I. quæ omnia nullo modo exprimit tabula *Adrichomii*. Vide quæ in hanc rem a nobis dicuntur Jos. XVII. vers. 10. & Judic. V. vers. 19. Ex quo colligas *Adrichomium* valde male istas urbes *Doram*, *Thanac* & *Mageddo in dimidia tribu Manasse* collocasse.

Trigesimo secundo; Erratum rursum haud dubie ab *Adrichomio*, quod *urbem Jerusalem totam* reponat *in tribu Benjamin*, *nulla sui parte in tribu Juda*; cum e Josue XV. & XVIII. constet aliqua sui parte in utraque tribu Jerusalem fuisse, communemque utriusque tribus funiculum per ipsam urbem, montemque Moria ductum fuisse, relicto monte Sion parteque Australi in tribu Juda, templo vero ac parte Boreali in tribu Benjamin.

Trigesimo tertio; In eo rei veritatem minime videtur assecutus *Adrichomius* quod *tribum Simeonis ita tribui Dan conjunxerit*, *ut nulla via relicta sit tribui Judæ sese inter utramque insinuandi*, *& pertingendi ad Philisthinos regionemque maritimam*: cum Josue XV. legamus Gazam (quæ ad mare erat, & extrema fuit versus Ægyptum & Austrum Philisthæorum satrapia) tribui Judæ attributam, nec eamdem usquam ei tribui avulsam legamus, aut tribui Simeonis concessam; unde nec inter urbes tribus Simeonis Jos. XIX. recenset Scriptura. Adde *Josephum* Lib. V. Antiq. Judaic. Cap. I. in posteriore sortitione asserere relictam tribui Judæ e quinque Philisthæorum satrapiis duas Ascalonem & Gazam. Id si verum est, debuit relinqui tribui Judæ aditus, quo ad hasce satrapias inter duas illas tribus Simeonis & Dan pertingeret, nec eæ, quod fecit *Adrichomius*, *Simeonis tribu comprehendi debuerunt*.

Trigesimo quarto; etsi de situ urbis *Modin* videatur difficile certi aliquid statuere; hæc tamen e Scriptura certa sunt, primo, hanc urbem in monte fuisse, I. Machab. II. vers. I. Secundo, hanc urbem non procul mari fuisse: id enim meo judicio evincit Scripturæ locus I. Machab. XIII. vers. 27. & sequentibus, qui sic habet: *Et ædificavit Simon super sepulcrum patris sui & fratrum suorum ædificium altum visu*,

*su, lapide polito retro & ante: & statuit septem pyramidas, unam contra unam patri & matri, & quatuor fratribus: & his circumposuit columnas magnas; & super columnas arma, ad memoriam æternam; & juxta arma naves sculptas, quæ viderentur ab omnibus navigantibus mare*. Neque enim hæc videri potuissent a navigantibus mare, nisi non procul maris littore posita fuissent. Tertio, ex aliis Scriptoribus quædam de hac urbe probabilia haberi possunt: Josephus Lib. XII. Antiq. Judaic. Cap. 8. Modin *vicum Judææ* appellat, ubi *Judææ* nuncupatione placet cum *Adrichomio* etiam *tribus Daniticæ loca* comprehendi; quam *Judææ* appellationem ad loca tribus Dan & Simeonis post captivitatem Babylonicam fuisse extensam mihi omnino fit verisimile. Quarto, hanc urbem Modin fuisse juxta Diospolim asserit Hieronymus libro de Locis Hebraicis. Ex quibus omnibus manifeste colligo in hujus urbis situ designando errasse *Adrichomium*: eam enim *ita in tribu Dan* reponit, ut tamen *nimio intervallo a Diospoli removeat*; siquidem *decem milliaribus horariis eam a Diospoli sejungit*. Et vero quæ causa esse possit ut eam Hieronymus diceret esse juxta Diospolim, si juxta tabulam *Adrichomii* multo vicinior esset Eleutheropoli & Jerusalem, a quibus tamquam illustrioribus civitatibus solet Hieronymus aliarum civitatum distantias definire? Rursum eam multo longius quam par sit, vel quam Machabæorum mausolea potuerint e mari a præternavigantibus videri, semovet: quis enim credat a præternavigantibus in mari potuisse mausolea ea videri, quæ septem vel octo milliariis horariis aberant a maris littore? Adde non satis sibi *Adrichomium* constare, cum *urbem hanc in monte Juda* ait *sitam fuisse*, & nihilominus *eam in tribu Dan* collocat: non enim Juda & Judæa idem sunt, *Juda* enim pro tribu ipsa & sorte, quæ posteris Judæ obvenit, sumitur; *Judæa* autem latius extra tribum illam funditur. *Carolus Stephanus*, in suo Dictionario Historico-Geographico, Modin collocat in Baala monte, juxta Sechronam; quorum locorum, in Scriptura fit mentio Jos. XV. vers. 11. in terminis Aquilonaribus tribus Judæ, ea tamen deinde tribui Judæ evulsa Danitis obvenerunt. Et hic, mea sententia, multo verius rem adsequutus est; huic enim loco omnia conveniunt quæ de Modin, vel a Scriptura, vel ab aliis auctoribus produntur, nam & in Judæa fuerit & in monte, & juxta Diospolim & juxta mare, (quæ omnia de Modin produntur) ut e chorographica nostra Tabula liquido cerni potest. Quidam frater Anselmus, ordinis Minorum de Observantia, editus ab Henrico Canisio in fine Tomi 6. Modin quarto milliario a Lydda, seu Diospoli, reponit, a Joppe uno maximo milliari distare dicit, quod cum nostra descriptione mirifice congruit.




JACO-



# JACOBI RHENFERDII
## PERICULUM CRITICUM
### *IN LOCA DEPRAVATA*
# EUSEBII CÆSARIENSIS
### ET
# HIERONYMI,
## De Situ & Nominibus Locorum Hebraicorum.

I. Post varios casus & tot discrimina rerum,
Post *Periculum*, inquam, in literatura *Palmyrena* & *Phœnicia* factum;
*Tendimus in Latium*, & Græciam, ut in his quoque ingenii vires experiamur, & locis quibusdam *Eusebii* & *Hieronymi*, librariorum imperitia depravatis, medicinam afferamus, eademque, si fieri possit, integritati suæ & pristino nitori restituamus.

II. Tametsi enim Viri Doctissimi *Jac. Bonfrerius*, & *Joh. Martianæus*, ille jam pridem, hic nuper, elegantissimos Eusebii & Hieronymi libellos de *Situ & Nominibus locorum S. S.* summa fide diligentiaque ediderunt; eosdemque Vir Cl. *Joh. Clericus* novissime recensuit, & loca quædam emendavit: Non paucâ tamen male affecta supersunt, quæ medicam manum desiderare videantur. Quorum adeo hæc dissertatiuncula exempla quædam proponere constituimus, & rationem ostendere gravissimos errores corrigendi.

III. Ne vero in minutis hærere videamur, missis tantisper iis, quæ lector per se ipse facile restituere possit, ea tantum proferemus, quæ cuivis primo intuitu difficiliora videri queant, & Doctissimis Viris vel plane pro derelictis habita sunt, vel minus feliciter tentata.

IV. Hujus ergo generis esto apud Eusebium illud

ΑΚΘΑΡΙΜΑΚ, Σύνοδος τῶν κατασκόπων.

Monstrum sane nominis τὸ ΑΚΘΑΡΙΜΑΚ, non minus atque illud Basilidianorum ΑΒΡΑΞΑΣ, aliorumve ABRACADABRA, vel si quæ alia horridiora. Nec minus vitiosa est vox sequens Σύνοδος, quam Bonfrerius *comitatum* vertit. Quod si vero Hieronymi fidem sequamur, non difficilis restitutio videtur. Is ita reddidit: ABETHARIM, *pro quo Aquila & Symmachus exploratorum viam interpretati sunt*. Unde liquere existimamus, pro

ΑΚΘΑΡΙΜΑΚ ΣΥΝΟΔΟΣ, legendum Α.·.ΘΑΡΙΜ. ΑΚ. ΣΥΜ. ΟΔΟΣ. quomodo inter Eusebium & Hieronymum mox pulchre conveniet, & utriusque scripturæ idem sensus erit, & verum loci nomen enascetur ΑΘΑΡΙΜ; pro quo tamen apud Eusebium adhuc manet ΑΚΘΑΡΙΜ, & apud Hieronymum ABETHARIM.

Sed & hæc difficultas mox disparebit, si locum inspiciamus, unde hoc nomen est desumtum, Num. XXI. I. *Quod veniret Israel* דרך האתרים Id cum LXX. vertissent Ὁδὸν ΑΘΑΡΕΙΜ, Aquila & Symmachus transtulerunt, Ὁδὸν τῶν κατασκόπων. Quo pacto dubium esse non potest, quin ad minimum hic legi debeat, ΑΘΑΡΙΜ, ATHARIM: id quod primo erat demonstrandum.

V. Unde vero tandem Eusebii ΑΚΘΑΡΙΜ, & Hieronymi ABETHARIM? Quod si conjecturæ locus detur, suspicari liceat, utrumque servasse articulum *He* vocis Hebr. האתרים & vocem integram legisse ΑΑΘΑΡΙΜ, vel, si Hieronymi lectionem sequamur, ΑΕΘΑΡΙΜ; unde Eusebii ΑΚΘΑΡΙΜ, & Hieronymi ABETHARIM, librariorum oscitantia sint enata.

VI. Quemadmodum vero *Aquilæ* nomen, vel nota Ακ. cum priori voce coaluerat; ita *Symmachi*, Συμ. cum sequenti ὁδὸς: unde tandem Σύνοδος, pro Συμ. ὁδὸς τῶν κατασκόπων.

VII. Alius non minus prodigiosus locus est, qui ad vocem ΑΡΑΒΑ occurrit, mira vocabulorum conjunctione, distractione & transpositione ab imperito librario deformatus. Verba ita habent.

ΑΡΑΒΑ ἀκενὸμ ἀλέει ἐν τῇ πεδιάδι.

Αἰὸδ, ἐν δυσμαῖς πάλιν ἐν τῇ ἀοικήτῳ.

Insignem corruptionem agnoscunt Bonfrerius & Martianæus. Horum ille; *Hunc locum supra modum*, inquit, *corruptum in Manuscripto Eusebii*, *hoc modo*, *ut potuimus*, *probabilem conjecturam secuti*, *castigavimus*. Emendatio hæc est, ut legat, Ἀκύλας, Κενὸν ἄλιον ἐν τῇ πεδιάδι. Θεοδοτίων, ἐν δυσμαῖς πάλιν ἐν τῇ ἀοικήτῳ. Doctissimus Martianæus, hanc Bonfrerii lectionem approbat, *Impossibilis*, inquit, *erat restitutio hujus loci absque subsidio Hieronymianæ interpretationis*, *ita enim in Græco supra modum corruptus legitur*, *ut nihil retineat quod studiosorum juvare possit conjecturas. Nam quis credidisset*, *pro* ἀκενὸμ ἀλέει, *positum fuisse ab Eusebio:* Ἀκύλας κενὸν, ἄλιον, & *pro*, αἰὸδ ἐν δυσμαῖς *legi debere* Θεοδοτίων, ἐν δυσμαῖς? *conjunctim ergo legenda sunt*, *quæ græculus imperitissimus in plura distraxit vocabula*, *susdeque scribens Eusebianum contextum*.

Sic Bonfrerium per omnia sequitur Martianæus, recte quidem restituentem nomina *Aquilæ* & *Symmachi*; sed reliquorum verborum lectionem & ordinem minime assecutum; Cl. Clericus plane ἐπέχει.

VIII. Quod itaque bona Doctiss. Virorum venia fiat, lectionem & ordinem depravatissimi loci longe aliter instituendum censemus, quod mox planum fiet, si versionem Hieronymi instar fili Ariadnæi sequamur.

Is scilicet hæc Eusebii verba, qualiacunque fuerint, ita interpretatur: ARABA, *hanc*, *ut supra*, *Aquila transtulit planam*: *Symmachus*, *interdum campestrem*, *interdum inhabitabilem*: *Theodotion occidentalem*. Quid vero, *Supra*? *Araboth Moab*, *ubi secundo numeratus est populus*: *Quod Aquila interpretatur*, *humilia sive æqualia Moab*, *hanc habens consuetudinem*, *ut eremum propter planitiem* ὁμαλὴν *id est æqualem interpretetur* & *planam*. *Denique Symmachus pro Araboth Moab*, *campestria Moab transtulit*. Sed & tertium locum addere liceat ex sequentibus. Eusebius: ΕΝΑΡΑΒΑ, Ἀκύλας, ἐν ὁμαλῇ. Σύμμαχος, ἐν πεδινῇ. Hieronymus: INARABA, *pro quo Aquila transtulit* in Humili, *vel* Plano. *Porro Symmachus*, in Campestri.

IX. Ex his omnibus itaque tandem sole meridiano clarius elucere putamus, pro monstris illis verborum ἀκενὸμ ἀλέει legendum esse AK. ἐν ὁμαλῇ. Συμ. Fiat collatio. Vetus lectio:

ΑΡΑΒΑ, ακενομ, αλειου

Bonfr. - - - - α.κενον αλιον.

Legatur; - - - ακ. εν. ο μ-αλη.συ.

Hactenus eædem omnino literæ occurrunt, sed imperite junctæ & distractæ, nisi quod insuper ει pro Η occurrat, & ου pro συ, id est Σύμμαχος.

X. Sed quid reliquis fiat? Ne longa oratione molestus sim, sic Eusebium & Hieronymum compono.

EU-

| EUSEBIUS. | HIERONYMUS. |
| --- | --- |
| ΑΡΑΒΑ. Ακ. ἐν ὁμαλῇ. Συμ. ἐν τῇ πεδιάδι, καὶ πάλιν, ἐν τῇ ἀοικήτῳ. Θεοδ. ἐν δυσμαῖς. | ARABA *Hanc, ut ſupra, Aquila tranſtulit* PLANAM; *Symm. interdum* CAMPESTREM, *interdum* INHABITABILEM; *Theodotion* OCCIDENTALEM. |

Sic omnia ad amuſſim reſpondent.

IX. Sed neque ſic confecta res eſt; ut ad alia tranſire liceat. In proxime antecedentibus, ad nomen *Araboth*, in Græcis omiſſa ſunt nomina Interpretum. ΑΡΑΒΩΘ ΜΩΑΒ, ἔνθα δεύτερον ἐριθμήθη ὁ λαὸς πρὸς ὁμαλὰ Μωὰβ, ἐπὶ τὴν πεδιάδα τὴν Μωὰβ, κ. τ. ε. Ex Hieronymo ſatis liquet legendum eſſe, A. πρὸς ὁμαλὰ Μωὰβ, Σ. ἐπὶ τὴν πεδιάδα τῆς Μωὰβ.

Denique *Araboth* & *Araba*, quæ apud Hieronymum & Euſebium conjuncta erant, a Bonfrerio ſunt diſtracta & tranſpoſita. Martianæus etiam quædam ab Hieronymo addita exiſtimat, quæ revera Euſebii ſunt. Quare operæ pretium facturi videmur, ſi locum integrum exhibeamus ita uti ab utroque ſcriptum arbitramur.

| HIERONYMUS. | EUSEBIUS. |
| --- | --- |
| ARABOTH MOAB, ubi ſecundo numeratus eſt populus; quod Aquila interpretatur *Humilia*, ſive *Æqualia Moab*: ( hanc habens conſuetudinem, ut eremum propter planitiem ὁμαλὴν, id eſt, *Æqualem* interpretetur & *Planam* ) Denique Symmachus pro *Araboth Moab*, *Campeſtria Moab* tranſtulit: ( .... ) Et eſt uſque hodie locus juxta montem Phogor euntibus a Libiade in Esbon Arabiæ contra Jericho: qui ita appellatur. | ΑΡΑΒΩΘ ΜΩΑΒ, ἔνθα δεύτερον ἠριθμήθη ὁ λαός. A. πρὸς ὁμαλὰ Μωὰβ. ( ) Σ. ἐπὶ τὴν πεδιάδα τῆς Μωὰβ, ( ἥ ἐςιν ἐπὶ τȣ̃ Ἰορδάνȣ κατὰ Ἰεριχώ. ) Καὶ ἔστι τόπος εἰς δεῦρο δεικνύμενος παρὰ τῷ ὄρει Φογὼρ, ὃ παράκειται ἀνιόντων ἀπὸ Λιβιάδος ἐπὶ Εσεβὼν τῆς *Αραβίας* ἀντικρὺ Ἱεριχώ * τῷ αὐτῷ ὀνόματι καλȣ́μενος. † |

| HIERONYMUS. | EUSEBIUS. |
| --- | --- |
| ARABA, hanc, ut ſupra Aquila tranſtulit *Planam*; Symmachus interdum *Campeſtrem*, interdum *Inhabitabilem*, Theodotion *Occidentalem*. | ΑΡΑΒΑ, Ακ. ἐν ὁμαλῇ. Συμ. ἐν τῇ πεδιάδι, καὶ πάλιν, ἐν τῇ ἀοικήτῳ. Θεοδ. ἐν δυσμαῖς. |

XI. Sic tandem locum illum reſtituendum, ſic omnia legenda & diſponenda exiſtimamus. Quod etſi viris doctis ex iis, quæ ſupra dicta ſunt, facile perſuaſum iri confidimus; non poſſumus tamen, quin, quid in hac recenſione præſtiterimus, paucis oſtendamus. Primo itaque ad ΑΡΑΒΩΘ ſua Aquilæ & Symmacho nomina ſimul & interpretationes reſtituimus: quo pacto mox etiam liquet, quid Hieronymus Euſebio addiderit, quod doctiſſ. Martianæum ſecuti uncinis incluſimus ( - ) de *Aquila* ſc. non vero, ut Martianæus exiſtimabat, de *Symmacho*; cum hujus verſionem ipſe Euſebius allegarit. Deinde Euſebium quoque ſupplevimus iis verbis, quæ aſteriſco ſunt prænotata, ſecuti auctoritatem cum Hieronymi, tum ipſius quoque Euſebii, qui ad vocem Ἀβαρείμ tantum non iiſdem verbis utitur, quæ adſcribere non pigebit. Καὶ δείκνυται ἀνιόντων ἀπὸ Λιβιάδος ἐπὶ Ἐσεβοὺν τοῖς αὐτοῖς ὀνόμασι καλȣ́μενον. Tertio, nomini plurali *Araboth* ſubjicimus ſingulare *Araba*; de quo non dubitamus, quin eodem verſu ſit continuandum, legendumque τῷ αὐτῷ ὀνόματι καλȣ́μενον, ΑΡΑΒΑ. Ακ. quemadmodum Hieronymus; *qui ita appellatur*, *Araba*. *Hanc*, *ut ſupra*, *Aquila* &c. Ex quibus Hieronymi verbis ſatis liquet, non jam demum de nomine *Araba* agi, ſed jam aliud anteceſſiſſe, quod Aquila eodem modo verterat, in ὁμαλὴν. Quanto denique etiam in Euſebio verba quædam uncinis ( - ) incluſimus, quæ Hieronymus, utpote minus neceſſaria omiſit, cum Symmachus hæc eodem modo vertiſſet atque LXX. Interpretes, niſi quod forte addidit, ἥ ἐςιν, *quæ eſt*.

## EXERCITATIO PHILOLOGICA II.

*Ad loca deperdita*

# EUSEBII CÆSARIENSIS

ET

# HIERONYMI,

DE

## Situ & Nominibus Locorum Hebraicorum.

I. CUm multis modis librarii in deſcribendis veterum monumentis aberrare ſolent, tum vero in primis literarum, vocum, & quandoque integrorum verſuum omiſſione. Unde adeo maximæ difficultates in lectione veterum oboriri debent, quando non tantum quædam ad ſenſum neceſſaria exciderunt, ſed & alia, quæ minime cohærent, & ſæpe prorſus contraria ſunt, conjunguntur. Id elegantiſſimo libro Euſebii & Hieronymi *de Nominibus & Situ Locorum Sacrorum* ſæpius, quam quiſquam credat, contigit. Quod cum ab utriuſque editoribus hactenus minime ſit obſervatum, illis ſæpius crucem fixit, atque occaſionem præbuit in Doctiſſimos Patres invehendi, vel certe minus benigne & honorifice de illis exiſtimandi, quando librariorum errores ipſis auctoribus tribuerunt. Cujus generis cum aliquot exempla obſervaverimus, faciendum exiſtimavimus, ut illa cum orbe literato communicaremus, atque oſtenderemus, ſi quid hujus generis aliis occurrat, id minime ipſis his auctoribus eorumque ignorantiæ, ſed ſupinæ librariorum negligentiæ eſſe imputandum.

II. Inter alia loca deperdita in Euſebio merito refertur ille, qui in deſcriptione Αὐλῶνος, ſive Magni Campi, occurrit. Verba, uti nunc leguntur, hæc ſunt: Εἰσὶ δὲ ἐπὶ Αὐλῶνος πόλεις ἐπίσημοι καὶ ἡ πρὸς αὐτῇ λίμνη, Σκυθόπολις, Ἱεριχὼ, καὶ ἡ νεκρὰ θάλασσα: Hæc verba Bonfrerius ita, uti in codice manuſcripto invenerat, bona fide, vertit: *Sunt autem in Aulone urbes nobiles: & ante eam (ſcilicet vallem) ſtagnum, Scythopolis, Hiericho, & mare mortuum*, &c. Hieronymus autem jam olim ita reddiderat: *Suntque in ipſo Aulone, id eſt Valle Campeſtri, urbes nobiles; Scythopolis, Tiberias, ſtagnumque prope eam &c.* Ex qua verſione mox primo intuitu liquet, vocem *Tiberias* oſcitantis librarii negligentia excidiſſe, & ſic legendum eſſe: πόλεις ἐπίσημοι, Τιβεριὰς καὶ ἡ πρὸς αὐτῇ λίμνη. Res, ut opinor, manifeſta eſt accedat tamen auctoritas ipſius Euſebii, apud quem infra ſub nomine *Galilæa* eadem verba occurrunt: δευτέρα δὲ ἐστιν ἀμφὶ τὴν ΤΙΒΕΡΙΑΔΑ, καὶ τὴν πρὸς αὐτῇ λίμνη, κλήρου Ζαβουλών. Hieronymus: *Altera Galilæa dicitur circa Tiberiadem, & ſtagnum Geneſareth in tribu Zabulon*. Non admodum diſſimiliter in *Ailath*; παρακειμένη τῇ πρὸς μεσημβρίαν ἐρήμῳ, καὶ τῇ πρὸς αὐτὴν ἐρυθρᾷ Θαλάσσῃ.

III. Quando de hoc Euſebii loco agimus, non poteſt non in mentem venire depravatiſſimæ lectionis, quæ apud Plinium de hac ipſa *Tiberiade* occurrit. Quemadmodum enim *Tiberias* apud Euſebium plane excidit, & quaſi ab ipſo lacu, cui nomen dedit, eſt abſorpta; ita apud Plinium, neſcio quo terræ motu, plane in aliam oram eſt tranſlata. Hiſt. nat. lib. v. cap. 15. ex editione Harduini, vel ut alii diſtinguunt, 13. verba ita habent: *Ergo ubi prima convallium fuit occaſio, in lacum ſe fundit quem plures Geneſaram vocant .... amœnis circum ſeptum oppidis: ab oriente, Juliade & Hippo; a meridie, Tarichæa, quo nomine aliqui & lacum appellant: ab occidente Tiberiade, aquis calidis ſalubri*. Duplex ex hac lectione error naſcitur. Primo enim ſitus locorum plane turbatur, cum Tiberias proxima Jordani fuerit & thermis Amaunticis, quæ inde etiam thermæ Tiberiadis Judæis appellantur, & quidem ad meridiem lacus Geneſaritici, id quod a Cl. Leightfooto ſic ſatis ſolide demonſtratum exiſtimamus. Deinde vero lacus ille, ſi hanc lectionem ſequamur, a *Tarichæa* nomen nactus ſit, & Plinius accuratiſſimus ſcriptor, qui aliis *Geneſaram* vocatum dixerat, *Tiberiadis* nomen illi vulgo datum eſſe ignoraverit, & pro illo inauditum nomen *Tarichææ* nobis obtruſerit. Id quod tanti viri diligentia & eruditione prorſus indignum exiſtimamus.

IV.

IV. Sed non ſoli ſumus, quibus hic locus ſuſpectus ſit. Solicitarunt jam pridem Viri Clar. Joh. Druſius & Joh. Lightfootus, rerum & hiſtoriarum Judaicarum callentiſſimi. Illum id male habebat, quod *hæc verba dicant lacum Geneſar a Tarichæa appellatum*. Hunc vero, quod urbs TIBERIAS AD OCCIDENTEM lacus collocetur. Uterque etiam medicinam loco afferre conantur. Druſius, *Forte ita*, inquit, *ſcripſit Plinius: a meridie Tarichæa*, ET, *quo nomine aliqui lacum appellant*, *ab occidente Tiberiade*. Ita ſi legamus, ſuum quidem lacui genuinum nomen reſtituitur, ſed Lightfooto, qui de ſitu loci mutato queritur, minime ſatis fit: Quamobrem & ipſe vulgatam Plinii lectionem emendare aggreditur. Poſteaquam enim Cap. LXXIII. ſitum Tiberiadis ex Joſepho probarat, & ex Talmudicis ulterius demonſtrare promiſerat, ſic tandem concludit: *De punctatione ergo Plinii hæſitamus: De ea certe nobis non ſatisfit*, *de eaque a nobis immutata minime certe aliis ſatisfiet*. *At bona cum venia liceat hanc lectionem proponere*. *Ab oriente*, *Juliade*; *& Hippo a meridie*. *Tarichæa*, *quo nomine aliqui lacum appellant*, *ab occidente*. *Tiberiade aquis calidis ſalubri*. Quæ quidem nec a ſtilo abhorrere Plinii, & convenire cum ſcriptoribus Judaicis, exiſtimat. Etſi vero hoc modo difficultas de ſitu loci aliquo modo tollitur, altera tamen de nomine lacus manet: *Tarichæa*, *quo nomine aliqui lacum appellant*. Quod quidem Druſius nunquam conceſſerit.

V. Quod ſi ergo nobis in re difficili ſententiam dicere liceat, levi paucorum verborum tranſpoſitione locum ſic reſtituendum putamus; *ab oriente Juliade & Hippo; a meridie Tiberiade*, *aquis calidis ſalubri*, *quo nomine aliqui & lacum appellant*; *ab occidente Tarichæa*. Ita ſane ſi legerimus, omnia integra erunt, & Lightfooto pariter ſatisfiet itemque Druſio. Sic ſuus Tiberiadi ſitus conſtabit, quem Lightf. pluribus probavit, ſed in Plinio deſiderat. Sic & lacui genuinum nomen reſtituetur, cum quidam illum lacum *Tiberiadis* appellent, alii *Geneſaram*, nemo hactenus *Tarichææ*.

VI. Sed & alibi ſæpius apud Euſebium turbatum eſt, & urbes monteſque tranſponuntur, vel terra marique penitus abſorbentur. Tale infortunium nobiliſſima Palæſtinæ civitas *Cæſarea*, & mons fertiliſſimus *Carmel* paſſi ſunt. Euſeb. Καβσεὴλ, ὅθεν Βαναίας υἱὸς Ἰωίδα, ἐπὶ τὸ φοινίκιον πέλαγος, ἡ διαιρῶσα Παλαιστίνην φοινίκης, ἔνθα ἐκαθέζετο Ἡλίας. Ex verſione Bonfrerii: *Cabſeel*, *unde Banajas filius Jodæ*, *ad Phœnicium mare*, *quæ dividit Palæſtinam a Phœnice*, *ubi conſedit Elias*.

VII. Difficultates in hoc loco agnoſcunt Viri Doctiſſimi, Bonfrerius, & Clericus; ſed qua ratione eaſdem tollant, non vident. Bonfrerius ſic commentatur; *Scriptura diverſum plane ab Euſebio ſitum huic urbi adſcribit*, *in tribu videlicet Juda*, *a meridie juxta terminos Edom*. *Joſ.* 15. *Illud item de Elia nuſquam ſcriptura commeminit*. Cl. Clericus hæc habet: *Verum eſt hanc fuiſſe patriam Benajæ*, *Jehojadæ filii*, *ut liquet ex* 2. *Sam.* XXIII. V. 20. *Sed is ſitus ejus urbis fuit*, *quem dicit Bonfrerius*. *Elias etiam iter inſtituit non Phœniciam verſus*, *ſed in Idumæam vel in Arabiam deſertam*, 1. *Reg.* XIX. V. 3. *ſeqq. In verſione* LXX. *Int. eſt verſu* 4. *de Elia*: ἐκάθισεν ὑποκάτω ῥαθμὲν, *quod poſtremum vocabulum nomen eſt arboris aut virgulti*. *Forte in codice Euſebii fuit pro* ΡΑΘΜΕΝ *errore ſcribæ* ΚΑΒΣΕΗΑ. *Sed non intelligo cur Idumææ Phœniciam ſubſtituerit*, *niſi ſignificationem vocis* אדום *Edom*, *verterit Græce* φοινικίαν, *quod rubrum ſonat*. *Verum ſatis eſt conjecturarum*, *quibus ne erroris quidem de urbis ſitu ratio redditur*. *Vide infra* Capſeel.

VIII. Vides, B.L. quot hic ſint incommoda, quibus Viri Docti nullum remedium inveniunt. Quod ſi tamen nobis quoque noſtram conjecturam proferre liceat, ita ſpero, locum reſtituemus, ut nullus in Euſebio error relinquatur.

IX. Sed audiendus ante omnia Plinius qui Hiſt. Nat. Lib. V. Cap. 13. ſic ſcribit: *Inde* ( nempe poſt Joppen ) *Appollonia*; *Stratonis Turris*, *eadem Cæſarea*, *ab Herode Rege condita: nunc colonia prima Flavia*, *a Veſpaſiano Imperatore deducta*: *Finis Palæſtines*, *centum octuaginta novem millibus paſſuum a confinio Arabiæ*: *deinde Phœnice*.

X. Hinc ſatis conſtat, quænam illa urbs ſit, quæ *Palæſtinam & Phœnicem ſeparet*, ἡ διαιρῶσα Παλαιστίνην Φοινίκης, nempe *Cæſarea*, *ad mare Phœnicium ſita*, id quod nobis erat quærendum. Unde adeo vocem Καισαρεία reſtituendam putamus. Et ſane mirum eſſet, Euſebium hanc nobiliſſimam urbem Palæſtinæ Metropolim, Præſidis Romani, & Epiſcopatus ſui ſedem, tot hiſtoriis, Cornelii Centurionis, Pauli, aliorumque claram, omiſiſſe, cum alia multo ignobiliora loca non neglexerit.

XI. Sed quid illud, ἔνθα ἐκαθέζετο Ἡλίας? quid Eliæ iſtic negotii? Sed cave verba hæc cum antecedentibus conjungas, quin potius reſtitue vocem Κάρμηλος, & ſic lege; Κάρμηλος, ὄρος, ἔνθα &c. & confer Hiſtoriam Eliæ, 1. Reg. XVIII.

XII. Ut ergo tandem suæ locum integritati restituamus, sic nostri judicii periculo leges.

ΚΑΒΣΕΗΑ. ὅθεν Βαναίας υἱὸς Ἰωδᾶ.

ΚΑΙΣΑΡΕΙΑ, πόλις ἐπίσημος ἐπὶ τὸ φοινίκιον πέλαγος, ἡ διαιρῦσα Παλαιςίνην φοινίκης.

ΚΑΡΜΗΛΟΣ, ὄρος, ἔνθα ἐκαθέζετο Ηλίας.

Ita quisquis legerit, nihil difficultatis invenerit, neque Eusebium tot & tam enormium errorum accusarit.

XIII. Quod hactenus nobilissimæ civitati & monti accidisse ostendimus, id nemo vico vel villæ evenire potuisse negarit. Exempli gratia esto *Bethania*, Lazari vicus, qui apud Eusebium plane intercidit, & sub titulo Βηθφαγὴ nunc legitur; cum tamen suum sibi locum jure merito tueri possit. Eusebius ita habet: Βηθφαγὴ, κώμη πρὸς τῷ ὄρει τῶν ἐλαιῶν, ἔνθα ὁ Χριςὸς τὸν Λάζαρον ἤγειρε, δείκνυται ἐς ἔτι καὶ νῦν ὁ Λαζάρυ τόπος. Insignis error, siquidem ita ab Eusebio scriptum sit, qui, si credere fas est, *Bethphagen* & *Bethaniam* imperite admodum confuderit. Quod si vero Hieronymum consulamus, qui Eusebium hic loci presse sequitur, vocem Βηθανία librariorum oscitantia excidisse liquebit. In editione Hieronymi, nuper a Doctissimo Martianæo Parisiis procurata, Βηθφαγὴ & Βηθανία proxime conjunguntur, sed a Bonfrerio, dum pro ratione instituti sui omnia accuratius secundum ordinem Alphabeti disponit, sunt distracta. Quod si ad Hieronymi versionem animum probe advertisset, facile illi fuisset, librarii errorem deprehendere, quia vocem Βηθανία omisit; qua restituta omnia sana sunt, neque tantæ ignorantiæ Eusebius accusari meretur, ut qui Lazari patriam vel habitaculum ignorarit. Sic igitur locum restituendum existimo:

ΒΗΘΦΑΓΗ, κώμη πρὸς τῷ ὄρει τῶν ἐλαιῶν.

ΒΗΘΑΝΙΑ, ἔνθα ὁ Χριςὸς τὸν Λάζαρον ἤγειρε· δείκνυται ἐς ἔτι καὶ νῦν ὁ Λαζάρυ τόπος.

XIV. Sed quid de viculis & villis agimus, cum integras Provincias excidisse videamus? Sic apud Eusebium; ΑΙΛΑΜ, ἐν ἐσχάτοις ἐςὶ παρακειμένη τῇ πρὸς μεσημβρίαν ἐρήμῳ. Hieronymus: AILATH, *in extremis finibus Palæstinæ, juncta meridianæ solitudini* &c. Ex qua versione, liquere arbitramur, excidisse apud Eusebium vocem Παλαιςίνης: Quid enim aliud voluerit, cum scripsisset ἐν ἐσχάτοις ἐςὶ, quam addere quoque nomen regionis, in cujus extremis finibus AILA sita erit? Sic enim alibi ad vocem *Gadda*; ἐν ἐσχάτοις τῦ Δαρωμᾶ. Quis enim divinare possit, quid sibi velit illud ἐν ἐσχάτοις simpliciter & absolute dictum, nisi nomen generale accuratius limitetur?

XV. Sed tantum abest, ut hanc nostram emendationem alii Viri Docti admittant, ut e contrario Hieronymo imperitiæ dicam scribant, quod AILAM ad PALÆSTINAM referat: Bonfrerius, „ Illud mirum, inquit, quomodo eam Hieronymus „ ponat *in extremis finibus Palæstinæ*. Satis enim constat, eam ad Palæstinam ni- „ hil pertinuisse, & ab ea satis procul absuisse deserto interjecto. Crediderim ab „ Hieronymo scriptum, *in extremis finibus Idumææ*: fuisse enim *Ailath* & *Asionga-* „ *ber* in terra Edom & in extremis ejus finibus (quandoquidem ea esset ad oram „ maris Rubri) certum est ex Deut. II. 8. &c. In eandem sententiam & Cl. Cle- „ ricus commentatur: „ Ἐν ἐσχάτοις) hoc est in extremitate terrarum ad mare; „ Non *in finibus Palæstinæ*, ut habet *Hieronymus*; nam Palæstina nunquam eo us- „ que porrecta est. Peccatum est, ut videtur, ἀπροσεξίας, nam nullam hic varie- „ tatem lectionis proferri video. Imo vero alibi, ubi Eusebius scripsit Παλαιςίνης, mutare jubet in Ἀραβίας. Sic ad Κάδδης Βαρνὴ, quod desertum Eusebius *Petram usque urbem Palæstinæ* extendi dicit, ita commentatur: „ Παλαιςίνης) constat *Pe-* „ *tram* fuisse non Palæstinæ, sed Arabiæ urbem. Vide vocem *Petra*, suo loco. Ita- „ que hoc fuerit mendum oscitantis librarii; notior enim hæc fuit urbs, quam ut „ situs ejus *Eusebio* ignotus esset. Scripsit ergo Ἀραβίας, ut legisse videtur *Hierony-* „ *mus*. Vide quæ habet infra *Eusebius* in Ῥεκέμ, quæ eadem cum *Petra*, ubi hanc „ urbem in Arabia collocat.

XVI. In his doctiss. Virorum censuris audaciamne magis, an oscitantiam, admirer, nescio. Nunquamne enim viris doctis quicquam auditum lectumve de duplici, imo triplici Palæstina? De *Magistris Judæorum, qui in utriusque Palæstinæ Synedriis dominabantur*, vel *nominabantur*? Nunquamne *Notitiam imperii* a Pancirolo illustratam, neque *Notitias Ecclesiasticas Antiquas*, a Carolo a Sancto Paulo editas, ejusdemque *Geographiam Sacram*, nuper cum notis Holstinii recusam? imo ne Samsonis quidem ejusdem nominis librum, vel *Lexicon Geographicum* Ferrarii & Baudran-

drandi? Ex quibus universis & singulis facile discere potuissent, quem late Palæstina se extendat, & quam immerito Hieronymus carpatur, vel Eusebius emendetur; præsertim cum ipse Eusebius complura loca, procul a Philistinæorum Satrapiis dissita, *Palæstinæ urbes* appellet.

XVII. Sed hæc paulo uberius declaranda erunt, saltem in tyronum & auditorum nostrorum gratiam; nam rerum Romanarum gnari satis per se norunt. *Notitia* apud Pancirollum fol. 3. pag. 2. & rursus fol. 71. col. 2. tres Palæstinas hoc ordine exhibet: *Sub dispositione Viri Spectabilis Comitis Orientis*, *Provinciæ infra scriptæ*.

*Palæstina*.
*Phœnice*.
*Syria*.
*Cyprus*.
*Cilicia*.
*Palæstina secunda*.
*Palæstina salutaris*, &c.

Quam triplicem Palæstinam Pancirollus cap. 106. & 111. prolixe exponit.

XVIII. Quam late vero duplex, vel triplex Palæstina sese extendat, eadem Notitia ob oculos ponit fol. 91. pag. 2. Quam quisquis inspexerit, facile videbit, quousque Palæstina sub Imperio Romano fuerit porrecta; ad eamque non tantum pertinere *Beresabam & Menoidem*, Palæstinæ proprie dictæ loca, vel certe illi proxima; sed & *Chermulam*, *Æliam*, *Bitsamam*, aliaque Judææ loca; imo denique *Zoaram & Ailam*, cum aliis Arabiæ oppidis & castellis.

XIX. Illud imprimis observari velim, quanquam aliis forsan leviusculum videbitur; *Ailam*, de qua hic loci agitur, & in tabula munimentorum, & in ipso indice, *ultimo loco* memorari. Id quod Eusebio & Hieronymo insignem lucem affundere existimamus, quando illi quoque eandem *in extremis finibus Palæstinæ* sitam fuisse tradunt; haud secus scilicet, ac si hanc ipsam *Notitiam*, vel certe similem, ob oculos habuissent. Quod sane tanto firmius nobis persuademus, quod etiam de nomine legionis tam amice conspirant. Notitia: *Præfectus Legionis Decimæ Fretensis Ailæ*. Eusebius: ἐγκάθηται δὲ αὐτόθι τάγμα Ῥωμαίων τὸ δέκατον. Hieronymus: *Sedet autem ibi Legio Romana cognomento Decima*. Quæ Hieronymi verba Doctissimus Pancirollus merito & feliciter ad Notitiæ illustrationem allegavit, nisi quod mendosum codicem secutus, legit, *sed &*, pro *sedet*, quam genuinam lectionem esse ex Eusebii textu satis liquet.

XX. Sic ergo Notitia illa, & Eusebii Hieronymique Onomastica, mutuam inter se lucem fœnerantur, & Notitia non parum roboris ad firmandam certitudinem & auctoritatem sacræ hujus Geographiæ affert; quemadmodum alias, Deo volente, pluribus ostendemus, cum ex hac *Notitia*, tum ex *Viis militaribus Romanorum*. Ne prolixi simus, Carolum a Sancto Paulo digito saltem indicasse sufficiat. Videatur ipsa tabula *Patriarchatus Hierosolymitani* ad pag. 298. & addatur pag. 303. & seqq. consulatur item *Notitia Antiqua* pag. 6. & 7. 50. item & 60. ad quæ loca multa dicenda haberemus, si præsentis dissertatiunculæ brevitas pateretur.

XXI. Eusebium ipsum consulere satius erit, ut intelligamus, quam late ipsius temporibus *Palæstina* patuerit; præsertim cum Cl. Clericus ad illius testimonium provocet, & per speciem medelæ afferendæ illi vim inferat. Sic ergo ille in ΒΗΘΣΑΝ. Σκυθόπολις, ἐπίσημος πόλις τῆς Παλαιστίνης. In ΓΑΖΗΡ. ἐν τῇ νῦν Περαίᾳ τῆς Παλαιστίνης ὑπὲρ τὸν Ἰορδάνην: *In ulteriore parte Palæstinæ ultra Jordanem*. In ΑΡΚΕΜ: αὕτη ἐστὶ Πέτρα πόλις ἐπίσημος τῆς Παλαιστίνης. Hier. *Hanc esse Petram urbem nobilem Palæstinæ*. In ΑΦΕΚΑ: καὶ νῦν ἐστὶ κώμη Ἀφεκὰ λεγομένη μεγάλη περὶ τὴν Ἵππον πόλιν τῆς Παλαιστίνης. Hier. *Sed & usque hodie est castellum grande Apheka nomine juxta Hippum Urbem Palæstinæ*. In ΑΡΒΗΛΑ: Hier. *Et est usque hodie vicus Arbel trans Jordanem in finibus Pellæ civitatis Palæstinæ*. Eus. πέραν τοῦ Ἰορδάνου ἐν ὁρίοις Πέλλης πόλεως Παλαιστίνης. Sunt procul dubio hujus generis & alia apud Eusebium loca, sed quæ nostram in notando diligentiam hactenus fugerunt. Dabimus alias, si occurrat & necesse sit. Sed cum hæc Typographo tradere vellemus, in mentem venit *Samaria*, sub titulo *Semeron*. Hic Euseb. Ταύτην λέγουσιν εἶναι Σεβάστην, τὴν νῦν πολίχνην Παλαιστίνης. Hier. *dicunt autem nunc pro ea Sebasten vocari*, *oppidum Palæstinæ*. Eus. ad Ἐμμαοῦς: Αὕτη ἐστὶν ἡ Νικόπολις, τῆς Παλαιστίνης ἐπίσημος πόλις. Hier. *Hæc est nunc Nicopolis*, *insignis civitas Palæstinæ*. Est vero & alius ejusdem Eusebii locus, Lightfooto notatus Cap. 99. *Chorogr. Matt. præmissæ*, & ab ipso quoque Clerico allegatus ad tit. φινῶν, vel *Fenon*, ubi in hæc verba scribit: τοῖς κατὰ Φαίνω τῆς Παλαιστίνης χαλκοῦ μετάλλοις τοὺς πάντας παραδίδωσιν. *omnes ad æris metalla*, *quæ*

*erant*

*erant in Phæno Palæſtinæ, condemnat*. At Φαινὼ hæc Petrææ locus erat, inter ipſam *Petram* urbem & *Zoaram*, & tamen *Palæſtinæ* contribuitur. Quod ſi ergo τὸ Παλαιςίνης apud Euſebium tit: Καδδῆς βαρνὴ mutandum ſit in Ἀραβίας, videat Cl. Clericus, quid tot aliis locis ejuſdem Euſebii aliorumque ſit facturus. Stephanum, Hermolaum, alioſque in eandem ſententiam ſcribentes, ſpatiis inquiis excluſi nunc prætermittimus, eoque magis, quod & alia quædam dicenda reſtent.

XXII. Parum enim fuerit ſuæ Euſebium integritati reſtituiſſe, niſi etiam fontem erroris oſtendamus. Is eſt in duabus hiſce vocibus, Παλαιςίνης & Παρακειμένη, quæ cum ab una eademque ſyllaba ΠΑ incipiant, librarius, a cujus manu præſentem Euſebii textum habemus, cum ad vocem Παλαιςίνης perveniſſet, hanc oculis prætervolans mox alteram deſcripſit, quæ itidem a ΠΑ incipit, Παρακειμένη. Hujus conjecturæ probabilitatem, omnes, ſpero, Criticorum filii mihi facile concedent, & variis exemplis vel ex ipſo Euſebio probare poſſem. Sed id alias. Nunc ad AULONEM regredi fas ſit, etſi forte ad præſens argumentum, ubi *de Locis Deperditis* agimus, minus videbitur pertinere.

XXIII. Initio hujus tituli apud Hieronymum hodie quædam leguntur, quæ illum * maximæ imperitiæ utriuſque linguæ, Græce pariter ac Hebrææ, ſuſpectum reddunt, & Cl. Clerico occaſionem dederunt acrius in Hieronymum invehendi. Verba hæc ſunt: AULON, *non Græcum, ut quidam putant, ſed Hebræum vocabulum eſt*. Is procul dubio inſignis error eſt, cum ſatis conſtet, Græcam vocem eſſe non Hebræam, quanquam aliqua etiam ſpecie defendi poſſe videtur. Videndum itaque, an non vir trium linguarum peritiſſimus (ſic enim noſtra fert ſententia) & præclare de re ſacra meritus, a tantæ imperitiæ accuſatione liberari poſſit: Id quod levi duarum vocularum tranſpoſitione fieri poſſe exiſtimamus: *Non Hebræum, ut quidam putant, ſed Græcum vocabulum eſt*. Miraberis, ſcio, B. L. meam in his verbis tranſponendis audaciam; Imo & ipſe, qui hactenus ab hac Critices parte ſemper abhorrui, magis miror. Sed facit tamen maximi viri eruditio, quam inde ex quo illum familiarius noviſſe cœpi, ſemper ſum admiratus, ut tantum errorem illi impingi ægre patiar; Etſi hominem fuiſſe, & nihil humanum ab illo alienum, ſat ſcio.

XXIV. Rationes de vulgata lectione ſecius ſuſpicandi hæ ſunt. Vidimus ſupra maxima oppida, *Tiberiadem* & *Tarichæam*, apud Plininm eſſe tranſpoſita. Idem in Euſeb. & Hier. Plus ſemel contigit. IEΘEP, πόλις Ἰϐδα φυλῆς ἱερατικῆς. Bonf. bona fide, ita uti in Græco eſt, reddit: *Civitas Juda, tribus ſacerdotalis*. Hier. vero: *in tribu Juda, Civitas ſacerdotalis*. Manifeſta hic vocum tranſpoſitio, cum, ipſo Clerico monente, legendum ſit apud Euſeb. πόλις ἱερατικὴ, φυλῆς Ἰούδα. Vel forte; φυλῆς Ἰϐδα, πόλις ἱερατικὴ. Similiter in *Zoab*: Πόλις Ἀρνῶν ἐν τῷ Ἀμοῤῥαίῳ. Bonfr. ne de lectione dubites; *Civitas Arnon in Amorrhæo ſita*. At Hier. *Civitas Amorrhæorum, ſita in Arnone*. Ubi nemo vocem unam in alterius locum migraſſe negabit. Id quod jam olim quidam emunctioris naris obſervaſſe videtur, quando in margine appoſuit, ἐν τῷ Ἀρνῶν κειμένη; quæ verba poſtea textui addita videntur. Dubitas, L. de noſtro hoc judicio? confer verba Euſebii in BAMΩΘ. Πόλις τϐ Ἀμοῤῥαίϐ πέραν τϐ Ἰορδάνϐ ἐν τῷ Ἀρνωνᾶ. Poſſemus & ex Diodoro Siculo locum proferre, ubi Pœni & Siculi, vel Syracuſani, locum inter ſe permutant: Sed nec vacat, nec licet.

XXV. Quod ſi itaque contraria, & ſibi inter ſe repugnantia vocabula toties a librariis traſpoſita deprehendantur; candidi atque æqui lectoris arbitrio lubens cauſam committam, ut ipſe judicet, utrum hic loci Hieronymo error ſit tribuendus, an

* Hic ſuo more delirat Clericus. Quantum in Orientalibus linguis profecerit, ac ad miraculum uſque peritus extiterit Hieronymus, aliorum ſit tum Priſcorum, tum Recentiorum judicium. Joannes Caſſianus lib. 7. contra Neſtorium, Sulpicius Severus, & Genadius de Scrip. Eccl. Hieronymum apprime eruditum Græce, Chaldaice, & Hebraice fuiſſe ajunt. Sanctus Auguſtinus lib. 2. contra Julianum cap. 7. Hieronymum celebrat tamquam Magiſtrum Orientalium idiomatum. Sixtus Senenſis Hebraicæ linguæ callentiſſimus, quippequi Hebraiſmo deſerto ad Chriſti caſtra tranſivit: Hieronymus, ait, linguarum tantam habuit peritiam, ut Græcam, Hebræam, Syram, Chaldæam, & Latinam omnes æque ac Dalmaticam ſibi maternam Linguam teneret. Et quod mirum eſt, Joſeph ipſe Scaliger SS. Eccl. Patribus licet infenſiſſimus hoſtis Hieronymum appellat bonum Hebræum; atque inſuper Græcam, & Hebraicam linguam probe tenuiſſe teſtatur. Accedit etiam, quod Hieronymus non modo Græcas examinaverit verſiones, quæ extabant in Exaplis Originianis illas exigendo ad Hebraicum Archetipum, ſed inſuper cum doctioribus ſuæ ætatis Judæis ſemper conferebat, ac nihil prorſus (exceptis Chriſtianæ Religionis myſteriis) faciebat illis inconſultis. Nec audiendæ ſunt Joannis Clerici inconditæ voces, qui Hieronymum imperitum fuiſſe autumat in Linguæ Hebraicæ Etymologiis dignoſcendis, ac perveſtigandis: cum Hebraica lectio, qua utebatur Hieronymus non parum diſſentiebat ab hodierno textu hebraico, nec ex hodiernis exemplaribus hebraicis quis ferre rectum judicium poteſt de antiqua Hebræorum lectione. Hujuſmodi lectiones in multis valde diſcrepare Ludovicus Capellus poſt collationem factam probat validiſſimis argumentis. Qui vero de ingenio, ac varietate Hebraicarum lectionum plura, ac meliora ſcire deſiderat adeat Viri eruditiſſimi Criticam Sacram lib. 1. lib. 5. cap. 5. & 6. & lib. 6. cap. 1.

an Librario alicui, qui, cum in illa sententia esset, quam Hieronymus perstringit, locum plane perverterit, & alienam, vel potius suam sententiam, facta verborum transpositione, Hieronymo affinxerit. Sed de hoc aliisque locis depravatis, ex quibus Hieronymo controversia movetur, alias ἐάνπερ ὁ κύριος θελήσῃ, aliquando pluribus agemus, ut eruditionem literatissimi Patris in Græcis & Hebraicis vindicemus.

# EXERCITATIO PHILOLOGICA III.

*Ad loca Vexata*

# EUSEBII CÆSARIENSIS

ET

# HIERONYMI,

DE

## Situ & Nominibus Locorum Hebraicorum.

I. EUsebius & Hieronymus non tantum olim a Librariis pessime sunt accepti corrupti; & passim unde quibusdam pravæ suspiciones de eruditione illorum sunt exortæ: sed & hodie multo deterius cum iisdem agitur, quando vel ab ipsis Editoribus, qui, quantum quidem ejus salva veritate fieri poterat, defendere debuissent, data opera simplicitatis & ignorantiæ accusantur, damnantur, & multis modis vexantur.

II. Illud vero cum nullo Patrum merito fiat, illorum diligentiam, fidem & eruditionem paucis defendere constituimus, & simul ostendere, quantum censuris illorum sit tribuendum, qui doctissimis Patribus tam proterve insultant.

III. Scribunt doctissimi Viri ad vocem *Gaas*, sepulcrum Josuæ juxta vicum Thamnam monstrari. Id salse traducit Clariss. Clericus. *Atqui*, inquit, *Thamna fuit in Tribu Judæ, ut ex hoc ipso libro notum, ideoque ad eam non potuit sepultus esse Josua, cum Scriptura testetur, in Ephraimitico agro terræ mandatum fuisse. Sed quia facile omnia tunc temporis credebantur, nihil non audebant impostores; quos semper excitat atque alit nimia plebis credulitas.*

IV. Verum ergo esse negat Cl. Clericus, quod ambo Patres magno consensu tradunt, & in *Thamnath-Sara* repetunt; quin imo illos *plebejæ* & puerilis simplicitatis & *credulitatis* insimulat, qui sibi ab *Impostoribus*, nescio quibus, verba dari passi sint, justo rei examine nequaquam instituto. Sed faxim B. L. brevi intelligas, majoremne Patres in scribendo prudentiam & peritiam ostenderint, an Cl. Clericus in illis carpendis audaciam.

V. *Atqui*, inquit Cl. Clericus, *Thamna fuit in tribu Judæ, ut vel ex hoc ipso libro notum*. Fateor, & ambabus manibus ultro largior; ideone vero non & altera *Thamna* esse potuerit *in tribu Ephraim*, apud quam olim Josua fuerit sepultus? Videamus, quid historia sacra tradat. Josuæ XIX. vers. 50. *Ex præcepto Domini dederunt ei*, (Josuæ) *civitatem, quam petierat*, THIMNATH SARACH *in monte Ephraim*. Addatur vero Jos. XXIV. 30. *Et sepeliverunt eum* (Josuam) *in termino possessionis ejus in* THIMNATH SERACH, *quæ est in monte Ephraim ab Aquilone montis Gaas*. Satin hoc clarum, in *tribu Ephraim* oppidum *Thamnam* fuisse? & quidem in *monte*, *ab Aquilone Gaasi?* atque ibi denique *sepultum esse Josuam?* Dubitas Lector? adde Jud. II. 9. ubi omnia eadem leguntur. Conferantur ergo jam cum his Scripturæ locis verba Patrum: *Gaas*, inquiunt, *mons in tribu Ephraim, in cujus Septentrionali parte sepultus est Jesus filius Nave, & usque hodie juxta vicum Thamnam sepulcrum ejus insigne monstratur*. Omnia hic eadem occurrunt, verbis ipsis S. Scripturæ expressa. Sed quid multis opus est in re liquida? Pergimus ad alia, non minus vexata.

VI. Mox ad vocem *Gabaath* iidem Patres sic commentantur: *Est autem Gabaatha nunc villa in duodecimo milliario Eleutheropoleos, ubi & sepulcrum Prophetæ Habacuc ostenditur*. Cl. Clericus hic rursus invenit, in quo artem criticam exerceat. *Antea*, inquit, *vidi ad Ceilam, urbem Judæ, fuisse ostensum hoc monumentum*. I

*nunc & crede myſtagogis*. Satis ſane pro imperio faſtuque critico , ſed parum cum ratione & judicio. Quid enim in eo difficultatis, ſi & ad *Ceilam*, & ad *Gabaatham* idem monumentum fuerit oſtenſum ? Ut liberales ſimus , & tertium locum addimus , qui longius adhuc a *Gabaatha* diſtabat , ECHELAM. Quid, inquam, in eo difficultatis ? Quid hæremus ? quid dubitamus ? Sed ante omnia loca illa inter ſe conferenda erunt, ut liqueat , quot milliarium intervallum ſit , in quo hoc ſepulcrum Habacuci viatoribus fuerit oſtenſum .

VII. Sic ergo in ECHELA : *Nunc vero Echela villa dicitur in ſeptimo ab Eleutheropoli milliario , juxta quam & ſepulcrum Habacuc Prophetæ oſtenditur* . Ad CEILA : *Et nunc villula Ceila ad Orientalem plagam Eleutheropoleos pergentibus Chebron, quaſi octavo milliario , in qua ſepulcrum Habacuc demonſtratur* . In Euſebii Codice Græco hic mendum quoddam occurrit, cum hodie legatur , ὡς ἀπὸ σημείων ιζ. *quaſi in decimo milliario*, uti Bonfrerius bona fide reddidit . Sed quicquid illud eſt difficultatis, nos quidem minime moratur , cum aſſidua Patrum collatione & variorum exemplorum obſervationibus certum nobis perſpectumque ſit , notas Græcas apud Euſebium multo facilius & ſæpius a librariis corruptas eſse quam numeros apud Hieronymum integris vocibus ſcriptos . Quamobrem illud ιζ in H mutandum cenſemus, ut Ceila, *octo* tantum *Lapidibus* diſtiterit Eleutheropoli , ut Hieronymus diſerte tradit. Id quod tanto majori fiducia ſtatuimus , quod David in his locis delituerit , ἔνθα ἐκρύπτετο Δαβὶδ , ἔνθα Δαβὶδ ἐκαθέσθη , *ubi abſconditus eſt*, *& quondam ſedit David* . Ut adeo loca proxime vicina fuiſse neceſſe ſit. Addatur jam tertius locus*: Eſt autem* GABAATHA *nunc villa in duodecimo milliario Eleutheropoleos , ubi & ſepulcrum Prophetæ Habacuc oſtenditur* .

VIII. Hæc quiſquis paulo attentius conſideraverit , vel me tacente perſpiciet atque intelliget , tria hæc loca in via regia , vel militari , ſita fuiſse , inter Eleutheropolim & Chebronem , quemadmodum ex iis , quæ ad *Ceila* dicuntur , ſatis liquet. Si quis ſcilicet Eleutheropoli Chebronem iret , ad ſeptimum lapidem *Echelam* perveniebat ; inde ad octavum , *Ceilam* , uno præter prope milliari diſſitam ; denique in duodecimo milliario *Gabaatham :* ut inter Echelam & Gabaatham vix duarum leucarum Gallicarum , vel horarum , quas itinerarias vocant , ſpatium fuerit interjectum . Quid ergo in eo , non dicam animadverſione , ſed vel admiratione dignum ſit , ſi unum idemque monumentum , ſpatio duarum horarum tribus , imo pluribus locis , ſit monſtratum , ad dextram vel ſiniſtram viæ militaris ſitum ; imprimis ſi impoſita moles paulo altior fuerit , & monumentum ipſum loco editiori ſitum ? quod utrumque, ſi gentis mores, & loci genium ſpectemus , tuto ſupponere licebit.

IX. Sed & hoc obſervandum , neque Euſebium , neque Hieronymum dicere , *in aliquo* horum locorum , nedum *in tribus* illis, Prophetam *ſepultum* fuiſſe ; ſed tantum *juxta illa monumentum ejus fuiſse monſtratum* , δείκνυται , ἐπιδείκνυται , &c. quibus verbis illud , opinor, ſignificatum voluerunt ; monumentum illud a via publica, uti apud Judæos moris erat , nonnihil fuiſſe remotum , atque adeo viatoribus monſtratum .

X. Hæc , pluribus ſi neceſſe eſſet , exemplis probari poſſent ; ſed unum inſtar omnium eſto , quod Virgilius nobis ſuppeditat , Ecloga IX. verſ. 59. 60.

*Hinc adeo media eſt nobis via : namque ſepulcrum*
*Incipit apparere Bianoris*.

Habemus hic ſepulcrum Bianoris , conditoris Mantuæ , circa viam quæ *ducebat in urbem ;* quemadmodum apud Patres ſepulcrum Prophetæ circa viam quæ ducebat Eleutheropoli Chebronem ; ſed paſtores illi nondum ad ipſum ſepulcrum pervenerant , ſed id procul tantum ſeſe illis conſpiciendum dabat : *namque ſepulcrum*, INCIPIT *apparere Bianoris* : Similiter hic quoque , ſi quis Eleutheropoli *Echelam* pervenerat , monumentum Prophetæ jam *apparere* , adeoque etiam *monſtrari incipiebat*. Quod ſi ulterius *Ceilam* pergeret, proculdubio magis propinquabat ; tandem denique inter *Ceilam* & *Gabaatham* ſitum erat ; ut adeo tribus illis locis *monſtrari* & conſpici poſſet. Quo pacto ſi ratiocinemur , omnis difficultas ſublata erit , nihilque cauſæ ſuppeterit , cur Cl. Clericus tanto cum faſtu dicat, *I nunc & crede myſtagogis* . Quomodo ſi Cl. Viro cum Patribus agere lubeat ; videat ipſe , an non meliori jure illud Poetæ ipſi regeri poſſit ; *I nunc & verbis* Patribus *illude ſuperbis ;* eoſdemque ignorantiæ , plebejæ credulitatis, & ſuperſtitionis accuſa .

XI. Eadem pagina ſeptuageſima ſeptima , ex qua duo ſuperiora ſpecimina deſumſimus,

ſimus, etiam Bonfrerius contra Euſebium inſurgit, ceu qui *Gabaonem* ad Orientem Bethelis collocarit. „ At, inquit, quæ hic Euſebius ſcribit de *Gabaon*, ægre to-
„ lerari poſſunt, nempe quod fuerit *ad Orientalem plagam Bethelis*, *in ejuſque quar-*
„ *to ad Orientem milliario*; atque adeo ad Orientalem fere plagam Hieroſolymæ; &c. Sed immerito Euſebius accuſatur, cum plane contrarium ſitum Gabaoni aſſignet: καὶ ἔστι κώμη νῦν οὕτω καλουμένη, πλησίον Βαιθὴλ, πρὸς τὰς δυσμὰς, ὡς ἀπὸ σημείων δ'. παράκειται δὲ τῇ Ῥαμᾶ. &c. Quod ipſe Bonfrerius optima fide reddidit, *verſus Occidentem*. Sed cum notas in Hieronymum ſcriberet, Euſebium Græcum proculdubio nondum viderat, id quod Cl. Clericus aliquoties de illo obſervat. Impoſuerat ergo Doctiſſimo Viro prava apud Hieronymum lectio, quæ habet, *contra Orientalem plagam*, pro *Occidentalem*. Quid enim? Hieronymum tam ſtupidum, vel heic tam oſcitantem fuiſſe exiſtimemus, ut illud Euſebii πρὸς δυσμὰς reddiderit, *contra Orientalem plagam?* id equidem ut credam, animum inducere non poſſum: quin potius librariis, quicquid hoc eſt mendi, imputandum cenſeo, qui ob plerarumque literarum convenientiam facili lapſu mutarint illud *Occidentalem*
in *O r i entalem*. Sic ſane & alibi in his libris *Orientem* & *Occidentem*, quantumvis etiam diſtent, permutari apud Hieronymum obſervavimus, quemadmodum apud Euſebium πρὸς ἀνατολὰς.

& πρὸς νότον, quæ voces itidem ob literarum convenientiam aliquoties a librariis confunduntur.

XII. Hieronymus ſub nomine BETHEL quædam Euſebio addit, quibus Græcorum & aliorum quorundam errores perſtringit, quo nomine Cl. Clerico rurſum graviter vapulat. Verba Hieronymi hæc ſunt: *Porro quod quidam putant ſecundum errorem Græcorum Voluminum, Valaumaulas antiquitus nuncupatum, vehementer errant. Verbum quippe Hebræum & nomen ipſius civitatulæ pariter miſcuerunt, cum Ullam ſignificet prius, id eſt* πρότερον. De his Cl. Clericus in Quæſtionibus Hieronymianis ſe egiſſe dicit: c. 5. §. 8. & ſane l. c. Hieronymum negligentiæ, & in nomine barbaro deſcribendo, & in Codice Hebræo conferendo, & denique in vocabuli verſione imperitiæ accuſat. Non tamen ex hoc noſtro *Onomaſtico* agit, ſed ex Commentario in *Geneſin*. Ut vero illud de prava Codicum lectione, quæ in nominibus barbaris apud librarios facilis eſt & proclivis, tantiſper nihil dicamus; ſequentia verba notari velimus. *Merito quidem Hieronymus rejicit hic Translationem* LXX. *Interpretum, ſed fallitur cum putat, aut hic aut alibi* אולם *ſignificare* PRIUS. *Si legiſſet integrum hunc locum Hebraice, cum hæc ſcribebat, delenda illico vidiſſet, ſic enim habet Moſes ad verbum. Vocavit nomen loci illius Bethel,* ואולם לוז שם העיר לראשנה *ſed* (*voulam*) *Luz nomen urbis erat prius* (*Lariſchonah*) *Ubi poſtrema vox manifeſto ſignificat* PRIUS, *non vero* ULAM, *quod non poteſt verti* PRIUS, *ſine abſurda repetitione, nec ſane debet, ex uſu Linguæ Hebraicæ, ut in Commentario noſtro ad eum locum oſtendimus. Quod additur de altera ſignificatione Vocum* אולם *&* אלים ELIM, *id ad rem nihil facit, nuſquam enim ea dictione ſignificant* PRIUS *aut* ANTE.

XIII. Duplex itaque quæſtio naſcitur; Prior, ut vox אולם apta nata ſit ſignificare *Olim*, *Prius*, *In principio*. Altera, an, ſi hoc ſignificatu vocem אולם cum Hieronymo accipiamus, *abſurda* inde ſit ſtatuenda *repetitio*, tautologia, inquam, vel battologia. Priorem ſententiam probatam dabimus; poſteriorem prorſus negamus.

XIV. Quod itaque vocem אולם attinet, contendimus, illam ſignificare, *Olim*, *Prius*, *Primo*, & denique, *In primo principio*. Radicem ſtatuimus vocem Arabicam; أول, quæ apud Cl. Golium ſignificat *Præceſſit*, *Anterior evaſit*. Hinc nomen أول *Auval*, *Prior*, *Anterior*, *Primus*, & *Principium*. Porro אולא *Auvalam*, *primum*, *prima vice*: Et quæ id genus alia apud Golium in nunquam ſatis laudato opere Lexico videre licet. Hinc Chaldæis אול quod idem ſignificat, unde apud Jonathanem Paraphraſtem מן אול vel, ſi recte conjicio, מן אול *a Principio*, & quæ illius generis alia Buxtorfii in Lexico majori notarunt. Hinc ergo derivo אולם quod & temporis & loci *initium*, notet. De loco res certa eſt, cum paſſim in Templo *Veſtibulum* vel *Porticum* ſignificet, *anteriorem* Ædis Sacræ partem. De tempore itaque nihilo magis dubitare licebit, quin id quoque *principium* ſignificare poſſit. Et certe מן אול apud Chaldæos ſignificet, *a Principio*, nihil repugnare video, quo minus & noſtrum אולם, *primum temporis initium*, denotare poſſit: Eadem ſcilicet ratione, qua a יום, *die*, derivatur יומם, quod *omnem*, *totum*, *integrum* diem ſignificat; & כנם quod a כן *pediculus*, *inſignem pediculorum multitudinem* notat.

XV. Quodſi ergo אולם *primum loci* & *temporis principium* notet, expectabit forte B. L. ut etiam rationem reddamus tertiæ ſignificationis, qua *Verum*, *Veruntamen*,

*Certe*, quam significationem agnoscimus, denotare possit. Sed hic rursum Arabes succurrunt, apud quos اولى *Auvali* non tantum *anteriorem* vel *primum* significat, verum etiam *Dictum*, *cujus veritas per se mox illico & immediate percipitur*; *Axioma*, *Primam notionem*. Quo fit, ut & præsenti voci אולם significationem tribuere ausim, ut significet, *vero*, *verum*, *veruntamen*, *primo* scilicet & *ante* omnia considerandum.

XVI. Sic ergo priore quæstione expedita, de posteriori facilius transigemus: An, scilicet, si voci אולם notionem attribuamus τοῦ *Olim*, ex sequenti לראשנה, tautologia, vel absurda repetitio nascatur? Cum enim nemo humaniorum literarum paulo peritior elegantias pleonasticas ignoret, nedum rejiciat & condemnet; facile me ab æquis rerum arbitris impetraturum confido, ut illud ואולם לראשנה pleonasticum quidem sit, non tamen vitium sermonis, Scriptoribus Hebræis & ipso Spiritu S. indignum.

XVII. Sed id forte quispiam præsentibus exemplis firmatum velit. En igitur illud Terentii, Eun. Act. II. Sc. II. 15. *Olim isti fuit generi quondam quæstus apud seculum prius*. Et rursum illud Plinii, L. III. 9. *Oppidum Formiæ*, *Hormiæ prius olim dictum*. Quibus duobus locis OLIM & PRIUS ita conjunguntur, acsi ex Hebræo ואולם לראשנה expressa essent. Imo vero a Terentio non tantum OLIM, & *apud* SECULUM PRIUS conjunguntur, sed & tertium vocabulum additur *quondam*. OLIM, QUONDAM, apud SECULUM PRIUS. Cujus generis *Plæonasmos*, vel si quis forte *Synonymiam* appellare malit, cum nemo hactenus in elegantissimis gravissimisque Scriptoribus *absurdæ repetitionis* accusarit; nihil causæ est, cur metuamus, ne alii Viri docti Hieronymum *absurditatis* arguant, si illud ואולם *veullam*, per *prius* explicet, non obstante eo, quod aliud Synonymum mox occurrat, לראשנה, quod idem vel simile notat.

XVIII. Elegantiarum Romanarum studiosi facile, credo, alia hujus generis dare poterunt. Nobis plura inquirere nec vacat nec lubet, contentis ea solummodo proferre quæ memoria nobis nunc in hanc rem suggerit.

# MANTISSA.

C. *Plinius Secundus* superiori dissertatione *ad loca deperdita* semel iterumque in partes est vocatus. Sed rursum succurrendum existimamus. Lib. v. cap. 12. vel, ut alii numerant, 13. in descriptione Palæstinæ sic vulgo legitur. *Regio per oram Samaria:* vel quibusdam; *Regio per oram*, *Samaria*. Quæritur, quid hic *Samariæ* sit loci? præsertim cum diligentissimus scriptor *Samariam* ad interiora referat. *Intus autem*, inquit, *Samariæ oppida*: *Neapolis* ..... *Sebaste* ... Doctiss. Harduinus nullam variantem lectionem affert. Nobis tamen dubium non est, quin pro *Samaria* legendum sit *maritimam*. integre, *Regio per oram maritimam*: *Oppidum Ascalo liberum* &c. Confirmat hanc nostram sententiam ipse Plinius cap. antecedente: *Qui subtilius dividunt*, *circumfundi Syria Phœnicen volunt*: *& esse* ORAM MARITIMAM *Syriæ*, *cujus pars sit Idumæa & Judæa*, &c.

Idem Lib. VI. cap. 32. ex edit. Harduini, vel ut alii, cap. 28. de Urbe *Petra*: *Abest a Gaza oppido littoris nostri* DC. M. *a sinu Persico* CXXXV. M. Locus corruptissimus, ita nostro judicio, numeris transpositis, restituendus: *abest a Gaza o. l. n.* CXXXV. M. *a sinu Persico* DC. M. Hæc lectio melius convenit situi *Petræ*, prout ille a Ptolemæo, Diodoro Siculo, Eusebio, Hieronymo, aliisque definitur.

EXERCITATIO PHILOLOGICA IV.

*Ad loca depravata & vexata*

# EUSEBII ET HIERONYMI

DE

## Locis Hebraicis S. Sc.

I. INter alia loca a librariis corrupta & Criticis vexata, unde & Hieronymus erroris atque ignorantiæ insimulatur, insignis est ille titulo *Madian;* ubi postquam Hieronymus de Madiana egerat, *ad Mare Rubrum sita*, *Obabi Soceri Mosis patria* vel *sede*, ita pergit: *Sed hæc alii Civitas est* ὁμώνυμος *ejus juxta Arnonem & Areopolim*, *cujus nunc ruinæ tantum monstrantur*. Hic scilicet Hieronymus, si quid aliis credimus, patriam Obabi ad Moabitidem, ad Arnonem, inquam, & Areopolim referat. Sic enim Cl. Clericus, ad h. l. *At addit Hieronymus*, *hanc* (in qua sc. Obab habitabat) *fuisse Madianitidem ad Areopolim & Arnonem*; *qua in re errat*, *ut docebunt Interpretes ad Exod.* 2. 15.

II. Sed vehementer vereor, ne Cl. Clericus, dum Hieronymum erroris accusat, ipse toto cœlo erret. Ut enim alia mittam, quæ ex ipso nexu orationis proferri poterant, nego Hieronymum scripsisse, *Madianitidem* illam, *patriam filiarum Obab*, *sitam fuisse ad Areopolim & Arnonem*; quin imo hanc ab illa manifesto distinxisse. Quis enim Hieronymum tam ineptum, tam historiæ omnis & Geograghiæ ignarum fuisse putet, ut nesciverit, quo Moses ex Ægypto primum profugerit, quo itidem tandem cum populo Israelitico in Moabitidem, ad alteram Madianam, pervenerit? Non certe Rhenferdius.

III. Quid ergo? Locus corruptus est, & pro HÆC legendum est ET, quo pacto mox omnis difficultas erit sublata. Agit Hieronymus de *Madiana in deserto Saracenorum contra Orientem Maris Rubri*, a qua & *filias Obab Soceri Mosis filias Madian appellatas* existimat. Tum vero & aliam *Madian* ὁμώνυμον superioris *juxta Arnonem &c.* id quod his verbis ostendit; *sed & alia Civitas est*, ὁμώνυμος *ejus* (quæ ad Mare Rubrum sita erat) *juxta Arnonem*, *&c.*

IV. De duplici Madiana vel Madianitide agi sic satis liquet, quarum una ad Orientem Maris Rubri, altera in Moabitide ad Arnonem circa Areopolim sita fuit. Posteaquam ergo primo loco de Madiana Obabi egerat, mox cum Eusebio alteram quoque describit, formula sibi familiari, *Sed & alia Civitas est &c.* Quomodo ab altera illa distinguit.

V. Formulam hanc SED ET, vel SED ET ALIA, Hieronymo familiarem esse dicimus, & in diversorum locorum hominumve nominibus distinguendis usitatissimam; Cum altera illa, SED HÆC, rarissime apud eundem occurrat. Id quod cum attentus quivis Lector per se facile observabit, tum vero nobis heic loci exemplis aliquot probandum incumbet.

Notentur ergo sequentia. In ACRABIM. SED ET *Confinium Amorrhæorum Acrabitene dicitur*.

ABEL MEHULA. sed ET *Abelmea villula nunc nuncupatur*.
SARON. sed ET *a Cæsarea Palæstinæ. &c.*
AEMATH. sed ET *nunc Amathus villa dicitur. &c.*
FATURA. sed ET *juxta Eleutheropolim quædam villa &c.*
GAULON. sed ET *nunc Gaulon vocatur villa. &c.*
AILATH. sed ET *Elamitarum quædam natio.*
GALAAD. sed ET *Hieremias. &c.*
GALGALA. sed ET *juxta Bethel quidam aliam Galgalam suspicantur.*
LACHIS. sed ET *hanc cepit Jesus.*
ARNON. sed ET *terra filiorum Israel.*
BETHLEHEM. sed ET *propter eandem Bethlehem.*
ELEALE. sed ET *usque hodie.*
SUR. sed ET *Scriptura desertum Cades. &c.*
SIHOR. sed ET *hodie ostenditur villa nomine Sihor.*
THEMAN. sed ET *usque hodie est villa nomine Themam.*

ULAM

Ulammaus. ( vel potius Ulamlus. ) sed et *quædam villa nomine Ulama.*
Asedek. sed et *hujus rei disputationem &c.*
Apheka. sed et *usque hodie est castellum grande &c.*
Accaron. sed et *usque hodie grandis vicus Judæorum Accaron dicitur.*
Azecha. sed et *hodie vocatur villa Azecha. &c.*
Gargasi. sed et *Evangelium meminit Gerasenorum.*
Nabo. sed et *usque hodie ostenditur locus desertus Nabau.*
Memphis. sed et *Judæi, qui cum Jeremia &c.*
Magedan sed et *Marcus ejusdem nominis recordatur.*
Japhie. sed et *oppidum Sycaminum nomine.*
Cata Chrysea. sed et *metalli æris Fano*, vel *Fœno.*
Cedar. sed et *Esaias & Jeremias.*

VI. Satin hoc clarum atque evidens Hieronymum nostrum, quando de alio loco aliave re agere instituit, vel denique aliquid amplius addit, continuo uti hac formula, sed et? Parum tamen præstiterimus, si hoc solum ostendamus, neque alia addamus, quando & homines & loca iisdem nominibus appellantur, quæ tamen Hieronymus cum Eusebio distinguere laborat.

Fanuel. sed et *unus de filiis Or vocatus est Fanuel.*
Sichem. sed et *filius Emmor appellabatur Sichem.*
Theman. sed et *unus filiorum ejus Theman appellabatur.*
Ziph. sed et *unus de posteris Caleb dictus est Ziph.*
Uz. sed et *unus de posteris Esau Uz nomine appellabatur.*
Iezrael. sed et *unus de posteris Ephrahæ &c.*
Cariathiarim. sed et *filius Sabal appellabatur Cariathiarim.*
Evila. sed et *unus de minoribus filiis Noæ Evila dictus est.*
Selo. sed et *Judæ Patriarchæ filium Selon appellatum legimus.*

VII. Sed forsan te obtundo B. L. & tot exemplorum recensione molestus sum, ut merito cum Poeta dicere possis.

*Ohe, jam satis est; Ohe*, Rhenferdi.

At mihi nondum satis est, ne dum Hieronymo; quem cum ab errore liberare instituimus, alia quoque exempla proferenda erunt, quæ integram phrasin habent, sed et alia, quæ ipsa illa est, quam in loco controverso Hieronymum adhibuisse contendimus. Dabis ergo mihi haud gravatim adhuc paulisper operam, ut quid rei sit tandem liquido intelligas. Considerentur ergo iterum sequentia; in quibus illud mihi licere velim, ut & ejusmodi loca proferre liceat, in quibus pro sed occurrit Autem, vel, loco et, aut ipsius etiam sed, usurpatur quoque.

Fogor. sed et alia *villa Fogor.*
Gabathon. sed et alia *Gabatha in tribu Benjamin.*
Salem. sed et alia *villa ostenditur.*
Engannim. sed et alia *quædam civitas Enganna dicitur.*
Mephaath. sed et alia *est trans Jordanem.*
Maspha. *Est* autem et alia *nunc Maspha.*
Addara. est quoque et alia *villa in finibus Diosplews.*
Abela vinearum. alia quoque *est civitas.*
Bosor. *Appellatur* autem et alia *Bosor.*
Sichem. *Fuit* autem et altera *Sichem.*
Asor. *Est* et alia *villa usque hodie Asor &c.*
Dabira. *Est* autem et alia *villula.*
Debon. *Est* et alia *Dibon villa prægrandis.*
Ramale. *Est* autem et alius *locus.*

VIII. Ex tot itaque locis cum abunde constet, quibus verbis Hieronymus uti soleat, quando diversa ejusdem nominis loca vult describere: Hic quoque eadem adhibita fuisse contendimus. sed et alia est *ὁμώνυμος ejus*; quam lectionem si sequamur, expedita res est, nec quicquam causæ, cur Doctissimus Hieronymus hic loci erroris accusetur.

IX. Quodsi in exemplis recensendis nimii fuimus, & tua B. L. patientia abusi; id eo factum existimabis, ut fraudi nostræ, quod vulgo dici solet, vel si forte malis, arti & industriæ, fidem præstruamus; atque ita intelligas, quanto studio, labore, contentione animi, in Eusebium & Hieronymum emaculandos hactenus incubuerimus, ut, cum omnibus aliis adminiculis, maxime Codd. MS. destituamur; sedula attentaque lectione & collatione defectum illum compensemus.

X. Sed & alia monenda restant. Ac primo quidem, Hieronymum, quando dictis for-

formulis SED ET, nec non SED ET ALIA, utitur, plerumque Eusebium presse sequi, cujus hæ quoque sunt formulæ: Ἔστι δὲ καὶ ἄλλη κώμη, ἔστι δὲ καὶ Αβελ μέα, καὶ ἄλλη πόλις, & quæ id genus sunt aliæ, quas sedulus Lector per se ipse facile observabit.

XI. Deinde vero & illud in his voculis observandum venit; ex frequentissimo earum usu factum esse, ut Librarii aliquando integram vocem, SEDET, distraxerint in SED ET. Ita sane in MEPHAATH, pro eo quod in editione Bonfrerii legitur, *in qua Præsidium Romanorum est militum*, Doctissimus Martianæus, qui novissime Hieronymum, summa diligentia & fide cum plurimis MStis collatum, edidit, sic legit: *In qua Præsidium Romanorum militum*, SED ET *propter viciniam solitudinis*. Ubi procul dubio legendum, *in qua Præs. Rom. mil* SEDET, *p. v.s.* Simile exemplum apud Pancirollum occurrit Not. Imp. fol. *92.* col. 3. m. ad vocem *Aila*: SED ET *ibi Legio Romana cognomento decima*; Cujus loco Editio Bonfrerii recte legit, SEDET *autem ibi &c.* quod exacte respondet Græcis Eusebii, ἐγκάθηται δὲ αὐτόθι Τάγμα Ῥωμαίων τὸ δέκατον; ut de genuina lectione dubitari non possit. Ita scilicet illud SED ET Librariorum oculis atque animo obversabatur, ut etiam integram vocem SEDET distraherent in SED ET.

XII. Quemadmodum vero vocem SEDET modo in duas distractam vidimus, SED ET; ita alibi apud Eusebium pariter ac Hieronymum unius nominis descriptionem in tres diversas partes quasi quadrigis distractas invenimus. Est nomen ANEA, vel Græce Ἄναια, quod cum Eusebius continuo ordine exposuisset, jam Hieronymi temporibus ita corruptum erat, ut non tantum apud Eusebium, sed ipsum quoque Hieronymum, plane fuerit omissum; descriptio vero ejus sub tribus alienis titulis inveniatur. Sub nomine ANAB ita legimus: *Est & alia villa grandis Judæorum nomine Anea*, ( *in Daroma*, *contra australem plagam Chebronis*, *novem ab illa millibus separata*. ) Sub titulo ANIEL, vel, uti apud Eusebium hodie corruptissime legitur, ANEIP: *Est quædam villa nomine Betoanea in quinto decimo lapide a Cæsarea*, *sita in monte contra Orientalem plagam*, *in qua & lavacra dicuntur esse salubria*. Denique in ANIM, vel apud Eusebium ΑΝΣΗΜ: *Est vicus Anea juxta alterum*, *de quo supra diximus*, *ad Orientalem plagam respiciens*, *cunctis habitatoribus Christianis*.

XIII. Hic idem nomen ANEA, ANAIA, & BAITOANAIA, quod eo redit, sub tribus distinctis titulis, ANAB, ANIEL, & ANIM explicatur, locis non suis sed prorsus alienis; cum ipsum illud ANEA, ANAIA, peculiari titulo legi debeat, qui tamen & apud Hieronymum plane intercidit. Argumento hujus rei est, quod in *Bethana*, vel Βηθαναθὰ, legimus, ubi hæc habentur: *Bethana in tribu Nephtalim*: *Et est villa nomine Bethanea in quinto decimo a Cæsarea lapide: in qua dicuntur lavacra esse salubria; quam & supra sub nomine* ANEAE *posuimus*. Eus: κέιται δὲ καὶ ἀνωτέρω Ἄναια. Ex hoc loco sole meridiano clarius elucet, Eusebium in superioribus nomen Ἄναια sibi enarrandum sumsisse, quod tamen in litera A nusquam occurrit; Quanquam sub nomine *Aniel* eadem plane verba inveniuntur, quæ hic in *Bethana*.

XIV. Figamus igitur hic tantisper pedem; *Aniel*, inquit Hieronymus, *in tribu Aser*. Eus: Ἀνιὴρ κλήρου Ἀσήρ. At vero *Bethana*, Βηθαναθὰ, vel corrupte *Beto-anea*, Βαιτοάναια in tribu Nephthalim fuit, quemadmodum modo vidimus: Ut adeo *Aniel*, & *Bethana* vel *Betoanea*, ad eundem locum referri nequeant. Quo fit, ut sic omnia digerenda existimemus:

XV. ANAJA, φυλῆς Νεφθαλείμ, καὶ ἔστι νῦν κώμη Βαιθάναια Καισαρείας ἀπέχουσα σημείοις ιέ, ἐπὶ τὰ ἀνατολικὰ, ἐν ὄρει κειμένη, ἔνθα λοῦτρα λέγεται εἶναι ἰαματικά. Tum illa quæ sub *Anab* occurrunt immediate subjiciantnr: Ἀλλὰ καὶ Ἀνεὰ ἐστι κώμη Ἰουδαίων μεγίστη ἐν τῷ Δαρωμᾷ, πρὸς νότον Χεβρὼν ἀπὸ σημείων θ'. Denique, Ἐστὶ δὲ καὶ ἄλλη Αναιὰ πλησίον προτέρας, ἡ νῦν ὅλη Χριστιανῶν τυγχάνει, οὖσα ἀνατολικὴ τῆς προτέρας. Sic omnia cohærent, & ad idem nomen ANAIA perquam commode referuntur, ita scilicet, ut primo describatur ענת vel בית-ענת, *Anath* vel *Beth Anath*, vel denique *Beth Anatha*, oppidum Tribus Nephthalim, cujus mentio fit Jos. XIX. 37. Cujus nominis cum & duo alia loca essent in tribu Judæ, eaque inter se vicina, Eusebius ea mox subjungit, solita formula; ἀλλὰ καὶ Ἀνεὰ ἐστι κώμη Ἰουδαίων, κ. τ. ε. & denique, ἐστι δὲ καὶ ἄλλη Ἀναιὰ πλησίον προτέρας κ. τ. ε. Quemadmodum facile agnoscent, qui exercitatos in Eusebio & Hieronymo sensus habent.

XVI. Si quis vero etiam quærat, quo pacto fieri potuerit, ut jam temporibus Hieronymi, quemadmodum ex versione ejus constare videtur, hæc ita distracta fuerint, sic habeto: Titulum *Anea* cum subjecta descriptione vel a Librario aliquo, vel forte ab ipso Eusebio, primo omissum fuisse, &, errore observato, deinceps ad marginem additum, atque ita adscriptum, ut pars ejus e regione *Aniel* legeretur, pars

pars alia e regione *Anab*, & denique alia ad *Anim* vel *Anſem*. Unde tandem factum ſit, ut, quæ in margine continuo ordine legi debebant, diſtracta ſint, & partim ad *Aniel*, partim ad *Anab*, & *Anim* ſint relata, voce ipſa ANAIA apud Euſebium etiam plane omiſſa. Sic noſtra fert ſententia. Si quis meliora docere poſſit, aures libenter ſubſtringemus.

XVII. Priuſquam vero hinc ad alia transeamus, paucula, quæ ad integritatem ſecundi loci ſpectant, veniunt addenda. Ac primo quidem apud Hieronymum ſub Tit. *Anab*, cui mox ſitum *Æneæ* ſubjungit, inſignis lacuna in editione nova occurrit, omiſſis illis verbis, quæ hic uncinis iucluduntur, legendumque integre: *Eſt & alia villa grandis Judæorum nomine* ANEA ( *in Daroma, contra auſtralem plagam Chebronis; novem ab illa millibus ſeparata*. ) Sic enim & Martianæus edidit, & Græcus textus Euſebii habet, ſed non ſine librariorum vitio: Ἀλλὰ καὶ Ἀνεὰ ἐςὶ κώμη Ἰȣδαίων μεγίςη καλȣμένη Δαρωμὰ πρὸς νότον Χεβρὼν ἀπὸ σημείων θ΄. Addenda enim particula ἐν, ut recte conjiciunt Martianæus & Clericus; ſed non ſola, cum integre ſit ſcribendum, ἐν τῷ Δαρωμᾷ: & forte redundet vox καλȣμένη. Sic in *Aſthemac*; κώμη ἐςι καὶ αὐτὴ ἐν τῷ Δαρωμᾷ. *Eſthemo*; καὶ νῦν ἐςὶ κώμη μεγίςη Ἰȣδαίων ἐν τῷ Δαρ. ubi non tantum eadem verba occurrunt, ἐν τῷ Δαρωμᾷ, & ſine voce καλȣμένη. Similiter quoque alibi paſſim. Quod ſi tam illud καλȣμένη jam olim a manu Euſebii ſit profectum, quod forte alicui ſuſpicari ſubeat, ob verſionem Hier. *Nomine Anea*: tum ſane hæc ipſa vox errandi cauſam dederit, ut librarius ob ἐν in voce ΚαλȣμΕΝη jam deſcriptam, ſequens ἐν τῷ prætervolarit & adeo omiſerit. Sed ſtatuat quiſque ut volet, cum, utrovis modo legerimus, ſua loco integritas conſtare poſſit.

XVIII. Titulo, Ἀνὴρ, cui ſubjecta eſt Βαιτο ἄνεα, in fine editum eſt, ἔνθα λȣ̃τρα λέγεται ἰαματικά: ubi procul dubio legendum, ε. λ. λ. EINAI ἰαματικά. Sic enim infra in Βαιθαναθά, ubi plene legitur, ἐν ῇ λέγεται EINAI λȣ̃τρα ἰάσιμα.

XIX. Sed & lectio vocum Βαιτοανιαιὰ apud Eus. & *Betoanea* apud Hier. mihi ſuſpecta eſt; cum infra in *Bethana* & Βηθαναθά, neque O, neque T, occurrant; quare ſcribere malim *Bethana* & Βαιθανιαιά. Erroris fontem attentus lector facile in lit. O deprehendet, ex qua, omiſſo vel oculos fugiente ductu illo medio, ortum ſit O vocale; quomodo legebatur ΒαιΟανιαιά: ubi cum librarius quidam defectum obſervaſſet literæ *T*, hanc addiderit, ut aliquo modo voci medelam afferret, ſed poſito T loco Θ, & relicto ſpurio O; unde tandem enatum ΒαιΤΟανιαιὰ pro ΒαιΘανιαιά. Quam ſcripturæ corruptionem cum Hieronymus non animadvertiſſet, bona fide exemplar ſuum ſit ſecutus, & pariter ſcripſerit *Betoanea*: niſi, quod forte æquius erit arbitrari, ſciolo alicui librario, vel correctori, hic error ſit imputandus, qui Hieronymum ex prava lectione Græca voluerit emendare.

XX. Eadem pag. 16. ubi tria illa loca de *Anea* & *Bethanea* occurrunt, alius locus apud Euſebium mirifice eſt depravatus, Tit. *Ane ugava*, Euſeb. Αναθȣ̃σαν. Lectionem Euſebii jam feliciter reſtituit Cl. Clericus. Sed & in Hieronymo mendum occurrit, in verſione verborum Symmachi, ἀνεςάτωσε καὶ ἐταπείνωσε: quorum prius Hieronymus reddiderit, *ſollicitavit*, quod Cl. Clericus minus commodum cenſet. Id quod & ipſe fateor, ſed ita, ut illud, *ſollicitavit*, non Hieronymi, ſed librarii eſſe credam, pro quo legendum ſit, *deſolavit*. In hunc enim ſenſum Hier. alibi vocem ἀνάςατον reddit Tit. *Jericho*. Euſebius: Ἰησȣ̃ς ἀνάςατον ἐποίησε. Hier. *Subvertit Jeſus*. Unde dubium eſſe non poteſt, quin verbum ἀνασατόω eodem ſenſu verterit in *deſolavit*, quod eodem recidit.

## NOTÆ CRITICÆ ET OBSERVATIONES

IN

# EUSEBII ET HIERONYMI

## Onomaſticon Locorum Sacrorum.

I. Poſtea quam jam quatuor Diſſertationes edidimus, quibus varia Euſebii & Hieronymi loca a Librariis aliiſque male accepta emendare, vel etiam defendere conati ſumus: viſum eſt nobis faciendum, ut etiam perpetuarum notarum, quas ſecundum ſeriem Alphabeti dabimus, præſenti Diſſertatiuncula ſpecimen

cimen exhibeamus, quo liquidius harum rerum Studiosus Lector de nostro instituto judicare possit, atque noscere numquid de nobis reliquum sit spei.

II. Id autem dum agimus, nolimus quisquam sibi exactam omnium & singulorum locorum emendationem promittat. Cum enim Augiæ quoddam stabulum hic repurgandum occurrit, quod vires plane Herculeas desiderat & nostras multis modis excedit: tum vero nimis flagitiose ab iis sumus imparati, quæ ad tantum opus rite perficiendum requiruntur, maxime a Codd. Mss. quorum nobis hic loci copia nulla datur, sine quorum adminiculo tamen nihil magnum & laudabile præstari posse constat. De Hieronymo minus quidem laborandum videtur, cujus complura exempla Doctiss. Martianæus cum in Galliis, tum alibi nactus est, diligentissimeque contulit: Sed de Eusebio major difficultas, cujus tres tantum Codd. Mss. nobis hactenus innotuerunt.

III. Primus est in Bibliotheca Regia Parisina, quem Doctiss. Jesuita *Jac. Bonfrerius* primum una cum Hieronymo ἐκ παραλλήλου edidit, ac novissime Domn. *Johannes Martianæus* in nova Editione Operum Hieronymi summa qua potuit fide recensuit; sed passim mutilatus ille, luxatus, & aliis multis modis pessime habitus. Alter Oxonii, in instructissima almæ Academiæ Bibliotheca, asservatur, ex quo Vir Clariss. D. *Thomas Smithus*, pro summa humanitate & singulari rem literariam promovendi studio, nuperrime specimen quoddam transmisit, non tantum summa fide, servatis omnibus librariorum vitiis descriptum, sed etiam conjecturis & emendationibus in margine additis ornatum, de integro quoque Codice, per fidum peritumque harum literarum hominem describendo, omnia summa officia prolixe liberalissimeque promittens. Fatetur tamen idem Vir Clariss. videri illum ex Parisino Codice descriptum, cura & studio Clariss. *Bernhardi*, quum hic Parisiis ageret & omne genus Mss. sedulo pervestigaret; ut adeo inde non plus subsidii, quam ex Editione Martianæi sperare liceat. Emendationes tamen & conjecturas margini additas a Viri cujusdam docti manu profectas suspicatur, qui præstantissimum librum ad prelum parare sit aggressus; ex quibus adeo non exiguum usum speramus, illud sancte pollicentes, nos nihil eorum, quæ in rem nostram verterimus, dissimulaturos, sed bona fide, pro eo ac decet, nobisque mos est, quisquis ille est, Doctissimo Viro accepta laturos. Tertius Codex Ms. Lugduni Batavorum latet; in Bibliotheca *Vossiana*, quam Ill. illius Academiæ Curatores in Publicam Bibliothecam intulerunt. Sed cujus ille notæ sit, nondum scimus, cum hactenus nulli illius inspiciundi copia facta sit; atque etiam ignoremus, an secundum novas leges, quas quidam causantur, collationem ejus ab amico instituendam nobis promittere audeamus. Cl. Bernhardus in Notis ad Josephum aliquoties *Eusebium de Locis Sacris* MS. allegat; utrum vero Parisini exemplum, an Vossianum Codicem spectet, nobis minime est compertum; quanquam illud satis exploratum habemus, non minus illum vitiis scatere, atque Parisinum. Quo fit, ut ea tantum, quæ ex rerum verborumque consideratione, prout occurrunt, & Eusebii Hieronymique sedula inter se collatione, nobis enascentur, proferre queamus. In quibus si quando aberrare contigerit, ab æquo candidoque Lectore veniam petimus & speramus.

IV. Ut autem loci indicium faciamus, ad quem commentamur, latina locorum nomina, ita uti apud Hieronymum occurrunt, notabimus, iisque tanquam titulis nostras animadversiones subjiciemus.

ABELA VINEARUM.

Eus. Ἀβελαμπελών, quasi una voce: sed cum & Hebraice locus אבל כרמים duobus nominibus appelletur, & Hieronymus similiter distincte appellet *Abelam vinearum*, nemini dubium esse potest, quin distincte legendum sit Ἀβὲλ Ἀμπέλων, vel potius uti mox melius constabit, Ἀβελὰ ἀμπέλων. Hujus loci mentio & apud Plinium occurrit Hist. Nat. Lib. v. cap. 16. vel ut alii distinguunt, 18. ubi postquam de regione Decapolitana egerat, *Intercursant*, inquit, *cinguntque has urbes tetrarchiæ*, *regionum instar singulæ*, *& in regna contribuuntur*: *Trachonitis*, *Paneas cum supra dicto fonte*; ABILA, *Arca*, AMPELOESSA, *Gabe*. Doctissimus Harduinus in notis ad hunc locum conjicit, illud *Ampeloessa*, *vel Arcæ potius vel Gobes cognomen*, *quam oppidi alterius nomen esse videri*. Sed viderint Viri Docti, si *Ampeloessa* epitheton sit, an non potius ad *Abilam* referri debeat, quæ Eusebii tempore Ἀμπελοφόρος dicebatur, Hieronymo *Vinetis consita*; atque ex hac hypothesi apud Plinium legendum sit *Abila Ampeloessa*, *Arca*, *Gabe*. Sed nihil admodum causæ video, cur non Plinii lectionem retineamus, ita ut *Abila* simpliciter sic dicta, Tetrarchiam Lysaniæ ejusve Metropolin notet, de qua Lucæ III. I. & hic loci Eusebius, quando *tertiam Abelam Phœnices* nominat: *Ampeloessa* vero hanc, de qua agimus, Ἀβελὰν Ἀμπελοφόρον,



quæ

quæ etsi Eusebii temporibus tantum Κώμη, *vicus*, erat, Plinii tamen ætate adhuc fuerit πόλις ἐπίσημος, *urbs insignis*, quæ Tetrarchiæ nomine veniret. Quicquid vero horum sit, Eus. hanc *Abelam sex millibus passuum a Philadelphia distare* ait: Hier. vero *in septimo lapide Philadelphiæ* collocat. Unde Clar. Clerico difficultas nascitur; *Aut legit*, inquit, *Hier.* ζ *hoc est septem*, *aut distantiam aliam posuit*. Sed neutrum verum, nedum necesse est. Sic enim passim Hier. locorum distantias ab Eusebio definitas uno lapide augere solet, & quidem merito, atque ad majorem rei certitudinem. Cum enim Eus. more Romano, in Palæstina tum temporis recepto, ex *Itinerariis*, locorum intervalla Σημείοις, *lapidibus*, vel *milliaribus* definit, millia intelligit jam confecta, ultra quæ cum locus aliquis situs esset, Hier. sequentem lapidem ponit, atque ita accuratius intervallum definit. Sic ipse quoque aliquando Eusebius variat. In THANAAC: Καὶ νῦν ἐστὶ κώμη μεγίστη ἀπέχουσα τῆς Λεγεῶνος σήμεια γ'. Hier. *distans a Legione tribus millibus*. At iidem in THAANACH quatuor millibus abesse dicunt. Eus. Καὶ νῦν ἐστιν ἀπὸ Δ. σημείοις τῆς Λεγεῶνος. Hier. *& nunc in quarto milliario oppidi Legionis hoc nomine vicus ostenditur*. Hic rursum Cl. Clericus: *In voce* THANAACH, *quæ eadm est*, *sunt* σημεῖα δ'. *Quis dicat utrum verius sit?* Utrumque, inquam ego, verissimum. Post. III. M. P. a Legione jam exacta, sita erat THAANACH in IV. Sic alibi passim, uti in dissertatione peculiari Deo volente ostendemus, & exemplis hodiernis, vel a situ nostræ Franequeræ aliorumque locorum petitis, confirmatum dabimus. Nunc saltem paucis monemus, ne quem in posterum ejusmodi minutiæ offendant.

V. Cum vero Euseb. h. t. bis scribat Ἀβελά; Ἀβελά, Οἰνοφόρος, Ἀβελά τῆς Φοινίκης; facile animum inducimus, ut credamus, Eusebium pariter scripsisse Ἀβελά ἀμπέλων, & ἀμπελοφόρος Ἀβελά; τῷ Α vocis Ἀβελά a librariis omisso, propter alterum Α in Ἀμπέλων, & vocula ἀπὸ recurrens: Maxime cum Hier. quoque utrobique *Abela* legat integre, non *Abel*.

VI. ABEL MAULA. Eus. ΑΒΕΛ ΜΑΕΛΑΙ. Sed cum LXX. Jud. VII. vers. 23. habeant Ἀβελμέουλα, & I. Reg. IV. vers. 12. Σαβελμάουλα (Σ ex antecedente voce ἕως inepte repetita) dubium non est. quin Eusebius quoque Ἀβελμάουλα, vel ἀβελμέουλα scripserit. Ibidem apud Eusebium: ἐν τῷ Αὐλῶ, Hier. *in Aulone*; Mirum ni Eusebius scripserit Αὐλῶνι, quemadmodum alibi passim; quanquam infra adhuc semel Αὐλῷ videre meminimus.

Ibidem pro eo, quod Hieronymus scripserat, *de quo supra*, Bonfrerius edidit, *de quo infra:* nimirum ob seriem nominum apud Hier. mutatam, quæ quidem manifesta vis esse videtur textui illata. Simile exemplum etiam in *Garizim* occurrit.

Ibidem *Bethaula*. Lege *Bethmaula*.

VII. ABELSATIM. Eus. Ἀβελσατγείν. Manifesto errore, pro Ἀβελσαττείν, T in Γ mutato ob quandam literarum similitudinem. Multo vero deterius infra in SATIM, literis etiam transpositis, legitur Στανγείν, pro Σατγείν, & hoc, pro Σαττείν.

Ibidem Eusebius; κατὰ δυσμὰς Μωάβ. Hier. *Ad meridiem Moabitarum*. Alterubi vitium. Sed procul dubio corruptus est Hieronymus, siquidem infra, pag. 26. ita habet *Dysme Moab*, *id est*, *ad Occidentem Moab*, ad quem locum videndus est Bonfrerius.

VIII. Quid vero tandem, & undenam illud אבל in horum nominum compositione? Si conjecturæ locus, a יבל derivabimus, vel הוביל quod *afferre*, *proferri* notat; unde יבול *proventus*, & תבל *terra frugifera*: & denique hoc nostrum אבל, ex permutatione literarum quiescentium, pro יבל, ut *locum fertilem* significet, qui a singularis rei proventu nomen sortiatur, quod quidem Abilæ *Vitiferæ*, & alteri *Vini fertili*, ac denique tertiæ *Spinarum feraci*, optime quadrare videtur.

IX. ABETARIM. Eus. Ἀκθαριμάκ, σύνοδος τῶν κατασκόπων. Hier. *Pro quo Aquila & Symmachus exploratorum viam interpretati sunt*. Legendum ergo ΑΕΘΑΡΙΜ, vel forte ΑΑΘΑΡΙΜ. Ακ. Συμ. ὁδὸς τῶν κατασκόπων· Quemadmodum in *Periculo* nostro *Critico* jam pridem ostendimus. Sed tunc temporis plane ignorabamus, Clariss. Clericum hunc locum eodem modo jam multo ante nos emendasse. Quæst. Hieron. cap. XII. §. 10.

X. Qua de re cum Vir quidam Cl. atque amicus nos nuper monuerit; hic loci illud ingenue fatendum esse existimavimus, ne id nobis fraudi sit, neve Clariss. Clerici, aliorumve scrinia compilare videamur, a quo flagitio quantopere abhorreamus, sciunt omnes quotquot norunt Rhenferdium, & scripta ejus, etsi paucula legerunt, in quibus nihil nisi nova omnia & aliis indicta proferre est conatus. Quanquam facile fieri possit, ut quædam etiam aliis dicta sint, sed qui nostram notitiam fugiant, neque ad manus nostras pervenerint, aut si forte pervenerint, integri a ca-

pite

pite ad calcem non ſint perlecti. Quod poſtremum hic nobis eveniſſe fatemur, qui quamvis *Quæſtiones Hieronymianas* non ſine graviſſima indignatione vidimus, & aliquo uſque evolvimus, integras tamen nunquam perlegimus, ſatis habentes ex ungue leonem cognoſcere, atque perſpicere quam nullo merito Hieronymus, Patrum Latinorum facile eruditiſſimus, a Cl. Clerico traducatur, ceu qui non rantum linguæ Hebrææ imperitus fuerit, ſed vix mediocriter Græce calluerit; uſque adeo, mirare Lector, ut ne quidem ſciverit, quod pueri non ignorant, quid notiſſimæ voculæ, H KAI, & aliæ quotidiani uſus, ſibi apud Euſebium velint. Sed de his forte jam plus ſatis, & ad Lectoris nauſeam; præſertim quum nondum, quod quidem ſciamus, accuſemur. Monere tamen hic loci voluimus, imo debuimus, ut & Cl. Clerico, qui noſtra ante nos dixit, ſuum tribuamus, & omnem vel leviſſimam plagii ſuſpicionem a nobis amoliamur, quod ſcelus, ( ſic ſentimus, ſic quotidie loquimur, ſic nunc ſcribimus, ) adeo deteſtamur, ut vel in perpetuum manum a tabula abſtinere malimus, quam alienis coloribus & plumis nos ornare, aut quicquam cuiquam debere, quod acceptum non feramus.

XI. Loquantur *Palmyrena* noſtra, Scaligero & Bernhardo deſperata; *Phœnicia*, ante nos aliis intacta; *Arabarcha*, *Archiſynagogus*, *Presbyteri*, *Otioſi*; in quibus ſi quid ſit, quod aliis debeamus, cauſam non dicimus, quin furti literarii accuſemur & damnemur. Satis in proprio fundo naſcitur, ut aliena ſuffurari neceſſe non habeamus. Et hactenus nobis major ſemper in abditis ignotiſque rimandis & eruendis voluptas fuit, quam in iiſdem edendis ambitio: unde etiam tot amicorum querelæ, tarditatem noſtram in obſervatis edendis accuſantium; qui ſibi hac occaſione reſponſum habeant, mihi inde a prima adoleſcentia ad hunc uſque diem placuiſſe Horatianum illud, *Nonumque prematur in annum*; ne vel ſpecie eruditionis aliis imponam, vel, ſi deinde meliora diſcam, cum aliis *Retractationum* libros ſcribere cogar. Teſtor iterum *Seculum Futurum*, de quo ſententiam noſtram Cl. Witzius jam ante hos octo & viginti annos publice refutare eſt dignatus; quam ſi tum temporis evulgare voluiſſemus, procul dubio aliquod nomen decuſque, & forte etiam amicos, paraſſemus. Sed quod illa res cum Summorum Virorum, qui de Sacra Scr. & literatura Hebræa præclare meriti erant, quadam quaſi contumelia conjuncta videbatur; verebarque, nequid mihi juvenili fervore imprudentius excideret: conſulto a ſcribendo abſtinui, nec niſi tredecim vel quatuordecim annis poſt Cl. Witzium meam ſententiam edidi, illud ſummopere cavens, ne quid in alios acerbius dicerem, cujus poſtea pœnitere poſſem. Huc uſque, B. L. non gloriandi ſtudium, ſed juſta in noſmet ipſos indignatio nos abripuit, ceu qui apud illos, qui nos non ſatis pernorunt, qui ſimus, in plagii ſuſpicionem adduci poſſimus. Qua ingenua confeſſione Cl. Clericus ſibi quoque, ſpero, ſatis factum exiſtimabit: eoque magis, quod hanc emendationem non, ubi oportebat, ad ipſum *Euſebium*, quem ſibi recenſendum & caſtigandum ſumſerat, ſed in *Quæſtionibus Hieronymianis*, protulit, quas ego etſi diu quæſitas tandem ſero vix ægre nactus ſum, & necdum integras perlegi.

XII. Sed ad alia pergamus. Pag. 5. in ACCARON. Euſ. Ἀναμέσον Ἐζῶτα ϰ̀ ἀναμέσον τῆς ἀνατολῆς. Hier. *inter Azotum & Jamniam ad orientem reſpiciens*. Legendum itaque, Ἀναμέσον Ἀζώτȣ ϰ̀ ἀναμέσον Ἰαμνείας πρὸς ἀνατολὰς. Pro Ἀζώτȣ infra alicubi haud abſimiliter legitur Ἐζώτȣ; paullo quidem melius, ſed tamen E poſito pro A. Porro vox Ἰαμνείας exciderat; & τῆς ἀνατολῆς poſitum, pro πρὸς ἀνατολὰς, ut ſequenti articulo *Acheſaluth*, πρὸς ἀνατολὰς, ubi Hier. rurſum; *ad orientem reſpiciens*; ut & alibi paſſim.

XIII. *Accbaſeluth*. Euſ. Λεγεται τις κώμη χεαλȣ̀ς. Apparet cum ex antecedente voce apud Euſ. tum ex verſione Hier. reſcribendum eſſe, χεσαλȣ̀ς; quemadmodum ipſe Euſ. infra in *Chaſelath*, vocalibus tranſpoſitis, χασελȣ̀ς, & rurſum χεσελαθθαβὼρ.

XIV. ACHAD. Euſ. Αχὰμ. nimia librariorum liberalitate, qui literam Δ geminarunt, ut inde M enaſceretur. LXX. Αρχὰδ hodie habent, pro Αϰχὰδ; Dages forti more Syrorum reſoluto in ר, quemadmodum pro *Jabbob*, *Jarbok*; pro *Dammeſek*, *Durmeſek*, & id genus alia.

XV. ACHOR. Euſ. κεῖται δὲ ἐν ὁρίοις Ἱεριχὼ. Bonſ. *Porro ſita eſt in finibus Hiericho.* Hier. vero: *Eſt autem ad ſeptentrionem Hiericho*. Unde conſtat, legendum eſſe, ἐν βορείοις Ἱεριχὼ. Sed & alibi ſæpius illud ἐν βορείοις mutatum in ἐν ὁρίοις, quemadmodum peculiari diſſertatiuncula de *Erroribus pertinacibus Librariorum* oſtendemus.

# EXERCITATIO EUSEBIO - HIERONYMIANA DE ANGULO ARABIÆ vel BATANÆÆ.

I. Eusebius & Hieronymus aliquando mentionem faciunt *Anguli Arabiæ* vel *Batanææ*, τῆς Γωνίας τῆς Βαταναίας &c. Quod quid loci sit, & quomodo Hebraice in Sacris appelletur, præsenti exercitatiuncula disquirere juvabit; inprimis cum loca, ubi hæc phrasis occurrit, omnia in morbo cubent, & medicam manum desiderent.

II. Hactenus vero ter tantum observavimus, ad AVOTH-JAIR, CARNAIM, & NINEVE. Quod si forte alibi quoque occurrat, id nostram in observando diligentiam fugit.

III. Initium faciemus a NINEVE, Assyriorum urbe, cujus descriptioni datæ hæc mox subjiciuntur: Ἔστι δὲ καὶ Ἰουδαίων εἰς ἔτι νῦν πόλις Νινευὴ καλουμένη, περὶ τὴν ἀγωνίαν τῆς Ἀραβίας. Hier. *Est & alia usque hodie civitas Judæorum in* ANGULO ARABIÆ, *quam nunc corrupte Neneven vocant*.

IV. Ex versione Hieronymi mox illico liquet, apud Eusebium pro ἀγωνίαν, quæ vox nihili est, legendum esse Γωνίαν. Sed quid illud, quod *nunc corrupte Neneven* vocari ait? Doctissimus Martianæus testatur, Codices MSS. habere hic quoque *Ninive*, sed in duobus eximiis scriptum esse *Correpte*; unde colligit, productam syllabam secundam vocis, in nomine urbis Assyriacæ, quæ corripiebatur in nomine Arabicæ. Sed id nimis, si verum fateri licet, dilutum videtur, cum utrumque nomen apud Eusebium per *E* brevem vocalem scribatur. Cl. Clericus itaque *Corrupte* retinendum putat, quia perperam *Ninive* vocaretur, cum tamen ita vocanda non esset. Id quod rectius dictum existimamus. Sed tamen ne sic quidem genuinum hujus loci nomen assecuti sumus. Mirum vero, ni eadem urbs sit, quæ in Notitia Ecclesiastica apud *Carolum a S. Paulo*, *Neve*, *Nive* vel *Nibe* appellatur. *Notitia* illa pag. 51. sic habet. Επαρχία Ἀραβίας. Βοστρα Μητροπολις. Ἀδραστος. Δια. Μεδαυα. Γερασα. Νευη. Φιλαδελφια. Εσβυς &c. Hic *Nevem* habemus in provincia Arabiæ, cujus Metropolis *Bostra*, aliæ nobiliores urbes *Medava*, *Esbus*, &c. Sic & pag. 60. in *Notitia* Latina *quinque Patriarchatuum*, sed corruptissima illa: *Sedes quarta Becerra Arabiæ. Sub hac sunt Episcopatus* XXXV. *Adrason. Dias. Medavero, Gessaron. Nevi. Filadelphias --- Esius*; &c. ubi non tantum nostrum *Nevi* invenitur, sed eadem quoque serie loca omnia recensentur; unde Lector per se facile videbit, legendum esse *Bostra*, vel certe recentiori pronunciatione *Bussera* vel *Busseret*, *Medava*, *Gerasa*; *Esbus*, &c. Hinc ergo ipse *Carolus a S. Paulo* pag. 245. eadem loca *Arabiæ* attribuit, sed *Petrææ*, & quarto loco *Nibe* exhibet, vel *Neba*; ad quod nomen Holstenius observat, in *Notitiis* editis pariter & MSS. *Neve*, *Nevi*, & *Nevis*, appellari; ex usitata scilicet sequioris ævi confusione literarum B. & V. tam in scribendo quam pronunciando.

V. Sed pergamus ad *Carnaim*. Eusebius: ΚΑΡΝΑΕΙΝ ΑΣΤΑΡΩΘ, ἔστι νῦν κώμη μεγίστη τῆς Ἀραβίας, ἥτις ἐστιν ἡ Βαταναία λεγομένη, ἐπέκεινα τοῦ Ἰορδάνου. Hier. CARNAIM ASTAROTH, *nunc vicus est grandis in Angulo Batanææ, & appellatur Carnea trans fluenta Jordanis*, &c. Hic, quod Eusebius simpliciter *Arabiam* dicit, id Hier. reddit *Angulum Bataneæ*. Sed mendum insigne irrepsit apud Eusebium; ἥτις ἐστιν ἡ Βαταναία λεγομένη, pro Καρναία: quemadmodum & Hieronymus olim legit, *& appellatur Carnea*; & res ipsa suadet. Neque enim Eusebius hic in eo est, ut nobis explicet quid per *Arabiam* intelligat; sed ut ostendat, quo nomine *Carnaim Astaroth* sua ætate vulgo fuerit appellata, nempe Καρναία. Ad minimum habemus hic apud Hieronymum *Angulum Bataneæ*, in quo sita fuerit *Carnaim* vel *Carnea*.

VI. Quo pacto vero ex *Carnaim*, *Carnaja* vel *Carnea* facta sit, facili negotio intelligent, qui non ignorant statum emphaticum dualis pluralisve numeri apud Chaldæos & quosdam Syros in *aija*, desinere, uti מיא, *Maija*, *Aquæ*; שמיא, *Schemaija*, Cœli, &c. Ita enim hic ex Hebræo קרנים ore Syrizante Καρναία Euf. & *Carneja* Hier. pro quo tamen hic legitur *Carnea*; Quemadmodum scilicet passim in hoc libro diphtongus Græca AI Euf. apud Hier. per E simplicem literam legitur, sive ipsius Hieronymi judicio, sive errore librariorum. In mentem venit hac occasione loci insignis apud Amm. Marcellinum Lib. XVIII. cap. 6. ubi se ad locum in Meso-

ſopotamia perveniſſe narrat, qui ab *aquis frigidis Meja Carire* dicebatur, quod ipſum eſt Syriacum מיא קרירא, terminatione utriuſque vocis plane Syriaca, vel, ſi preſſius malis, Maronitica.

VII. Videamus & Avoth Jair. Euſ. Ἀυωθω-Ἰαέρ. ἅυτη ἐςιν ἡ Βασὰν. Εἰσὶ δὲ Κῶμαι Ἰαέρ ἐν τῷ ὄρει Γαλαάδ, ἃς ἐλάβετο ἥμισυ φυλῆς Μανασσῆ καὶ ἐισὶν ἐν τῇ καλȣμένῃ Γωνίᾳ τῆς Βαταναίας. Hier. *Avoth-Jair, quod interpretatur* ἐπαῦλις *Air. Hæc eſt in Baſan, in qua ſunt vici ſexaginta in monte Galaad, qui ceciderunt in ſortem dimidiæ tribus Manaſſe, qui locus nunc vocatur Golam in terra Batanæa.*

VIII. Hic rurſum habemus τὴν καλȣμένην Γωνίαν τῆς Βαταναίας, i. e. ſic *vocatum Angulum Batanææ*, vel ut Hier. *qui locus nunc vocatur Golam in terra Batanæa*; manifeſto librariorum errore in voce *Golam* pro Γωνία, vel *Angulus*, quemadmodum ipſe in ſuperioribus reddidit *Angulus Batanææ*. Videtur Librarius aliquis quiddam inaudiviſſe de *Golan*, *Gaulan*, vel *Gaulanitica*, quorum illud urbis, hoc regionis nomen eſt; & inde feciſſe *Golam*, quemadmodum & in *Notitia Antiqua*, Κλίμα Γαυλάμης occurrit, pag. *6.* & paulo melius κλίμα Γαυλάνις; pag. *60.* utrumque pro Γαυλάνις, in *Parergo* Caroli a S. Paulo.

IX. Sed & aliud mendum occurrit in ἔπαυλις *Air*, pro *Jair*. Ex quo poſtremo loco tamen ſupplere licebit lacunam, quæ eſt apud Hieronymum, in deſcriptione *Baſan*; *Hanc autem Machati cognominavit Avoth-Jair*, h. e. ---- &c. Reſcribatur noſtræ criſεως periculo, vel potius Autore Hieronymo, *hoc eſt* ἔπαυλις *Jair*. Sed & apud Euſ. pro Αυωθω, legendum Αυωθ; ubi ultimum ω naſci potuit ex ſequenti nomine Ιαειρ, quod aliquando ſcriptum ſuſpicamur Ειαειρ, & ſic τῶ ε reſupinato factum eſſe ω.

X. Sic ergo loca illa de *Angulo Batanææ* agentia utcunque emaculavimus, rem ipſam tamen nondum oſtendimus; In qua explicanda ſi forte a recta linea aberremus, audacioris conjecturæ veniam petimus.

XI. Sententia noſtra hæc eſt; τὴν Γωνίαν τῆς Ἀραβίας ἤτοι Βαταναίας, *Angulum Arabiæ* vel *Batanεæ* regionem eſſe urbis *Carnaim* vel *Aſtaroth-Carnaim*; quæ urbs Rabbinis ſequioris ævi dicta fuerit כפר קרנים *Caphar Carnaim*; Græcis Κώμη Γωνίας, Latinis *Vicus Gonies-as*. De Hebræo nomine locum obſervavit Cl. Lightfootus, *Decade Chorographica* Marco præmiſſa cap. 7. §. 5. כפר קרנים כבירת שאן *Caphar Carnajim*, inquiunt Hieroſolymitani, *eſt ejuſdem conditionis cum Bethsheane*, id eſt, Juris Ethnici, ut a decimatione liber eſſet. Græcum nomen in *Notitia Ant.* occurrit pag. 51. Κώμη Γωνίας, ſubjecta provinciæ Arabiæ: Latinum pag. 60. voce compoſita *Comogonias*, ubi pariter ad *Arabiam* refertur, & quidem *Sedem quartam*, quæ erat *Becerræ*, vel potius *Boſtræ*, cui ſubjectæ *Adra*, *Medava*, *Geraſa*, *Nevi*, *Filadelphia*, *Esbus*, *&c.* ut ſupra viſum.

XII. Sed parum fuerit omnia hæc loca inter ſe contuliſſe, niſi etiam rationem reddamus, cur כפר קרנים cum Κώμη Γωνίας comparemus. De כפר & Κώμη nulla eſt difficultas; neque vero etiam major erit, ſi voces קרנים & Γωνίας recte conſideremus. Scilicet radix קרן proprie & primario ſignificat *Radiavit*, *Radium emiſit*; unde קרן *radius*, & quod *radii* inſtar ex capitibus animantium enaſcitur, Κέρας, *cornu*, Horn. Cum vero ex concurſu duorum *radiorum*, vel, uti vulgo loquimur, linearum, naſcatur *Angulus*; hinc Hebræum קרן, & maxime duale קרנים *Angulum* ſignificat: Sic vulgo apud Rabbinos קרן המזבח *angulum altaris* notat, & קרנות *compita*, *bivia*, *trivia*, quando plures viæ in unum centrum, atque ita *angulos* vel *angulum* concurrunt. Unde יושבי קרנות qui in *angulis* i. e. compitis *ſedent*, ad res novas ſive explorandas ſive enarrandas, i. e. homines otioſos, rumuſculis captandis, narrandiſve deditos. Videantur Lexica Buxtorfii, & Caſtelli, ut & Bocharti Phaleg, libro II. c. 22. ubi ex Geographo Nubienſi celebre in Arabia Felici oppidum profert, quod *Carn-ol-manſili* appellatur, ita dictum quod in bivio ſitum ſit, ſive in concurſu viarum, quarum una, *Mecca* venientes Orientem verſus ducebat *Taipham*, altera *Sanaam* ad Meridiem; *unde*, ut Vir ſummus ait, *eſt ratio nominis*.

XIII. Quid alii de ſignificatu nominis *Carnaim* in Batanæa dixerint, minime quidem ignoramus, & legi poteſt apud *Caſtellum*, de duobus ſcopulis *Cornuum* inſtar eminentibus, inter quos *Carnaim* ſita fuerit: id quod confirmari videtur 2. Maccab. XII. 21. ubi *Carnion*, (quod eſt ipſum noſtrum *Carnaim*, uti 1. Macc. v. 44. appellatur) occurrit, χωρίον δυσπολιόρκητον καὶ δυσπρόσιτον, *locus oppugnatu difficilis & qui difficiles aditus haberet*, διὰ τὴν τῶν πάντων τόπων ςενότητα, *ob omnium locorum anguſtias*; quod ſane fieri non potuit, ſine præruptis montibus, inter quos urbs ſita fuerit. Nobis tamen altera ratio magis placet; quo jure, vel qua veri ſpecie, æqui Lectoris erit arbitrari; Hac igitur hypotheſi, tanquam fundamento innixi, ita exiſtima-

ſtimamus: *Carnaim*, vel *Aſtaroth-Carnaim* ſedem olim *Raphaim* vel Gigantum, ac deinde Regis Ogi, Metropolim fuiſſe totius Batanææ, & nomen quoque eidem, vel certe maximæ ejus parti dediſſe, ita ut inſignis pars Batanææ inde Hebraice *Carnaim*, certe Græcis Latiniſque Γωνία, *Angulus Batanææ* vel *Arabiæ* vocaretur: atque adeo urbs *Carnaim*, quæ ab *Angulo* nomen ducebat, in regione ejuſdem nominis ſita eſſet.

XIV. Quod ſi tamen hæc noſtra conjectura de *bivio* minus placeat; aliam dabimus. Strabo & alii mentionem faciunt locorum in Syria, qui itidem ab *Angulo* nomen ducant. Ille Lib. XVI. *Duo ſunt*, inquit, *Montes qui eum faciunt*, *quæ Concavus Angulus dicitur*, *quaſi inter ſe pares*, *Libanus & Antilibanus*, *paulo ultra mare incipientes: Libanus ultra Tripolitanum mare*, *circa Dei Faciem*: *Anti-Libanus ultra mare Sidonium: deſinunt vero ad Arabiæ montes qui ſunt ultra Damaſcum*, *& eos qui ibi Trachonitæ dicuntur*. Locum hunc debemus Bonfrerio, qui illum allegat in ANTI-LIBANUS. Liquet vero ex illo, extremam Vallem Damaſcenam nomine *Anguli* olim veniſſe.

XV. Obſcuriora ſunt quæ in *Notitia Antiqua* occurrunt p. 50. *Provincia Phœniciæ Paralus*.

1 *Tyrus Metropolis*.
2 *Sidon*.
3 *Ptolemais*.
4 *Berytus*.
5 *Biblus*.
6 *Tripolis*.
7 *Arcæ*.
8 *Orthoſias*.
9 *Botrys*.
10 *Vicus Gegartha*.
11 *Aradus*.
12 *Antaradus*.
13 *Paneas*.
14 Γαναστὶτιοι σάλτων.
15 *Villa Politiana*.
16 *Villa Trieris*.

Ex inſcriptione & ex vicinis locis omnino liquet, haud procul mari Syriaco etiam oppidum fuiſſe, quod nomine Γωνίας vel *Anguli* inſignitum erat; ſedes Epiſcopalis. Rurſum ibidem: *Provincia Phœniciæ Libaneſiæ*.

1 *Edeſa Metropolis*.
2 *Laodicea*.
3 *Heliopolis*.
4 *Abilla*.
5 *Damaſcus*.
6 *Clima Jambrudorum*.
7 *Evarius* ſive *Juſtinianopolis*.
8 *Palmyra*.
9 *Clima Magludorum*.
10 *Saltus Gonaiticus*, Σάλτον Γοναιτικον.
11 *Salamias*.
12 *Clima Anatolicum*.

En iterum *Saltum Gonaiticum* vel *Angularem*, non in Phœnicia Maritima, ſed in altera Libaneſia, quæ longe ultra Damaſcum in Syriam & Arabiam recedebat; ita ut etiam Palmyram comprehendat: unde non immerito quiſpiam ſuſpicetur, hunc *Saltum Gonaiticum* eſſe *Angulum* illum *Cavum* ex concurſu Libani & Anti-Libani ortum, de quo Strabo agit. Quicquid vero ejus ſit, conjicere etiam licebit, *Carnaim in Batanæa* ſimiliter dictam eſſe Regionem & Urbem a concurſu Montium Baſan & Hermon, vel Trachonis.

XVI. Atque hæc ſunt B. L. quæ de *Angulo Batanææ* in præſenti dicere habemus; quæ ſi nunc vel Veterum Scriptorum, vel noſtræ lectionis defectu, obſcuriora ſunt, erit forte tempus quo major lux affulgebit, ſi quando alii Viri Docti, majori quam nos apparatu inſtructi rem aggrediantur.

XVII. Ampliſſimus quidem hic ſeſe campus nobis aperiret, in quem evagaremur, ſi de *Cornubus Moſis*, vel potius *radiata* ejus *facie*, & hinc enata fabula *Bacchi*, & id genus aliis, agere volupe eſſet: ſed non lubet aliena deſcribere & bene dicta repetere, præſertim cum apud Euſ. & Hier. ſatis ſuperque ſit, quod agamus.

GEO-

# GEOGRAPHIA SACRA
EX VETERI ET NOVO
# TESTAMENTO DESUMTA,
ET IN TABULAS QUATUOR CONCINNATA:

Quarum

I. *Totius orbis, in Bibliis Sacris cogniti, partes continet:*
II. *Terram Promissam, sive Judæam in suas tribus divisam:*
III. & IV. *Jesu Christi, & Apostolorum Petri & Pauli Patriam, Mansiones, & Itinera, & Pauli Navigationem Jerosolymis Romam usque.*

*ADDITÆ SUNT*

DESCRIPTIO TERRÆ CHANAAN, SIVE TERRÆ PROMISSÆ,

## JESU CHRISTI, ET APOSTOLORUM PETRI ET PAULI VITÆ.

Tum & in omnes eas Tabulas, & Descriptiones,

ANIMADVERSIONES ET INDEX GEOGRAPHICUS.

*Autore*

## NICOLAO SANSON,

Abavillæo & Christianiss. Galliarum Regis Geographo.

ACCESSERUNT IN INDICEM GEOGRAPHICUM NOTÆ

## JOANNIS CLERICI,

*Cujus etiam præfixa est Præfatio.*



# JOANNIS CLERICI
## PRÆFATIO
## IN
# NICOLAI SANSONIS
## GEOGRAPHIAM SACRAM.

CUM jam maxima ex parte typis expressum esset hoc volumen, me convenit Bibliopola, rogaturus num qua ratione exornari, augerive hæc ejus editio posset. Me consideraturum dixi, sed interea, dum aliis gravioris momenti negotiis, ac studiis distineor, multi elapsi sunt menses; antequam manum calamo admovere, ac perficere quæ animo conceperam quirem. Imo vero, frustra diu expectato majore otio, ne nunc quidem satis vacabat; ut præstare possem quod cuperem. Attamen ne diutius impedirem, ne opus luce dignum tandem erumperet, satius duxi id facere, quod sinebant angustiæ temporis, in quibus versabar, quam etiamnum differre. Ut ante omnia de NICOLAO SANSONE aliquid dicam, quamvis in notis ad ejus *Indicem* sæpe diversus ab eo abierim, memoriam tamen viri, eruditionemque, atque indefessos labores in illustranda Geographia, cum descriptionibus, tum Tabulis æneis me vehementer probare, ac mirari profiteor, præsertim in iis quæ ad recentiorem Geographiam pertinent. Non dissimulavi optandum fuisse Viro Clarissimo Hebraicam, Græcamque Linguam æque notas fuisse, ac reliquum Geographicæ disciplinæ artificium; nec sum nescius, etiam in recentioribus ejus Tabulis, nonnulla reprehendi; sed quis miretur, in tam multiplici regionum & nominum varietate, quempiam interdum vacillare ac labi? Nemo profecto qui paullo æquior sit, noritque nullum esse omnium delictorum prorsus immunem. Itaque maneat Doctissimo Viro integra atque illibata laus sua, & Geographiæ Studiosi, me probante ac plaudente, Tabulis ejus elegantissimis uti pergant, memoresque tantorum ejus laborum gratias homini habeant, quas ipse habeo & me libenter habere profiteor. Quæ dicenda existimavi, propter malignos quosdam homines, qui putant eum non posse reprehendi, quem ceteroquin in pretio habeas, & cui multum te debere agnoscas.

Nunc, oblata occasione, brevem indiculum texam eorum, qui, aut Judæam descripserunt, aut certe quidpiam ad Geographiæ Sacræ illustrationem labore atque industria sua contulerunt. Si quem autem omisero, nemo negligentia, aut invidia factum putet; sed quod aut mihi ignotus fuerit, quod satis a libris instructus non sim, nec sit ad manum copiosior Bibliotheca, quam adire possim; vel etiam quod memoria me fefellerit, nec ut plura colligerem tempus siverit. Si quis notus mihi esset, qui simile quidquam præstitisset, libenter & grato animo labore ejus ute-

rer; nec intercedo, quominus alii libris instructiores, pinguiori otio abundantes, lectionisve majoris beneficio eruditiores, aut tenaciore memoria præditi, meliora & accuratiora in Reipublicæ Literariæ usum proferant. Quin & adprobationem, plausumque a me ferent; non sum enim, Dei gratia, in eorum numero, qui quod præstare ipsi nequeunt, id a nemine fieri posse existimant, aut cupiunt. Ceterum sciant oportet quicunque in hæc incident, mihi animum non fuisse colligere omnium nomina, qui *Itineraria* olim, aut nuper, Terræ Sanctæ scripserunt; neque omnium Geographorum, qui in majoribus Operibus ejus, inter Asiæ regiones, paucis meminerunt. Longum hoc esset & inutile, quis enim tot & tantos Scriptores evolvere aggrediatur; quorum alii, post alios, similia ferme repetunt, nec quidquam habent singulare? Hoc accedit quod *Itinerariorum*, præsertim ab uno atque altero sæculo, hodiernis etiam Linguis scriptorum, tanta sit copia, ut cum nemo non aliquod norit, nemo tamen omnia viderit, aut collegerit. Præterea plerique pauca quædam, quæ viderant ipsi, eaque non magni momenti ad statum hodiernum Judææ, non ad antiquum, quem potissimum hic spectamus, pertinentia attigerunt. Narrant quæ peregrinantibus illic ostendi soleant loca ac rudera antiquorum oppidorum, quibus per omnia credendum non esse ostendunt apertissima Mystagogorum illorum, ut eos ita vocemus, mendacia; quorum insignia aliquot attulimus, in Dissertatione nostra de *Statua Salina*. Itaque aut antiquiores tantum complectar, aut qui Geographica methodo Palæstinam nobis descripserunt duntaxat memorabo.

Inter antiquos Scriptores, primas tenet ARISTEAS, qui in Historia LXX. Interpretum & Jerosolymam, & Judæam paucis descripsit. Sæpe est editus, & Oxonii quidem anno MDCXCII. eleganter, (utinam & emendate!) recusus. Scio librum ejus inter supposititios referri, sed antiquissimum esse, cum eo & *Philo* Alexandrinus, & *Josephus* usi sint, nemo nescit. Quin etiam satis constat Scriptorem libri, si umquam ipse Judæam oculis suis lustravit, nec auditu solo quæ de ea narrat accepit, non admodum diligenter loca observasse, aut a peritis edoctum fuisse, qui hæc de Jordane scribat: Εἰς ἕτερον ποταμὸν ἐκβάλλει τὸ ῥεῦμα, κατὰ τὴν Πτολεμαίων χώραν, οὗτος δὲ ἔξεισιν εἰς θάλασσαν: *In alterum fluvium fluctus devolvit, juxta regionem Ptolemæorum; hic in mare delabitur*. Atqui nemo nescit ex *Josepho*, aliisque omnibus, qui de eo egerunt, Jordanem in Mare, quod Mortuum dicitur, sive in Lacum Asphaltiten, evolvere undas, nec ei Lacui ullum in Mare Mediterraneum egressum esse; sed calentibus arenis sensim absorberi, alioquin in immensum augendum. Interea quæ cum aliis consentientia, aut certe non pugnantia habet *Aristeas*, sive ex auditu, sive ex inspectione locorum, ea digna sunt quæ a Geographiæ Sacræ studiosis diligenter expendantur.

STRABONEM, Geographorum Principem, ei subjungimus; qui utinam maluisset copiosius loca describere; omissis quæ de origine & moribus gentis Judææ habet! Hæc enim cum, Ethnicorum more, describat, ostendit ubi parum explorata fuisse. At potuisset ex Geographis, Scriptoribusque, qui ejus ævo exstabant, multo plura de locorum nominibus & situ proferre, & Librum XVI. ubi de Judæa agit, multo auctiorem, cum maximo nostro fructu, reddere. Indidem intellexisset Sirbonidem λίμνην non debuisse cum Asphaltitide misceri.

Plura multo & accuratiora suppeditabit JOSEPHUS, cui notissima fuit patria, quique eam data opera descripsit in Opere *de Bello Judaico* Libro III. Cap. 4. & passim, dum Historiam Judaicam ab initio ad finem detexit, ejus urbium, pagorum, montium, convallium, fluminum, torrentium, ac lacuum meminit, unde maxima omnium illorum notitia colligi queat. Sunt tamen nonnulla, in quibus merito fidem, ac gravitatem majorem desideres; quemadmodum jam dudum ostendimus, in memorata antea Dissertatione *de Statua Salina*. Sed hæc non obstant, quo minus in ceteris, in quibus nullam fingendi aut dissimulandi rationem habuit, constent illi sua fides atque auctoritas.

Non parum etiam illustravit Geographiam Judææ, vicinorumque tractuum PLINIUS, Historiæ Naturalis Libro V. Cap. 12. & sequentibus; nec parum proderit, si præsertim cum *Josepho* diligenter conferatur; quod fecit; in notis suis, eruditus *Plinii* interpres *Joannes Harduinus*.

*Plinium* sequitur TACITUS, qui Historiarum Libro V. ab initio origines & sedes Judæorum describere aggressus est. Possemus facile carere iis, quæ de originibus & moribus Judæorum habet, & quæ ab imperitis acceperat; sed utilissima sunt, quæ de regione prodidit, utinamque essent copiosiora! Si nobis constaret *Aristeæ* opus in manus ejus incidisse, non ægre nobis persuaderemus, ad eum confutandum scri-

pta

pta hæc a graviſſimo Hiſtorico fuiſſe, Lib. V. Cap. *6. Nec Jordanes pelago accipitur, ſed unum atque alterum lacum integer perfluit, tertio retinetur*.

Judæam etiam deſcripſit PTOLEMÆUS Lib. V. Cap. *16*. exhibeturque ea Tabula IV. Aſiæ. Nihil eſt quod hic admodum requiramus, præter prolixitatem, & accuratiora Geographi exemplaria, ex quibus vitioſe ſcripta nomina forte emendari poſſent, & ſi quid peccatum in gradibus longitudinis & latitudinis intelligi; quos ſolus habet *Ptolemæus*, qua in re alios ſuperat Geographos, ſi modo ſint ab eo accurate notati, nec a Librariis numeri vitiati. Cum Alexandrinus eſſet, viveretque eo ævo, ante quod non ita pridem Romani exercitus per univerſam Judæam vagati ſæpius fuerant, & multi viverent in Ægypto Judæi, totam regionem, aliaſque vicinas accuratius deſcribere potuiſſet.

Ad intelligendam vero Scripturæ Sacræ Geographiam, quo hæc noſtra ſtudia potiſſimum tendunt, utiliorem operam nemo contulit, quam EUSEBIUS Cæſarienſis, in Indice Alphabethico τῶν τοπικῶν ὀνομάτων ἐν τῇ θείᾳ γραφῇ, *nominum locorum in Scriptura Sacra*, quem edidit primus Lutetiæ Græce & Latine, anno MDCXXXI., *Jac. Bonfrerius*, de quo poſtea dicemus. Quid illi labori Euſebiano deeſſet idem eruditus Jeſuita, in præfatione ei præfixa, oſtendit. Maximum, aut inter maxima ſane fuit hoc vitium, quod *Euſebius* Hebraicæ Linguæ ignarus, ex verſione LXX. Interpretum, in qua jam ab antiquiſſimis temporibus vitioſiſſime ſcripta erant a librariis Græcis nomina propria Hebraica, indicem ſuum texuerit, nec emendare vitioſa potuerit. Multa etiam erant omiſſa, ut idem oſtendit, quem non exſcribam. Nec memorabo, quæ in ea editione præſtiterit, quæ ſane commoda eſt, cum Alphabethi ordinem perturbatum ac neglectum reſtituerit.

Hoc opus aggreſſus eſt *Euſebius*, poſt alia ad Geographiam Sacram pertinentia, ſed quæ ad manus noſtras non pervenerunt. Sic enim ipſe in Præfatione loquitur: καὶ πρῶτα μὲν τῶν ἀνὰ τὴν οἰκουμένην ἐθνῶν ἐπὶ τὴν ἑλλάδα φωνὴν μεταβαλὼν τὰς ἐν τῇ θείᾳ γραφῇ κειμένας ἑβραίοις ὀνόμασι προσρήσεις: *& primum quidem poſtquam Græca Lingua verti nomina nationum, quæ ſunt per orbem terrarum, prout in divina Scriptura Hebraicis vocabulis exſtant*. Intelligit nomina Gentium, quæ leguntur Geneſeos Cap. X. verſ. 1. &c. ubi filiorum Noachi poſteri, eorumque variæ coloniæ deſcribuntur; quod argumentum in ſuo Phalego ita exhauſit *Sam. Bochartus*, ut aliis otium fecerit. Subjicit *Euſebius*: ἔπειτα τῆς πάλαι Ἰουδαίας ἀπὸ πάσης βίβλου καταγραφὴν πεποιημένος, καὶ τοὺς ἐν αὐτῇ τῶν δώδεκα φυλῶν διαιρῶν κλήρους· καὶ ἐπὶ τούτου, ὡς ἐν γραφαῖς τύπῳ τῆς πάλαι διαβοητοῦ μητροπόλεως αὐτῆς, λέγω δὲ τὴν Ἱερουσαλὴμ, τοῦ ἐν αὐτῇ ἱεροῦ τὴν εἰκόνα διαχαράξας μετὰ παραθέσεως τῶν εἰς τοὺς τόπους ὑπομνημάτων: *deinde cum antiquæ Judææ ex omni libro* ( Scripturæ ) *deſcriptionem collegiſſem, & diviſiſſem ſortes duodecim Tribuum, quæ in ea erant; ad hæc quaſi in picturæ* ( lego γραφῆς ) *delineatione ipſius celeberrimæ metropolis, Jeroſolymæ, inquam, & templi, quod in ea fuit, imagine deſcripta, una cum additione commentariorum in locos*. Videntur hæc ſignificare, ab eo Tabulam Geographicam Judææ, & Topographicam Templi & Urbis confectas, quas utinam haberemus! Tum in ſequentibus verbis memorat opus de locis, quod ad nos pervenit. Hæc Opera ſic memorat *Hieronymus*, in Præfatione ad librum locorum: *Poſt diverſarum vocabula nationum, quæ quomodo olim apud Hebræos dictæ ſint, & nunc dicantur expoſuit, poſt Chorographiam terræ Judææ, & diſtinctas tribuum ſortes, ipſius quoque Jeruſalem, Templique in ea cum breviſſima expoſitione picturam, ad extremum in hoc opuſculo laboravit, ut congregaret nobis de Sancta Scriptura omnium pæne urbium, montium, fluminum, viculorum, & diverſorum locorum vocabula; quæ vel eadem manent, vel mutata ſunt poſtea, vel aliqua ex parte corrupta*.

Poſtremum hoc opus vertit ipſe HIERONYMUS, ſed ita ut verbum verbo minime tranſtulerit, multaque detraxerit, mutarit, addiderit; quod teſtatur, hiſce verbis: *Unde & nos admirabilis viri ſequentes ſtudium, ſecundum ordinem literarum, ut ſunt in Græco poſita, tranſtulimus, relinquentes ea, quæ digna memoria non videntur, & pleraque mutantes*. Is liber *Hieronymi* & in aliis editionibus ejus Operum, & in poſtrema Pariſienſi, in qua conjuncta ſunt Græca *Euſebii*, dudum editus eſt. De eo nonnulla diximus, in *Quæſtionibus Hieronymianis*, quæ hic nequaquam repetemus. Cum uterque in Palæſtina vixerit, Scripturarumque peritus fuerit, nihil eis videtur defuiſſe eorum, quæ neceſſaria erant ad hanc telam feliciter detexendam. Attamen multa eorum Catalogo deeſſe oſtendit Onomaſticon *Bonfrerii* e regione iis appoſitum. Quin & in inſignibus montibus *Hebal* & *Garizim* collocandis plane aberrarunt, ut oſtendit dudum idem vir doctus, nec ita pridem vir erudítiſſimus *Chriſtoph. Cellarius*, Collectaneorum Hiſtoriæ Samariticæ Cap. 1. Igitur quamvis maximam lucem

Geographiæ Sacræ fœneretur is *Eusebii*, *Hieronymique* liber, non sunt quæcumque habent sine examine admittenda.

Videntur Græci, Latinique in hoc opusculo, per aliquot Sæcula, adquievisse, nec sane quidquam ei ullo modo comparandum postea factum est. Sed postquam peregrinationes, Religionis causa, in Terram Sanctam in Occidente frequentari cœperunt, descriptiones locorum Sanctorum multæ conscriptæ sunt; in quibus tamen major ratio habebatur locorum, quorum in Novo Testamento mentio fit; quam eorum quorum nomina in solo Veteri Testamento leguntur. Certe minus celebria omnia loca, quamvis in posteriori memorata, omittebantur. Præterea vix ulla diligentia Geographica adhibebatur, ad dimetiendam locorum distantiam, sed omnia ex relatu incolarum, Itinerariisque hauriebantur.

ADAMANNUS vel ADAMNANUS Hibernus Monachus, qui post dimidium septimum Sæculum floruit, *de locis Terræ Sanctæ* Libros tres edidit; exceptos ex ore *Arculphi*, Galli Episcopi, qui nuper ex Judæa redierat. Eos in lucem primus emisit *Nicol. Serarius* Ingolstadii, anno MDCXIX. tum etiam emendatiores *Joan. Mabillonius*, Clarissimus Benedictinus Monachus, in Sæculo Benedictino III. recudit.

In Operibus BEDÆ, qui initio octavi Sæculi vixit, liber est *de Situ Jerusalem & locorum Sanctorum*, ex *Adamanno* depromtus.

Floruit circa annum MCCXXXI. JACOBUS DE VITRIACO, Pontificis Romani in Terra Sancta legatus, & Episcopus Aconensis. Is scripsit librum de Terra Sancta, quem cum ejusdem regionis descriptione a *Fretello*, Archidiacono Antiocheno, MS. habuit e Coloniensi Bibliotheca *Adrichomius*, de quo postea.

Ab eodem laudatur JACOBI PANTALEONIS Galli, Patriarchæ Jerosolymitani, liber de Terra Sancta. Is claruisse anno MCCXLVII. perhibetur.

Sub finem Sæculi decimi-tertii, vixit BROCARDUS, aut BRUCHARDUS, Argentoratensis Monachus ex Ordine Prædicatorum, qui cum aliquamdiu vixisset in Judæa, diligenter exposuit quæ in ea viderat. Id opus Basileæ & Antuerpiæ antea editum mutilum recudit *Henr. Canisius* Tomo VI. Antiquarum Lectionum. De eo, ubi de *Adrichomio* agemus, iterum nonnulla dicemus.

Eodem tempore vivebat ROCERUS BACONUS, Anglus Franciscanus, cujus in Bibliothecis superesse dicitur liber *de locis Sacris*, sive *de Situ Palæstinæ*.

Medio decimo quarto Sæculo, multis peregrinationibus illustris, in Anglia floruit JOANNES MANDEVYLE, qui & peregrinationum suarum omnium descriptionem, & *Situm Terræ Sanctæ* literis mandavit; quod posterius opusculum Cantabrigiæ etiamnum adservari dicitur, sed editum fuit Antuerpiæ, apud Nicol. Wower anno 1564.

Hierosolymitanæ urbis, Templique in ea origo & horum rursus exscidium, anno MCDLXXVI. a RUDOLPHO LANGIO, Canonico Monasteriensi, descripta sunt & edita Coloniæ, apud Cervicornum anno 1517.

BERNARDUS BREIDENBACHIUS, Decanus Moguntinus, edidit Peregrinationem Hierosolymitanam & Montis Sinai Moguntiæ, anno MCDLXXXVI.

Descriptio est Hierosolymitani Itineris anno MDXX. facti a GERARDO KUYNRETORF, quæ est edita Campis.

Exstat etiam Itinerarii Hierosolymitani & Terræ Sanctæ, inibique sacrorum locorum ac rituum descriptio BARTHOLOMÆI A SALIGNIACO, sedis Apostolicæ Protonotario; quod iter anno MDXXII. fecit. Editum est hoc opus Lugduni 1526.

Lovanii lucem vidit anno 1563. Peregrinatio, cum exacta descriptione Hierusalem, & locorum Sanctorum, authore S. Theologiæ Doctore JOANNE PASCHA, Carmelita Mechliniensi, quam anno MDXXVII. perfecit.

*Aitsingerus* author est, librum enim non vidi, PETRUM APIANUM de eodem argumento opus edidisse anno MDXXXII. Celebris is fuit Mathematicus, a Carolo V. Cæsare equestri dignitate, agrisque donatus.

Memorat etiam librum JACOBI, Patriarchæ Hierosolymitani, eadem de re, editum anno MDXXXVI.

Laudatur quoque JACOBUS ZIEGLERUS, Landavus Bavarus, qui descriptionem Terræ Sanctæ, seu Palæstinæ in publicam lucem emisit, anno eodem, aliaque Geographica conscripsit.

Anno MDXXXVII. ut habet idem *Aitsingerus*, GERARDUS MERCATOR, Geographorum sui temporis princeps, Judææ descriptionem emisit.

Civitatis Hierusalem ac Sacrorum locorum universæ Palæstinæ delineatio ac descriptio, per HERMANNUM BORCULOO, prodiit Ultrajecti, anno MDXXXVIII.

Huic

Huic, ex eodem ſcriptore, ſuccenturiandus WOLFGANGUS WEISSEMBURGIUS, qui anno MDXLII. hac de re opus edidit.

Delineatio & deſcriptio Hieruſalem & Terræ Promiſſionis, per BONAVENTURAM BROCARDUM elaborata, excuſa eſt Pariſiis anno MDXLIV. Non eſt temere confundendus is ſcriptor, cum antiquiore illo *Burchardo*, quem & *Brocardum* multi ſolent vocare.

GUILIELMUS POSTELLUS, anno MDLII. Syriæ deſcriptionem, ſeu Chorographiam Terræ Sanctæ, emiſit, cum aliis Geographicis.

Exſtat Hieroſolymitanæ urbis totiuſque Terræ Sanctæ Tabula TILMANNI STELLÆ, Sigenenſis, quam anno MDLVII. Antverpiæ excudi curavit.

Hieruſalem civitas ex Sacris Literis & adprobatis Hiſtoricis primum ab ADAMO REISNERO, Germanica Lingua, delineata & Latine per JOANNEM HEIDENUM fuſius deſcripta, lucem vidit Francofurti ad Mœnum, anno MDLXIII.

Anno MDLXXII. BENEDICTUS ARIAS MONTANUS, Hiſpalenſis, vir eruditiſſimus, edidit Antiquitatum Judaicarum Libros novem; quorum primus inſcribitur; *Phaleg, ſive de Gentium ſedibus primis;* ſecundus, *Chaleb, ſive de Terræ Promiſſæ partitione;* tertius, *Chanaan, ſive de duodecim Gentibus;* quartus, *Nehemias, ſive de Antiquæ Hieruſalem ſitu*; ceteri ad alia Sacra pertinent. Id opus eſt recuſum ad calcem Tomi V. Interpretum Criticorum Veteris Teſtamenti. Ejus viri laudanda ſane eſt induſtria, ſed Recentiores Scriptores hæc omnia accuratius tractarunt, cum plura & majora in dies ab eo tempore ſubſidia, ad ſacras Antiquitates excutiendas, edita ſint, atque ſtudioſorum manibus terantur.

MICHAEL AITSINGERUS, Auſtriacus, Coloniæ anno MDLXXXII. edidit *Terram Promiſſionis topographice, atque hiſtorice deſcriptam, cum ampliſſimis duobus locorum ac temporum Indicibus*. Singulari quadam methodo uſus eſt; nec tamen una brevi tabella, libroque exiguo rem tantam exhauſit, aut eruditis prorſus ſatisfecit.

Eum diligentia, copiaque rerum, elegantia item & multitudine tabularum, longe poſt ſe reliquit CHRISTIANUS ADRICHOMIUS Delphus, qui edidit anno MDLXXXIX. *Theatrum Terræ Sanctæ, & Biblicarum Hiſtoriarum, cum tabulis Geographicis, ære expreſſis*. Is cum diu in eo labore inſudarit, & aliorum induſtria, qui ante eum de Judæa ſcripſerant, uſum ſe fateatur, judicat diligentiſſimum & accuratiſſimum Terræ Chananææ perluſtratorem & deſcriptorem fuiſſe *Brochardum*, aut *Burchardum* illum antiquiorem; qui eam ad ventorum rationem exegit, nec voluntate aut facultate rei perficiendæ deſtitutus fuit. Eum ergo fere ſemper ſequutus eſt *Adrichomius*, ſed optandum fuiſſet, quod de pleriſque aliis etiam dicendum, *Adrichomium* Hebraice doctum fuiſſe, & Scripturæ peritiorem; ab aliis enim, non doctioribus, plerumque pendet, multaque propterea admittit errata, vitioſaque nomina adſcribit. Inſignia admiſſorum ejus exempla aliquot protulit *Samſon* noſter, in Præfatione ad Animadverſiones in Tabulas Judææ; nec diſſimulare poſſumus confuſionem illam veterum & recentiorum nominum, quæ in ejus tabulis cernuntur, nobis minus placere. Tabulæ ejuſcemodi ad ſolam Scripturam Sacram intelligendam debent eſſe comparatæ; aliæ Scriptorum Ethnicorum cauſa, & infimæ ætatis Hiſtoricorum, ſunt concinnandæ, ſi modo tanti ſint, ut eorum gratia is labor exantletur. Ad calcem Adrichomiani Operis exſtat Catalogus Scriptorum, quibus uſus eſt; ex quibus eos omiſimus, quos tantum MS. habuit, aut qui ſolam Hieroſolymam deſcripſerant; cum priores non exſtent, nec poſteriores ad rem noſtram multum faciant, quippe qui potius hodiernam Hieroſolymam, quam veterem, deſcribunt.

Ita tamen placuit ejus labor PHILIPPO BRIETO, Jeſuitæ Abbavillæo, *Samſonis* noſtri populari, ut, ſi credimus *Samſoni* ( nam opus *Brieti* non vidi ) eum exſcripſerit, nomineque ſuo præfixo ediderit. Inſpiciantur ab iis, quibus libri copia eſt, *Parallela Geographiæ Veteris & Novæ* Lutetiæ edita anno MDCXLVIII. & quæ de Judæa illic habentur cum *Adrichomio* comparentur.

Poſt Commentarios in Joſuam, Judices & Rutham, edidit Doctiſſimus Jeſuita JACOBUS BONFRERIUS, Lutetiæ anno MDCXXXI. *Onomaſticon Urbium & Locorum Sacræ Scripturæ, ſeu librum de locis Hebraicis ab Euſebio Græce primum, deinde ab Hieronymo Latine ſcriptum, in commodiorem ordinem redactum & variis additamentis auctum*. Quo opere nullum melius, atque accuratius, ad univerſam Geographiam Sacram illuſtrandam, adhuc editum eſt; quamvis verba *Euſebii* ac *Hieronymi* ubique non ſatis emendate expreſſerit, quod ab editore nupero *Hieronymi* eſt animadverſum; qui & ipſe aliorum induſtriæ hac in re ſat amplum ſpicilegium reliquit. Vide quæ hac de re in Quæſtionibus Hieronymianis, ante aliquot annos, diximus. Idem etiam *Bonfrerius* elegantem Tabulam Terræ Sanctæ Operi memorato adjecit.

Gene-

Geneseos Caput X. ubi nomina gentium antiquissima, ita illustravit vir summus SAM. BOCHARTUS, anno MDCXLV. ut omnium Eruditorum puncta tulerit, omnibusque admirationi fuerit, & etiamnum sit; quamvis invidi quidam, nec cum eo ulla ratione conferendi, scriptis ejus detrahant.

Haud multo post, Geographiam suam Sacram edidit noster SAMSON, quam exinde anno MDCLXV. emendatiorem & auctiorem recudit. Cujus operis usus evolventibus illico liquebit; præsertim si præmittatur Lectio Præfationis Animadversionibus præfixæ, ipsæque Animadversiones diligenter legantur. Recte atque ordine fecit vir doctissimus, cum in Indice Geographico, integra Scripturæ loca recitavit; facilius enim, iis lectis, num fallatur intelligere est, quam alioqui fieri potuisset, & si quis error in numeros Capitum & versuum irrepserit, a studiosis Lectoribus emendari potest. Ceterum ei solertis alioqui Geographi collectioni quid deesse nobis videatur satis ostendimus, in Animadversionibus ei subjunctis. Itaque nihil est, quod de ea amplius dicamus.

Inter eos, qui Geographiam Sacram deinceps illustrarunt, primas tenet merito JOANNES LIGHTFOOTIUS, vir in literis Sacris, Scriptoribusque Thalmudicis longe versatissimus. Is ex horumce Scriptorum, *Josephique* diligente, & assidua lectione, obscura multa explicuit, novaque haud pauca adinvenit; quæ communicavit cum Republica Literaria, & in aliis Scriptis, & in Chorographicis præsertim Collectaneis, quæ *Horis Thalmudicis* in Evangelia præmisit. Idem Tabulas Judææ & Hierosolymæ, Templique confecit. Tametsi non ubique ac per omnia viro doctissimo adsentimur, ut in notis ad Indicem *Samsonis* ostendimus; est tamen quod labores ejus laudemus, gratiasque hominis industriæ maximas habeamus. Non, ut alii plerique, quos memoravimus, ex rivulis sæpe lutulentis, sed ex fontibus ipsis hausit; quæ in usum nostrum edidit.

Non est hic omittendus AUGUSTINUS LUBINUS Augustinianus, idemque Galliarum Regis Geographus, qui anno MDCLXX. concinnavit *Tabulas Sacræ Geographiæ, sive Notitiam antiquam, medii temporis & novam nominum utriusque Testamenti ad Geographiam pertinentium*. Eum Indicem Alphabethicum præfixum videmus Editioni Vulgatæ Versionis Parisiensis anni MDCXCI. in Quarto. Emendavit sane nonnulla a *Samsone* peccata, sed fontes ipsos adire non potuit; inspexit enim tantum, ut in præfatione ipse fatetur, versionem LXX. Interpretum, quæ in nominibus propriis Vulgata mendosior est, nec potest, nisi raro, ad hanc emendandam quidquam conferre. Certe in utra error sit nemo, nisi inspecto Codice Hebræo, satis tuto definire possit. In notis nostris ad *Samsonem* non unum specimen ejus rei dedimus, & quid possit a bono *Lubino* exspectari patefecimus.

Agmen claudet Vir Celeberrimus FRIDERICUS SPANHEMIUS, non ita pridem fato functus, qui, prima parte *Geographiæ Sacræ*, Judææ Chorographiam breviter & perspicue tradidit. Ædificium hoc Sacrum ab ipsis fundamentis, suo labore exstruere noluit, sed ab aliis bene ædificata brevi tabula, & in bono lumine posita studiosis spectanda exhibere.

Inter Geographos Sacros recenseri etiam queant optimi quique Libri Josuæ Interpretes, cum passim de locis Judææ ad Josuæ, qui eam descripsit, verba egerint. Sed cum ingens sit eorum numerus, nec de industria totam rem tractaverint, a nobis omissi sunt. Monebimus tantum Virum Doctissimum ANDREAM MASIUM, præ ceteris, hoc stadium decurrendum sibi proposuisse.

Si quid tamen prætermissum est, a diligentissimo Josuæ interprete, id industria ac labore *Jacobi Bonfrerii*, de quo jam diximus, suppletum invenient Lectores, cum in memorato Onomastico, tum in Commentario ad librum Josuæ, cui est Onomasticum additum. Nos quoque, in Commentario nostro ad eumdem Josuæ librum, in quo nunc perficiendo desudamus, operam dabimus, ne quid ad Geographiam illam antiquam Judææ probe intelligendam desit. In tam ubere messe, spicilegium non omnino spernendum nobis esse relictum deprehendent, quicumque opus illud nostrum, brevi edendum, legere non dedignabuntur. Non tam bene agitur cum rebus humanis, ut qui primi quidpiam aggrediuntur, id ita exhauriant ac perficiant, nihil ut agendum posteris relinquant; nec nos ita de nobis magnifice sentimus, ut nullas spicas, aliis colligendas, nos prætermisisse putemus. Sed ut laboribus aliorum & veniam, si qua indigent, & meritam laudem libentissime & cumulatissime tribuimus; sic speramus Lectores æquos & Sacrarum Literarum amantes, nobis quoque gratiam nonnullam habituros, nec veniam, si qua in re lapsos nos judicent, laboribus nostris negaturos.

Pæne omiseram, quod ante omnia dictum oportuit, de Geographiæ Sacræ antiquis-

quiſſima omnium tabula, cujus mentio fit Joſuæ Cap. XVIII. Etenim poſtquam Rubenitis, Gaditis & dimidiæ Tribui Manaſſæ diviſi eſſent a Moſe agri ad ortum Jordanis, in Galaaditide; cumque agros ad occaſum ejus fluvii jam accepiſſent Judæ & Joſephi reliqui poſteri, ſeu Ephraimitæ, & altera dimidia pars Tribus Manaſſe; miſit Joſua tres viros ex ſingulis tribubus electos, qui reliquam Chananæam ſeptem, quæ ſupererant, Tribubus dividendam deſcriberent. Quæ res ſic ab Hiſtorico Sacro, prout ejus verba vertimus, narratur, a verſu 3. *Tum dixit Joſua Iſraelitis: quo uſque ſegnes eritis ad occupandam terram, qua Jehova Deus patrum veſtrorum vos donavit? Legite vobis tres viros ex unaquaque Tribu, tum eos mittam, ſurgent, peragrabunt, deſcribentque terram, ſecundum ſingularum hæreditatem, atque ad me venient. Deinde eam divident in ſeptem partes, ita ut Juda maneat in finibus ſuis a meridie; pariterque domus Joſephi maneat in finibus ſuis a ſeptemtrione* (nam meridianis conjuncta non erat cum agris Tribus Judæ) *Vos vero deſcribetis terram in ſeptem partes, afferetiſque eam deſcriptionem huc ad me; & vobis jaciam ſortem in conſpectu Jehovæ Dei noſtri*. Deinde narrantur viri illi profecti eſſe, *peragraſſe terram & eam deſcripſiſſe in Libro, in duodecim partes, ſecundum urbes*. Hæc fuit omnium prima deſcriptio Geographica Judææ, ſeu in ea Chananæa depicta fuerit *in libro*, aut volumine expanſo, quod ſolemus nunc facere in Tabulis Geographicis; ſeu tantum Catalogus urbium, agrorumque earum eſſet contextus. Sed prius videbitur forte verius, quia non tantum deſcribenda fuit Chananæa ex numero urbium, ſed ex modo agrorum, quos ampliores, aut minus amplos eſſe oportuit, pro numero tribulium quibus fuerunt dividendi. Potuerunt enim eſſe interdum plures urbes in minore tractu, pauciores in majore; quomodo potuiſſet fieri, ut qui plures urbes accipiebat arctiores agros haberet, & viciſſim, qui latiores ſortiebatur agros, pauciores urbes. Itaque hos triginta ſex viros agris dividundis, ut more Romano loquamur, veriſimile eſt non tantum catalogum urbium contexuiſſe, ſed & magnitudinem locorum deſcriptam habuiſſe, poſtquam eam eſſent demenſi. Nec credendum eſt, quod ſortaſſe objecerit quiſpiam, Iſraelitis defuiſſe peritiam dimetiendi agros; cum eam poſſent in Ægypto, (ubi primum inventa ars ea, quæ proprie *Geometria* vocabatur ἀπὸ τοῦ μετρεῖν τὴ γῆν, *a metienda terra*) didiciſſe. Audiamus hac de re *Herodotum*, cujus hæc ſunt verba Lib. II. c. 109. ubi poſtquam egit de diviſione Ægypti, & exundationibus Nili, quibus agrorum termini confundebantur: δοκέει δέ μοι ἐντεῦθεν, inquit, γεωμετρίη εὑρεθεῖσα ἐς τὴν Ἑλλάδα ἐπανελθεῖν: *videtur mihi Geometria hinc inventa eſſe, & in Græciam veniſſe*. Quod & ipſum etiam habet *Diodorus Siculus* Bibliothecæ Libro I. p. 71. Editionis Hanovianæ, & alii. Sic ergo potuerunt Iſraelitæ periti diſciplinæ, quæ poſtea *Geometria* dicta eſt, facti eſſe, & didiciſſe etiam conficiendarum Tabularum Geographicarum artem. Fateor, magnum diſcrimen fuiſſe inter Ægyptum inferiorem & Chananæam, cum prior ſit regio plana, & quam extenſis funibus non difficile fuit dimetiri; Chananæa vero referta ſit montibus. Sed qui ſciunt artem conficiendarum Tabularum Geographicarum, norunt etiam facilius eas fieri, ubi ſunt montes, ex quibus magnos terrarum tractus proſpicere licet, quam ubi ſunt tantum campeſtres agri. Verum de ea re cum quoquam contendere nolumus, & hic nobis ſermo fuit de recentioribus præſertim Geographis, quos ſat magno numero recenſuimus.

Poſſemus hiſce addere viros eruditos, qui etiamnum vivunt, Geographiæque Sacræ dilucidandæ operam dederunt, & nunc quoque dant. Sed neque indigent noſtris laudibus atque adhortationibus, ſi erga Rempublicam Literariam bene animati ſunt; neque nos committemus ut gratiarum ab iis actiones, aut mutuas laudes emendicaſſe elogiis noſtris, aut acerbiore veritate crabrones irritaſſe videamur.

Si quem omiſi ex fato functis, qui commemoratu dignus eſſet, id neque invidia, neque malignitate ulla a me factum eſſe omnes facile intelligent; cum tot alios nomine appellarim, quibus potius quam aliis faviſſe videri non poſſum. Qui plures noverint, eos Catalogo noſtro, per me licet addant, & dignos meritis laudibus afficiant, quibus & plauſus noſtros libenter conjungemus.

Non opus eſſe judicavimus utilitatem, præſtantiamque Geographiæ Sacræ a nobis deprædicari; nemo enim Sacra Biblia paullo attentius legit, eoque animo ut omnia quam optime intelligeret, qui non fateatur innumera eſſe loca, quæ ſine Geographiæ Sacræ mediocri ſaltem cognitione intelligi nequeunt; ac proinde ſummopere utilem eſſe hanc Sacrorum ſtudiorum partem, nec niſi a negligentioribus Scripturæ Lectoribus repudiandam. Quod unum ſatis eſſe videtur, ut Scripturarum omnes ſtudioſi, ad Geographiam Sacram cognoſcendam atque excolendam, excitentur. Quam in rem non exiguæ utilitatis erit hocce *Samſonis* opus, ut ex iis quæ a nobis dicta ſunt ſatis liquet.

Quin

Quin etiam vir bene merendi de Sacrarum Literarum Studiosis cupidissimus, ut hocce volumen Novum Testamentum legentibus utilius esset, Brevem Epitomen Historiæ Christi & Apostolorum Petri & Pauli subjunxit. Melior esse posset, non nego, si post tot Harmonias Evangelicas, Chronologorumque Sacrorum accuratiores labores, ejusmodi Historia texeretur; sed nec hæc usu suo caret, & quæ bono animo a viro industrio facta sunt, a Lectoribus boni sunt consulenda; qua etiam æquitate nobiscum agi jure, nisi fallimur, nostro postulare nos quoque posse videmur.

*Scribebamus Amstelodami in Museo nostro,*

*Calendis Juniis Anni* MDCCIII.



LECTO-

# LECTORI BENEVOLO.

CUM primum Galliæ Antiquæ laborem nostrum in lucem emitteremus, Amici suadere conabantur, ut statim ad Terræ sanctæ Tabulam, & Descriptionem calamum, & studia converteremus: tantum opus, quod difficillimum esset, & in quo tot, & tanti Viri, per multos annos, jam desudavissent, suscipere noluimus; & ad alia, eaque nobis faciliora, intenti, per annos pene quadraginta id constanter effugimus; donec uno aut altero superiori anno, iterum iterumque Amici, nunc hi, nunc illi, nos continuo hortati sunt, ut post alia plurima veteris, & novæ Geographiæ opera data, tandem aliquando etiam ad Terræ sanctæ Tabulam, & Tabulæ Descriptionem, animum adhiberemus: & si non quod vellemus, saltem quod facile possemus, publicum faceremus. Hanc pene inviti provinciam aggressi, statim deprehendimus, quo plures fuerint Authores, qui eam descripserint, eo plus laboris & difficultatis esse in iis conferendis, & conciliandis: cum ubique pene nulli duo inter se conveniant. Sed & ut Amicis satisfaceremus, & ut publicæ utilitati, & ad Scripturæ Sacræ lectionem opera nostra aliquomodo inserviret, Terræ sanctæ Tabulas omnes, & Descriptiones ex variis Authoribus exaratas, inter se contulimus; iisque accurate inspectis, Adrichomii Typum aliorum omnium optimum, illiusque Descriptionem aliis omnibus exactiorem cognovimus. Ipse etenim Authores, qui ea de re ante se scripserant, omnes vidit, discussit, & ex iis suum Theatrum Terræ sanctæ, & Biblicarum Historiarum; nec non rerum, quæ in Terra sancta, sub Christianis mediæ ætatis Principibus, contigerunt, brevem & dilucidam narrationem collegit; & id a doctioribus ita acceptum fuit, ut alii post alios (novissimeque R. P. Philippus Briet e Societate Jesu) ipsissimam Adrichomii Tabulam de verbo ad verbum exscripserunt, & ex Adrichomii descriptionibus suam etiam selegerint: & opus hoc suo nomine inscriptum publicarint. Nos Adrichomii Typum, etiam plurima ex parte, imitati sumus; locorum vero, quæ in utroque Testamento sunt, tum & in Josepho, contenti; cætera omnia, quæ ex Egesippo, Hieronymo, &c. quæ ex Strabone, Plinio, Ptolemæo, &c. & quæ ex Brochardo, & ex aliis mediæ ætatis scriptoribus excerpta sunt, abjecimus: tum & diversissimam ab Adrichomio rationem in locorum positionibus secuti, earum pene alteram partem immutavimus; & ubi ex singulis Urbium nominibus plura fecit, ea ad verum, genuinumque nomen revocare conati sumus. Sane Author ipse maxime laudandus est, qui ex variis diversissimisque Authoribus, quorum alii Terram sanctam se ex professo inhabitasse, perlustrasse, & oppidatim dimensos esse affirmarunt; alii de ipsa, & prout se res obtulit, plura, pauciorave dixere. Ex iis, inquam, omnibus Author ipse verum, ac germanum Regionis hujus situm, maxima cum industria, ac diligenti triginta annorum labore, Geographice delineavit. Ignoscendumque si aliquoties erravit, quod ut plurimum evenit in Urbium nominibus, quæ quoties in Biblicis libris repetita, paululumque immutata sunt, pene toties varias, diversasque Urbes putavit; easque in variis, diversisque positionibus posuit: quarum unica tantum, cum ad unicum locum revocanda sit, forteque nulla ad verum loci situm pertinebit. Vitium hoc facile deprehendetur in Urbibus Leviticis quadraginta octo, quas ad septuaginta duo multiplicavit Adrichomius. Melius etiam in Simeonis Tribu, in qua Josue, & lib. Paralipomenon septemdecim Urbes recensent. Eæ septemdecim Urbes sub Adrichomii calamo pene ad quinquaginta excrevere, unius ejusdemque Urbis nomen, non tantum semel, iterumque, sed & ter, quaterque repetens, & in diversis positionibus describens: ut in Urbe Lebaoth, quæ & Beth-lebaoth, & aliquando Beth-berai dicitur, Adrichomius locum fecit unum ex Beth, alterum ex Lebaoth, tertium ex Beth-lebaoth, & quartum ex Beth-berai. Sic ex nominibus Selim, Sarohen, & Saharim, quæ ad unam, eamdemque Urbem pertinent, tria fecit trium Urbium sive locorum nomina, eaque tribus in locis descripsit. Ea statim in Urbium Leviticarum, & Urbium Tribus Simeonis enumeratione, quæ ex variis Bibliorum locis excerpta, & inter se collata sunt, evidentissime demonstrabuntur. De Adrichomio alias optimo, & de Terra sancta, & Historia sacra meritissimo scriptore, hæc data venia dicta sint. Authores alios omnes, qui ante, & qui post ipsum Terram sanctam descripserunt, cum illo nullomodo conferendos censemus; iisque missum factis, ad nostras Animadversiones, quas ad ipsam Scripturam Sacram dare necessum fuit, veniamus.

# ANIMADVERSIONES.

| Josue cap. 19. vers. 1. & seq. Urbium, quæ in Tribu Simeonis sunt, Nomina, & Numerum sic describit: | Josue 15. inter Urbes Tribus Juda, & quas postea in Tribum Simeonis transfert, hæ sunt: | | 1. Paralip. cap. 4. vers. 28. & seq. Urbium, quæ in Tribu Simeonis jam descriptæ sunt, hæc est repetitio: |
|---|---|---|---|
| 1. Bersabee, | 1. Ber-sabee, | 17 | 1. Bersabee, |
| Sabee, | | | |
| 2. Molada, | 2. Molada, | 12 | 9. Molada, |
| 3. Haser-sual, | 3. Haser-sual, | 16 | 3. Hasar-suhal, |
| 4. Bala, | 4. Baala, | 18 | 4. Bala, |
| 5. Asem, | 5. { Iim & Esem, | 19 | 5. Asom, |
| 6. El-tholad, | 6. El-tholad, | 20 | 6. Tholad, |
| 7. Bethul, | 7. Cesil, | 21 | 7. Bathuel, |
| 8. Harma, | 8. Harma, | 22 | 8. Horma, |
| 9. Siceleg, | 9. Siceleg, | 23 | 9. Siceleg, |
| 10. Beth-marcaboth, | 10. Medemena, | 24 | 10. Beth-marcaboth, |
| 11. Haser-susa, | 11. Sensenna, | 25 | 11. Hazar-susim, |
| 12. Beth-lebaoth, | 12. Lebaoth, | 26 | 12. Beth-berai, |
| 13. Sarohen: | 13. Selim, | 27 | 13. Saarim, |
| Civitates tredecim. | | | 3. Etham, |
| 1. Ain, | 1. Aen, | 28 | 1. Aen, |
| 2. Remmon, | 2. Remon, | 29 | 2. Remmon, |
| 3. Athar, | 3. Ether, | 61 | Thocen, |
| 4. Asan: | 4. Asan: | 62 | 4. Asan: |
| Civitates quatuor. | | | Villæ quinque. |

Fueruntque civitates decem & septem. ( Hæc autem ultima Periodus, quæ ad generalem numerum spectat, est in antiquis Bibliis: & quæ 1495. 1504. 1512. aut 15. 1525. & 1526. Basileæ; Parisiis, Lugduni, & alibi impressa sunt, in posterioribus desideratur. )

Accurata horum trium locorum ex variis Bibliorum partibus collatio, nobis fidem fecit, Methodum aliquam concipi posse, in Urbium per singulas Tribus Numeris, Nominibus, Positionibus, & Partium, si quæ datæ sint, distinctionibus; etenim,

Ubi certus datur a Josue Urbium Numerus; is retinendus, non immutandus.

Varia, diversaque Urbium Nomina, aliquando ad unam, eamdemque Urbem pertinent.

Urbium Positiones, non ad uniuscujusque libitum describendæ, sed ad eum, quem dat Josue ordinem, ut plurimum revocandæ.

Si qua Tribus in duas aut plures distincta sit Partes; eæ a se invicem distinguendæ, non confundendæ.

Josue, in prima Tribus Simeonis parte Urbes tredecim esse affirmat, is Numerus retinendus, etiamsi quatuordecim dedisse videatur: delendaque Sabee; non tantum, ut earum Numerus ad tredecim reducatur; sed quod in Tribu Juda, ex qua Simeonis Tribus tota excerpta est, nulla sit Sabee; & quod nulla etiam Sabee, in libro Palip. ubi earumdem Urbium repetitio est; eodem ordine, eodem numero, & iisdem nominibus, quibus in Tribu Simeonis, ex Josue. Et facilis erit nominis Sabee jactura, si nominis Ber-Sabee pars ultima repetita demonstretur.

E diverso, Iim, & Esem, in Tribu Juda, ad unam vocem revocanda sunt, etiamsi vulgata lectio in duas diviserit partes; tum quod in veteribus Bibliis sit Humesem, unica voce; pro Iim & Esem in posterioribus; tum quod Asem in Tribu Simeonis, & Ason in lib. Paral. sibi invicem respondeant; & alterutrum, vel utrumque cum Humesem, sive Iim-Esem simul junctis: tum eriam quod in descriptione Urbium 29. quas in prima Tribus Judæ Parte, sive Regione censet Josue, erunt 37. nisi si qua sint nomina duo, quæ ad unum reduci possint; ex quibus erit Iim-Esem,

quod

quod proculdubio reſpondet cum Aſem in Tribu Simeonis ex Joſue, aut cum Aſom in eadem Tribu, & ex lib. Paralip.

Urbes 29. quas Joſue deſcribit in prima parte Tribus Juda, ſunt

| | | |
|---|---|---|
| Cabſeel, | 10. { & Carioth, | 19. { & Iim |
| & Eder, | & Heſron, hæc | & Eſem, |
| & Jagur, | eſt Aſor. | 20. & El-tholad, |
| & Cina, | 11. { . Amam, | 21. & Ceſil, |
| & Dimona, | . Sama, | 22. & Harma, |
| & Adada, | 12. & Molada, | 23. & Siceleg, |
| 6. { & Cades, | 13. & Aſer-gadda, | 24. & Medemena, |
| & Aſor, | 14. & Haſsemon, | 25. & Senſenna, |
| 7. { & Jethnam, | 15. & Beth-phelet, | 26. & Lebaoth, |
| .. Ziph, | 16. & Haſer-ſual, | 27. & Selim, |
| 8. & Telem, | 17. { & Berſabee, | 28. & Aen, |
| | & Baziothia, | 29. & Remmon. |
| 9. { & Baloth, | | Omnes Civitates |
| .. Aſor-nova | 18. & Baala. | viginti novem. |

Hic habita, ad Urbium ſingularum diſtinctiones datas, ratione, earum numerus erit 37. quas cum Joſue tantum 29. computaverit, Numerus Urbium 37. ad 29. reducendus eſt.

Inter eas, tres ſunt nomine Aſor, Urbes: quæ cum proculdubio diſtinguendæ ſint: nobis viſum eſt pro Cades, & Aſor legendum eſſe Cades-Aſor: & pro Carioth, & Heſron, hæc eſt Aſor, legendum Carioth-Heſron, hæc eſt Aſor: & pro Baloth, Aſor nova, legendum Baloth-Aſor, hæc eſt Aſor nova. Eaque methodo Cades-Aſor erit prima, & antiqua Aſor; Carioth-Heſron, hæc eſt Aſor; erit Civitas Heſron, quæ & magna Aſor; & Baloth-Aſor, ſive Aſor nova; erit ultima ſive inferior, & nova Aſor. Et ex hac facili Urbium ſex in tres reductione; & ex Iim & Eſem in unam vocem Eſem, aut Aſem, aut Aſom compoſitione, Urbium quatuor imminutio jam facta erit.

Reſtant quatuor aliæ, pro quibus legimus Iethnam Ziph, ubi nulla diſtinctio, & datur inter Iethnam-Ziph; eademque ratione Amam-Sama, ubi etiam diſtinctio, &, nulla eſt. Ad reliquas duas inveſtigandas plus erit difficultatis; niſi Baziothia eadem ſit cum Ber-ſabee, quæ quidem enumeratur inter Urbes, quæ primum Tribui Judæ promiſſæ, ſed quæ ſtatim ex ipſa Tribu Juda excerptæ, in Tribum Simeonis tranſcriptæ ſunt; Inter quas nulla Baziothia. Et in lib. Paralip. in quo eædem Urbes repetuntur, nulla eſt Baziothia. Ad octavum nomen, ſive locum qui cum alio immiſcendus ſit demonſtrandum, vix ratione, ſed potius divinatione opus eſt, attamen cum res ipſa inter primas ſex Urbes cadat, potius Eder-jagur in unum componemus, quam alia quæcunque earum Urbium nomina. Et ſibene huc uſque diximus, hæc eſt octava & ultima Urbium octo, quarum nomina ex duobus in unum concilianda erant, ut Numerus 37. ad 29. reducatur.

Joſue poſt 29. primæ Partis Tribus Judæ Urbes, in ſecunda Parte 14. recenſet, in tertia 16. tum 9. 3. 11. 9. 10. 6. 2. 6. quæ in omnibus undecim hujus Tribus partibus, ſive regionibus numerum implent 115. Urbium, & in veteribus Bibliorum codicibus, ſcriptum erat. Fiunt ſimul centum quindecim; quod in poſterioribus ab anno 1525. aut 1530. deſideratur.

Cæterum inter quatuordecim Urbes ſecundæ Partis vel Regionis Tribus Judæ, etiam Odullam-Socho in unam Urbem conciliandum eſt, ut numerus Urbium 14. ſit integer, nihilque redundet; & diſtinctio, &, inter Odullam-Socho nulla eſt, quæ inter alias 14. hujus Partis Urbes ubique datur. In reliquis omnibus Tribus Judæ partibus nullus reſtat in Urbium numeris ſcrupulus; ſed in Tribuum Aſer, Nephthali, & Zabulon deſcriptionibus ſuperſunt nonnulli.

Joſue viginti duas Urbes computat in Tribu Aſer: in qua 25. aut 26. colligi poſſent. Sed Beth-Dagon pro loco ſive Templo aut Domo Dagon in limite hujus Tribus habita, Jephthael pro Valle, Chabul pro Regione, ſive diſtrictu, & Rohob, quæ bis repetita eſt, pro unica Urbe; numerus viginti duarum Urbium reſiduus erit. In Tribu Nephthali, in qua Joſue novemdecim Urbes eſſe dicit, facillima eſt nominum 23. quæ ibi deſcribi videntur, ad novemdecim conciliatio: ſi ubicumque diſtin-

distinctio, &, nulla datur; vicina duo nomina in unum redigantur: puta Assedimser, Arama-Asor, Edrai-Enhasor, & Magdalel-Horem.

In Tribu Zabulon difficillima est Nominum aut locorum, quos ibi Josue meminit 18. ad Urbes duodecim reductio: nisi Remmon-Amthar in unam, & Catheth Naalol in alteram Urbem reducantur: nisi Sared & Merala, & Debbaseth ex Urbium numero rejiciantur: nisi Urbs Dabbereth ex Tribu Zabulon amoveatur: hæc quia Levitis assignata, & in limite Zabulon & Issachar posita, nunc illi, nunc alteri Tribui conceditur; forsitanque nulli propria.

Satis sit, de Urbium nominibus quæ in Tribuum aliquarum descriptione ex duobus in unum reduci possunt. In aliis Tribubus in quibus Josue Urbium nullum dat certum numerum, nihil est, quod hic dicere possumus: & si qua sunt notatu digna, ea suis locis in Indice demonstrabimus.

In Urbium 48. nominibus, quæ Sacerdotibus & Levitis assignatæ sunt non pauca expendenda; in variis nominibus conciliandis, & in numeris restituendis.

Sacerdotes & Levitæ in quatuor familias dividebantur: quæ erant filiorum Aaronis Sacerdotis; tum & Levitarum Caath, Gerson, & Merari.

Josue 21. concedit Aaronitis Urbes novem ex Tribubus Juda, & Simeon desumtas; & quatuor ex Tribu Benjamin. Eæ sunt 13. Dat Caathitarum familiæ Urbes 4. ex Tribu Ephraim, 4. ex Tribu Dan, & 2. ex dimidia Manasse, quæ cis Jordanem. Eæ sunt 10. Dat Gersonitis Urbes duas ex dimidia Manasse; quæ trans Jordanem, 4. ex Tribu Issachar, 4. ex Tribu Aser, 3. ex Tribu Nephthali. Eæ sunt 13. Dat Meraritis Urbes 4. ex tribu Zabulon, & 4. ex Tribu Ruben, & 4. ex Tribu Gad. Eæ sunt 12.

Urbes ipsæ 13. Aaronitarum, 10. Caathitarum, 13. Gersonitarum, & 12. Meraritarum ad numerum 48. conveniunt; ut habet Josue 21. & Numer. 36. v. 6. & 7. Earumque omnium Urbium nomina Josue exacte enumerat toto cap. 21. Sed 1. Paralip. cap. 6. vers. 1. in quo earumdem Urbium catalogum referre mens fuit, aliquæ desiderantur. Et id non solum in Bibliis Græcis, & Latinis omnibus, quæ viderimus; sed & forte in Hebraicis &c.

Omnia Leviticarum Urbium nomina dabimus ex Latina, eaque Vulgata Editione, ne aliarum variæ lectiones nos remorentur, prima columna erit ex Josue c. 21. secunda ex libro Paralipomenon 1. c. 6.

| Josue 21. v. 13. & seq. filiis Aaron Sacerdotis dat | | 1. Paralip. 6. v. 57. & seq. filiis Aaron dederunt civitates | |
|---|---|---|---|
| Hebron, | V. 16. Civitates novem de Tribubus duabus: antea dixerat de Juda, & de Simeone. | Hebron, | V. 60. Omnes civitates tredecim & V. 65. Ex Tribu Juda, ex Tribu Simeon, & ex Tribu Benjamin. |
| Lobna, | | Lobna, | |
| Jether, | | Jether, | |
| Esthemo, | | Esthemo, | |
| Holon, | | Helon, | |
| Dabir, | | Dabir, | |
| Ain, | | Asan, | |
| Jeta, | | . . . . | |
| Beth-sames, | | Beth-semes, | |
| Gabaon, | V. 17. & 18. de Tribu filior. Benjamin civitates 4. | . . . . | |
| Gabae, | | Gabee, | |
| Anathot, | | Almarh, | |
| Almon, | | Anathot, | |
| V. 19. Omnes simul civitates filiorum Aaron Sacerdotis. 13. | | Duarum Urbium nomina hic desiderantur. | |
| Ex Josue, pro filiis Caath Levitici generis, hæc est data possessio, V. 20. & seq. | | 1. Paralip. v. 61. Fillis Caath. | |
| Sichem, | | Sichem, | |
| Gazer, | V. 21. & 22. de Tribu Ephraim civitates quatuor. | Gazer, | V. 67. & 68. de Tribu Ephraim, |
| Cibsaim, | | Jecmaan, | |
| Beth-oron. | | Beth-oron. | |

Elthe-

| Josue | | Paralip. | |
|---|---|---|---|
| Eltheco,<br>Gabathon,<br>Ajalon,<br>Geth-remmon. | V. 23. 24. de Tribu Dan civitates quatuor. | . . . .<br>. . . .<br>Helon,<br>Geth-remmon. | V. 69. |
| Thanach,<br>Geth-remmon. | V. 25. de dimid. Manasse civit. 2. | Aner,<br>Baalam, | V. 70. |
| V. 26. Omnes civitates decem, ... datæ sunt filiis Caath. | | V. 61. Filiis autem Caath dederunt ex dimidia Tribu Manasse Urbes decem. | |

In hac Urbium enumeratione ex lib. Paralip. notandum est, omnes eas decem Urbes, non ex dimidia, & unica Tribu Manasse, excerptas; sed ex Tribu Ephraim 4. quas ipsemet recenset v. *67.* & *68.* ex Tribu Dan 4. quarum duas tantum recenset vers. *69.* duabus aliis inter vers. *68.* & vers. *69.* omissis, & ex Tribu Manasse duas, quas recenset vers. *70.*

| Josue pro Filiis Gerson Levitici generis dedit vers. 27. | | 1. Paralipomenon filiis Gerson, vers. 71. | |
|---|---|---|---|
| Gaulon in Basan<br>Bosra, | ex dim. Man. civ. 2. | Gaulon in Basan,<br>Astaroth, | V. 71. de dimid. Trib. Manasse. |
| Cesion,<br>Dabereth,<br>Jaramoth,<br>Engannim, | V. 28. & 29. de Trib. Isachar civit. 4. | Cedes,<br>Dabereth,<br>Ramoth,<br>Anem, | V. 72. & 73. de Trib. Issachar. |
| Masal,<br>Abdon,<br>Helcath,<br>Rohob, | V. 30. & 31. de Tribu Aser civitates 4. | Masal,<br>Abdon,<br>Huçac,<br>Rohob, | V. 74. & 75. de Tribu Aser. |
| Cedes in Galil.<br>Hammoth-Dor,<br>Carthan, | V. 32. de Trib. Nephthali civ. 3. | Cedes in Gal.<br>Hamon,<br>Cariath-aim. | V. 76. de Tribu Nephthali. |
| V. 33. Omnes Urbes familiarum Gerson tredecim. | | Dixerat paulo ante v. *62.* Filiis Gerson de Trib. Issachar, de Trib. Aser, de Trib. Nephthali & de Trib. Manasse in Basan, Urbes 13 | |
| Josue vers. 34. Filiis Merari dat | | 1. Paral. c. *6.* v. *63.* Filiis Merari. | |
| Jecna,<br>Cartha,<br>Damna,<br>Naalol, | V. 34. & 35. de Tribu Zabulon civitat. quatuor. | . . . .<br>Remmono,<br>Thabor,<br>. . . . | V. 77. de Tribu Zabulon ... |
| Bosor in sol. Misor.<br>Jaser,<br>Jethson,<br>Mephaath, | V. 36. de Tribu Ruben civit. quatuor. | Bosor in solitudine.<br>Jassa,<br>Cademoth,<br>Mephaath | V. 78. & 79. de Tribu Ruben ... |
| Ramoth in Galaad,<br>Manaim,<br>Hesebon,<br>Jaser. | V. 37. de Tribu Gad. civit. 4. | Ramoth in Galaad,<br>Manaim,<br>Hesebon,<br>Jezer, | V. 80. & 81. de Tribu Gad... |
| V. 38. Omnes Urbes filiorum Merari duodecim. | | Dixerat paulo ante, v. *63.* Filiis autem Merari de Tribu Ruben, de Tribu Gad, & de Tribu Zabulon, dederunt Civitates duodecim. | |
| V. 39. Itaque Civitares universæ Levitarum, in medio possessionis filiorum Israel, fuerunt quadraginta octo. | | Desunt duæ, quas ex Josue resarcire facile est. | |

Sex ergo sunt Urbes Levitarum, quæ desiderantur in lib. Paralip. duæ pro Meraritis, quæ ex Tribu Zabulon; duæ pro Caathitis, quæ ex Tribu Dan; duæ etiam

pro

pro Aaronitis; quarum una ex Tribu Juda, altera ex Tribu Benjamin repetenda est: eæque Urbes facillime ex Josue colligi possunt.

Huc usque, quoad Urbium numerum attinet, tota inquisitio fuit; & ex variis collectionibus Methodum primam fecimus, diximusque. Ubi certus a Josue datur Urbium numerus, is retinendus, non immutandus.

Methodus secunda de variis diversisque Nominibus, quæ ad unam, eandemque Urbem pertinent, non minus difficultatis, nec minus laboris faciet. Quædam ejus generis dignosci possunt in Urbium Simeonis Tribus enumeratione, aliæ inter Urbes Leviticas, aliæ etiam ex variis Bibliorum locis fient obviæ. Sed proculdubio supererunt quam-plurimæ, quarum cognitio difficillima, & forte nusquam ulla dabitur.

Inter tredecim primas Tribus Simeonis Urbes, dilucide perspicitur, Selim, quæ in Tribu Juda primum describitur, eandem esse Urbem atque Sarohen, quæ postea e Tribu Juda excerpta in Tribum Simeonis transcripta est; eandemque, quæ Saharim in libro 1. Paralip. Sic Lebaoth, Beth-lebaoth, & Beth-berai ad unam, eandemque Urbem pertinent: Sic Sensenna, Haser-susa, & Hazar-susim ad aliam: sic Medemena, & Beth-Marcaboth ad alteram. Sed & Cesil, Bethul, & Bathuel unus idemque locus. Sic El-Tholad & Tholad. Sic Iim & Esem in unum Iim-Esem composita cum Asem, & cum Asom respondent. Ex quatuor ultimis hujus Simeonis Tribus Urbibus Ether, Athar, & Ethan unum, eundemque esse locum nemo non videt. Cætera inter se conveniunt; & interim aliqua jam nomina demonstravimus, quæ diversa, quæ dissimilia, & quæ nihilominus ad unam, eandemque Urbem pertinent.

Ratio eadem erit in Leviticis 48. Urbibus: Ubi Ain & Asan ad eandem Urbem respondent: ut & Almon, & Almeth; Thanach, & Aner; Gethremmon, & Bilean; Basan, & Astaroth; Cesion & Cedes; Jaramoth, & Ramoth; Engannim, & Anem; Helcath & Hucoc; Hammoth-Dor, & Hamon; Carthan & Cariath-jam; Damna, & Remmono etiam ad eundem recidunt locum, etiamsi aliqua videatur difficultas; ut & Cartha, & Thabor; sed nulla est inter Jaser & Jassa sive Jasa; nulla inter Jethson, & Cedemoth.

Attamen Jassa sive Jasa multo melius est in Tribu Ruben, quam Jaser; quia inter Urbes Tribus Ruben est Jasa, nulla Jaser: & Jaser ipsa est in Tribu Gad, e qua excerpta statim enumeratur omnium Leviticarum Urbium ultima. Eæ ergo Urbes Jasa & Jaser diversæ sunt, & in variis Tribubus descriptæ. Etiam loco Gethremmon in Tribu Manasse, cis Jordanem, maluerim Bilean sive Baalan scribere, quod alterum ejusdem Urbis nomen est, & ut saltem aliqua sit distinctio cum alia Geth-remmon, quæ in Tribu Dan. Sic & in eadem Tribu Dan maluerim Ajalon, quam Helon, quod alia etiam sit Helon sive Holon in Tribu Juda.

Et animadvertendum est Ain & Asan sibi invicem respondere ex Josue, & ex Paral. & pro una eademque Urbe censeri: & nihilominus eæ omnino duæ diversæque sunt Urbes; ut videre est in Tribu Juda, in qua Ain, & Asan, in diversissimis hujus Tribus partibus, describuntur: Ain in prima parte, ubi 29. Urbes; Asan in quarta ubi novem; melius etiam in Tribu Simeonis, in quam eæ ipsæ Urbes ex Tribu Juda transpositæ, Aen (ipsissima est Ain) & Asan inter quatuor ultimas, pro duabus Urbibus; & 1. Paralip. 6. Aen & Asan etiam inter ultimas quinque, pro duabus Urbibus computantur. Ex quo cum ex duobus alterutrum nomen eligendum sit, ut uni Urbi respondeat, Asan retinuimus; cum unica Vulgata sit, quæ Ain, idque semel legatur in Josue. Ubi 70. Interpretes habent Asa, & alia Biblia Græca Aza & in lib. Paralip. eadem Urbs dicta sit Asan, & in Vulgata, & in 70. Interpretibus, & in aliis omnibus Bibliis Græcis, Latinisque, forte & Hebraicis.

Præter eas Leviticas, & illas Tribus Simeonis Urbes, quæ in variis Bibliorum locis descriptæ, & repetitæ, notitiam dedere varia esse, diversaque nomina, quæ aliquando ad unam, eamdemque Urbem pertineant; alia etiam ex Bibliis erui poterunt: ut Jebus, quæ est Jerusalem; Cariath-Arbe, quæ est Hebron, & Mambre; Cariath-sepher, aut Cariath-senna, quæ est Dabir; Asason-Thamar, quæ est Engaddi; Bale sive Bala, quæ est Segor; Lais sive Laisa, quæ fuit Dan, & Paneas, & tandem Cæsarea Philippi; Accho, sive Achsaph aut Axaph, quæ & Ptolemais; Turris Stratonis, quæ & Cæsarea, sive Cæsarea maritima, sive Cæsarea Palestinæ. Sic alia quamplurima, quæ suis locis in Indice demonstrabimus. Sed hæc, ut plurimum facillima, quod jam in Bibliis, aut in Josepho, aut in aliis demonstrata sint.

Sed

Sed multo plura supererunt, quorum Notitia pene nulla erit. Libri Biblici a variis Authoribus, & diversissimis temporibus compositi: alii quingentis, alii mille, alii mille & quingentis annis post alios descripti sunt. Israelitis interea sive Hebræis, aut Judæis dominationes alienigenarum, & transmigrationes longinquas sustinentibus, non aliter fieri potuit, quin ipsorum lingua multum innovata fuerit, & Urbium nomina immutata; unde in libris Judicum, Regum, Paralipomenon, & in Prophetis, plurima sunt, & quæ dissimillima ab iis, quæ in Josue, quæ in Numeris, & quæ in primis Veteris Testamenti libris jam dicta sunt, & nihilominus aliqua dignosci possunt, quæ inter se convenire debent.

Argumentum esto: Josue 19. Urbes Tribus Aser omnes nominatim recensct. In 1. Judicum castigantur Aseritæ, quod non deleverint Urbes Accho, Sidon, Ahalab, Achasib, Helba, Apher, & Rohob. Urbes ergo ipsæ erant in sorte Tribus Aser, quas tamen Aseritæ non everterint, nec eorum habitatores deleverint: cum Deus id in primis ipsis injunxerat. Interim inter omnes Tribus Aser Urbes, nulla est Accho, nulla Achasib, nulla Ahalab, nulla Helba: nisi Achsab cum Accho conveniat, Achazib cum Acziba, Ahalab cum Labanach, & Helba cum Elmelech, aut cum Helcath. Quicquid sit, in ipso capite Judicum primo, jam aliqua sunt Urbium nomina, quæ varia, & pene dissimillima sunt ab aliis, quę in Josue, cum quibus tamen respondent. Sic & alia hujus generis sunt plurima eod. Jud. cap. 1. ut & sępe alibi, quę suis explicabuntur locis, in Indice.

Urbium Positiones nullę sunt in toto Veteri & Novo Testamento, & vix una aut secunda loci unius ab altero distantia datur, nedum locorum plurium inter se mutua proportio. Et cum nullus ex antiquis Judęę totius sive Palęstinę verum & naturalem situm dederit; dico exactam, littorum frontem, Portus & Promontoria, Jordanis fontes, flexus, cursum; ut & aliorum majorum, minimorumque Torrentium, Montium tractus, Camporum & Vallium longitudinem, & magnitudinem; qua in parte Urbes positę fuerint, quę sit distantia ab omnibus littoris partibus, ad omnes Jordanis partes, & ubi plus minusve inter se accedunt, aut recedunt. Nunc difficillimum est, & ut ita loquar, non possibile, optimum regionis Typum, & Urbes illius omnes in suo & vero situ, & cum aliis circumvicinis locis in mutua inter se proportione describere; ita ut si ad omnes Mathematicarum rerum Canones ratio habeatur, necdum ulla data fuit, nec in posterum dabitur Terræ sanctæ sive Palęstinæ Descriptio, in qua sint tres aut quatuor Urbium Positiones in suis omnibus numeris absolutæ. Etenim huc usque factum est, ut omnium Judææ sive Terræ Palęstinæ mapparum Authores pene unicuique crediderint, sibi liberum esse Urbium Positiones ad mentem suam describere posse.

Nos aliam ab ipsis sequuti Methodum, eam ex ordine ipso, quem dedit Sacra Scriptura accepimus. Urbium Tribus Simeonis ter repetita enumeratio, eaque ubique eodem ordine, eodem numero, & iisdem nominibus descripta, nobis fidem fecit etiam hic aliquem colligi posse in earum situ, & positione ordinem. Nullam attamen neglexímus ab Authoribus profanis datam distantiam: sed quorum testimonia, cum vix aliquando duo concinnant, non nisi caute amplexi sumus.

Judææ sive Palęstinæ Littus omne ab Itinerariis Romanis descriptum est. Data autem eorum collatione, cum distantiis quas ex Itinerario Hierosolymitano, & ex Brocardi observationibus collegimus; quæ fides iis omnibus habenda sit, sic demonstrabitur.

| Ex Antonino. | | Ex Tabula Itin. | | Ex Itin. Hierosol. | | Ex Brocardo. | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| a Beryto, | | a Beryto, | | a Beryto, | | | | |
| Sidonem, | 30 | Sidone, | 29 | Sidonem, | 28 | a Sidone, | | |
| Tyrum, | 24 | Tyro, | 24 | Tyrum, | 16 | Tyrum, | 9 | l.1.27 |
| Ptolemaidem, | 32 | Ptolemaida, | 32 | Ptolemaidem, | 32 | Ptolemaid. | 8 | ..1.27 |
| Sicaminon, | 24 | .... | .. | Sicaminum, | 15 | Caiphas, | 4 | |
| .... | .. | Thora, | 20 | .... | .. | Castr.pereg. | 8 | |
| Cæsaream, | 20 | Cęsarea, | 8 | Cęsaream, | 16 | { Cęsaream, | 4 | |
| | | | | | | { Cęsaream, | 11 | l.1.33 |

| Ex Antonino. | Ex Tabul. Itin. | Ex Itin. Hierosol. | Ex Brocardo. |
|---|---|---|---|
| a Cęsarea, | Cęsarea, | Fit a Tyro, | Cęsarea, |

Bęta-

| | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|
| Bętaron, | 18 | Apollonias, | 22 | Cęſaream Palęſtinę, | Arfur alias Ant. | 9 l.1.27 |
| Dioſpolim, | 22 | Joppe, | . . | 73. M. P. | Joppe, | 8 l.1.24 |
| Jamniam, | 12 | Jamnia, | 12 | Sed a Tyro Cęſa- | | |
| | | | . . | rea dedit tantum 63. | Geth, | 4 l.12. |
| | | | . . | M. P. decem ergo | Bethſemes, | 2 l.6 |
| | | | . . | deſiderantur, qui | Accaron, | 4 ..1.12 |
| | | Azotum, | 10 | proculdubio inter Si- | Azot, | 4 12. |
| Aſcalonem, | 20 | Aſcalonem, | 12 | caminon & Cęſa- | Aſcalon, | 4 12 |
| Gazam, | 16 | | 15 | ream, ubi Dora e- | Gaza, | 2 6 |
| . . . . | . . | | . . | rit 18. a Sicamino | | |
| Raphiam, | 22 | | . . | & 8. a Cęſarea, ut | | |
| Rhinocoruram, | 22 | Rhinocoruram | . . | numerus a Sicami- | | |
| | | | | no Cęſaream uſque | | |
| | | | | ſit 26. M. P. pro | | |
| | | | | 16. | | |

Alia etiam data ſunt a Maritimis Urbibus ad mediterraneas itinera: puta ab Tyro per Cæſaream Philippi Damaſcum, a Cæſarea Palęſtinæ Tiberiadem, & Boſtra; ab eadem Cæſarea Palęſtinæ per Neapolim Hierichuntem, aut per Nicopolim Jeruſalem, ab Aſcalone per Eleutheropolim Hieruſalem, & ultimum hoc ab Antonino & Tabula Itineraria Rom. ſic deſcribitur.

| Anton. | | Tabula Itin. Rom. | | In Bibliis eæ Urbes vocantur |
|---|---|---|---|---|
| Ab Aſcalone, | | Ab Aſcalone, | | Aſcalon, |
| . . . . . | | Betogabri, | 16 | Beth-berai, |
| Eleutheropolim, | 24 | . . . . | 8 | Sarea, |
| . . . | | Ceperaria | . . | Saraim aut Gedara, |
| Æliam, | 20 | Helya Capitol. | 24 | Jeruſalem, |

In hoc Itinere ab Aſcalone Jeruſalem Antoninus numerat 44. M. P. Tabula Itineraria 48. Joſephus ibidem 520. Stadia ponit. j. 65. M. P. & id vero propius: Ideoque in Tab. Itin. poſt Betogabri reſtituenda eſt Eleutheropolis, ut cum Antonino ad 24. Milliarium conveniat; & inter Eleutheropolim, & Cepersariam deſiderantur 16. M. P. ut a Ceperaria Jeruſalem numerus 24. totius Itineris ſummam 65. M. P. impleant. Sic in aliis omnibus Itinerariis numeri aliqui nunc deſunt, nunc abundant: loca quædam nunc reponenda, nunc delenda, &c. Sic & aliorum fidei & relationi non temere ſed caute fidendum.

De Satrapiis & Urbibus quinque Philiſtinorum Brocardus omnium optime dixit; de iiſdem commentaſſe videtur Ferrarius, in ſuo Opere Geographico, quod Lexicon inſcripſit.

„ Geth ( inquit ) Getta Plinio. Ybelin hodie Poſtello, & Brocardo Urbs Exciſa „ Palęſtinæ, una ex 5. Urbibus Philiſtinorum; inter Aſcalonem, & Gazam. a Joppe 12. Accaron verſus.

Exl.1.Reg. „ Accaron, Urbs Paleſtinæ in Philiſtinorum finibus: Azoto, Jamniæ, & Geth „ Urbibus finitima. Nunc vicus Accaron adhuc dictus, teſte Brocardo, a littore, „ & ab Azoto 8. M. P. in Auſtrum, ab Aſcalone 20. M. P. in Boream, a Geth „ 14.

Ant.Ptol. „ Azotus, Aſdot, & Turcis Alcet, Urbs Palęſtinæ in Judæa: una ex quinque „ Philiſthinorum Urbibus: a littore 3. M. P. inter Accaron 12. & Aſcalonem 18. „ occurrens . . . Azotus Palęſtinæ Urbs, non Syriæ.

Strab.Plin. Mel.&c. „ Aſcalo, Scalona, Urbs Palęſtinæ maritima . . . una ex quinque primis Philiſthinorum Urbibus: inter Azotum ad Septentrionem, & Anthedonem ad Auſtrum, „ ab Azoto 18. M. P. quod fere inter Jamniam & Gazam.

„ Gaza . . . Urbs Palęſtinæ . . . una ex quinque Urbibus Philiſthinorum; nunc „ Aza & Garara Aſcaloni proxima, & Oræ littorali, inde 16. M.P. Rahiam verſus 22.

„ Beth-ſames Oppidum Palęſtinæ geminum; unum in Tribu Nephthalim, alterum in Tribu Benjamin; teſtis B. Hieronym. Poſterius Accaron urbi finitimum „ eſt. 8. M. P. inde diſtans Hieroſolymam verſus.

Totum hujus Authoris Lexicon Geographicum, & quod Mediolani olim, & quod Lon-

Londini nuper impressum, ita mendis scatet, ut ex centenis locorum articulis, vix unus sit, qui ab errore vacuus, & in quo non sit aliquid Geographicis insipientiis refertum.

Geth Philisthinorum Satrapia, & Getta Plinii, diversissimæ sunt Urbes. Getta sub Carmelo monte, & prope Ptolemaidem describitur a Plinio. Geth longissime hinc (ne dicam pene 100. M. P.) dissita, ad Austrum recedit, Urbibus in eodem littore interpositis Sicamino, Dora, Cæsarea Palęstinæ, Apolloniade sive Antipatride, Joppe & Jamnia. (Getta & Jebba Plinii cum Jephtael, & Gaba, quæ in finibus Zabulon & Aser, respondent.) Inter Ascalonem & Gazam. Hoc falsum. Geth inter Satrapias quinque Philisthinorum omnium Borealissima est; Ascalon & Gaza Meridionalissimæ. Accarone & Azoto positis inter Geth, & Ascalonem.

Accaron ab Azoto 8. M. P. in Austrum, ab Ascalone 20. in Boream, & hoc falsissimum. Ascalon etenim est ad Meridiem, sive ad Austrum, & 12. M. P. tantum ab Azoto, & 12. ab Accarone, & 24. aut 28. a Geth.

Azotus in Antonino nulla est, & pro 18. M. P. inter Azotum & Ascalonem, retinuimus 12. M. P. ut patet ex Tabula Itineraria. & ex Brocardo, & ex aliis. Sed & Ferrarius in Admonitione post literam A. adjecit: Azotus Urbs Palęstinæ, non Syriæ: atqui Palęstina pars est Syriæ.

Ascalon Urbs Palęstinæ maritima, inter Azotum ad Septentrionem & Anthedonem ad Austrum; pro Anthedone melius dixisset, & Gazam ad Austrum; nam Gaza Ascaloni proxima est ad Austrum, & inter Ascalonem & Anthedonem: tam & utraque Ascalon & Gaza urbes sunt Palęstinæ, Anthedon autem extra Palęstinam Ptolemæo in Ægypti Regione Cassiotide describitur: a Josepho, & Ptolemæo, in Idumæa, quæ inter Ægyptum & Palęstinam est, censetur. Addit Ferrarius post 18. M. P. quos inter Jamniam & Gazam, & id insulsum, & omnino ridiculum est. Jamnia Urbs extra omnes Philisthinorum Satrapias ab Ascalone distat pene 50. M. P. & Jamnia a Gaza *60*.

Gaza nunc Azza & Garara: melius Aza nunc Arabibus, & Christianis Gazera. Judith. *16.* M. P. versus Ascalonem, & 22. versus Raphia; hæ locorum distantiæ desumtæ sunt ex Antonino, ubi Tabula Itineraria deficit. Vereorque ne Anthedon inter Gazam & Raphiam interponenda sit, nam & ipsemet Ferrarius jam posuit Ascalonem inter Azotum, & Anthedonem: & Anthedon Ptolemæo omnium totius Ægypti Urbium Gazæ propior accedit; & Josephus 13. Antiq. 21. eam locare videtur inter Gazam, & Raphiam.

Beth-sames Op. Palęstinæ geminum; (imo ternum ut habemus in Indice) unum in Tribu Nephthalim, alterum in Tribu Benjamin; testis est Hieronymus. (Tertium est in Tribu Issachar.) Nos fefellit Hieronymus, si Beth-sames urbem aliquam posuit in Tribu Benjamin, ubi nulla ex tota Scriptura Sacra deprehenditur: bene quidem inter Leviticas Urbes e Tribu Juda desumptas, ut apud Josue & Paralipom. Apud Josephum autem Beth-sames ipsa ad Tribum Dan pertinebit: cum ipse Azotum, & Accaronem, & Geth, inter quas est Beth-sames in Tribu Dan, dixerit, lib. 5. Antiq. 3. Sed Josue eas omnes Urbes in Tribu Juda scripsit 15. ideoque Beth-sames potius in Tribu Juda, quam in Tribu Dan: Sed ubicumque fuerit Beth-sames, ea a Tribu Benjamin remota est, tota Tribus Dan latitudine interposita.

Sed satis, superque dictum sit, de certis Urbium numeris restituendis, de variis Urbium nominibus conciliandis, deque earum positionibus, ex variis diversisque Authoribus, investigandis. In iis omnibus plurimus labor fuit, nullus nunc restat in Tribuum aliquot partibus distinguendis. Josue 15. Tribum Juda in undecim. 18. Tribum Benjamin in duas 19. Simeonis Tribum etiam in duas distinxit partes sive regiones. In prima Tribus Judę parte Urbes enumerat *29.* in secnnda *14.* in tertia *16.* & in reliquis hujus Tribus partibus *9. 3. 11. 9.* 10. *6. 2. 6.* . . . Sic & in prima Tribus Benjamin parte Urbes recenset 12. in secunda 14. & in prima Tribus Simeonis parte 13. in altera 4. Ex earum Tribuum in partes aliquot distinctione, methodum fecimus, non tantum de Urbium positionibus aliquem concipi posse ex earum recensione ordinem, sed etiam singulas Tribuum partes a se invicem distinguendas, & inter se non confundendas: ita ut unaquęque pars suos habeat a reliquis distinctos limites, & suum amplectatur Urbium numerum. Mirumque ex omnibus Tabularum, & Descriptionum Judęę Authoribus, nullum adhuc id sensisse, nedum demonstrasse.

Cęterum cum hic plura dicendi, nec locus, nec tempus datum fuerit; majorem aliquando Terrę Sanctę Tabulam, Descriptionemque ampliorem, &, ut speramus,

accuratiorem dabimus. Tu interim Lector Benevole hoc nostro labore fruere. Duas Tabulas delineamus, quarum prima continet totius Orbis extra Terram Sanctam partes, Regiones, loca, quorum mentio est in Scriptura Sacra: in iisque describendis, non hujus, nec illius sententiam secuti, eam amplexi sumus, quę facillime ad communem omnium hominum mentem conveniet. Altera Tabula tota ad Terram Sanctam pertinet, in eaque Tribus duodecim, Tribuum Partes, si quę datę sunt, tum & Regiones omnes distinximus. Urbes Regias, corona; Leviticas, lituo; Urbes Refugii gemino lituo notari curavimus. Vale.




INDEX

# INDEX GEOGRAPHICUS
## ET
## EXPLICATIO REGIONUM,

*Et Locorum omnium in utraque Tabula Geographiæ Sacræ descriptorum; Rerumque in iis sub utroque Testamento maxime memorabilium brevissima Enarratio. Authore* N. SANSON *Abavillæo, & Christianiss. Galliarum Regis Geographo.*

| | Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. |
|---|---|---|
| ABana fluvius, 4. Reg. 5. v. 10--14. Cum Naaman Syrus indignaretur, quod Eliseus, se allocutus, jussisset tantum, ut septies lavaret se in Jordane a lepra mundaturus: Nunquid, ait, non meliores sunt Abana, & Pharphar fluvii Damasci omnibus aquis Israel, ut laver in eis, & munder? Attamen & ipse a suis monitus, ut faceret id quod Propheta jusserat statim in Jordane lavavit se & mundatus est. Abana putatur ad Urbem ipsam Damascum fluvius. | 31 20 | 69 5 |
| Abarim montes, in Tribu Ruben, Num. 17. v. 12. Dixit Dominus ad Moysem: Ascende in montem istum Abarim, & contemplare inde Terram, quam daturus sum filiis Israel, cap. 33. v. 47. de Israelitarum mansionibus. Egressique de Helmondeblathaim venerunt ad montes Abarim, contra Nebo. v. 48. profectique de montibus Abarim, transierunt ad campestria Moab, supra Jordanem contra Jericho. Sunt ergo montes Abarim inter Helmondeblathaim, & campestria Moab, quæ contra Jericho. | 31 30 | 67 30 |
| Abdon, Abran, Madon. Unius, ejusdemque Urbis varia sunt nomina. Abran (legunt alii Acran, aut Achran) ex Josue 19. v. 28. Urbs in sorte filiorum Aser duodecima, aut decimaquarta describitur, inter Chabul & Rohob. V. Animadv. Abdon mihi eadem est ex ipso etiam Josue 21. v. 30. inter Urbes, quæ e Tribu Aser assumtæ, Levitis ex familia Gerson filiis datę sunt. Sic & 1. Paralip. 6. v. 75. Abdon Levitica Urbs est. Eadem quoque mihi est Madon, B mutato in M, ut sæpe alias, & inversa prima syllaba. Urbs ipsa Madon, regia fuit, Josue 11. v. 1. Jain rex Asor misit ad Jobab Regem Madon, & 12. v. 19. Rex Madon unus inter reges a Josue devictos, cæsosque. Nec amplius ulla mentio nominum Abdon, Abran, Madon. | 33 7 | 67 17½ |
| Abel, Abella, Judic. 11. v. 32. Transivit Jephte ad filios Ammon ut pugnaret contra eos .... v. 33. percussitque ab Aroer, usque dum veniat in Mennith, viginti civitates, & usque ad Abel, quæ est vineis consita. Hieronymus & post Hieronymum Adrichomius geminam hujus nominis faciunt Urbem: alteram inter Ammonitas, & quæ a Philadelphia septimo absit milliario; eamque ponit Adrichomius in Tribu Gad, & facit vineis consitam: alteram quæ duodecimo sit a Gadaris milliario, eaque vino fertilis, hanc Adrichomius locat 2. in Manasse. Ex iis unicam facimus in Manasse. Ea etenim ex Jud. 11. v. 33. inter Ammonitas est, & vineis consita, septimoque abest a Philadelphia milliario, duodecimo a Gadaris. Vide Pella. | 32 26 | 68 4 |
| Abela, Abel-Maacha, Abel-Beth-Maacha, Beth-Maacha, Abel-Domus-Maacha, & Abelmaim; mihi eadem Urbs est, 2. Reg. 20. v. 14. Ille (Seba) transierat per omnes Tribus Israel in Abelam & Beth-Maacha (lego Abelam, quæ Beth-Maacha i. Domus-Maacha) omnesque Viri electi congregati fuerunt ad eum; vers. 15. venerunt itaque (Joab & Abisai) & oppugnabant eum (Sebam) in Abela & in Beth-Maacha (lego Abela; quæ est Beth-Maacha) & circumdederunt munitionibus civitatem, & obsessa est urbs. Omnis autem turba, quæ | 33 5 | 67 43 |

| Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. | |
|---|---|---|
| | | erat cum Joab, moliebatur destruere muros, vers. 22. sed abscisso Sebæ capite, & e muris ejecto, recessit Joab, 3. Reg. 15. v. 20. Acquiescens Benadad Regi (Judæ) Asa, misit principes exercitus sui in civitates Israel, & percusserunt Aion, & Dan, & Abel-Domum-Maacha, & universam Ceneroth, omnem scilicet terram Nephthali, 4. Reg. 15. v. 29. In diebus Phacee Regis Israel venit Teglath-phalasar Rex Assur, & cœpit Aion, & Abel-Domum-Maacha, & Janoe, 2. Paral. 16. d. 4. Benadab misit principes exercituum suorum ad Urbes Israel: qui percusserunt Ahion & Dan, & Abel-maim; & universas Urbes Nephthali muratas. Ex variis iis locis simul collatis, nemo non videt Abelam eamdem esse atque Beth-Maacha, quam Urbem unicam Joab oppugnavit. Beth-Maacha autem nihil aliud est, quam Domus-Maacha. Sed & quam Abel-Domum-Maacha vocat, 3. Reg 15. v. 29. eamdem scribit Abel-maim, 2. Paralipom. 16. v. 4. |
| 32 $12\frac{1}{2}$ | 67 15 | Abel-mehula, Judic. 7... Gedeon, & Israelitæ trecenti ad aquas probati, & electi Madianitas fugientes usque ad Beth-setta, & crepidinem Abel-mehula in Tebbath persecuti sunt, 3. Reg. 4. vers. 12. Bana filius Alihud regebat Thanac, & Mageddo, & universam Bethsan, quæ est juxta Sarthana, subter Jezrael, a Beth-san usque Abel-mehula, e regione Jecmaan. Eodem lib. 19. v. 15. Dicit Dominus. . Eliæ . . unges Hazael regem super Syriam, v. 16. & Jehu filium Namsi ungus regem super Israel; Eliseum autem filium Saphat, qui est de Abel-meula, ungus in Prophetam pro te. |
| 32 31 | 66 $57\frac{1}{2}$ | Aben-boen, i. Lapis Boen filii Ruben in Tribu Benjamin est, pene fines Tribus Judæ, nec longe a Mari salsissimo, & a fluvio Jordane, Josue 18. v. 18. |
| 31 36 | 68 $17\frac{1}{2}$ | Abel-sathim, Numer. 33. vers. 49. castrametati sunt (Israelitæ) de Bethsimoth usque ad Abel-sathim, in planioribus locis Moabitarum, idem locus Absela videtur Josepho. |
| 32 $22\frac{1}{2}$ | 67 22 | Abes, Urbium sexdecim, quas Josue describit in Tribu Issachar, cap. 19. v. 20. Abes nona est inter Cesion & Ramoth. |
| 33 40 | 69 15 | Abilina, Abylene, Syriæ, sive Phœniciæ tractus, cujus Tetrarcha fuit Lysanias. Lucæ 3. v. 1. & regionis hujus metropolis fuit Abila, quæ Lysaniæ sive Lysanii dicitur Ptolemæo, & aliis. |
| 16 30 | 77 0 | Abimael, 1. Paral. 1. vers. 22. nonus est inter tredecim filios Jectan: cujus posteris in Arabia Fœlici positionem damus inter Hebal & Saba; ut & ipse inter fratres Hebal & Saba natus videtur. V. Jectan. |
| 31 12 | 65 25 | Abrahæ Nemus, sive Nemus Abrahæ. Postquam Abraham & Abimelech fœdus iniissent pro Puteo juramenti. Genes. 21. vers. 32. Abimelech, & Phicol principes exercitus ejus reversi sunt in Terram Palæstinorum. Abraham vero plantavit Nemus in Bersabee, & invocavit ibi nomen Domini Dei æterni, vers. 33. & fuit colonus Terræ Palæstinorum multis diebus. |
| 31 52 | 66 39 | Acanthalaunola, locus in quo castra posuit Titus Hierosolymam obsessurus. Joseph. 5. Bell. 6. distat ab Jerosolymis 30. stadiis aut circiter. |
| 31 23 | 66 43 | Accain octavæ partis Tribus Judæ Urbs octava, Josue 15. vers. 57. non longe a Zanoe & Gabaa. |
| 31 47 | 65 $42\frac{1}{2}$ | Accaron Urbs in parte sive regione quinta Tribus Judæ, Josuæ 15. vers. 45. eademque videtnr eidem Josue in Tribu Dan, sub nomine Acron, 19. vers. 43. Sed & ea una est ex quinque Satrapiis Philistinorum, 1. Judic. 1. vers. 18. Judas (qui post Josue Israelitarum Dux fuit) cœpit Gazam, Ascalonem atque Accaron, 1. Reg. 5. Accaronitæ Arcam Dei recipere noluerunt, Philistæisque a Samuele percussis, redditæ sunt Israelitis Urbes, quas tulerant Philisthiim ab Accaron usque Geth, 1. Reg. 7. vers. 14. Et postquam David occidisset Goliath, Israelitæ persecuti sunt Philisthiim usque ad Geth, & usque ad Accaron, 1. Reg. 17. vers. 53. Mittit Ochozias Rex Israel ad Beelzebub Deum Accaron, ut de sua ægritudine consultaret, sed Elias ipsum increpat, brevique moriturum prædicit. 4. Reg. 1. vers. 2. & seq. |
| 32 58 | 66 $47\frac{1}{2}$ | Acco, Accho, Accon, Achsaph, sive Axaph, & Ptolemais, unius ejus- |

| | Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. |
|---|---|---|
| ejusdemque Urbis varia, diversaque sunt nomina, Josue 11. v. 1. Jabin Rex Asor misit ad . . regem Achsaph, & 12. vers. 20. Inter reges, quos percussit Josue in Terra Chanaan, rex Achsaph unus. Cap. autem 19. vers. 25. Axaph quarta describitur inter viginti duas Urbes Tribus Aser, & Judic. 1. vers. 31. Aser ( Tribus ) non delevit habitatores Acco. Mihi Acco, & Axaph, & Achsaph eadem Urbs est. V. Animadversiones. Ptolemais etiam cum Acco respondet, idque ex omnium Authorum consensu. Urbs ipsa maritima inter Tyrum & Cæsaream Palestinæ describitur: hujusque mentio multoties est in 1. & 2. Machab. Et a Tyro Ptolemaidem, a Ptolemaide Cæsaream appulit Paulus, Act. Apost. 21. vers. 7. 8. | | |
| Achad, Gen. 10. vers. 10. Urbs describitur inter Arach, & Chalanne, in Terra Sennaar: quas omnes ædificavit Nemrod, ut & Babylonem. | 32 5 | 80 50 |
| Achaia Græciæ pars est meridionalior, cujus tantum mentio est in Novo Testamento, Act. Apost. 18. v. 12. Gallione Proconsule Achaiæ, insurrexerunt uno animo Judæi in Paulum; & adduxerunt eum ad Tribunal, vers. 13. dicentes; quia contra legem hic persuadet hominibus Deum colere. Et iterum Achaiæ mentio multoties est in Pauli Epistolis; ad Romanos, 1. & 2. ad Corinthios, ubi Corinthum ponit in Achaia, i. sub Achaiæ Proconsule, & 1. ad Thessalonicenses. | 36 30 | 48 30 |
| Achazib, Acziba, Ecdippa, Josue 19. v. 29. inter viginti duas Urbes, quas recenset in Tribu Aser, Acziba mihi vigesima videtur, eadem est Achazib, Jud. 1. vers. 31. inter Urbes, quarum habitatores non delevit Tribus Aser, Achazib etenim non cum alia, quam cum Acziba convenire potest: ut & Ecdippa Josephi, & Ptolemæi. Vide Animadv. Alia & Aczib in Tribu Juda. | 33 11 | 66 55 |
| Achor Vallis, sive Vallis Achor, quam ad Septentrionem respicit Galgala. Josue 15. vers. 7. Hic jussu Domini omnis Israel lapidavit Achan, & omnia quæ illius erant igne consumsit, propter furtum de anathemate in Jericho. | 31 44 | 67 $7\frac{1}{2}$ |
| Achsaph. V. Acco. | | |
| Achzib Urbs in Tribu Juda, & regionis quartæ octava; inter Ceila, & Maresa posita, Josue 15. vers. 44. Alia est Achazib in Tribu Aser. | 31 $27\frac{1}{2}$ | 66 13 |
| Acrabatena Regio, sive Toparchia, Joseph. lib. 2. Bell. 21. In vico, quem Gemma vocant, qui est in magno Samariæ campo situs, quidam Galilæus interfectus est; unde seditione inter Galilæos & Samaritanos orta, Galilæi in Acrabatena Regione promiscuam edidere cædem, nulli parcentes ætati, cap. 42, & 44. Acrabatena Toparchia dicitur, quæ lib. 3. c. 4. ordine tertia enumeratur, Plinio quinta. | 32 19 | 67 8 |
| Acrabin, i. Ascensus Scorpionis; is est a deserto Edom in Tribum Juda per montes difficillimos introitus, sed ab Acrabatena Regione sive Toparchia, quas aliqui in unum confundunt, diversissimus & remotissimus. Ascensus Scorpionis est in meridionali limite, non Tribus Juda modo, sed & totius Terræ promissæ. Limites Terræ promissæ a Mari salsissimo circuibunt Australem plagam per Ascensum Scorpionis; ita ut transeant in Senna, Num. 34. vers. 4. Tribus Judæ limes egreditur contra Ascensum Scorpionis, & pertransit in Sina, &c. Josue 15. vers. 3. Acrabata autem & in Tribu Manasse, Galilææque vicina. | 30 55 | 66 25 |
| Acziba. V. Achazib. | 33 11 | 66 55 |
| Adada Urbs sexta primæ partis Tribus Judæ, & inter Dimona, & Cades-Asor descripta, Josue 15. vers. 22. | 30 57 | 66 8 |
| Adad-remmon, hujus loci meminit solus Zacharias Proph. 12. vers. 11. In die illa magnus erit planctus in Jerusalem: sicut planctus Adad-remmon in campo Mageddon, cum Josias dimicavit contra Necaum regem Ægypti, 2. Paralip. 33. vers. 22. ibique vulneratus a sagittariis, vers. 24. asportatus est in Jerusalem, & mortuus est . . & universus Juda, & Jerusalem luxerunt eum, vers. 25. maxime Jeremias. | 32 28 | 66 39 |
| Adama, Urbs in Pentapoli. V. Sodoma. | | |
| Adami quæ & Neceb, Josue 19. vers. 33. inter urbes Tribus Nephthali, habet Adami, quæ est Neceb, & utriusque nominis nulla amplius mentio. | 33 0 | 67 $52\frac{1}{2}$ |

Adar

| Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. | |
|---|---|---|
| 30 $57\frac{1}{2}$ | 65 46 | Adar villa dicitur in limite meridiano Terræ promiſſæ, & inter Cadesbarne, quæ in deſerto, & Haſemona, quæ in Tribu Juda, Num. 34. verſ. 4. |
| 32 7 | 66 $32\frac{1}{2}$ | Adarſa, Adazer Urbs vel locus in Tribu Ephraim. In Adarſa Judas Machab. applicuit cum tribus millibus Viris contra Nicanorem, qui caſtra habebat ad Bethoron, commiſſaque pugna Nicanoris caſtra contrita ſunt; ceciditque ipſe (Nicanor) primus in prælio, 1. Machab. 7. verſ. 39. & ſeq. & perſecuti ſunt eos ab Adazer uſque quo veniatur in Gazara, eod. cap. v. 45. |
| 31 30 | 66 27 | Adaſſa. V. Hadaſſa. |
| 29 30 | 76 30 | Adbeel tertius eſt filiorum Iſmaelis: nominaturque inter Cedar, & Mabſam. Gen. 25. verſ. 13. & 1. Paral. 1. verſ. 29. Ipſi ergo poſteriſque locum dedimus in Arabia inter Iſmaelitas. V. Iſmaelitæ. |
| 32 5 | 66 40 | Addus. 1. Machab. 13. verſ. 13. Simon (Machabæus frater Jonathæ) applicuit in Addus contra faciem campi. verſ. 14. & ut cognovit Tryphon, quia ſurrexit Simon loco Jonathæ, &c. pacem ſimulat. |
| 31 44 | 66 5 | Adiada Urbs, quam ædificavit Simon Machabæus in Sephela: & munivit eam, & impoſuit portas & ſeras, 1. Machab. 12. verſ. 38. nec ea longe a Modin patria Machabæorum. |
| 31 42 | 66 $7\frac{1}{2}$ | Adithaim duodecima eſt ſecundæ partis Tribus Juda: & inter Saraim, & Gedera, Joſue 15. verſ. 36. |
| 31 33 | 66 52 | Adomin, vel Aſcenſus Adomin in Tribu Benjamin, & in confinio Tribus Juda, nec longe a Jericho, locus eſt latrociniis, & homicidiis infamis; & de quo Lucas 10. verſ. 30. & ſeq. Homo deſcendens ab Jeruſalem in Jericho, incidit in Latrones, qui eum ſpoliaverunt, & plagis impoſitis ſemivivum reliquerunt: Sacerdos autem, tum & Levita, qui eadem via tranſibant, illo viſo, præterierunt: ſed Samaritanus iter faciens, miſericordia motus, alligavit ejus vulnera, & curam egit. |
| | | Adrach. V. Edrai. |
| 31 $32\frac{1}{2}$ | 66 8 | Adullam-Socho, ſic legimus, Joſue 15. verſ. 35. ut Urbium numerus ſit quatuordecim in hac ſecunda parte Tribus Judæ; eaque deſcribitur inter Jerimoth, & Azeca. Regiaque fuit, Joſue 12. verſ. 15. Rex Odullam unus. Odullam etenim, & Adullam ſcribitur. Vide Odullam. |
| 14 0 | 79 30 | Audurem, quintus filiorum Jeſtan. Geneſ. 10. verſ. 27. Hujus poſteris locum damus in Arabia felici. V. Jeſtan. |
| 31 10 | 65 10 | Ægypti Torrens, de quo Num. 34. ubi de limitibus Terræ promiſſæ, verſ. 5. Ibitque per gyrum terminus ab Aſemona uſque ad Torrentem Ægypti, & Maris magni littore finietur, & Joſue 15. ubi de limitibus Tribus Judæ verſ. 47. Gaza cum vicis, & villulis ſuis, uſque ad Torrentem Ægypti, & Mare magnum terminus ejus, 2. Paral. 7. verſ. 8. Fecit Salomon ſolemnitatem in tempore illo ſeptem diebus, & omnis Iſrael cum eo, Eccleſia magna valde, ab introitu Emath, uſque ad Torrentem Ægypti: hoc eſt, ab una extremitate Terræ promiſſę ad alteram. Torrens hic aliquando vocari videtur fluvius Ægypti, Geneſ. 15. verſ. 18. Dominus Abrahamo dicit: Semini tuo dabo Terram hanc, a fluvio Ægypti ad fluvium magnum Euphratem. |
| 28 0 | 62 0 | Ægyptus Libyę ſive Africę regio nobiliſſima, fertiliſſima, nec longe a Judęa, Meridiem inter & Occidentem. Geneſ. 12. verſ. 10. Deſcendit Abraham in Ægyptum, ut peregrinaretur ibi: prævaluerat enim fames in Terra, verſ. 11. dixit Sarai uxori ſuę: verſ. 13. dic quod ſoror mea ſis, verſ. 15. ſublata eſt mulier in domum Pharaonis, &c. poſtea Abraham a rege ditatus, intactam eam recipit, Geneſ. 21. verſ. 21. Habitavit Iſmael in deſerto Pharan, & accepit illi mater ſua uxorem de Terra Ægypti, 25. verſ. 18. habitavit (Iſmael) ab Hevilla uſque Sur, qua reſpicit Ægyptum, 37. verſ. 27. Joſeph venundatur Iſmaelitis, qui duxerunt eum in Ægyptum, verſ. 36. & vendiderunt Putiphari Eunucho, Pharaonis magiſtro militum, qui fideliter ſerviens, toti domui pręponitur: ſed a domina ſtupri intentati accuſatus, in carcerem conjicitur, ubi Regis Pharaonis Pincernę & Piſtoris ſomnia interpretatus, etiam ad Pharaonis ipſius ſomnium interpretandum evocatus, eo demonſtrato princeps omni Ægypto conſtituitur, & fame paulo poſt ubique ingraveſcente patrem, fratreſque ſuos in Ægyptum accitos collocat in regio- |

| | Latit. Gr. | Scr. | Longit. Gr. | Scr. |
|---|---|---|---|---|
| regione Gessen. Josepho autem mortuo alii Pharaones videntes quod filii Israel in nimiam multitudinem crescerent, eos durissimis operibus oppressere, eorumque infantes masculos interfici aut submergi ab obstetricibus jussere. Sed Moyses servatus post signa plurima in conspectu Pharaonis, & Ægyptiorum facta, populum Israel ab Ægypto liberavit, & in Terram promissam deduxit. Sed innumera sunt in utroque Testamento, pręcipueque in Veteri de Ægypto testimonia, Marcus 2. vers. 13. & seq. Angeli monitu Joseph fugit in Ægyptum, cum Jesu infante, & Maria conjuge: ibique moratur usque ad obitum Herodis. V. Cham, & Mesraim. | | | | |
| Ælam, Elam, 1. Paralip. 1. vers. 17. Filii Sem: Ælam, & Assur, &c. Ælami posteris alii Persidem, alii Mediam attribuunt: primum utramque facile concederem, & tandem populis in partes plures divisis solam Persidem. | 34 | 30 | 90 | 0 |
| Æmath alias Emath, est inter munitissimas Tribus Nephthali, Josue 19. vers. 35. cujus sub Amathuntis nomine meminit Josephus 13. Antiq. c. 19. & 14. cap. 11. & 1. Bell. c. 3. & c. 6. Alexander etenim Judęę Rex eam expugnavit cum pretiosissima quęque facultatum suarum in ea deposuisset Theodorus. Et postea Gabinio pro Romanis Judęam omnem in curias quinque dividente: omnium sedes fuere Jerosolymis, Gadaris, Amathunte, Hiericunte, & Sephori. | 33 | 24 | 67 | 33 |
| Aen, Ain.. Aen, primum scribitur in prima parte Tribus Juda, ordine vicesima octava, Josue 15. vers. 32. sed postea in Simeonis Tribum concessa prima Urbs est in secunda hujus Tribus parte, & decima quarta, si Urbium septemdecim, quę sunt in tota Tribu Simeon, ratio habeatur, Josue 19. vers. 7. ubi Ain scribitur. V. & iterum Aen, 1. Paralip. 4. vers. 32. Vide Animadversiones. | | | | |
| Ængannim. V. Engannim. | | | | |
| Æthiopes populi, Æthiopia regio, quę pars Africę meridionalior, & cujus populi supra Ægyptum longe lateque sedes obtinuere. Horum multoties est mentio in Veteri Testamento, vix aliqua in Novo. | 21<br>15 | 10<br>0 | 62<br>61 | 0<br>0 |
| Africa Orbis nostri, sive Continentis pars tertia, eaque meridionalior; & quę Chami posteris concessa est, Genes. 10. vers. 6. Chami filii sunt Chus, Mesraim, Phuth, & Chanaan, quos vide suis locis. Chus autem & Chanaan suis non contenti sortibus, extra Africam sedes alias quæsiere, & ex Semi partibus aliquas eripuere. | 23 | 0 | 80 | 0 |
| Agaba alias Gabatha castellum, in quo Galestes Aristobulum regnum affectantem recepit, Josephus 13. Ant. cap. 24. | 31 | 59 | 67 | 14 |
| Agar fons, Genes. 16. vers. 7. cum invenisset eam (Agar) Angelus Domini juxta fontem, quæ in solitudine, qui est in via Sur in deserto, vers. 8. dixit ad eam: Agar ancilla Sarai, unde venis? & quo vadis? quæ respondit, a facie Sarai dominæ meæ ego fugio. vers. 9. Dixitque ei Angelus Domini: revertere ad dominam tuam, & humiliare sub manu illius. | 31 | 2½ | 65 | 12½ |
| Agareni populi, a matre Ismaelis Agar, sic dicti. V. Ismaelitæ. | 27 | 30 | 78 | 0 |
| Ager Booz ex historia Ruth demonstratur prope Bethlem, in qua Elimelech & Booz consanguinei domum habuere: Ruth autem dum in agro Booz spicas colligit, gratiam apud eum invenit, qui & propinquam agnoscens, in uxorem accepit, ex qua Obed, ex quo Jesse, & ex quo David. | 31 | 38 | 66 | 32 |
| Ager Robustorum prope Gabaa. Ubi duodecim de Benjamin ex parte Isboseth filii Saul; & duodecim de pueris David decertavernnt, seseque mutuis ictibus confoderunt. 2. Reg. 2. v.15. & 16. | 31 | 52 | 66 | 37 |
| Ahalab. V. Labanath. | 32 | 52 | 66 | 57½ |
| Ahion, Aion; Ahion, 3. Regum 15. v. 20. Aion, 4. Reg. 15. v. 29. & iterum Ahion, 2. Paralip. 16. v.4. eadem urbs est; ut in Abela-Beth-Maacha demonstravimus. | 33 | 8 | 67 | 54 |
| Ahohi. Unde Eleazar Ahohites, inter tres fortissimos Davidis, 2. Reg. 23. v. 9. & 1. Paral. 11. v. 12. 2. Reg. 23. v. 28. est Selmon Ahohites inter triginta nobiliores, & 1. Paralip. 11. v. 29. Isai Ahohites, & 27. v.4. Dudia Ahohites inter duodecim principes, qui singuli singulis mensibus præerant viginti quatuor hominum millibus: ipse | 33 | 34 | 66 | 37½ |

secun-

| Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. | |
|---|---|---|
| | | secundæ turmæ, & in secundo mense ministrabat, sed loci hujus situs non certo constat. |
| 31 37½ | 66 1 | Aialon Urbs in Tribu Dan, Josue *19*. v.42. ea inter duodecim urbes hujus Tribus quarta, postea Levitis ex familia Caath datur, Josue 21. v.24. & 1. Paralip. *6*. v. *69*. ubi scribitur Helon pro Aialon. Aialon etenim iterum est Judic. 1. v. 35. inter urbes, quas non delevit Tribus Dan. |
| 29 0 | 66 30 | Ailath, Ælath, Elath. Urbs & portus ad Maris rubri pene intimum recessum, 4. Reg. 14. v. 22. Ipse (Azariath filius Amaziæ) ædificavit Ælath, & restituit eam Judæ, 2. Paralip. 8. v. 17. Tunc abiit rex Salomon in Asion-gaber, & in Ailath ad oram Maris rubri, quæ est in Terra Edom, 2. Paralip. *26*. v. 2. Ipse (Ozias filius Amasiæ) ædificavit Ailath, & restituit eam ditioni Judæ. Quem Azariath vocat liber Regum, eumdem Oziam vocat lib. Paralip. 3. Reg. *9*. v. *26*. Classem fecit rex Salomon in Asion-gaber, quæ est juxta Ailath in littore Maris rubri, in Terra Idumæa, 4. Reg. *16*. v. *6*. In tempore illo restituit Rasin rex Syriæ (Ailath) Syriæ, & ejecit Judæos de Aila: & Idumæi venerunt in Ailan, & habitaverunt ibi. Locus hic Elath scribitur, Deuter. 2. v. 8. idem ergo Aila, Ailath, & Ælath, & Elath. |
| 31 22 | 65 51 | Ain. V. Aen & Asan. |
| 33 24 | 67 12 | Alcath. V. Halcath. |
| 31 10 | 60 40 | Alexandria Ægypti inferioris, sive partis ejus, quæ Delta vocatur, urbs maxima; & nobilissima; sed quæ multo notior in Prophanis, quam in Sacris Literis. Ipsa etenim ab Alexandro Magno primum ædificata, a Bochardo nulla est in toto Veteri Testamento, ubi pro Alexandria, legit Thebas Ægyptias, sive Diospolim, quæ Hebræis No-Ammon, & Ammon-No scribitur Jeremiæ *46*. v. 25. Ezechieli 33. v. 14. 15. *16*. Nahum. 3. v. 8. Vide Bochardum ipsum in Geographiæ suæ parte priori, cap. 1. Alexandrini quidem bene noti in Act. Apost. Novi Testament. *6*. v. *9*. & seq. ubi de Synagoga Libertinorum, Cyrenensium, Alexandrinorum, aliorumque; qui cum Stephano disputantes, in eum insurrexerunt, & falsis testibus eum opprimere conati, tandem lapidarunt. cap. 18. v. 24. de Judæo agit, eoque Alexandrino, cui nomen Apollo fuit, cap. 27. v. 1. . . . . Paulus a Centurione Julio Romam ducitur, in navi Alexandrina saltem Melitam usque, ad quam naufragium passus, Romam in altera navi Alexandrina, cui insigne erat Castorum, perductus est. |
| 32 9 | 67 20 | Alexandrium castellum in monte munitissimum, non longe a Corea, ab Alexandro rege Judææ, ut videtur, conditum; & in quod aliquando Aristobulus Alexandri filius, & postea Alexander Aristobuli filius receperunt se. Alexandrium, Hyrcanium, & Machæruntem condidit Alexander Rex Judæ; reparavit Herodes: ex Josepho pluribus in locis. |
| 32 7½ | 69 46 | Alimis, urbs in Galaaditide, 1. Machab. 5. v. *26*. & sequent. cum Galaaditæ comprehendissent Judæos, qui in Barasa, in Bosor, in Alimis . . . & constituissent tollere omnes, qui in finibus suis essent, Judas Macchabæus eos liberavit, & totam percussit Galaaditidem. |
| 31 41 | 67 3 | Almath, Almon, ex Tribu Benjamin sumta est pro Levitis ex familia Aaron, Josue 18. v. 15. ubi Almon scribitur, & 1. Paralip. *6*. v. *6*. ubi Almath. Mirum nullam ejus fieri mentionem inter urbes viginti sex, quas Josue ponit in Tribu Benjamin, cap. 18. & fortassis cum Amosa convenit. |
| 31 44 | 67 16 | Altare Testimonii non longe a Galgala, & ad tumulos Jordanis illud infinitæ magnitudinis ædificaverunt filii Ruben, filii Gad, & dimidia Tribus Manasse, cum ad sua redirent trans Jordanem. Josue 22. |
| 28 25 | 67 30 | Alus, Israelitarum statio in deserto: inter Daphca & Raphidim, Num. 33. v. 13. & 14. |
| 33 1 | 66 12 | Amaad, Josue *19*. v. *26*. inter Elmelech & Messal sexta ex duabus & viginti urbibus Aseritarum, & nominis hujus nulla amplius est mentio. Amaad autem cum Amath eamdem facit Hieronymus. Nobis nulla est Amath in Tribu Aser: bene quidem Amath, sive Emath in Tri- |

| | Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. |
|---|---|---|
| Tribu Nephthalim, quæ cum noſtra Amaad non convenit, cum in diverſis Tribubus deſcriptæ ſint. | | |
| Amalech, Geneſ. *36.* v. 12. Erat Thamna concubina Eliphaz filii Eſau, quæ peperit ei Amalec, ex eo orti ſunt Amalecitæ populi, ex quibus & Amalecitis regio. Populi ii habitabant in deſerto Pharan prope Madianitas, & ad meridiem Terræ promiſſæ, ptimum ii percuſſi ſunt a Chodorlahomor. Geneſ. 14. v. 7. Sed Exod. 17. v. 8. & ſeq. dum Iſraelitæ ſunt in deſerto. Veuit Amalec, & pugnabat contra Iſrael in Raphidim; aliquando victor, tandemque a Joſue victus, fugatuſque. Numer. 24. v. 20. Balac vaticinatur in Amalec. Deuter. 25. v. 17. Memento (ait Dominus Iſraeli) quæ fecerit tibi Amalec, in via, quando egrediebaris ex Ægypto ... Judic. *6.* & 7. Iſraelitæ a Madianitis & Amalecitis oppreſſi a Gedeone liberantur, Madianitis percuſſis, fugatiſque Amalecitis. Amalecitæ etiam a Saule victi ſunt, 1. Reg. 14. v. 48. Congregato exercitu Saul percuſſit Amalec: & eruit Iſrael de manu vaſtatorum ejus. Iterumque, cap. 15. Saul juſſus a Domino, ut deleret funditus Amalec, eos vicit, ſed ſervato eorum Rege Agag, prædaque opima, Saul reprobatur. Cap. 30. Davide abſente Amalecitæ incendunt Siceleg; ſed viciſſim a Davide vincuntur. V. Siceleg. Joſephus *9.* cap. 10. Amalecitas ab Amaſia rege Judæ victos, ait. | 28 30 | 68 30 |
| Amam-Sama primæ partis Judæ hæc duodecima urbs eſt Joſue 15. v. *26.* & legimus junctim Amam-Sama, ut diximus in Animadverſionibus. Deſcribitur inter Carioth-Heſron, quæ eſt Aſor, & Molada. | 31 7 | 65 $42\frac{1}{2}$ |
| Amana vicus ſive locus ad Orientem Maris (mortui) ubi erit Sepulchrum Gog, in valle viatorum, Ezech. *39.* v. 11. | 31 1 | 67 9 |
| Amana mons in Canticis 4. v. 8. Veni de Libano ſponſa mea, veni; coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon. Montes ij ſunt ad Septentrionem totius Terræ promiſſæ; & a Mari circumeunt Tribus Aſer, Nephthali, & 2. Manaſſe. Amana ipſe non longe a fontibus Jordanis. | 33 26 | 68 4 |
| Amathis ſive Amath, Hemath, Emath, regio & urbs; quam alii interpretantur Antiochiam magnam, alii Epiphaniam; maluerim Apamiam, quæ etiam nunc Hama, propius enim ad Terram promiſſam accedit, nec longe eſt ab Arphad hodie Refaſa: Emath etenim & Arphad ſæpe ſæpius conjunguntur, 4. Reg. c. 18. v. 34. Ubi eſt Deus Emath & Arphad. 19. v. 13. Ubi eſt Rex Emath, & Rex Arphad. Iſaiæ 10. v. *9.* & ut Arphad, ſic Emath. *36.* v. *19.* Ubi eſt Deus Emath & Arphad. 37. v. 13. Ubi eſt Rex Emath, & Arphad. & Jerem. *49.* v. 23. Confuſa eſt Emath & Arphad. Ab hac urbe regio circumvicina Amathis vocatur, 1. Machab. 12. v. 15. in qua Jonathas Macchabæus Demetrium in fugam compulit. V. Hemath. | 34 30 | 69 0 |
| Amathus caſtellum. V. Æmath ab Emath. | | |
| Ametytha vicus in loco prærupto poſitus, a Joſepho Galilææ præſidem agente munitus, Joſ. in vita ſua. | 32 54 | 67 49 |
| Amma, Joſue 19. v. 30. inter viginti duas urbes Aſeritarum vigeſima prima deſcribitur, & inter Acziba, & Aphec poſita. | 32 58 | 67 4 |
| Ammon, Geneſ. 19. v. 37. & 38. filius fuit de filiabus Loth, quæ ex inceſtu ei peperere; major Moab, ex quo Moabitæ: & minor Ammon, ex quo Ammonitæ: utrique ſedes habuere ad Orientem Jordanis, Ammonitæ ad Septentrionem torrentis Jaboc; ubi poſtea dimidia Tribus Manaſſe, &c. Moabitæ ad meridiem ubi Gad & Ruben: & Ammonitarum prima fuit urbs Rabba, Moabitarum, Aroer aut quæ Moab, ſive Medaba; unde Iſaias 15. v. 1. Onus Moab; quia nocte vaſtata eſt Ar Moab, conticuit. v. 2. ſuper Nabo, & ſuper Medaba Moab ululavit. Et in eodem capite, urbes Heſebon, Dibon, Eleale, Jaſa, aliæque deſcribuntur in Moabitis. Et Rex Moab urbem ſuam Mephaat Davidi, Davidiſque parentibus ad habitandum conceſſit, cum ipſe David Saulem fugeret. Ergo & ipſa in regione Moab. | 32 30 | 69 0 |
| Ammon, Hamon. V. Hamon. | 33 $22\frac{1}{2}$ | 67 19 |
| Amona in Tribus Ruben finibus, Ezech. *39.* v. *16.* | 31 4 | 67 9 |
| Amorrhæi nomen habent ab Amorrhæo quarto filio Chanaan, & ab ipſo Amorrhæorum rege, varia Regna, & Populi nomen habent: ex iis alii | 32 8 | 67 30 |

| Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. | |
|---|---|---|
| | | alii trans Jordanem ſiti ſunt, alii cis Jordanem. De primis, qui trans Jordanem, vide Heſebon in Tribu Ruben, & Aſtaroth in Tribu Manaſſe; in quibus Sehon, & Og reges Amorrhæorum degebant. De aliis, qui cis Jordanem, Joſue 5. v. 1. Poſtquam audierunt omnes reges Amorrhæorum, qui habitant trans Jordanem ( reſpectu deſerti, & Regionum Orientalium Terræ promiſſæ, ex quibus egrediebantur Iſraelitæ ) ad Occidentalem plagam, & cuncti Reges Chanaan, qui propinqua tenebant magni Maris loca, quod ſiccaſſet Dominus fluenta Jordanis, coram filiis Iſrael, donec tranſirent; diſſolutum eſt cor eorum, &c. Joſue in hiſtoria Gabaonitarum a circumvicinis Regibus obſeſſorum, 10. v. 5. Congregati ( inquit ) aſcenderunt quinque Reges Amorrhæorum, Rex Jeruſalem, Rex Hebron, Rex Jerimoth, Rex Lachis, Rex Eglon . . . & caſtrametati ſunt circa Gabaon, oppugnantes eam. Sic & multoties alibi Amorrhæi vocantur nunc hi, nunc illi, qui inter Chananæos degunt. |
| 31 $57\frac{1}{2}$ | 66 20 | Amoſa ſexta deſcribitur a Joſue 18. v. 26. inter urbes quatuordecim regionis ſecundæ Tribus Benjamin. V. Almath. |
| 32 44 | 67 22 | Amoth-Dor, Hammoth-Dor, Hemath-Dor. Hamon nulla eſt inter urbes novemdecim, quas Joſue recenſet in Tribu Nephthali, 19. v. 32. ſed Hammoth-Dor inter urbes Leviticas e Tribu Nephthali excerptas, & Levitis e familia Gerſon conceſſas deſcribitur ab ipſomet Joſue, 21. v. 32. ubi 1. Paralip. 6. v. 36. legitur Hamon. V. Animadv. facileque concederem hanc urbem cum Amoth, quæ & Amath, convenire, & cum Amathunte Joſephi. |
| 32 44 | 67 $27\frac{1}{2}$ | Amthar. V. Remmon-Amthar. |
| 41 50 | 50 15 | Amphipolis, Paulus ſolutus ex carcere in Philippis, Act. Apoſt. 17. v. 1. Amphipolim, Apolloniam, & Theſſalonicam perambulavit. Urbes eæ omnes ſunt in Macedonia. |
| 33 15 | 76 20 | Ana, 4. Reg. 18. v. 34. Ubi eſt Deus Emath, & Arphad; ubi eſt Deus Sepharvaim, Ana, & Ava. 19. v. 13. Ubi eſt Rex Emath, & Rex Arphad, & Rex civitatis Sepharvaim, Ana, & Ava. Iſaiæ 37. v. 17. Ubi eſt Rex Emath, & Rex Arphad, & Rex urbis Sepharvaim, Ana, & Ava. Ex quibus Emath, & Arphad, & Sepharvaim, & Ana, & Ava; aut Dii, aut potius Urbes ſive Civitates ſunt; in quibus ejuſdem nominis Dii colebantur. Ana mihi etiamnum hodie eſt Ana ſive Anna, ad Euphratem, & inter Meſopotamiam & Arabiam, ideoque Ava mihi etiam erit ad Euphratis & Tigridis oſtia, ubi hodie Abadan. Sed & Sepharvaim & Urbes eæ non longe ſunt ab Emath, ſive Amath, & Arphad, quas deſcribimus in Syria, ubi hodie Hama aut Emeſa & Refaſa. |
| 31 $12\frac{1}{2}$ | 66 4 | Anab, ſexta urbs deſcribitur in ſexta parte Tribus Judæ, Joſue 15. v. 50. inter Dabir & Iſthemo. |
| 32 $32\frac{1}{2}$ | 67 $2\frac{1}{2}$ | Anaharath ex ſexdecim urbibus, quas Joſue recenſet in Tribu Iſſachar 19. v. 19. Hæc ſexta deſcribitur inter Seon & Rohob. |
| 26 0 | 58 0 | Anamin. Geneſ. 10. v. 13. Meſraim genuit Ludim, & Anamin, & Laabim, & Nephtuim, & Phetruſim, & Chasluim, de quibus egreſſi ſunt Philiſtiim, & Caphtorim. Mihi Ludim erit Æthiopiæ pars ea, quæ ſupra Ægyptum. Anamin in Marmarica ſive Lybia exteriori, ubi Ammoniaca regio. Laabim ubi Lybia Cyrenaica. Nephtuim, & Phetruſim in Ægypto inferiori, & ſuperiori. Chasluim & Caphtorim in Maris rubri littore ab Ægypti finibus ad uſque Terram Chanaan. |
| 31 41 | 66 57 | Anama, 2. Eſdræ 11. v. 32. Urbs inter eas, quas Judæi habitaverunt poſt reditum e captivitate Babylonica. |
| 31 47 | 66 45 | Anathoth, Anathoth-Nob. Inter omnes urbes, quas Joſue recenſet in Tribu Benjamin 18. nulla eſt Anathoth, ea tamen inter Levitarum urbes deſcribitur, Joſue 21. v. 18. & 1. Paral. 6. v. 60. & quæ de Tribu Benjamin excerpta ſit. Fuit ex ipſa Anathoth Achimelech Sacerdos, qui, quod Davidi cibum & gladium Goliath dediſſet, a Doeg Saulis juſſu occiſus eſt; tum & hujus Urbis Sacerdotes, & viri, mulieresque omnes. Fuit Abiathar filius Achimelech, qui fuga elapſus Conſiliarius fuit Davidis, & portavit Arcam Domini, & pro Davide ſuſtinuit laborem in omnibus. Eum tamen Salomon ejecit e Sacerdotio, & ad agrum |

| | Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. |
|---|---|---|
| agrum suum in Anathoth remisit, quod Adoniæ favere videretur. Fuit Jeremias Anathothites, ut ipse testatur cap. 1. Verba Jeremiæ filii Helciæ de Sacerdotibus, qui fuerunt in Anathoth, in Terra Benjamin. Fuere & inter eos, qui Davidem fugientem a Saul sequuti sunt Baracha, & Jehu Anathothitæ. Fuit & Abiezer nonus inter duodecim principes, qui sub Davide singuli singulis mensibus præerant viginti quatuor hominum millibus. Cæterum apud Esdram 2. c. 11. v. 32. Ubi Anathoth, Nob, divisim legitur; scribendum est Anathoth-Nob conjunctim. Nob etenim aut Nobe ipsissima est Anathoth, ut demonstratur ex Historia Achimelech, qui in Nobe morabatur, ad quem venit David, 1. Reg. 21. v. 1. Cumque Abiathar filius Achimelech ad agrum suum in Anathoth remitteretur, ager ille proculdubio fuerat antea ager Achimelech in Nobe. Sed & inter omnes Sacerdotum aut Levitarum urbes, quæ describuntur Josue 21. & 1. Paralip. 6. nulla est Nobe; nisi Nobe cum Anathoth concilietur. Nobe etenim, quæ antea Canath dicebatur, & quæ in Tribu Manasse trans Jordanem, ea ab hac nostra Nobe diversissima est, & ab Historia Saulis, & Davidis, & Achimelech alienissima, neque ipsa Levitis assignata est in Tribu Manasse. | | |
| Anem. Vide Engannim. | 32 25 | 67 7 |
| Aner. V. Tanac aut Thenac. | 32 30 | 66 33 |
| Ange montes. Venit ad magnos montes Ange, qui sunt a sinistro Ciliciæ, Judic. 2. vers. 12. de Holoferne, qui Nabuchodonosoris exercitum ducebat ab Assyria in Ciliciam &c. Legunt alii Bechtilech campum. V. Bectilech. | 37 30 | 70 0 |
| Anim, octava est inter Urbes sextæ partis Tribus Judæ, Josue 15. vers. 50. inter Isthemo & Gosen posita. | 31 8 | 66 4 |
| Anthedon, Urbs inter Terram Promissam & Ægyptum. | 31 30 | 65 0 |
| Antiochia secus Daphnem, sic 2. Machab. 4. vers. 33. de ipsa Antiochia mentio multoties est 1. & 2. Machab. & in Act. Apost. 11. vers. 26. & annum totum conversati sunt (Petrus, Paulus, & Barnabas) ibi (Antiochiæ) in Ecclesia, & docuerunt turbam multam: ita ut cognominarentur primum Antiochiæ discipuli, Christiani, cap. 13. vers. 1. Erant in Ecclesia Antiochiæ Prophetæ, & Doctores, &c. ex quibus Saulus & Barnabas jubentur a Spiritu Sancto segregari, ut Gentibus etiam Evangelium prædicent. Antiochia hæc apud profanos est notissima, & propter Apollinis & Dianæ fanum, lucumque, qui Daphne vocabatur, & propter magnitudinem. Syriam etenim nobilitat Antiochia (ut inquit Ammianus) mundo cognita civitas, &c. | 35 30 | 69 20 |
| Antiochia Pisidiæ, Act. Apost. 13. vers. 14. Venerunt Antiochiam Pisidiæ (Saulus & Barnabas) & ingressi Synagogam, Saulus late de Christo differit; Judæisque blasphemantibus & persecutionem in eos excitantibus, convertuntur ad Gentes. | 38 50 | 62 50 |
| Antiochi Pharanx, sive Vallum, sive Castellum in 2. Manasse describitur, quod aliquando Alexander Jannæus vi cepit. Joseph 13. Antiq. 23. & 1. Bell. Jud. 4. | 33 5 | 68 9 |
| Antipatris, Act. Apost. 23. vers. 31. Milites secundum præceptum sibi, assumentes Paulum duxerunt per noctem in Antipatridem. Vide Appollonia. | 32 19 | 66 $12\frac{1}{2}$ |
| Anuath vicus, (legit meus codex Annath.) His (Samariæ, & Galilææ) finitimus est Annath vicus, qui etiam Borceos appellatur. Judææ limes a Septentrione Josepho lib. 3. Bell. cap. 4. | 31 $57\frac{1}{2}$ | 66 41 |
| Apadno. Et figet Tabernaculum suum Apadno, inter maria, super montem inclitum & sanctum; de Anti-Christo volunt intelligi. Daniel. 11. vers. 45. Ubinam gentium sit Apadno non facile est dicere. | | |
| Apamea omnis, Judith 3. vers. 14. videtur describi pro Syria proprie dicta, aut pro Syriæ parte ea, quæ circa Apamiam est, & quæ Ptolemæo Apamena. | 35 15 | 69 30 |
| Aphara Urbs octava in regione prima Tribus Benjamin, Josue 18. v. 23. | 31 $42\frac{1}{2}$ | 66 58 |
| Apharaim. Vide Hapharaim. | | |
| Aphec Urbs in Tribu Aser, Josue 19. vers. 30. inter Amma & Rohob. & Judic. 1. vers. 11. Aser non delevit habitatores Aphec. V. Rohob, & Animadvers. | 33 3 | 67 10 |

| Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. | |
|---|---|---|
| 32 35 | 66 47 $\frac{1}{2}$ | Aphec Urbs regia in Tribu Issachar, Josue 12. Inter Reges a se devictos, vers. 18. Rex Aphec unus. 1. Reg. 19. vers. 1. Congregati sunt Philistiim in Aphec, & Israel castrametatus est super fontem Jezrael. Et 3. Reg. 20. & seq. c. Syri ab Israel deleti ad centum millia peditum . . fugerunt, qui remanserunt in Aphec, & cecidit murus super viginti septem millia hominum . . . 4. Reg. 13. vers. 17. & seq. Elisæus prædicit Joam regem Israel ter percussurum Syros in Aphec. |
| 31 17 | 66 20 | Aphœca sexta inter Urbem novem septimæ partis Tribus Judæ, Josue 15. vers. 53. & inter Betaphuam, & Athmatham. |
| | | Apheca cujus meminit Josue 13. vers. 4. melius cum Aphec, quæ in Tribu Issachar, quam cum Apheca Tribus Judæ convenit. |
| 32 7 $\frac{1}{2}$ | 66 14 | Apherima, 1. Machab. 11. vers. 34. est inter civitates tres, quas ex Samaria ademtas Judææ addidit Rex Demetrius; eæ sunt . . . & Lydda, & Ramatha. Apherima desideratur in Vulgata Lectione Latina, quæ in codicibus græcis prima describitur. Eas urbes Josephus etiam nominat Apheremam, Lyddam & Ramatham, lib. 13. cap. 8. |
| 32 16 | 66 17 | Aphœci prope Antipatridem Turris, in quam cum multitudo Judæorum se collegisset, Cestius appropinquans eos dispersit, Turrimque cum vicis circumpositis incendit, Joseph. |
| 42 0 | 48 25 | Apollonia, Act. Apost. 17. vers. 1. de Paulo, & Sila. Cum perambulassent Amphipolim, & Apolloniam, venerunt Thessalonicam. Hæc Apollonia est in Macedonia, inter Amphipolim & Thessalonicam. |
| 32 19 | 66 12 $\frac{1}{2}$ | Apollonia alia est Josepho 13. Antiq. 23. inter Stratonis Turrim, & Joppen, sic & Ptolem. lib. 5. c. 16. Apollonia inter Cæsaream Stratonis & Joppen. & Plin. lib. 5. c. 13. Apollonia inter Joppen, & Stratonis Turrim, eamdemque Cæsaræam; & Tabulæ Itiner. Romanæ Apollonia est a Cæsarea 22. M. P. a Joppe . . . . ( Milliariorum hic numeri desiderantur ) Apollonia ergo cum Turre sive Cæsarea Stratonis non eadem est, ut quidam putant; cum utriusque loci hic ubique mentio sit: neque etiam cum Accarone eadem urbs est, ut alii dixerunt, cum ab Joppe Apollonia sit ad Septentrionem Cæsaream versus. Accaron versus Meridiem in itinere ad Gazam; interpositis a Joppe per Accaronem Jamnia & Geth; ab Accarone Gazam Azoto & Ascalone. |
| 42 25 | 35 25 | Appii Forum, in itinere Pauli, cum Romam duceretur. Appii Forum est inter Puteolos, & Tres Tabernas. Act. Apost. 28. vers. 15. |
| 33 37 $\frac{1}{2}$ | 67 11 | Aquæ Maserephoth locus & Salinæ, quousque Josue persecutus est Jabin Regem Asor, & ipsi socios Reges, populosque; quos omnes devicerat ad Aquas Merom, Josue 11. vers. 8. iterumque 13. vers. 6. Omnes qui habitabant in monte, a Libano usque ad aquas Maserephoth, universique Sidonii. Ego sum ( ait Dominus ) qui delebo eos. |
| 33 4 | 67 57 | Aquæ Merom, Josue 11. vers. 5. Convenerunt omnes Reges isti in unum locum, ad Aquas Merom, ut pugnarent contra Israel, vers. 7. Venit Josue adversus illos ad Aquas Merom, vers. 8. tradiditque illos Dominus in manus Israel, qui percusserunt eos, & persecuti sunt usque ad Sidonem magnam, & Aquas Maserephoth, campumque Maspha. Aquæ Merom sunt Samachonitis vel Semechonitis lacus Josepho. Ceterum Reges ii viginti quatuor erant, quos Jabin Rex Asor convocarat, & armaverant trecenta millia peditum, decem millia equitum, currus, &c. Josue currus combussit, equos subnervavit, homines, Regesque occidit. |
| 35 50 | 74 30 | Ara, 1. Paralip. 5. vers. 26. Et transtulit ( Teglath-phalasar ) Ruben, & Gad, & dimidiam Tribum Manasse, & adduxit eos in Lahela, & in Habor, & Ara, & fluvium Gozan, 4. Reg. 17. vers. 6. & transtulit Israel in Assyrios, posuitque eos in Hala, & in Habor, juxta fluvium Gozem in civitatibus Medorum. Ara videtur eadem, quæ & Haran, & Charan, ut diceremus in Charan. |
| 71 7 | 66 22 $\frac{1}{2}$ | Arab, prima describitur inter urbes septimæ partis Tribus Judæ, Josue 15. vers. 52. |
| 25 50 | 80 0 | Arabia Asiæ Majoris Regio amplissima, & quæ solis semi posteris possidenda. Ea tamen divisa fuit inter filios Chus filii Cham; & filios Jectan filii Heber, filii Sale, filii Arphaxad, filii Sem. Vide Chus, & Jectan. 3. Reg. 10. vers. 15. & 2. Paralip. 9. vers. 3. de auro, quod omnes Reges Arabiæ Salomoni afferebant. |

| | Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. |
|---|---|---|
| Arac filiorum Chanaan septimus, unde Aracæi, Genes. 10. vers. 17. & 1. Paralip. 1. vers. 15. Eos autem ad Arabiæ partem eam rejicio, quæ Petræa vocata est a Petra urbe olim Arce, Arecen, hodieque Herac, Arac, &c. | 30 5 | 68 15 |
| Arach Urbs in Chaldæa, quam ædificavit Nemrod. Vide Achad. | 31 10 | 81 30 |
| Arad. Numer. 21. vers. 1. 2. 3. Cum audisset Chananæus Rex Arad, qui habitabat ad meridiem, venisse scilicet Israel per exploratorum viam, pugnavit contra illum, & victor duxit ex eo prædam; at Israel voto facto illum interfecit, ejus urbes subvertit. Hujus nominis Arad etiam mentio est. 33. vers. 40. & Judic. 1. vers. 16. cum filii Cinæi cognati Moysis ascenderunt de civitate palmarum, cum filiis Juda, in desertum sortis ejus, quod est ad meridiem Arad, & habitaverunt cum eo . . . Nulla tamen est Arad inter centum & quindecim urbes, quas omnes Josue recenset in Tribu Juda c. 15. nisi eadem sit atque Hered urbs regia, quæ fortassis & Eder. | 30 55 | 66 31 |
| Arad Fons. V. Fons Arad. | 32 22 | 67 4 |
| Arada, Israelitarum statio in deserto, inter montem Sepher & Macelolh, Num. 35. vers. 25. | | |
| Aradus urbs in littore Maris magni, sive Occidentalis, de qua Ezechiel 27. v. 8: Habitatores Sidonis & Aradii fuere remiges tui; de Tyro loquitur. Aradus ipsa nomen sortitur ex Aradiis filiis Arad, filii noni Chanaan. | 34 45 | 68 25 |
| Aram, cepitque Gessur & Aram oppida Jair, & Canath, & viculos ejus sexaginta civitatum, 1. Paralip. 2. vers. 23. | 33 6 | 67 59 |
| Aram filiorum Semi quintus, Genes. 10. vers. 23. Et Arami ipsius filii Us, Hul, Gether, & Mes; quibus cencedimus, Aramo ipsa, in universum Syriam & Phœniciam omnem: speciatim vero pro Us regionem vicinam Damasco, quæ Cœlesyria; pro Hul vicinia Samosathæ, ubi Comagena; pro Gether Palmyrenam, & circumvicinia; & pro Mes Emesenam, &c. | 35 0 | 70 0 |
| Arama-Asor, sic legimus ex Josue 19. vers. 36. ut urbium numerus cum summa conveniat, quam scribit 19. vers. 38. Civitates novem & decem. Vide Animadvers. sæpius tamen scribitur tantum Asor. Vide Asor. | 33 5 | 67 24 |
| Ararat Isaias 37. vers. 38. Et factum est cum Sennacherib adoraret in Templo Nesroch Deum suum: Adramelech, & Sarasar filii ejus percusserunt cum gladio, fugeruntque in Terram Ararat. Ararat, Armeniam interpretatur ipsamet Sacra Scriptura 4. Reg. 19. vers. 37. ubi eadem res iisdem verbis repetitur, mutato tantum Ararat in Armeniæ nomen. V. Armenia. | 42 0 | 75 0 |
| Arbe, & Cariath-Arbe. V. Hebron. | 31 23 | 66 24 |
| Arbella, 1. Machab. 9. vers. 2. Castra posuerunt (Bacchides, & Alcimus a Demetrio rege contra Judam Machabæum missi) in Masaloth, quæ est in Arbellis, & occupaverunt eam. Josephus, in vita sua, Arbellorum speluncam (castrum) muniit, dum Galilææ præsidem ageret. | 32 57½ | 67 42½ |
| Arbi 2. Reg. 23. vers. 35. inter illustres sub Davide, est Pharai de Arbi. | 31 44 | 66 51 |
| Archelais Joseph. 15. Antiq. 15. & alibi, vicus, quem Archelaus Rex Judææ, Herodisque filius, condidit, denominavitque. Locus est in Tabula Itiner. Rom. inter Hiericuntem & Scythopolim. 12. M. P. ab Hiericunte, 24. M. P. a Scythopoli. Sed vereor, ne ubique M. Passuum numeri corrupti sint. | 31 54 | 67 8 |
| Archiatharoth. V. Atharoth-Addar. | 31 54 | 66 50 |
| Arebba secunda & ultima inter duas urbes Regionis decimæ Tribus Judæ, quas describit Josue 15. vers. 60. | 31 47 | 66 22 |
| Arecon, Arechon Urbs datur a Josue decima octava & ultima in Tribu Dan. 19. vers. 46. diciturque in termino, qui respicit Joppen. | 31 57½ | 66 7 |
| Argob Regio trans Jordanem, Deuter. 3. vers. 3. Tradidit Dominus Deus noster, in manibus nostris, Og Regem Basan. vers. 4. Sexaginta civitates, omnem Regionem Argob regni Og in Basan. vers. 14. Jair filius Manasse possedit omnem Regionem Argob, usque ad terminos Gessuri, & Machati. 3. Reg. 4. vers. 13. Bengaber (Salomone regnante) | 32 57 | 68 6 |

præerat

| Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. | |
|---|---|---|
| | | præerat in omni Regione Argob, quæ est in Basan, sexaginta civitatibus magnis, atque muratis. |
| 42 30 | 75 0 | Armenia Regio, Armenii populi. Genes. 8. vers. 4. Requievit arca (Noe) mense septimo, vigesima septima die mensis, super montes Armeniæ, & 4. Reg. 19. vers. 37. Cumque (Sennacherib) adoraret in Templo Nesroch Deum suum, Adramelech, & Sarasar, filii ejus, percusserunt eum gladio, fugeruntque in Terram Armeniorum. Pro Terra Armeniorum habet Terram Ararat Isaias. Vide Ararat. |
| 32 3 | 67 52 | Arnon Numer. 21. vers. 13. Castrametati sunt (Israelitæ) contra Arnon (urbem) quæ est in deserto, & prominet (in monte) in finibus Amorrhæi. Siquidem Arnon terminus est Moab, dividens Moabitas, & Amorrhæos. & vers. 14. sicut fecit in Mari rubro, sic faciet in Torrente Arnon. Ex unico hoc loco deprehenduntur Urbs Arnon, & Mons, & Torrens. |
| 31 $47\frac{1}{2}$ | 67 44 | Aroer Deuter. 2. vers. 36. Ab Aroer, super ripam Torrentis Arnon, oppido, quod in valle situm est, usque Galaad .... omnes tradidit Dominus Deus noster nobis. 4. vers. 37. Possederunt (filii Israel) terram ejus (Sehon Regis Amorrhæi) & terram Og Regis Basan, duorum Regum Amorrhæorum, qui erant trans Jordanem, ad Solis ortum. v. 48. Ab Aroer super ripam torrentis Arnon, usque ad montem Sion (forte Seir) qui est & Hermon, &c. |
| 34 $47\frac{1}{2}$ | 73 40 | Arphad. Vide Amath sive Emath, quæ cum Arphad pene ubique conjungitur. |
| 32 39 | 68 $12\frac{1}{2}$ | Arphas. Josephus 3. Bell. 4. Trachonitidis latitudinem dat a vico Arpha ad oppidum Juliada. Arphas est sub montibus & penes Arabiam, Julias ad Lacum Genesareth, sive Mare Galilææ. |
| 36 0 | 75 0 | Arphaxad filiorum Sem tertius, cui Mesopotamiam concedunt. Genes. 10. v. 22. Filii Sem: Ælam, & Assur, & Arphaxad, & Lud, & Aram. v. 24. Arphaxad genuit Sale, de quo natus est Heber, &c. Lucas vero 5. v. 35. & 36. facit Cainan filium Arphaxad, & Sale filium Cainan. |
| 37 30 | 83 0 | Arsareth, 4. Esdræ 13. v. 45. Nam regio illa, (in quam successerunt decem Tribus) vocatur Arsareth, quam facile interpretarer Erzerum, etiamsi in historia illa aliqua sint, quæ non omnino conveniant cum Erzerum. |
| | | Arundinetum Vallis. V. Vallis Ar. |
| 31 50<br>32 2 | 67 15<br>67 6 | Asa, Aza, Asor. 1. Paralip. 7. vers. 28. Aza scribitur in Ephraim, & Asor, quam Esdras locare videtur in Benjamin, 2. cap. 11. vers. 33. eadem mihi videtur, quæ Asa sive Aza in Ephraim, ut & Mechmas. |
| 31 $22\frac{1}{2}$ | 65 58 | Asan inter urbes Tribus Simeon, ea decima septima, sive omnium ultima numeratur, quartaque & ultima in secunda hujus Tribus parte, Josue 19. v. 7. fueratque antea tertia regionis quartæ in Tribu Juda. Jos. 15. v. 42. In 1. Paralip. 6. v. 59. Asan inter Levitarum urbes scribitur, quæ Ain non sat exacte scripta est in Josue 21. v. 16. Urbs etenim ea Levitarum Asan ubique dicenda est, ut demonstravimus in nostris Animadversionibus. |
| 17 20 | 83 30 | Asarmoth. 1. Paralip. 1. v. 20. Jectan genuit Elmodad, & Saleph, & Asarmoth. V. Jectan. |
| 31 58 | 65 $22\frac{1}{2}$ | Ascalon ex quinque Philisthinorum Satrapiis una, & quæ inter reliquas post Gazam primum videtur obtinuisse locum. Judic. 1. v. 18. Cepitque Judas Gazam, & Ascalonem, & Accaron. 14. v. 19. Samson Ascalonitas 30. occidit, vestibus exuit; easque dedit iis, qui problema suum solverant. Josephus multa habet de Ascalone. Est (inquit) civitas antiqua, validissimo cincta muro, quingentorum & viginti stadiorum ab Jerusalem distans. Herodes in Ascalone Nymphæa, sive lacus ornatissimos, & Balnea, & Peristylia opere & magnitudine miranda, etiam Aulam regiam construxit ex 1. bell. 16. & 3. bell. & aliis locis. |
| 47 30 | 25 0 | Ascenez Genes. 10. v. 3. Filii Gomer: Ascenez, & Riphath, & Thogorma. & 1. Paralip. 1. v. 6. Filii Gomer: Ascenez, & Riphath, & Thogorma. Vide Gomer, ubi pro Ascenez Galliam ponimus. |
| 31 30 | 67 26 | Asedoth-Phasga. Josue 12. vers. 3. Ab Australi parte quæ subjacet Ase- |

| | Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. |
|---|---|---|
| Asedoth-phasga . 13. vers. 20. Beth-phogor , & Asedoth-phasga , & Beth-jesimoth. Urbes sunt in Tribu Ruben. | | |
| Asem. Vide Iim-Esem. | | |
| Asemona , Hassemon. De limite Terræ promissæ ad meridiem Numer. 34. vers. 4. Et tendent usque ad Asemona. vers. 5. Ibitque per gyrum terminus ab Asemona usque ad Torrentem Ægypti , & Maris magni litore finietur. Josue de limite Tribus Judæ 15. vers. 4. Inde pertransiens ad Asemona, & perveniens ad Torrentem Ægypti, eruntque termini ejus Mare magnum : hic erit finis meridianæ plagæ. Exod. cap. vers. 27. Hassemon eadem mihi est , quæ decima quinta primæ partis Tribus Judæ, & inter Asergadda, & Beth-phelet. | 31 $2\frac{1}{2}$ | 65 $22\frac{1}{2}$ |
| Asena, in secunda parte Tribus Judæ tertia urbs est, & inter Sarea & Zanoe. Josue 15. vers. 33. | 31 32 | 65 52 |
| Asephon , Asaphon , Asophon. locus prope Jordanem , Josepho 13. Antiq. 21. an alius a Sophon, qui trans Jordanem : saltem alter e regione alterius positus erit. | 67 10 | 67 20 |
| Aser Tribus sub Libano & ad Aquilonem totius Terræ Promissæ posita, nomen habet ab Aser , octavo filiorum Jacob , ex Zelpha Liæ ancilla secundo , & ultimo . Aser i. Beatitudo : Unde Jacob Genes. 49. vers. 20. In filiorum benedictione . Aser ( inquit ) pinguis panis ejus , & præbebit delitias Regibus: & Moyses in Tribuum benedictione. Deuter. 33. vers. 24. Benedictus in filiis Aser , sit placens fratribus suis , & tingat in oleo pedem suum .... Ex hac Tribu sub principe Phegiel filio Ochran Numer. 1. vers. 13. Ab Ægypto egressi sunt Aseritæ 41500. quadraginta virorum millia, mille & quingenti. vers. 41. Quibus omnibus in Deserto mortuis; Stur filius Michael cum aliis singularum Tribuum Principibus missus est ad explorandam Terram Chanaan, Numer. 13. vers. 14. Eamque ingressi sunt Aseritæ 53400. ad bellum idonei ; ex quibus Ahiud filius Salomi eam cum aliis divisit, Numer. 34. vers. 27. Anna Prophetissa filia Phanuel erat de Tribu Aser , de qua Luc. 2. vers. 36 ..... Descriptio Tribus Aser est in Josue 19. a vers. 24. ad 31. | 33 15 | 67 10 |
| Aser-gadda primæ partis Tribus Juda ; ea mihi decima quarta urbs est inter Molada, & Hassemon descripta, Josue 15. vers. 27. | 31 4 | 65 $32\frac{1}{2}$ |
| Aser-Machmetad junctim legimus Josue 17. vers. 7. fuitque terminus Manasse ab Aser-machmetad, quæ respicit Sichem, & egreditur ad dexteram juxta habitatores fontis Taphuæ . Cap. 16. de limite Tribus Ephraim vocavit tantum Machmetad v. 6. Locus est inter Tribus Ephraim & Manasse. | 32 17 | 66 41 |
| Aser-susa. V. Sensenna. | | |
| Asia in Veteri Testamento; & pluribus in locis primi & secundi Machab. ubi de Antiocho Magno, de Ptolemæo, de Tryphone , de Seleuco Regibus agitur. Asia Magna ubique intelligitur: ea scilicet, quæ Asiam Minorem, Syriam , Assyriam , Mediam , Persidem , &c. amplectitur. | 36 0 | 80 0 |
| Asia Minor , ut plurimum intelligitur in Novo Testamento : ut in Act. Apost. 2. vers. 9. 10. Ubi Cappadociæ , Ponti , Asiæ , Phrygiæ , Pamphiliæ , &c. mentio est . & 6. vers. 9. & 16. vers. 6. Ubi Phrygiæ, Galatiæ, Asiæ, Mysiæ, Bithyniæ & Troadis mentio . Eæ ètenim omnes Asiæ Minoris partes sunt. | 39 0 | 65 0 |
| Asia Provincia, Asiæ Minoris pars est. | 38 0 | 59 0 |
| Asochis, Azochis. Joseph . Antiq. 13. c. 19. In die sabbathi Ptolemæus Lathurus Asochim aggreditur ex improviso, capitque: & circiter decem millia captivorum eduxit . Ibi autem Josephus mirabili somno consolatur in vita sua. | 32 47 | 66 56 |
| Asion-gaber, locus & portus ad Mare Rubrum , ubi Israelitæ mansionem habuere in deserto . Numer. 33. v. 35. 36. Egressique de Hebrona castrametati sunt ( Israelitæ ) in Asion-gaber : inde profecti venerunt in desertum Sin, hæc est Cades. Locus ergo Asion-gaber est inter Hebrona, & desertum Sin, quod & Cades. Est & Portus, 3. Reg. 9. v. 26. Ubi de variis Salomonis operibus : Classem quoque fecit Rex Salomon in Asion-gaber, quæ est juxta Ailath in littore Maris Rubri , | 28 20 | 66 40 |

in

in Terra Idumææ. v. 27. Misitque Hiram ( Rex Tyri ) in classe illa servos suos nauticos, & gnaros maris, cum servis Salomonis. v. 28. Qui cum venissent in Ophir sumtum inde aurum quadringentorum viginti talentorum detulerunt ad Regem Salomonem. 2. Paralip. 8. v. 17. Tunc abiit Salomon in Asion-gaber, & in Ailath ad oram Maris Rubri, quæ est in Terra Edom. v. 18. Misit autem & Hiram per manus servorum suorum naves, & nauticos gnaros maris, & abierunt cum servis Salomonis in Ophir, tuleruntque inde quadringenta quinquaginta talenta auri, & attulerunt ad Regem Salomonem. Post Salomonem navigatio hæc nulla amplius fuit. 3. Reg. 22. v. 49. Rex Josaphat fecerat classes in mari, quæ navigarent in Ophir propter aurum; & ire non potuerunt, quia confractæ sunt in Asion-gaber. 2. Paral. 20. v. 35. Iniit amicitias Josaphat Rex Juda cum Ochosia Rege Israel. v. 36. & fecerunt naves, quæ irent in Tharsis: feceruntque classem in Asion-gaber. v. 37. Prophetavit autem Eliezer Regi . . . dicens: Quia habuisti fœdus cum Ochosia, percussit Dominus opera tua, contritæque sunt naves, nec potuerunt ire in Tharsis. Vide Ophir & Tharsis; duæ etenim classes fuerunt; quarum altera in Occidentem & Tharsim; altera in Orientem & Ophir tendebant.

Asom. V. Iim-Esem.

[30 59 | 66 2] [31 8 | 65 52] [13 4 | 65 47½] Asor, hujus nominis tres sunt urbes in sola Tribu Juda, & una in Nephthali, alia etiam in Ephraim, sed quæ melius scriberetur Asa sive Aza. Eæ autem urbes diversis prænominibus ut plurimum distinctæ sunt, una est Cades-Asor, i. prima sive antiqua Asor: altera Baloth-Asor, i. inferior sive nova, & ultima Asor: & tertia Carioth-Hesron, hæc est Asor, i. Civitas & magna Asor. Vide Cades-Asor, & Baloth-Asor, & Carioth-Hesron, & Animadversiones: quarta etiam est in Tribu Nephthali, quæ Arama-Asor, i. alta sive excelsa Asor. De altera Asar sive Asor, vide Asa.

[32 58 | 67 57] Asoreth gentium. V. Hasoreth.

Asotus. V. Azotus.

[31 28 | 66 15] Asphar lacus, 1. Machab. 9. v. 31. 32. &c. Cum Jonathas principatum ( Israel ) suscepisset, loco fratris sui Judæ mortui, Bacchides . . . . . quærebat eum occidere, & cognovit Jonathas, & Simon frater ejus . . . . & fugerunt in desertum Thecuæ, & consederunt ad aquam lacus Asphar.

[33 18 | 67 28] Assedim-Ser, Josue 19. v. 35. sic legimus, ut totus urbium numerus, quem dat Josue in Tribu Nephthalim, respondeat ad summam, quam novemdecim in universum supputat. Vide Animadversiones. Nec nominis, aut urbis hujus ulla amplius est mentio.

[37 30 | 82 30] Assur filius secundus Sem, Genes. 10. v. 22. Filii Sem: Ælam & Assur, &c. Paulo ante & eod. cap. v. 11. De Terra illa ( Sennaar ) egressus est Assur, & ædificavit Niniven. Ab ipso Assur Assyria dicta est, & Assur Regio ubique pro Assyria dicitur.

[40 30 | 55 55] Assos urbs. Actuum 20. v. 13. & 14. a Troade Asson venit Paulus, ab Asso navigavit Mitylenem cum rediret e Macedonia.

[37 30 | 82 30] Assyria, Asiæ Regio sacris, profanisque Scriptoribus notissima, & quæ ab Assur filio Sem nomen habet: hujus situs est ad Tigrim fluv. sive ad Tigris Orientalem partem; ubi Assur ædificavit civitates Niniven, & Chale, & Resen. Sed in Veteri & Novo Testamento Assyriæ nomen nullum est, nisi sub nomine Assur. Bene quidem Assyriorum, quorum Reges nominantur Phul 4. Reg. 15. v. 19. & alibi. Teglath-phalasar eod. cap. v. 29. qui Tribus Nephthali, Aser, & dimidiam Manasse transtulit in Assyrios. Salmanasar, 17. v. 3. qui etiam transtulit alias septem Tribus Israel. Sennacherib, 18. v. 13. quo Hierusalem obsidente ejus exercitus centum & octoginta quinque millium ab Angelo percussus est, 19. v. 35. Assarraddon eod. cap. v. 29. Nabuchodonosor multoties in Judith, & qui Sedeciam Regem Juda, Hierusalemque cepit, & Judæos in Babyloniam transtulit; sed jam a Nabuchodonosore ipso, Reges ii, Reges Babyloniæ, aut Reges Chaldæorum dicuntur.

[33 56 | 68 17½] Astaroth, quæ & Basan, & Bosran. Deuter. 1. v. 4. Og Rex Basan, qui mansit in Astaroth, & in Edrai. Josue 12. v. 4. Terminus

Og

| | Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. |
|---|---|---|
| Og Regis Basan de reliquiis Raphaim, qui habitavit in Astaroth, & in Edrai; sic aliquoties hæ duæ urbes conjunguntur, quod sedes fuerint Og Regis Basan. Ex 1. Reg. 31. . . . . Saulis interfecti corpus in muris Bethsan suspendunt Philistæi, et posuerunt arma ejus in templo Astaroth, quod erat ( ut credere est ) in urbe Astaroth. Nihilominus ipsa inter Leviticas urbes est, 2. Paral. 6. v. 71. cui respondet Basan etiam Levitica urbs familiæ Gerson concessa ex Josue 21. vers. 71. pro Basan legunt alii Bosran, alii Bostram, ut cum Bostra Ptolemæi, aliorumque conveniat. Inter fortes Davidis est Osia Astarothites 1. Paralip. 11. v. 44. | | |
| Attalia Act. Apost. 14. v. 24. ubi nomen scribitur cum duplici tt, quod aliis omnibus cum simplici. Urbs est in littore Pamphiliæ. | 36 50 | 62 30 |
| Ataroth Numer. 32. v. 3. et seq. Ataroth, et Dibon, et Jazer; aliæque urbes a filiis Ruben, Gad, et dimidia Tribus Manasse, pro sorte sua expetuntur; quod earum territoria alendis animalibus, quibus abundabant, essent apta. v. 34. Extruxerunt filii Gad, Dibon, et Ataroth, et Aroer, &c. De urbibus Archi-Atharoth, Atharoth, et Atharoth-Addar jam diximus in Atharoth. | 81 57 | 67 32 |
| Athach urbs una ex iis, ad quas David partem misit de præda, quam eruerat ab Amalecitis, qui Siceleg incenderant, 1. Reg. 30. v. 30. sed loci illius nulla amplius mentio, vereorque ne eadem sit atque Athmatha. | 31 18 | 66 27 |
| Athar. V. Etham, Ætham. | 31 18 | 65 $52\frac{1}{2}$ |
| Atharoth et Archi-Atharoth et Atharoth-Addar Josue 16. v. 5. Et factus est terminus filiorum Ephraim . . . contra Orientem Atharoth-Addar, usque Bethoron superiorem. v. 6. Egrediunturque confinia in mare. eod. cap. meminit Josue Atharoth v. 7. descenditque de Janoe in Atharoth, et Naaratha, et pervenit in Jericho: egrediturque ad Jordanem, et paulo ante v. 2. et egreditur ( limes Meridionalis Ephraim ) de Bethel-luza, transitque terminum Archi-Atharoth. v. 3. et descendit ad Occidentem juxta terminum Jesleti, usque ad terminos Bethoron inferioris, et Gazer, finiunturque regiones ejus Mari magno. Sunt ergo in Ephraim Archi-Atharoth, Atharoth, et Atharoth-Addar tres urbes. Archi-Atharoth in ea Meridionali linea, quæ distinguit Tribus Benjamin et Ephraim. Atharoth in terminis, qui ad Orientem, et Jordanem sunt. Atharoth-Addar etiam in Oriente, sed quæ ad Tribum Manasse propius accedat. | 31 56<br>31 54<br>32 $2\frac{1}{2}$ | 67 17<br>66 50<br>67 21 |
| Athenæ Act. Apost. 17. v. 15. 16. &c. Athenis Paulus Evangelium prædicavit, v. 34. crediderunt que aliqui, in quibus Dionysius Areopagita. Atheniensium etiam aliquoties mentio 2. Machab. 9. v. 15. et Act. Apost. 17. v. 21. ubi ait Paulus Athenienses ad nihil aliud vacare, quam aut dicere aut audire aliquid novi, v. 22. ipsos per omnia superstitiosiores arguit. Athenæ Græcis, Latinisque Scriptoribus celeberrimæ. | 37 30 | 50 5 |
| Athmatha septima est urbium Regionis septimæ Tribus Judæ. Eam describit Josue 15. v. 54. inter Apheca, et Cariath-Arbe. | 31 18 | 66 27 |
| Ava. Vide Ana. Ubique etenim Ana et Ava simul describuntur. | 29 40 | 81 30 |
| Avim septima inter urbes primæ partis Tribus Benjamin recensetur. Josue 18. v. 23. eaque inter Bethel et Aphara. | 31 46 | 66 54 |
| Auran. Semel atque iterum meminit nominis Auran Ezech. 47. v. 16. Domus Tichon, quæ est juxta terminum Auran, & v. 18. Plaga orientalis de medio Auran. Regio est in 2. Manasse confiniis Auranitidem regionem cum Bathanæa & Trachonitide ubique conjungit Josephus. Eas etenim primum Augustus Herodi concessit, tum Philippo Herodis filio, & tandem ejus nepoti Agrippæ Claudius Cæsar. Vide Joseph. 15. Antiq. 12. & 17. c. 17. & 1. Bell. c. 15. & 2. c. 17. | 33 19 | 67 55 |
| Ausis & Terra Ausidis Hierem. 25. v. 20. eamque in Idumæa, & inter Ægyptum, & Philisthæos locare videtur Propheta, forteque ab Us filio Disan, filii Seir. Alias duas Ausitidis regiones demonstrat eruditissimus, & sagacissimus Brochardus c. 8. lib. 2. partis primæ Geographiæ suæ Sacræ. | 30 25 | 66 0 |
| Azanoth Thabor. Josue 19. v. 34. reverti turque ( a Jordane ) ter- | 32 52 | 67 47 |

| Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. | |
|---|---|---|
| | | minus ( Tribus Nephthali contra Occidentem in Azanoth-Thabor , & inde egreditur in Hucuca . Situs urbis Azanoth-Thabor non longe est a Capharnao, & a Beth-saida , quarum urbium nomina cum non innotuerint nisi mille & quingentis annis postea ; facile concesserim urbem alterutram cum Azanoth-Thabor convenire , forteque Bethsaida ; ut dicemus in Lecum. |
| | | Axaph, Achsaph. Vide Acco. |
| | | Aza. V. Asa. |
| 31 34 | 66 13 | Azeca Josue 15. v. 35. decima est secundæ partis Tribus Judæ, inter Odollam-Socho, & Saraim. |
| | | Azmaueth, Azmoth, Beth-Azmoth. Villa sive prædium penes Hierusalem . 2. Esdr. 12. v. 29. Et de regionibus Geba , & Azmaueth ; quoniam villas ædificaverunt sibi Cantores in circuitu Hierusalem. Dixerat ante 1. Esdr. 2. v. 24. Filii Azmaueth quadraginta duo , & 2. Esdr. 7. v. 28. viri Beth-Azmoth quadraginta duo. Ubi Beth-Azmoth facile videtur idem locus, qui Azmaueth . Sed & Beth-Azmoth idem est quod Domus Azmoth. |
| 31 40 | 65 34 | Azothus. Josue 11. v. 22. non reliquit unum de stirpe Enacim , in Terra filiorum Israel, absque civitatibus Gaza, Geth, & Azoto: in quibus solis relicti sunt. 15. v. 47. Azotus censetur inter urbes, quæ Tribui Judæ assignantur. 1. Reg. 5. v. 1. Philistiim tulerunt Arcam Dei & asportaverunt eam a lapide adjutorii in Azotum , v. 2. tuleruntque in Templum Dagon, & statuerunt eam juxta Dagon, & sequent. quod semel atque iterum corruit ante Arcam Domini. Et aggravata est manus Domini super Azotios . . . ,& percussit in secretiori parte natium Azotum, & fines ejus . . . . & nati sunt mures . Primum ergo Azotii, deindeque arca oppidatim per alias urbes Philisthæorum circumducta aliæ quoque urbes percussæ sunt : donec consilio cum Sacerdotibus suis habito, eam Israelitis remittere cum muneribus, anis scilicet , & muribus aureis, visum fuit . In prima Apostolorum dispersione Philippus post Eunuchum baptizatum, Spiritu raptus in Azoto Christum prædicavit. Act. Apost. 8. v. 40. Ceterum Azotus una est ex quinque Satrapiis Philistinorum , earumque media , & cui Accaron & Geth sunt ad Septentrionem, Ascalon & Gaza ad Meridiem. |
| | | **B** |
| 31 49 | 66 19 | Baala, urbs eadem, quæ & Cariath-Baal. i. urbs Baal, & Cariathjearim. i. urbs sylvarum. V. Cariath-Baal. |
| 31 20 | 65 20 | Baala mons in Tribu Juda versus Ascalonem & Gazam . Et urbs Baala sive Bala, quæ primum Tribus Judæ, posteaque Simeonis fuit , ubi Bala quarta est inter tredecim urbes primæ partis hujus Tribus . Josue 19. v. 3. Baala scripta fuerat in Tribu Juda , eidem Josue 15. v. 29. |
| 32 21 | 66 53 | Baalam , Geth-remmon. Varia sive diversa sunt unius ejusdemque urbis nomina. Baalam 1. Paralip. 6. v. 70. inter Levitarum urbes ex tribu Manasse assumtas , scribitur . Eademque est Geth-remmon Jos. 21. v. 25. etiam inter Levitarum urbes e Tribu Manasse excerptas, & Levitis e familia Caath concessas. Vid. Animadv. |
| 32 6 | 66 59 | Baal-berith . Fanum Baal non longe ab urbe Sichem in monte positum, & ex quo ceperunt Sichimitæ , & dederunt septuaginta pondo argenti Regi suo Abimelech , qui fratres suos septuaginta occiderat . Jud. 9. |
| 33 32 | 67 14 | Baal-gad Josue 11, v. 17. Et partem montis Seir , usque Baalgad , per planitiem Libani, subter montem Hermon . Omnes Reges eorum cepit, percussit, & occidit ( Josue ) non quod Baalgad sit subter montem Hermon, sed quod a monte Seir ad Baalgad Terræ promissæ tractus sit , qui ab extremis partibus Orientis ad Occidentem & Mare magnum demonstretur. Sic & 12. v. 7. a Baalgad in campo Libani , usque montem, cujus pars ascendit in Seir. Et iterum 13. v. 5. Libani regio contra Orientem & Baalgad sub monte Hermon, donec ingrediaris Emath. |

| | Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. |
|---|---|---|
| Baal-hasor, Baalasor, locus, in quo tondebantur Absalonis oves: quo cum ad convivium evocasset omnes fratres suos filios Regis, Absalon fratrem suum Ammon jam temulentum occidi jussit, quod biennio ante sororem suam Thamar violasset 2. Reg. 13. . . . . . Locus putatur juxta Ephraim sive Ephrem, nec longe a monte Ephraim. | 31 51 | 67 6 |
| Baal-Hermon mons, & procul dubio Templum Baal in monte Hermon. Judic. . v. 3. | 33 27 | 68 9 |
| Baal-maon, Baal-meon, Beon. M. mutata in B. Numer. 32. v. 37. & 38. Filii Ruben ædificaverunt Hesebon . . . & Nabo, & Baalmeon. Dixerat paulo ante eod. cap. v. 3. & Nebo, & Beon. Josue 13. vers. 17. in Tribu Ruben scripsit Baalmaon. 1. Paralip. 3. v. 8. Nebo, & Baalmeon. Sic & Ezech. 25. v. 9. Nobis idem est Baal-maon, Baalmeon & Beon. | 31 34 | 67 39 |
| Baal-thamar Jud. 20. v. 33. Filii Israel . . . tetenderunt arcum, in loco, qui dicitur Baal-thamar; in bello contra Tribum Benjamin, quę Levitæ uxorem in stupro extinxerat. | 31 52 | 66 42 |
| Baaras vallis, aut locus in valle. Joseph. 7. Belli c. 25. prope Machæruntem eam describit, asseritque in ea radicem gigni, quæ flammę assimilis circa Vesperam, et tota nocte quasi jubar splendeat, fulguretque, et quæ vim habeat malos spiritus ejiciendi ab obsessis; sed quę difficillime, nec sine periculo e terra erui possit. | 31 25 | 67 15 |
| Babilon, Chaldaiçarum gentium caput, diu summam in toto Oriente obtinuit claritatem, propter quam pars Assyriæ Babylonia appellata est Plin. *6.* c. *26.* Hujus Reges etiam Assyriæ Reges, aut Chaldææ ut plurimum dicuntur: inter quos Nemrod, de quo Genes. 10. vers. 10. Fuit principium regni ejus Babylon, & Arach, & Achad, & Chalanne in Terra Sennaar. 4. Reg. 17. vers. 24. Adduxit autem Rex Assyriorum de Babylone, & de Cutha, & de Avah, & de Emath, & de Sepharvaim ( viros ) & collocavit eos in civitatibus Samariæ, pro filiis Israel. c. 24. vers. 1. Nabuchodonosor Rex Babylonis dicitur, cui Joakim servus sive tributarius factus est tribus annis: eoque postea tributum negante, & paulo post mortuo. vers. *6.* Filius ejus Joachin regnat pro eo. vers. 11. Venitque Nabuchodonosor Rex Babylonis ad civitatem ( Jerusalem ) . . ut oppugnaret eam. vers. 12. Egressusque est Joachin Rex Juda ad Regem Babylonis. vers. 13. & protulit inde omnes thesauros Domus Domini, & Domus regiæ. vers. 14. & transtulit ( Nabuchodonosor ) omnem Jerusalem, & omnes principes, & transtulit quoque Joachin in Babylonem. vers. *16.* duxitque eos Rex Babylonis captivos in Babylonem. vers. 17. & constituit Matthaniam patruum ejus pro eo; imposuitque nomen ejus Sedeciam. vers. 18. & undecim annis regnavit in Jerusalem. vers. 20. recessitque Sedecias a Rege Babylonis. c. 25. vers. 1. Anno nono regni ejus ( Sedeciæ ) Nabuchodonosor iterum obsidet Jerusalem. vers. 4. fugit Sedecias. vers. 5. comprehensusque. vers. *6.* ducitur ad Regem in Reblatha. vers. 7. ubi filii Sedeciæ in conspectu patris occisi sunt, & ipsi effossi oculi, catenisque vinctus adductus est in Babylonem. | 33 15 | 29 30 |
| Baca Joseph. 3. Bell. 4. Unde ( a Bersobe ) superioris Galilææ latitudo incipit, & protenditur ad usque Baca vicum, qui Terram dirimit Tyriorum. | 33 12 | 67 18 |
| Bahurim oppidum sive castrum in Tribu Benjamin. Cum reduceretur ad Davidem Michol, filia Saulis; vir suus alter Phaltiel eam sequebatur plorans usque Bahurim. 2. Reg. 3. Eod. lib. c. *16.* cum fugeret David a facie Absalom, venit usque Bahurim. Et ecce egrediebatur inde vir de cognatione domus Saul, nomine Semei; & maledicebat, & mittebat lapides contra David. Sed Absalone mortuo, & Semei veniam deprecanti ignoscit David. | 31 44 | 66 49 |
| Bala. V. Baala. | | |
| Balaath urbs duodecima in Tribu Dan, Jos. *19.* vers. 44. Eademque est, quæ inter firmissimas Salomonis. 2. Paralip. 8. vers. *6.* | 31 20<br>31 48 | 65 20<br>66 0 |
| Baloth, Asor-Nova lego. Baloth-Asor, quæ est Asor-Nova sive Inferior Asor. Vide Animadversiones. Cæterum Baloth-Asor, quæ est No- | 31 8 | 65 52 |

| | Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. |
|---|---|---|
| Beroth una est in deserto. Deuter. 10. verſ. 6. Filii Iſrael moverunt caſtra ex Beroth filiorum Jacan in Moſera, ubi Aaron mortuus & ſepultus eſt. Locus videtur non longe a Maſeroth. | | |
| Beroth alia eſt inter urbes, quæ cum Gabaonitis Iſraelitas feſellerunt, cum iis fœdus pepigerunt, eaque inter urbes Tribus Benjamin recenſetur. Joſue 18. verſ. 25. & 2. Reg. 4. verſ. 2. ſiquidem Beroth reputata eſt in Benjamin; indeque Banaa & Rechab filii Remmon Berothitæ dormientem Isboſeth occiderunt, & ejus caput ad Davidem attulerunt, ſed eos manibus, & pedibus præciſis interfecit David. Inter fortes, qui Davidi inſervierunt, eſt Naharai Berothites armiger Joab filii Saruiæ. | 31 51 | 66 25 |
| Beroth tertia eſt civitas Regis Adarezer, ex qua David multum æris collegit, & detulit in Jeruſalem, 2. Reg. 8. verſ. 8. & cum hac tertia convenire videtur Berotha, cujus Ezech. 47. verſ. 16. Emath Berotha, Sabarim, quæ eſt inter terminum Damaſci & confinium Emath. | 33 26 | 67 37 |
| Berſabee, prima ea inter omnes ſeptemdecim urbes Tribus Simeon. Joſue 19. verſ. 2. qui ejus Tribus deſcriptionem ab Auſtraliori parte incipit. Ber-ſabee etenim finis dicitur Terræ Promiſſæ ad Meridiem, ut urbs Dan ad Septentrionem. Unde Judic. 20. verſ. 1. Egreſſi ſunt omnes filii Iſrael, & congregati quaſi vir unus, de Dan uſque Ber-ſabee, & 3. Reg. 1. verſ. 10. ut transferatur Regnum de domo Saul, & elevetur thronus David ſuper Iſrael, & ſuper Judam, a Dan uſque Ber-ſabee & 17. verſ. 11. Chuſai dicit ad Abſalom: Congregentur ad te univerſus Iſrael a Dan uſque Ber-ſabee. Vide Lais. Prope Ber-ſabee erat ſolitudo, in qua errabat Agar ab Abrahamo emiſſa cum filio ſuo Iſmael, Geneſ. 21. verſ. 14. Erat & Nemus quod plantavit Abraham: Erat & Puteus, quem foderat, & quem ipſi reddidit Abimelech, increpavitque ſervos ſuos, quod vi eum abſtuliſſent; tum & Abraham, & Abimelech percuſſerunt ambo fœdus, ideoque vocatus eſt locus ille Ber-ſabee, i. Puteus juramenti Geneſ. 21. Ber-ſabee autem, & Sabee, & Baſiothia mihi varia ſunt unius, ejuſdemque loci nomina. Vide Animadv. | 31 11 | 65 16 |
| Ber-ſabee alias Ber-ſobe locus in utriuſque Galilææ finibus, Joſephus, in vita ſua & alibi. | 32 49 | 67 4 |
| Berythus, urbs celebris, & colonia Romanorum in littore Phœniciæ. Joſeph 7. Bell. 20. In cujus concilio ad id congregato, Herodes contra filios, quos ad necem expetebat, multa ferociter criminatus eſt, idem 17. Antiq. 13. in 1. Bell. 16. Berythum ait multis eſſe ornatum ædificiis ab Herode. | 34 0 | 64 40 |
| Beſara, Joſepho in vita ſua, locus eſt in confiniis Ptolemaidis, 20. a Gaba ſtadiis. | 32 51 | 66 52 |
| Beſor Torrens, in Tribuum Simeonis & Judæ finibus, qua in Deſertum iter eſt. Hunc tranſiit David, cum Amalecitas, qui Siceleg incenderant, perſequeretur: Videturque aliquando dici Ægypti Torrens. | 31 10 | 65 30 |
| Beth-acad, & Beth-agum loca non longe a Jezrael, & a Vinea Naboth. Sed nomina hæc vulgata lectio aliter interpretatur. | 32 25 | 66 51 |
| Beth-abara ſic legendum ex Joann. 1. verſ. 28. ubi vulgata lectio habet Bethania. Hæc in Beth-abara (non Bethania) facta ſunt trans Jordanem, ubi erat Joannes baptizans, & ubi Joannes de Chriſto Filio Dei, & de ſe voce clamantis in deſerto teſtimonium dedit. | 32 42 | 67 17 |
| Bethacara 2. Eſdræ 3. verſ. 14. Et portam ſterquilinii ædificavit Melchias filius Rechab princeps vici Beth-acaran. Beth-acarem legit Jeremias 6. verſ. 1. | 31 37 | 66 37½ |
| Beth-agla ſecunda numeratur inter duodecim urbes primæ partis Tribus Benjamin; eaque inter Jericho, & vallem Caſſis, Joſue 18. verſ. 21. nec longe a finibus Tribus Judæ. | 31 32 | 67 4 |
| Beth-agun V. Beth-acad. | 32 27 | 66 46 |
| Beth-anath urbs inter munitiſſimas Tribus Nephthalim. Joſue 19. verſ. 38. & Judic. 1. verſ. 33. Nephthali quoque non delevit habitatores Beth-ſames, & Beth-anath; & habitavit inter Chananæum habitatorem Terræ, fueruntque ei [ Tribui Nephthali ] Beth-ſamitæ & Beth-anitæ tributarii. | 32 57 | 67 33 |

Beth-

| Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. | |
|---|---|---|
| 31 41 | 66 26 | Beth-anoth quinta recenſetur inter ſex urbes Regionis, ſive partis nonæ Tribus Juda, eaque inter Mareth, & Elthecon. Joſue 15. verſ. 59. |
| 31 28 | 66 57 | Beth-araba, quarta deſcribitur inter duodecim urbes primæ partis Tribus Benjamin. Joſue 18. verſ. 22. eademque deſcripta fuerat in Tribu Juda 15. verſ. ubi in deſerto dicitur. Eſt ergo locus communis duabus Tribubus Benjamin, & Judæ: forſitanque Beth-beſſen eadem erit. 1. Machab. *9*. verſ. *62*. *64*. quæ etiam dicitur in deſerto. |
| 32 4 | 67 26 | Beth-aramphta. Vide Julias. |
| 32 7½ | 67 27 | Beth-aran Joſue 13. verſ. 27. In valle quoque Beth-aran, & Beth-nemra &c. in deſcriptione Tribus Gad. anteaque Numer. 32. verſ. 34. Extruxerunt filii Gad... verſ. *36*. & Beth-nemra, & Beth-aran, urbes munitas. Eadem mihi eſt atque Betharamphta, quæ poſtea Julias. |
| 31 45½ | 67 2½ | Beth-aven, in Tribu Benjamin, ubi Solitudo Beth-aven. Joſue 18. verſ. 12. & 1. Reg. 13. verſ. 5. Philiſtiim caſtrametati ſunt in Mechmas ad Orientem Beth-aven. Sed Jonathas Domino confidens cum armigero ſuo Philiſthæos diſperſit, 14. verſ. 13. Pugna pervenit uſque ad Beth-aven verſ. 23. Beth-aven ſitus ex Joſue 7. verſ. 2. Cumque mitteret Joſue de Jericho viros contra Hai, quæ eſt juxta Beth-aven ad Orientalem plagam urbis Bethel. |
| 32 11 | 67 22½ | Beth-bera, Judic. 7. verſ. 24. In expeditione Gedeonis contra Madianitas, ubi Ephraimitæ præoccupaverunt aquas atque Jordanem uſque Beth-bera, ut occurrerent Madianitis fugientibus. |
| | | Beth-berai. V. Beth-lebaoth. |
| 31 52 | 65 52 | Bethcar, 1. Reg. 7. verſ. 11. Egreſſique viri Iſrael de Meſphath, perſecuti ſunt Philiſthæos, & percuſſerunt eos uſque ad locum, qui erat ſubter Bethcar. |
| 32 52 | 67 2½ | Beth-Dagon, urbs decima videtur inter viginti duas Tribus Aſer, quas Joſue deſcribit *19*. verſ. 27. & ad Orientem Labanath, & inter Labanath, & Beth-emeck poſita. Forſitan autem non urbs, ſed tantum locus in hujus Tribus limite. V. Animadverſ. |
| 31 47 | 66 13 | Beth-Dagon urbs decima quarta deſcribitur in regione, ſive parte tertia Tribus Judæ, & inter Gaderoth, & Naama, Joſue 15. verſ. 41. |
| 31 48 | 65 57 | Bethel, inter duodecim urbes primæ partis Tribus Benjamin ſexta deſcribitur a Joſue *19*. verſ. 22. Geneſ. 12. verſ. 8. Abraham tetendit tabernaculum, & altare ædificavit Domino inter Bethel, & Hai, & invocavit nomen ejus, quod ſibi hic apparuiſſet. 28. verſ. 23. .. *19*. Jacob hic vidit in ſomnis Dominum innixum Scalæ, in qua Angeli erant aſcendentes, & deſcendentes: & appellavit nomen urbis Bethel, quæ prius Luza vocabatur. 35. verſ. *6*. Jacob aſcendit in Bethel, & habitavit ibi. verſ. 8. Debora nutrix Rebeccæ mortua & ſepulta eſt prope Bethel, in loco, qui dicitur Quercus fletus. Cæterum Bethel urbs regia fuit, Joſue 12. verſ. *16*. Rex Bethel unus ex iis quos Joſue delevit. Et una ex iis, in quibus Samuel judicabat Iſrael, 1. Reg. 7. verſ. *16*. Sed Jeroboam fecit duos vitulos aureos, poſuitque unum in Bethel, alterum in Dan. 3. Reg. 12. verſ. 29. & 13. verſ. 1. . . Dum ipſe ſacrificat in Bethel, Propheta miſſus e Juda, monet de altari hujus ſubverſione, de ipſomet Rege puniendo: cumque Rex manum extenderet, juberetque Prophetam apprehendi, manus ejus exaruit, nec reſtituta eſt, niſi precibus Prophetæ. 4. Rg. 2. verſ. 23. 24. Cum Eliſæus aſcenderet in Bethel, pueri, qui illuſerunt ei, ab urſis e ſaltu egreſſis lacerati ſunt. |
| 32 51 | 67 9 | Beth-emeth urbs in Tribu Aſer, inter alias viginti duas undecima videtur, forteque tantum decima ad Septentrionem vallis Jephtael, Joſue *19*. verſ. 27. V. Animadv. |
| 33 9 | 67 2 | Bethen ſive Beten in recenſione viginti duarum urbium Tribus Aſer tertia eſt, inter Chali & Achſaph deſcripta. Joſue. *19*. verſ. 25. |
| 32 22 | 67 51 | Beth-enabra, Beth-enabris, oppidum non longe a Gadaris, quod Placidus pro Veſpaſiano cepit, diripuitque, & in confiniis Judæorum magnam ſtragem edidit. Joſephus Bell. 4. c. 25. |
| 31 25 | 67 22½ | Beth-jeſimoth urbs in Tribu Ruben, Joſ. 13. verſ. 20. Ubi Beth-jeſimoth; & Ezechiel 25. verſ. *9*. Beth-jeſimoth. |
| 31 39 | 66 29 | Beth-lehem, Gen. 35. verſ. *16*. ( Jacob ) venit ad Terram, quæ ducit |

| | Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. |
|---|---|---|
| cit Ephratam, in qua cum parturiret Rachel, verſ. 19. mortua eſt, & ſepulta in via, quæ ducit Ephratam, hæc eſt Bethlehem. Gen. 48. verſ. 7. [ Joſeph de Rachele ] & egrediebar Ephratam, & ſepelivi eam, juxta viam Ephratæ, quæ alio nomine appellatur Bethlehem. Ephratæi de Bethlehem fuere Elimelech, & Booz fratres. Ex ultimo & Ruth natus eſt Obed, ex Obed Iſai, & ex Iſai David. Unde Bethlehem dicta eſt civitas David, in quam cum aſcendiſſet Joſeph, eo quod eſſet de Domo David, ut Cæſaris Auguſti edicto obtemperans nomen ac cenſum daret, Maria Virgo Chriſtum peperit, Marc. 1. verſ. 4... Angelique monitu Paſtores verſ. 10. & ſtella præeunte Magi Chriſtum adorant, Matth. 2. verſ. 1... Sed Herodes a Magis illuſus occidit omnes infantes, qui eraut in Bethlehem, Math. 2. verſ. 16. Cæterum Meſſiam in Bethlehem naſciturum Michæas prædixerat annis plus 750. ante Chriſtum natum. | | |
| Beth-lehem in Tribu Zabulon. V. Bethulia. | | |
| Beth-lebaoth, Lebaoth, Beth-berai, unius ejuſdemque urbis varia ſunt nomina, quæ duodecima eſt ex tredecim primis, quas recenſet in prima Tribus Simeonis parte Joſ. 19. v. 6. Ubi Beth-lebaoth ſcribitur. Ea ipſa jam Lebaoth dicta fuit in Tribu Juda, Joſ. 15. v. 32. eademque eſt Beth-berai, 1. Paralip. 4. v. 31. Ut demonſtravimus in noſtris Animadverſionibus, nec amplius horum nominum ulla eſt mentio. | 31 31 | 65 42 |
| Beth-marcaboth, Medemena. Diverſa ſunt unius ejuſdemque urbis nomina, ut demonſtravimus in Animadv. Beth-marcaboth ſcribitur c. 19. Joſue v. 5. ubi decima eſt inter urbes primæ partis Tribus Simeon. Medemena dicta fuit in Tribu Juda, Joſ. 15. v. 31. Sed & iterum ſcribitur Beth-marcaboth, 1. Paralip. 4. v. 31. & iterum Medemena apud Iſaiam 10. v. 31. | 31 27 | 65 32 |
| Beth-maus, Beth-amus, vicus 4. ſtadiis a Tiberiade diſſitus, qua Sephorim iter eſt. Joſeph. in Vita ſua. | 32 35 | 62 28 |
| Beth-nemra alias Nemra, & Beth-aran vicinæ ſunt inter ſe urbes, eæque ad Jordanem. Nemra ſcribitur Numer. 32. v. 3. Beth-nemra, v. 36. & Joſue 11. v. 27. | 32 7 | 67 26 |
| Bethoron inferior. Joſue 10. qua fugiebant Reges, qui Gabaon obſederant, & cum eſſent in deſcenſu Bethoron, Dominus miſit ſuper eos lapides magnos de cœlo, & mortui ſunt multo plures lapidibus grandinis, quam quos gladio percuſſerant filii Iſrael. Ad deſcenſum Bethoron etiam Judas Machabæus Seronem Syriæ exercitus principem occidit, 1. Machab. 3. v. 24. poſteaque & ibidem Lyſiam fugat, occiditque, c. 4. tum & Nicanorem, c. 7. Urbem hanc Bethoron inferiorem, tum & ſuperiorem Sara filia Ephraim ædificavit, 1. Paralip. 7. v. 24. Salomon reparavit, muniitque, 3. Reg. 9. v. 17. & 2. Paralip. 8. v. 5. | 31 58 | 66 32 |
| Bethoron ſuperior urbs in limite Septentrionali Tribus Ephraim, nec longe a Tribu Manaſſe, Joſ. 21. v. 22. & 1. Paralip. 6. v. 68. V. Bethoron inferior. | 32 13 | 66 34 |
| Beth-phelet Joſue 15. v. 27. inter Haſſemon & Haſer-ſual decima quinta eſt primæ partis Tribus Juda. Beth-phalet ſcribitur 2. Eſdræ 11. v. 26. | 31 $7\frac{1}{2}$ | 65 22 |
| Beth-pheſes, ex ſexdecim urbibus, quas in Tribu Iſſachar recenſet Joſue, ea decima tertia eſt, 19. v. 21. inter Enhadda, & Thabor. | 32 29 | 66 57 |
| Beth-phogor. Joſue 13. v. 20. inter urbes Tribus Ruben recenſet Beth-phogor, & Aſedoth-phaſga, & Beth-ſimoth. | 31 33 | 67 $22\frac{1}{2}$ |
| Beth-ſaida Galilææ civitas in Decapoli, & ad Mare Tiberiadis. Ex ea orti ſunt Andreas, Petrus & Philippus Apoſtoli, Joan. 1. v. 44. &c. & in ea Jeſus plurima miracula edidit, ex Matth. Marc. Luc. &c. Ipſi tamen civitati impotentiam exprobat, Matth. 11. v. 21. Luc. 10. v. 13. & Bethſaida aliquando Julias vocata eſt Joſepho 18. Antiq. 3. Philippus etenim Tetrarcha Itureæ, & Trachonitidis Beth-ſaida ſtagno Geneſareth proximam multum ampliavit, habitatorumque multitudine impletam civitatis dignitatem attribuit, & Juliada cognomine Juliæ Cæſaris filiæ vocavit. | 32 44 | 67 38 |
| Beth-ſaliſa, al. Bæſaliſa. | 31 13 | 66 12 |
| Beth-ſames, ſive Beth-ſemes: Tres ſunt hujus nominis urbes, una in | 32 39 | 66 $32\frac{1}{2}$ |

| Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. | |
|---|---|---|
| | | in Tribu Issachar, eaque decima sexta & ultima describitur in ipsa Tribu, Josue *19.* v. 22. |
| 31 51 | 65 48 | Beth-sames alia est in Tribu Dan, seu Juda, quæ quamquam non descripta sit inter omnes urbes, quas Josue recenset in Tribu Juda 15. ea tamen inter Leviticas urbes e Tribu Juda sumtas dicit Josue 21. v. *16.* & 1. Paral. *6.* v. 59. ubi Beth-semes scribitur: Eaque ipsa est, cujus incolæ, cum Arcam Dei a Philisthæis ex Azoto remissam suscepissent, & curiosius introspexissent, percussi sunt ex principibus viris septuaginta, & ex plebe quinquaginta millia, 1. Reg. *6.* v. *19.* Beth-sames fuit sub præfectura Bendecar, 3. Reg. 4. v. *9.* In ea etiam, aut penes urbem Amasias Rex Juda a Joa filio Ochoziæ rege Israel percussus & captus est, 4. Reg. 14. v. 12. 13. 2. Paralip. 25. |
| 32 58 | *67* 22 | Beth-sames tertia est, eaque in tribu Nephthalim, in qua decima nona & omnium ultima describitur, Josue *19.* v. 38. Hujus autem urbis ubique mentio cum Beth-anath. V. Beth-anath. |
| 32 *19* | *67* 31 | Beth-san, postea Scythopolis, Josue 17. v. 11. Fuitque hæreditas Manasse Beth-san, & viculi ejus; sic & v. *16.* Judic. 1. v. *27.* Manasses quoque non delevit Beth-san. 1. Reg. 31. Saule, filiisque ejus in montibus Gelboe victis, cæsisque; Philisthiim præciderunt caput Saul, & spoliaverunt eum armis, & posuerunt arma ejus in templo Astaroth, corpus vero suspenderunt in muro Beth-san. 3. Reg. 4. v. 12. Inter Salomonis principes, Bana filius Ahilud regebat . . . . universam Beth-san. Urbs ipsa est in Decapoli, & penes Jordanem, & Mare Galilææ, inter utramque Tribus Manasses partem posita. Scythopolim eam vocat Joseph. *6.* Ant. c. ult. Nysam Plinius. Sub Scythopoleos nomine celeberrima fuit primis Christianorum temporibus. |
| 31 *16* | *67* 20 | Beth-secca, quam cum Bezec eamdem facio, Judic. *7.* v. 23. fugientes usque Beth-setta (legunt alii Beth-secca) & crepidinem Abel-mehula in Tebbath; de Madianitis, quos Gedeon insequitur. Beth-zeca scribitur 1. Machab. *7.* v. *19.* Et movit Bacchides castra ab Hierusalem, & applicuit in Beth-zeca . . . & comprehendit multos ex eis, qui a se effugerant; & quosdam de populo mactavit, & in puteum magnum projecit. Bezec mihi eadem est. Judic. 1. v. 4. Ascendit Judas (qui post Josue Dux fuit in Israel) & tradidit Dominus Chananæum, & Pherezæum in manus eorum: & percusserunt in Bezec decem millia virorum, v. 5. inveneruntque Adoni-besec in Bezec, v. *6.* comprehenderuntque cæsis summitatibus manuum ejus & pedum. 1. Reg. 11. v. 1. . . . Cum Saul populum omnem ad bellum convocasset contra Ammonitas, qui a civibus Jabes-Galaad oculum dextrum eruere volebant. v. 8. Saul recensuit eos (Israelitas) in Bezec: fueruntque filiorum Israel trecenta millia; virorum autem Juda triginta millia. v. *9.* & dixerunt nuntiis (Jabes-Galaad) qui venerant. . . Cras erit vobis salus. Ex quo Bezec, quæ cis Jordanem, non longe a Jabes-Galaad, quæ trans Jordanem. |
| 31 23 | 67 $22\frac{1}{2}$ | Beth-semes. V. Beth-sames. |
| | | Beth-simoth, Numer. 33. v. *49.* Castrametati sunt (Israelitæ) de Beth-simoth usque ad Abel-satim in planioribus locis Moabitarum. Urbs postea fuit in Tribu Ruben, Josue 13. v. 20. Beth-jesimoth legit Ezechiel 25. v. *9.* |
| 31 42 | *66* $2\frac{1}{2}$ | Beth-sur in nona parte Tribus Judæ, in qua urbes sex, secunda est, Josue 15. v. 58. inter Halhul & Gedor posita. Eam muniit Roboam, 2. Paral. 11. v. *7.* In 2. Esdr. 3. v. *16.* Nehemias filius Azboc dicitur Princeps dimidiæ partis vici Beth-sur. Beth-sura legitur 1. Machab. 4. v. *61.* quam Judas Machab. iterum munivit, ut haberet populus munitionem contra faciem Idumææ. *6.* v. 7. Beth-suram dicit suam 1. in patrimonio Judæ Machabæi; v. autem 50. comprehendit Rex (Antiochus Eupator) Beth-suram, & constituit custodiam, *9.* v. 52. & munivit civitatem Beth-suram (Bacchides contra Judæos.) c. 11. v. *65.* & applicuit Simon (frater Jonathæ) ad Beth-suram, & expugnabat. v. *66.* & cepit civitatem, & posuit in ea præsidium. 14. v. *7.* Dominatus est (Simon Jonathæ frater) Gazaræ, & Beth-suræ & Arci (Hierosolymitanæ) v. 33. & munivit civitates Judææ, & Beth-suram. |

2. Ma-

| | Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. |
|---|---|---|
| 2. Machab. 11. v. 5. & seq. Lysias Judæam ingressus, appropians Bethsuræ, quæ erat in angusto loco, ab Hierosolyma intervallo quinque stadiorum, illud præsidium oppugnabat, sed a Juda Machabæo repulsus, fugatusque pacem cum Judæis a Rege impetrat. | | |
| Beth-Taphua quinta ex urbibus novem septimæ partis Tribus Judæ, eaque inter Janum, & Alphata, Josue 15. v. 53. | 31 16 | 66 26 |
| Bethul, Bathuel, Cesil, varia diversaque sunt unius ejusdemque urbis nomina. Bethul est septima inter primas tredecim urbes Tribus Simeon, Josue 19. v. 4. Cesil eadem scribitur in Tribu Juda, 15. v. 30. Eademque Bathuel, 1. Paralip. 4. v. 30. V. Animadvers. | 31 17 | 65 39 |
| Bethulia, Beth-lehem duodecima est, & ultima inter urbes Tribus Zabulon, quas Josue recenset 19. v. 15. Hæc mihi postea est Bethulia. V. Animadversiones. Bethuliæ meminit aliquoties Sacra Scriptura, sed in unica historia Judith, non alibi, *6. v. 6.* . . . Holofernes præcepit servis suis, ut comprehenderent Achior Ammonitarum Ducem de gente Israelitarum, ( qui magna Dei beneficia in gratiam Israelitarum Holoferni enarraverat ) & perducerent eum in Bethuliam, & traderent eum in manus filiorum Israel; scilicet ut ea capta cum Israelitis puniretur : sed Holofernis servi ab urbe repulsi, eum arbori alligarunt, quem solventes Israelitæ duxerunt Bethuliam, & benigne consolantur. c. 7. . . . Holofernes Bethuliam obsidet, urbis aquæductum præcidit, fontes omnes circumvicinos custodit : eoque adducit cives, ut ipsi sese tradere vellent; cum Judith vidua, oratione ad Deum munita, ab urbe egreditur, & ad Holofernem ducta, eum tandem inebriatum obtruncat ; cujus caput ad suos referens, & ad Bethuliæ muros suspendens, Assyriis fugam, suis prædam magnam dedit. Ex ipsa Bethlehem fuit Abesan Judex in Israel, non ab altera Bethlehem quæ in Juda. | 32 40 | 67 17 |
| Beth-zacara, penes quam Judas Machabæus cum Antiocho Eupatore fortiter pugnavit, qua in pugna Eleazar Judæus castra hostium penetrans, Elephantemque in quo Regem sedere arbitrabatur, occidens, ab occiso corruente oppressus interiit. | 31 33 | 66 33 |
| Betonim est inter urbes Tribus Gad, Josue 13. v. 26. | 32 9 | 67 39 |
| Bezec. V. Bethseca. | | |
| giblius. V. Giblii. | 32 21 | 66 53 |
| Bilaam. V. Geth-remmon. | | |
| Bithynia, Asiæ Minoris regio, inter Bosphorum Thracium & Pontum Euxinum. Hujus mentio Act. Apost. 16. v. 7. & Epist. Petri 1. c. 1. v. 1. | 42 30 | 59 5 |
| Bituminis Putei. V. Putei Bit. | 31 5 | 66 42½ |
| Boni portus, in Creta Insula, Act. Apost. 27. v. 8. In navigatione Pauli, cum Romam duceretur. | 34 10 | 54 5 |
| Booz Ager. V. Ager Booz. | 31 41 | 66 31 |
| Boses. V. Sene. | 31 50 | 66 53 |
| Bosor, Deuter. 4. vers. 43. inter urbes Refugii est Bosor in solitudine, quæ sita in Terra campestri de Tribu Ruben, & Josue 20. vers. 8. de iisdem urbibus trans Jordanem positis : contra orientalem plagam Jericho statuerunt Bosor, quæ sita est in campestri solitudine, de Tribu Ruben. Jos. 21. vers. 38. de urbibus, quæ Levitis ex familia Merari conceduntur : De Tribu Ruben ultra Jordanem contra Jericho, Bosor in solitudine Misor ( sic legendum. ) sic & 1. Paral. *6.* vers. 78. Bosor in solitudine, est inter urbes Levitarum. 1. Machab. 5. vers. 26. & 36. Bosor est inter magnas & munitas urbes, quas in Galaaditide cepit Judas Machabæus. | 31 43 | 67 37½ |
| Bostra. Vide Astaroth. | | |
| Bubastus Ægypti urbs, Ezech. 30. vers. 17. ubi Propheta prædicit totam Ægyptum a Nabuchodonosore Rege vastatam iri. | 30 40 | 63 10 |
| Buz regio videtur in Arabia, aut in Idumæa penes Arabiam, etenim & Bedan, & Thema, & Buz simul nominantur, Jerem. 25. vers. 23. Dedan autem & Thema sunt in Idumæa, & penes Arabiam. | 27 40 | 81 30 |

## C

| Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. | |
|---|---|---|
| 30 54 | 66 33 | Cabseel, omnium prima ea describitur inter centum & quindecim urbes, quas Josue recenset in Tribu Juda: non quod ea sit aliis major, aut aliquid habeat authoritatis; sed quod Josue hujus Tribus descriptionem incipit a Mari Mortuo, & a Meridie.: ubi Cabseel prima occurrit, Josue 15. vers. 21. Hujus urbis fuit Banajas filius Jojadæ viri fortissimi magnorum operum, 2. Reg. 23. vers. 20. 21. & vers. 23. fecitque eum sibi David auricularium a secreto, sic & 1. Paralipom. 11. vers. 32. & seq. |
| 31 30 | 67 37 | Cademoth, Cedimoth, Jethson. Deuteron. 2. vers. 26. Misi (ait Moyses) nuncios de solitudine Cademoth ad Sehon Regem Hesebon verbis pacificis (qui transitum peterent.) 1. Paralipum. 6. vers. 78. de Tribu Ruben. vers. 79. Cademoth quoque inter Leviticas urbes est, Levitis e familia Merari concessas. Cedimoth dicitur Jos. 13. vers. 18. Sed eadem est Jethson eidem Josue 21. vers. 36. etiam inter Leviticas urbes in Tribu Ruben, Levitis Meraritis assignatas. Vid. Animadv. |
| 30 0 | 65 0 | Cades, Urbs, Statio, & Desertum est, quod aliquando Pharan, & Sin vocatur, positum inter Terram promissam, Ægyptum, & Arabiam, ubi Israelitæ annis 40. errarunt. Hujus nominis prima mentio Genes. 14. vers. 7. ubi de Chodorlahomore, & sociis Regibus, qui contra Regem Sodomorum aliosque decertarunt. Cades desertum vocat Regius Psaltes David, Psalm. 28. vers. 8. Idem esse quod Pharan demonstratur, Num. 13. vers. 27. Desertum Pharan, quod est in Cades; idemque quod desertum Sin, Num. 27. vers. 14. Hæ sunt aquæ contradictionis in Cades deserti Sin. 33. vers. 36. Unde (de Asion-gaber) profecti venerunt in desertum Sin, hæc est Cades. Et iterum Deuteron. 32. vers. 51. Prævaricati estis ad Aquas contradictionis in Cades deserti Sin. Urbs etiam est ejusdem nominis, Num. 20. vers. 14. Misit nuncios Moyses de Cades ad Regem Edom, qui dicerent . . . . vers. 16. Ecce in urbe Cades, quæ est in extremis finibus tuis, positi, vers. 17. obsecramus, ut nobis transire liceat &c. Ibidem etiam fuit Israelitarum Statio, Num. 20. 1. Mansit populus (Israel) in Cades, mortuaque est ibi Maria (Soror Moysis) & sepulta. vers. 22. cumque castra movissent (Israelitæ) de Cades, venerunt in montem Hor, Sin, &c. Num. 33. vers. 36. Cades Statio ponitur inter Asion-gaber, & montem Hor. |
| 30 59 | 66 2 | Cades-Asor, sic legimus, ut urbium nomina ad numeri summam, quam colligit Josue, bene conveniant, ut demonstravimus in Animadv. Et hæc erit prima sive antiqua Asor, Josue 15. vers. 23. ideoque disjunctio &, quæ inter Cades & Asor, delenda, Urbs ea est septima in prima parte Tribus Judæ, & inter Adada, & Jethnam-Ziph. V. Asor. |
| | | Cades. V. Cedes. |
| 30 50 | 65 55 | Cades-barne, locus in confiniis, & ad Meridiem Terræ promissæ, de cujus limitibus Numer. 34. v. 4. qui circuibunt australem plagam per Ascensum Scorpionis, ita ut transeant in Senna [ Sina Josue 20. vers. 3. ] & perveniant a Meridie usque ad Cades-barne, unde egredientur confinia ad villam nomine Adar ... Locus est in quo dum Israelitæ morantur, misit Moyses exploratores in Terram promissam. Deuter. 1. vers. 46. Sedistis multo tempore in Cades-barne. |
| 32 37½ | 67 6 | Cadumin, Torrens in Cantico Deboræ & Barac, post victoriam de Sisara Principe exercitus Regis Jabin habitam. Vid. Cison. |
| 32 37½ | 66 22½ | Cæsarea, Urbs maritima, & in medio totius Judeæ littore. olim Turris Stratonis dicta Straboni, Josepho, Plinio. Cæsarea Stratonis Ptolemæo: sed sæpius Cæsarea simpliciter Josepho, Plinio, & aliis: potissimumque in Novo Testamento. Hanc Herodes maximam, & munitissimam reddidit; & metu defectionis Judæorum, genti arcem imposuit; ædificiis ornavit; Templum, Theatrum, Amphitheatrum, Cloacas magnifice extruxit, Portumque Pyræo non minorem adjecit, quem Sebastum, i. Augustum appellavit Joseph. 15. Antiq. & 1. Bell. Act. Apost. 8. vers. 40. Phliippus inventus est in Azoto, & pertransiens evangelizabat civitatibus cunctis, donec veniret Cæsaream. Act. Apost. 9. vers. 10. de |

| | Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. |
|---|---|---|
| 30. de Paulo: Quod cum cognovissent fratres, deduxerunt eum [ quem Judæi volebant occidere ) Cæsaream, & dimiserunt Tarsum. In Cæsarea Cornelius Centurio aliique multi a Petro baptizantur, Act. 10. Herodes Agrippa, cum se Deum nominari a populo sineret, ab Angelo percussus interiit, Act. 12. Philippus Diaconus & Evangelista domum habuit, & ipsi erant quatuor filiæ virgines prophetantes, Act. 21. Agabus Propheta Paulo carcerem, & vincula prædixit, ibid. Paulusque in Jerusalem a Judæis comprehensus Cæsaream mittitur, & in carcere pene per biennium detinetur, Act. 23. & 24. Cæterum Cæsareæ incolæ plurimam partem Græci fuere, Joseph. 2. c. 23. & 34. Bell. & alibi. Eamque dicit 600. stadiis a Jerusalem, 13. Antiq. c. 19. | | |
| Cæsarea Philippi, quæ & Lais & Dan. V- Dan. | 33 $17\frac{1}{2}$ | 67 45 |
| Cain. V. Henech. | 32 44 | 66 36 |
| Callirhoe aquis calidis, aliisque celeberrimus locus, quibus Herodes paulo ante mortem usus est, eæ non longe a Machærunte sunt, & in lacum Asphaltitem effluunt; sed Lasa, quam ex c. 10. Geneseos putat Adrichomius cum Callirhoe convenire posse, diversissima est, eaque cum Lais sive Dan in Nephthali convenit. | 31 $22\frac{1}{2}$ | 67 17 |
| Camon locus dicitur Judic. 10. vers. 5. Mortuusque est Jair ac sepultus in loco, cui est vocabulum Camon. Locus est in Manasse 2. | 32 34 | 68 3 |
| Campestria Deserti, horum mentio est in fuga Davidis, 2. Reg. c. 17. vers. 16. . . & cum Nabuchodonosor Jerusalem obsideret, murumque irrupisset, Sedecias Rex Juda fugit per viam, quæ ducit ad campestria solitudinis: sed a Chaldæis insequutus, & comprehensus in planitie Jericho, adductus est ad Regem Nabuchodonosor. | 31 31 | 67 5 |
| Campestria Jericho. Planities est inter Jericho & Jordanem, campestribus deserti contigua. | 31 $37\frac{1}{2}$ | 67 5 |
| Campus magnus in Galilæa, Judith. 1. vers. 8. inhabitantes Galilæam in Campo magno Esdrelon . . & 4. vers. 5. Esdrelon, quæ est contra faciem magni Campi juxta Dothain . . & 1. Machab. 5. vers. 5. In Campo magno contra faciem Beth-san. 12. vers. 49. . . in Galilæam, & in magnum Campum: dicitur & Campus Mageddo. Extenditur ergo Campus ille magnus per Tribum Manasse, ubi Beth-san & Mageddo; per Tribum Zabulon ubi Dothain, & per Tribum Issachar, quæ inter utramque, & ubi Esdrelon. | 32 30 | 66 40 |
| Campus Sennaar, pene totius Chaldeæ planities est, ubi Babylonem, aliasque urbes Nemrod condidit. | 32 30 | 80 0 |
| Campus Maspha, sive planities, quousque Josue persecutus est Jabin Regem Asor, & ejus socios Reges, quos devicerat ad Aquas Merom, Josue 11. vers. 8. & paulo ante vers. 3. inter Reges, populosque, quos devicit Josue, Hevæum quoque, qui habitabat ad radices Hermon, in Terra Maspha. | 33 $27\frac{1}{2}$ | 67 $17\frac{1}{2}$ |
| Campi Sylvæ, Psalm. 131. vers. 6. Ecce audivimus eam in Ephrata, invenimus eam in Campis Sylvæ. De Arca Domini loquitur Psaltes, quæ fuit in monte Silo in Tribu Ephraim. Ea autem aliquando a Philisthæis capta, cum ad Israelitas remitteretur, in Campum Josue penes Beth-sames deducta est, tum & in Cariath-jarim, sive urbem Sylvarum. | 31 $47\frac{1}{2}$ | 66 20 |
| Cana una est in Tribu Aser cujus meminit Josue 19. vers. 28. eaque non longe a Sidone magna dicitur, & inter urbes viginti duas hujus Tribus decima quinta. | 33 29 | 67 10 |
| Cana alia Galilææ semper dicitur, ad distinctionem alterius quæ in Aser. In Cana Galilææ, Christus vocatus ad nuptias, Aquam in Vinum mutavit, ex Joan. 2. vers. 1. & a Regulo vocatus ut filium suum inviseret, sanaretque, verbo absentem sanavit, Joan. 4. vers. 48. Hujus urbis fuit Nathanael ex Joan. 21. vers. 2. ee quo Christus, Joan. 1. vers. 47. Ecce vere Israelita in quo dolus non est. | 32 49 | 66 57 |
| Canath, Num. 32. vers. 42. Nobe quoque ( ex Israelitis ) perrexit & apprehendit Canath cum viculis suis, vocavitque eam ex nomine suo Nobe. Nihilominus etiam 1. Paralip. 2. vers. 23. Cepit . . . Jair & Canath, & viculos ejus sexaginta civitatum, nulla mentione facta nominis Nobe. Etiam apud exteros nomen primum invaluit. | 33 20 | 68 19 |

| Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. | |
|---|---|---|
| 31 54 | 66 28 | Caphara decima ſeptima inter urbes viginti ſex Tribus Benjamin, eaque in parte ſecunda, nec longe a Maſpha, & Amoſa, Joſue 18. verſ. 28. Olimqne ſub ditione vel in ſocietate urbis Gabaon. V. Gabaon. |
| 32 59 | 67 22 | Capharath Galilææ oppidum aut vicus, quod munivit Joſephus. In vita ſua. |
| 32 44 | 67 48 | Capharnaum, Chriſtus relicta civitate Nazareth, ( in qua conceptus & educatus fuerat ) venit & habitavit in Capharnaum maritima, in finibus Zabulon & Nephthalim, Matth. 4. verſ. 13. ideoque cum ipſe Marcus dicit Chriſtum intraſſe in Capharnaum, 2. verſ. 1. Matthæus in civitatem ſuam veniſſe ait, 9. verſ. 1. Hanc ergo urbem inhabitans Chriſtus, domi, ut plurimum diſcipulos; Sabbathis populum in Synagoga Evangelii doctrinam docuit, innumeraque miraculorum genera, & in urbe, & circa urbem patravit. In Synagoga Dæmonem obmuteſcere juſſum ab homine ejicit, Luc. 4. verſ. 33. . . Marcus 1. verſ. 23. . . Surgens a Synagoga intravit in domum Simonis, & ſocrum ipſius a mala febri ſanavit, Luc. ibid. verſ. 38. . Marc. 1. verſ. 31. Veſpere facto, ægrotos undecumque allatos curat, & Dæmones, etiam ipſum Filium Dei confitentes, obmuteſcere facit, ejicitque, Luc. ibid. verſ. 40. . Marc. 1. verſ. 32. Paraliticum, nudato tecto, ante ſe demiſſum, peccatis abſolvit, ſanumque in domum ſuam remiſit, Luc. 4. v. 18. . . Marc. 2. verſ. 3. . . Matth. 9. verſ. 2. . . Centurionis ſervum ( Reguli filium facere videtur Joannes ) paralyticum, moriturumque & abſentem verbo ſanavit, Luc. 7. verſ. 2. . . Matth. 8. verſ. 5. . . Joan. 4. verſ. 46. . . dum ad Jairi Principis Synagogæ filiam duodennem pergit, ut eam a morbo liberet; mulieri veſtis ſuæ fimbriam tangenti profluvium ſanguinis ſedavit, Luc. 8. verſ. 43. . . . . Marc. 5. verſ. 25. Matth. 9. verſ. 20. . . . Jairi filiam jam mortuam in vitam revocavit, Luc. ibid. verſ. 50. . . . Marc. 5. verſ. 35. . . . Matth. 9. verſ. 24. . . & Chriſto illinc egredienti cœcis duobus, & in ſe credentibus oculos aperuit, Matth. ibid. verſ. 27. . . . tum & hominem mutum, & dæmonium habentem, ejecto dæmonio loquentem reddidit, ibid. verſ. 32. . . . Exactoribus didrachma petentibus Petrus Chriſti juſſu piſcem capit, ſtateremque in piſce invenit, ſolvitque, Matth. 17. verſ. 26. Attamen Capharnaum numeratur inter urbes, quibus propter impœnitentiam, ultimam, & æternam perditionem, etiam præ Sodomis minitatur Chriſtus, Luc. 10. verſ. 15. Pro Capharnao, Capharnon legit Joſephus in vita ſua. V. Lecum. |
| 30 0 | 65 0 | Caphtorim, Geneſ. 10. verſ. 13. 14. Meſraim genuit .... & Phetruſim, & Chaſſuim: de quibus egreſſi ſunt Philiſtiim & Caphtorim. idem eſt 1. Paralip. 1. verſ. 12. Caphtorim poſuimus inter Ægyptum, & Terram promiſſam; c. 2. autem Deuteron. verſ. 23. ubi Cappadoces & Cappadocia legitur, qui Hevæos a ſedibus ſuis expulerant, Caphtorim legendum putant aliqui, ut & Jeremiæ 47. verſ. 4. ſorteque & in Amos 9. verſ. 7. |
| 40 0 | 68 0 | Cappadocia Aſiæ Minoris Regio Mediterranea, cujuſque mentio eſt Act. Apoſt. 2. verſ. 9. & 1. Epiſt. Petri c. verſ. 1. V. Caphtorim. |
| 37 0 | 59 0 | Carcaa locus inter Adar, & Aſemona; in limite Meridionali Tribus Judæ, Joſue 15. verſ. 3. |
| 30 56 | 65 35 | Caria Aſiæ Minoris Regio Maritima, 1. Machab. 15. verſ. 23. |
| 31 39 | 66 46 | Cariath vigeſima-ſexta, & ultima deſcribitur inter urbes Tribus Benjamin, Joſue 18. verſ. 28. |
| 32 52½ | 67 38 | Cariath-aim, Carthan. Cariath-aim urbis, quæ in Tribu Nephthali, unica mentio eſt 1. Paralip. 6. verſ. 76. inter Leviticas urbes filiis Gerſon conceſſas, & e Tribu Nephthali excerptas, hanc ipſam Joſue vocat Carthan, 21. verſ. 32. V. Animadv. |
| 31 22 | 67 34 | Cariath-aim, alia eſt in Tribu Ruben, cujus meminit Geneſ. 14. v. 5. cum Chodorlahomor, & Reges qui erant cum eo, percuſſerunt . . . Et Emim in Save i. valle Cariath-aim. Num. 32. verſ. 37. Filii Ruben ædificaverunt Heſebon . . & Cariath-aim. Joſue 13. in deſcriptione Tribus Ruben, verſ. 19. eſt Cariath-aim. Hujuſque meminere Jeremias & Ezechiel. |
| 31 21 | 66 23 | Cariath-Arbe, Cariath Hebron. V. Hebron. |
| 31 49 | 65 19 | Cariath-Baal, ſive Cariath-jarim. Utriuſque nominis meminit Joſue 15. |

| | Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. |
|---|---|---|
| 15. verſ. 60. in decima parte Tribus Judæ; in qua duas tantum urbes recenſet, quæ Cariath-Baal, hæc eſt Cariath-jarim urbs ſylvarum, & Arebba. Iterum & utriuſque nominis meminit in limite Tribus Benjamin, 18. verſ. 14. ſuntque exitus ejus in Cariath-Baal, quæ vocatur & Cariath-jarim urbs filiorum Juda. Urbs etiam hæc vocatur Baala in limite Septentrionali Tribus Juda, Joſue 15. verſ. 9. inclinaturque ( Limes Juda ) in Baala, quæ eſt Cariath-jarim i. Urbs ſylvarum. Baala etenim & Cariath-Baal idem, i. Urbs aut civitas Baal, ſive Baala. In urbe aut penes Cariath-jarim aliquandiu manſerunt Danitæ, qui novam poſſeſſionem quærentes, Lais urbem Sidoniis eripuere, & occupavere, Judic. 18. verſ. 12. Ab urbe Beth-ſames in Cariath-jarim primum reducta eſt Arca Domini, manſitque in domo Aminadab viginti annis, & a Cariath-jarim eam tranſtulit David in domum Obed-Edom; indeque poſt aliquot menſes in Jeruſalem. | | |
| Cariath-ſeuna. V. Dabir. / Cariath-ſepher. V. Dabir. | 31 10 | 65 58 |
| Carioth-Heſron. V. Aſor. | 31 4 | 65 $47\frac{1}{2}$ |
| Carith Torrens inter Tribus Benjamin, & Ephraim, 3. Reg. 17. verſ. 3. 5. 6. Abiit ( Elias ) & juxta verbum Domini ſedit in Torrente Carith, qui eſt contra Jordanem. Corvi deferebant ei panem, & carnes mane; ſimiliter panem & carnes veſperi: & bibebat de Torrente. | 31 $47\frac{1}{2}$ | 67 $12\frac{1}{2}$ |
| Carmelus Mons in Tribu Ephraim, notiſſimus propter altitudinem, & fertilitatem, potiſſimumque propter Eliæ hiſtoriam, qui hic quadringentos quinquaginta Prophetas Baal nequidquam ſacrificare conatos, occidi juſſit, 3. Reg. 18. Joſue 12. verſ. 22. inter Reges a ſe devictos, habet: Rex Jeconam Carmeli unus. Jeconam tamen eſt in Tribu Zabulon. Iterum Joſue 19. verſ. 26. de limite Tribus Aſer: & pervenit ( inquit ) ad Carmelum maris. Ex quo ut apparet Carmelus Mons radices agit ad uſque Jeconam, & ad fines Tribus Aſer. | 32 50 | 66 46 |
| Carmeli Vallis Joſepho dicitur Convallis in Tribu Zabulon, quæ a Carmelo Monte nomen habet. Vallis eſt inter Canam Galilææ & Nazareth, & quæ a Sephori Carmelum uſque deſcendit. | 32 45 | 66 50 |
| Carmelon. | 32 46 | 66 $47\frac{1}{2}$ |
| Carmelus, ſive Carmel in parte octava Tribus Judæ, in qua urbes ſunt decem; ea ſecunda deſcribitur inter Maon, & Ziph, Joſue 15. verſ. 55. Eſt & prope urbem ejuſdem nominis Mons, in quo Saul poſt victoriam, quam ab Amalecitis reportarat, ſibi fornicem triumphalem erexit, 1. Reg. 15. verſ. 11. 12. ſed quod contra Dei mandatum prædam opimam reſervarat, & Regem Agag vivum ſuſtinuerat, pœnituit Dominum quod Saul Regem conſtituiſſet. 1. Reg. 25. verſ. 2... In Carmelo erat poſſeſſio Nabal viri ditiſſimi ſed peſſimi: cujus uxor fuit Abigail mulier ſpecioſa & prudentiſſima. Et cum Davidi victum petenti Nabal ipſe negaſſet, dedit ipſa Abigail, Davidemque oratione placavit: & ipſo Nabal ſtatim defuncto, eam David in uxorem accepit. Inter fortes Davidis fuit Heſrai de Carmelo, 2. Reg. 23. verſ. 35. Ozias Rex vineas habuit & vinitores in Carmelo, erat quippe homo agriculturæ deditus, 2. Paralip. 25. verſ. 10. | 31 7 | 66 $32\frac{1}{2}$ |
| Carnaim, legunt alii Aſtaroth-carnaim conjunctim, Geneſ. 14. verſ. 5. in bello Chodorlahomoris contra Sodomorum Reges. 1. Machab. 5. verſ. 26. Carnaim ſimpliciter ſcribitur urbs magna, & munita in Galaaditide. verſ. 43. De iis quos Jonathas Mach. a ſuorum obſidione repulit: Projecerunt, inquit, arma ſua, & fugerunt ad fanum, quod erat in Carnaim. verſ. 44. & occupavit ipſam civitatem & fanum ſuccendit igni, cum omnibus qui erant in ipſo, & oppreſſa eſt Carnaim. | 32 22 | 68 22 |
| Cartha. V. Ceſeleth-Thabor. | 32 37 | 67 $2\frac{1}{2}$ |
| Carthan. V. Cariath-aim. | 32 $52\frac{1}{2}$ | 67 $37\frac{1}{2}$ |
| Caſaloth, ſecunda urbs ex Sexdecim Tribus Iſſachar, eaque inter Jezrael & Sunem deſcripta Joſue 19. verſ. 18. Cum Xaloth Joſephi facile conveniet. V. Xaloth. | 32 35 | 66 36 |
| Casbon. Caſphor ſcribitur 1. Machab. 5. verſ. 26. inter urbes munitas, in quibus Galaaditæ comprehenſos tenebant Iſraelitas: eademque, | 32 17 | 67 $52\frac{1}{2}$ |

eodem

| Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. | |
|---|---|---|
| | | eodem cap. verſ. 36. ſcribitur Casbon, quam Judas Machabæus cepit. |
| 31 57 | 65 58 | Caſphin. Civitatem hanc firmam, pontibus, muriſque circumſeptam, & quæ a turbis habitabatur promiſcuarum gentium, cepit Judas Machabæus, & tantam fecit civium ſtragem, ut adjacens ſtagnum ſanguine interfectorum fluere videretur, 2. Machab. 12. & ſequenti. |
| | | Caſphor. V. Casbon. |
| 31 32 | 65 45 | Caſtra Dan duobus in locis deſcribuntur. Judic. 13. verſ. 25. de Samſone ſic ait: Cœpitque Spiritus Domini eſſe cum eo, in Caſtris Dan, inter Saraa & Eſthaol. Cap, autem 18. verſ. 12. de ſexcentis viris Danitis, qui ſibi poſſeſſionem quærebant, manſerunt in Cariath-jarim Judæ, qui locus ex eo tempore Caſtrorum Dan nomen accepit: & eſt poſt tergum Cariath-jarim. |
| 32 47 | 67 8 | Catheth-Naalol; ſic in unam vocem legimus. Eam Joſue recenſet inter urbes Tribus Zabulon, 19. verſ. 15. inter Vallem Jephtael & Semeron. Cum Cethron & Naalol facile etiam eamdem fecerim, ut & cum Neela. T. Ceſeleh-Thabor. |
| 33 51 | 51 10 | Cauda Inſula penes Cretam Inſulam Act. Ap. 27. verſ. 16. in navigatione Pauli. |
| 29 30 | 75 0 | Cedar ſecundus filiorum Iſmaelis, qui omnes inter Sur, & Hevila in Arabia ſedes habuere. Hujus nominis aliquoties mentio eſt in Veteri Teſtamento, & ubique videtur in Arabia, potiſſimumque Iſaiæ 60. ubi poſt aliquas Arabiæ partes populoſque recenſitos habet etiam verſ. 7. Omne pecus Cedar congregabitur tibi, arietes Nabajoth miniſtrabunt tibi, &c. Nabajoth unde Nabathæi populi, & Cedar filii ſunt Iſmael, Ezech. 27. verſ. 21. Arabia & univerſi principes Cedar. V. Iſmael. |
| 32 34 | 68 7 | Cedar ex libro Judith 1. verſ. 8. & ex Pſalm. 119. verſ. 5. & ex Iſaia 21. verſ. 16. & 17. urbem intelligunt, eamque in Tribu Manaſſe 2. Maluerim ubique regionem intelligere, ubi Tabernacula Cedar. V. Tabernacula Cedar. |
| 33 4 | 67 32 | Cedes, & aliquando Cedes Nephthali, & Cedes in Galilæa: quod & aliæ ſint Cedes ſive Cades urbes. Hæc autem deſcribitur in Tribu Nephthali, inter Arama-Aſor, & Edrai-Enhaſor, Joſue 19. verſ. 37. cap. autem 20. v. 7. pro civitatibus refugii datur: Decreveruntque Cedes in Galilæa montis Nephthali, & 11. verſ. 32. inter Leviticas urbes de Tribu Nephthali eſt Cedes in Galilæa. ſic & 1. Paralip. 6. verſ. 76. Judic. autem 4. verſ. 6. Prophetiſſa Debbora vocavit Barac filium Abinoen de Cedes Nephthali ad dimicandum contra Siſaram. Cades cujus mentio 1. Machab. 11. verſ. 63. & 73. eadem eſt, ut & Cades urbs Regia ex Joſue 12. verſ. 22. & Cedaſa ſive Cedeſſa Joſephi. |
| 28 30 | 78 30 | Cedma ultimus filiorum Iſmaelis, 1. Paralip. cap. 1. verſ. 31. Vide Iſmael. |
| 30 20 | 66 45 | Ceelatha. Numer. 22. Iſraelitarum ſtatio in deſerto, inter Reſſa & montem Sepher. |
| 30 31 | 66 17 | Ceila in regione quarta Tribus Judæ urbs ſeptima ea deſcribitur, Joſue 15. verſ. 44. 1. Reg. 23. verſ. 1. Philiſthiim oppugnant Ceilam & diripiunt areas. Eod. cap. v. 5. Abiit David, & viri ejus in Ceilam, & pugnavit adverſum Philiſthæos .... & percuſſit eos & ſalvavit habitatores Ceilæ, ne tamen in Saulis manus traderetur, a viris Ceila in deſertum Ziph cum ſuis fugit. 2. Eſdræ 3. verſ. 17. Haſebias dicitur princeps dimidiæ partis vici Ceilæ, & verſ. 18. Bavai filius Enadad dicitur princeps dimidiæ partis vici Ceilæ. |
| 32 0 | 75 0 | Cellon alias Chellon. Judith. 2. v. 13. & filios Iſmael, qui erant contra faciem deſerti, & ad Auſtrum Terræ Cellon... v. 14. & tranſivit Euphratem & venit in Meſopotamiam. Terra Cellon videtur inter Arabiam, ubi Iſmaelitæ, & Euphratem qua Meſopotamiam iter eſt. |
| 37 10 | 49 15 | Cenchræ. In Act. Ap. 18. v. 18. & in Epiſt. Pauli ad Romanos 16. v. 1. ſcriptum eſt ubique Cenchris. Græci autem & Latini ſcriptores omnes Cenchreas locum illum vocant. Corinthiorum navale ad Orientem, & Saronicum Sinum. |
| 33 10 | 67 36 | Cenereth, Ceneroth. Urbs, Regio, & Mare ſive lacus, Joſue 19. v. 35. poſt terminos Tribus Nephthali datos, in ipſa Tribu enumerat urbes munitiſſimas Aſſedim, Ser, & Emath, & Reccath, & Cenereth. |

Ex

| | Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. |
|---|---|---|
| Ex ipsa urbe Cenereth Regio circumvicina, & Mare regioni contiguum nomen traxere. De Mari Cenereth: Numer. 34. v. 11. Inde ( a Rebla contra fontem Daphnis ) pervenient, Terræ Promissæ primi limites, juxta Orientem ad Mare Cenereth, & Deut. 3. v. *16.* 17. de limitibus Tribuum Ruben & Gad, quas trans Jordanem, & extra Terræ Promissæ limites locavit Josue: Et Tribubus Ruben ( inquit ) & Gad dedi planitiem solitudinis & Jordanem, & terminos Cenereth, usque ad Mare deserti. Iterumqne Josue speciatim de limite Tribus Gad 13. v. 27. Hujus quoque finis Jordanis est usque ad extremam partem maris Cenereth trans Jordanem, & Orientalem plagam. Mare, quod huc usque Cenereth dictum fuit, alibi etiam Ceneroth vocatur. Ipsemet Josue 12. v. 3. in descriptione Regni Sehon Regis Amorrhæorum, qui longe lateque imperarat trans Jordanem: A solitudine ( inquit ) usque ad Mare Ceneroth contra Orientem, & usque ad Mare deserti. Regio etiam circumvicina est Ceneroth, Josue 11. v. 2. de Rege Jabin, qui hortatur sibi vicinos Reges, Populosque, ut junctis copiis Israelitas repellant: Mittit ad Reges Aquilonis, & qui habitabant in montanis, & in planitie contra Meridiem Ceneroth. Et 3. Reg. 15. v. 20. Acquiescens Benadad Rex Syriæ, regi Judæ Asa, misit principes exercitus sui in civitates Israel: & percusserunt Ahion & Dan, & Abel-domum-maacha, & universam Ceneroth; omnem scilicet Terram Nephthali. Per universam Ceneroth videtur ipsemet interpretari Terram sive Tribum Nephthali. Nominibus Cenereth & Ceneroth pro Urbe & pro Regione, & pro Mari demonstratis; idem erit de Genesar, & Genesareth pro Regione, & pro Mari, non item pro Urbe, Matth. 14. v. 34. de Jesu & Discipulis suis. Et cum transfretassent, venerunt in Terram Genesar, & ex Marco, qui eamdem rem iisdem verbis describit, *6.* v. 53. Et cum transfretassent, venerunt in Terram Genesareth. Mutato tantum nomine Genesar in Genesareth, ex quo Genesar, & Genesareth, eadem erit Regio; & ex Regione Lacus, sive Stagnum, sive Mare vicinum nomen etiam sortitur. Vocatur Aqua Genesar, 1. Mach. 11. v. *67.* Jonathas, & castra ejus applicuerunt ad Aquam Genesar. Stagnum Genesareth, Lucæ 5. v. 1. Et ipse ( Jesus ) stabat secus Stagnum Genesareth. Quod hic Stagnum, aliis Evangelistis est Mare Galilææ, Matth. 15. v. 10. Marco 7. v. 31. Joan. *6.* v. 1. Est etiam lacus Genesaret Joseph. in vita sua. V. Mare Galilææ. | | |
| Ceni, Regio sive districtus, cujus mentio 1. Reg. 27. v. 10. Cum David profugus imponeret Achi Regi se prædam abegisse, ex variis Tribus Judæ locis; eam tamen sibi amicam postea demonstrat, cum ex Amalecitarum præda, iis, qui in urbibus Ceni essent, prædæ partem dedit, 1. Reg. 30. v. 29. | 31 $7\frac{1}{2}$ | *66* 5 |
| Ceseleth-Thabor, Thabor, Cartha. Unius ejusdemque urbis varia, diversaque sunt nomina. Ceseleth-Thabor, Jos. 19. v. 12. in recensione urbium Tribus Zabulon. Eadem proculdubio est Thabor, 1. Paralip. *6.* v. 77. inter urbes Leviticas e Zabulone Tribu desumtas; eademque est Cartha etiam inter easdem urbes Leviticas, Josue 21. v. 34. Sed & Cethron mihi eadem videtur, Judic. 1. v. 30. ubi Zabulon non delevit habitatores Cethron & Naalol: nisi Cethron & Naalol in unum nomen coaleant, respondeantque cum Cateth-Naalol. Saltem cum alterutra convenit, ut omnia urbium hujus Tribus nomina, quæ recenset Josue, ad duodecim redigantur. | 32 37 | *67* $2\frac{1}{2}$ |
| Cesil. V. Bethul. | | |
| Cesion octava inter sexdecim urbes Tribus Issachar, Josue 19. v. 20. eaque inter Robboth & Abes. Josue autem 21. v. 28. ipsam Cesion recenset inter urbes Leviticas, quæ in Tribu Issachar Levitis familiæ Gerson conceduntur. Sed ipsamet Cesion, Cedes scribitur 1. Paralip. *6.* v. 72. V. Animadv. | 32 27 | *67* $22\frac{1}{2}$ |
| Cethlis ex urbibus sexdecim tertiæ partis Tribus Juda, ea est duodecima, & inter Leheman & Gederoth descripta, Josue 15. v. 40. | 31 $42\frac{1}{2}$ | *66* 21 |
| Cethron. V. Ceseleth-Thabor. | 32 35 | *67* 3 |
| Cetthim alias Cethim, Genes. 10. v. 4. Filii Javan: Elisa, & Tharsis, & Cetthim, & Dodanim. Eadem repetuntur 1. Paralip. 1. v. 7. pro | 41 30 | 47 30 |

| Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. | |
|---|---|---|
| | | pro Cettbim Macedoniam interpretor ; unde Isaiæ 23. v. 12. . . . . Filia Sidonis : in Cethim consurgens transfreta , ibi quoque non erit requies tibi . Jerem. 2. v. 10. Transite ad Insulas Cethim . Per Insulas pene ubique Pen-insulas intelligit Vetus Testamentum , sed & disertissime Macedonia est Cethim ex 1. Mach. c. 1. v. 1. Et factum est, postquam Alexander Philippi Macedo , qui primus regnavit in Græcia , egressus de Terra Cethim , percussit Darium Regem Persarum , & Medorum : atqui Alexander de Macedonia egressus est. Vide Javan. |
| | | Chabolon. V. Chabul. |
| 33 40 | 75 20 | Chabor, Habor, Abor. V. Habor. |
| 33 2 | 67 14 | Chabul , Josue 19. v. 29. in Tribu Aser , non urbs ; sed regio videtur , & Terra Chabul sive viginti oppida in Terra Galilææ , quæ Salomon dedit Hiram Regi urbis Tyri ; a Tyro ad Orientem sita fuisse videntur , forsitanque & tota Tribus Aser hic intelligitur , 3. Reg. 9. v. 11. v. autem 12. Et egressus est Hiram de Tyro, ut videret oppida, quæ dederat ei Salomon, & non placuerunt ei. v. 13. & appellavit ea Terram Chabul , i. abjectam . Chabolon Josephi in finibus Ptolemaidis cum Chabul eamdem facio , in vita sua , forteque & in regione vicus. |
| 33 15 | 80 55 | Chalanne, Genes. 10. v. 10. de Nemrodo : Fuit autem principium regni ejus Babylon, & Arach , & Achad , & Chalanne in Terra Sennaar . Calano , Isaiæ 10. v. 9. Chalane scribit Amos 6. v. 2. locum puto , ubi postea Ctesiphon, hodieque Bagded. |
| 32 0 | 80 0 | Chaldæa, Chaldæi . Chaldæa Asiæ Majoris Regio notissima, & fertilissima , Genes. 11. v. 28. Mortuusque est Aran ( Amram ) ante Thare patrem suum, in terra nativitatis suæ, in Ur Chaldæorum , & v. 31. Tulit itaque Thare Abram filium suum, & Lot filium filii sui Aran . . . . & eduxit eos de Ur Chaldæorum, ut irent in Terram Chanaan . Chaldææ autem mentio est tantum in prophetiis Hieremiæ , & Ezechielis . Chaldæorum autem multoties in toto Veteri Testamento . Notandumque Reges Assyriorum aliquando Reges Assur, aliquando Reges Chaldæorum , & aliqnando Reges Babyloniæ vocari . Assyria etenim amplectitur Assyriam stricte sumtam , Mesopotamiam , & Chaldæam ; Chaldææque Metropolis fuit Babylon. |
| 38 30 | 78 35 | Chale, Hala, Lahela . Unius ejusdemque urbis varia sunt nomina , Genes. 10. v. 11. de Terra illa ( Sennaar ) egressus est Assur, & ædificavit Niniven, & plateas civitatis, & Chale . . . . . . v. 12. Resen quoque inter Niniven & Chale, hæc est civitas magna. Eadem Chale, Hala vocatur 4. Reg. 17. v. 6. transtulit ( Rex Assyriæ ) Israel in Assyrios : posuitque eos in Hala , & in Habor juxta fluvium Gozan , iterumque 18. v. 11. transtulit Rex Assyriorum Israel in Assyrios : collocavitque in Hala & in Habor fluviis Gozan. Lahela est 1. Paral. 5. v. 26. Et transtulit eos in Lahela , & in Habor , & Ara , & fluvium Gozan. Legunt aliqui Chala sive Chale , & Chabor , & Charan sive Charran, quæ est Carræ . |
| 33 17½ | 67 8 | Chali , Josue 19. v. 15. secundam describit inter viginti duas urbes Tribus Aser. |
| 25 0 | 45 0 | Cham filius Noe, Genes. 5. v. 31. Noe cum quingentorum esset annorum genuit Sem , Cham , & Japhet. 6. v. 10. Et genuit ( Noe ) tres filios Sem, Cham, & Japhet. 7. v. 13. In articulo diei illius ( diluvii ) ingressus est Noe, & Sem , & Cham , & Japhet filii ejus . . . in Arcam. 9. v. 18. Erant filii Noe, qui egressi sunt de Arca , Sem , Cham, & Japhet. 10. v. 1. Hæ sunt generationes filiorum Noe : Sem , Cham, & Japhet , &c. 1. Paral. 1. v. 4. Noe, Sem , Cham , & Japhet . Ex quibus ubique Cham secundus nominatur Noe filius . Ipsi Chamo, posterisque Lybia sive Africa omnis concessa est ; unde Psalm. 77. Et percussit omne primogenitum in Terra Ægypti , primitias omnis laboris eorum in Tabernaculis Cham . Cujus scilicet posteri Africam, Ægyptumque tenuere . . . . iterum Psalm. 104. v. 23. Et intravit Israel in Ægyptum, & Jacob accola fuit in Terra Cham . v. 27. Posuitque in eis verba signorum suorum , & prodigiorum in Terra Cham. Psalm. 105. v. 21. obliti sunt Deum, qui salvavit eos, qui fe- |

cit

| | Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. |
|---|---|---|
| cit magnalia in Ægypto, v. 22. mirabilia in Terra Cham. terribilia in Mari Rubro. Ubi Terra Cham eadem est quæ Africa & Ægyptus: Cham filii fuere, Genes. 10. v. 6. Filii Cham: Chus, & Mesraim, & Phuth, & Chanaan. Ex quibus Mesraim Ægyptum, viciniaque tenuit; Phuth Africam, Mauritaniam, &c. Sed Chus, & Chanaan sedes in Asia quæsiere. | | |
| Chanaan. Terra Chanaan & Chananæi populi a Chanaan quarto & ultimo filio Cham nomen habent, Genes. 9. v. 18. Cham ipse est pater Chanaan, 10. v. 6. Filii Cham: Chus, & Mesraim, & Chanaan, v. 15. Chanaan genuit Sidonem primogenitum suum, Hethæum, v. 16. & Jebusæum, & Amorrhæum, Gergesæum, v. 17. Hevæum & Aracæum: Sinænm, v. 18. & Aradium, Samathæum, & Amathæum. Et post hæc disseminati sunt populi Chananæorum, v. 19. factique sunt termini Chanaan venientibus a Sidone Geraram usque Gazam, donec ingrediaris Sodomam, & Gomorrham, & Adamam, & Seboim usque Lesa (est ipsa Lais sive Dan.) Singulos Chanaan filios vide suis locis. | 32 30 | 67 0 |
| Charabe vicus in Galilæa superiori, quem, quod in prærupto situ esset, muniit Josephus in vita sua. | 33 11 | 67 $27\frac{1}{2}$ |
| Charam, Haran, Aran, Carræ. Charam in 11. Tobiæ v. 1. cum Charan sive Aran Mesopotamiæ non facile convenit, legiturque Arim in Hebræis codicibus; & urbs est inter Ragen & Niniven, forteque ubi Arsacia. Charan in Judith 5. v. 9. ipsa est Mesopotamiæ Haran, Genes. 11. v. 31. in qua Thare mortuus est, cum Abram filium suum & Lot filium Aran filii sui ab Ur Chaldæorum eductos in Chanaan deduceret. Hic etiam Laban manebat, cum Rebecca filio suo Jacobo suaderet, ut fratris iram evitans, fugeret ad Laban in Haran, & ibi Jacob Liam & Rachel sorores duas filias Laban uxores habuit. Haran etiam est Isaiæ 32. v. 12. & Ezech. 27. v. 23. Urbs autem hæc Latinis, Græcisque scriptoribus profanis notissima est, maximeque propter Crassi, Romanorumque cladem. Scribuntque Carrhæ, quæ in Mesopotamia. | 35 50 | 74 30 |
| Charcamis, 2. Paralip. 35. v. 20. in Charcamis juxta Euphratem, & 3. Esdræ 1. v. 25. in Charcamis in itinere supra Euphratem. Is. 10. v. 9. Numquid non ut Charcamis, sic & Calamo. Hier. 46. v. 2. Juxta fluvium Euphratem in Charcamis. Ipsa Bochardo est, quæ Cercusium Ammiano, 23. & Procop. lib. 2. Persic. Circessum Eutrop. Circesium Evagrio, Circusium Zosimo 3. | 34 50 | 75 10 |
| Chasluim sunt inter filios Mesraim, Genes. 10. v. 14. & Phetrusim, & Chasluim: de quibus egressi sunt Philisthiim & Capthorim. Chasluim posuimus ad omne Maris Rubri littus in Ægypto. V. Misraim. | 25 0 | 65 0 |
| Chebbon, urbs in secunda parte Tribus Judæ decima, Jos. 15. v. 40. | 31 $37\frac{1}{2}$ | 66 $17\frac{1}{2}$ |
| Chius insula in Mari Ægæo, Act. Apost. 20. v. 15. in peregrinatione, sive navigatione Pauli, inter Mytilenem & Samum. | 38 35 | 56 20 |
| Chobar, Ezech. 1. v. 1. cum essem in medio captivorum juxta flumen Chobar. v. 3. in Terra Chaldæorum trans flumen Chobar, & 3. v. 15. & veni ad transmigrationem .... ad eos, qui habitabant juxta flumen Chobar, & alibi multoties. Solus autem Ezechiel in Vet. Test. hujus fluminis meminit. Alveus est, quem Chobar præfectus ab Euphrate eduxit, ne Babyloniam infestaret. Ab Assyriis flumen regium appellabatur. Vide Plinium l. 6. c. 26. In Tygrim labitur sub Apamia, Ptolem. 5. cap. 18. Apparet Judæos hic plures consedisse in transmigratione Babylonis. Unde Psaltes Reg. Super flumina Babylonis. | 33 0 | 80 0 |
| Chub Regio, sive Populus inter Æthiopiam, Lybiam, & Ægyptum, Ezech. 30. v. 5. | 30 30 | 53 0 |
| Chus Chami filius primogenitus, si ordo sequatur ex Genes. 10. v. 6. Filii Cham: Chus & Mesraim, & Phuth, & Chanaan. Chus ipse in Arabiam transiit; cujus filii v. 7. Saba, & Hevila, & Sabatha, & Regma, & Sabathaca, sedes fixere ab Euphrate secundum Maris Persici Sinum ad Oceanum usque. Singulos vide suis locis. | 24 0 | 83 0 |
| Cibsaim, Jecmaan. Cibsaim legitur Josue 21. v. 22. Inter Levitarum urbes, quæ Levitis ex familia Caath assignantur in Tribu Ephraim. | 32 4 | 66 56 |

| Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. | |
|---|---|---|
| | | Jecmaan ea scribitur 1. Paralip. 6. v. 68. & 3. Reg. 4. v. 12. quæ sub præfectura Banæ. V. Animadv. |
| 33 4 | 67 16 | Cidœssa vicus non longe a Giscala, et in quo Titus Giscalam obsidens castra posuit, Joseph. 4. Bell. c. 4. |
| 37 30 | 66 0 | Cilicia. Ciliciæ mentio est in Judith. 1. 2. & 3. vers. 1. & 2. Mach. 6. vers. 9. & 15. vers. 23. 41. Act. Ap. in peregrinatione aut navigatione Pauli. c. 21. autem vers. 39. dicit se hominem quidem Judæum: sed e Tarso Ciliciæ, non ignotæ civitatis municipem. sic & 22. vers. 3. sed 27. vers. 5. Et pelagus ( inquit ) Ciliciæ & Pamphyliæ navigantes, venimus Lystram, quæ est Lyciæ ... Pro Lystra Græci & Syriaci codices legunt Myra, quæ Lyciæ urbs est, non Lystra, quæ Lycaoniæ: Ordoque navigationis postulat aut Myram aut Pataram, quæ maritimæ sunt Lyciæ urbes, non Lystra, quæ Lycaoniæ, longeque in Mediterraneis. |
| 31 1 | 66 18 | Cina primæ partis Tribus Juda quarta describitur inter Jagur & Dimona, Jos. 15. vers. 22. Sina cujus meminit Josue eod. c. vers. 3. in limite meridionali Tribus Juda cum Senna, Num. 34. vers. 4. procul dubio convenit; an vero utraque cum Sina Tribus Juda, non facile est dicere, neque etiam, si Ceni regio, si Cinæi & Sinæi, ad nostram hanc Cinam respondeant. |
| 31 1 | 66 18 | Cinæi. V. Cina. Cinæi ipsi inter Amalecitas degebant. Cum etenim Saul a Domino jussus esset, ut Amalec funditus deleret, Saul Cinæo dixit; ut e medio Amalec recederet, ne cum illo involveretur. Cinæo autem pepercit Saul, quod misericordiam fecisset filiis Israel, cum ascenderent de Ægypto, ex 1. Reg. 15. vers. 6. Cinæos tamen Abrahamo promittit Dominus: Genes. 15. vers. 18. Semini tuo dabo Terram hanc ... vers. 19. Cinæos & Cenezæos ... & Numer. 24. vers. 21. 22. Balaam dicit; Cinæos aliquando ab Assyriis capiendos, quod demum factum est cum a Nabuchodonosore regnum Judæ deletum est. |
| 32 32½<br>32 40 | 67 15<br>68 49 | Cison, geminus est hujus nominis Torrens, qui e monte Thabor descendens alter in Mare Galilææ Orientem versus, alter in Mare magnum sive Occidentale descendit. Utriusque mentio videtur in Cantico Debboræ & Barac, pro victoria in Sisaram, Judic. 5. vers. 21. Torrens Cison traxit cadavera eorum, Torrens Cadumin, Torrens Cison, &c. & eodem etenim versu semel atque iterum est Torrens Cison. |
| 32 43 | 67 17½ | Cisterna vetus, in quam Josephum demiserunt fratres ejus, & ex qua postea extractum vendiderunt Ismaelitis viginti argenteis, qui in Ægyptum eum abduxerunt, Genes. 37. vers. 24. 28. |
| 31 15 | 66 52 | Civitas Solis undecimæ, & ultimæ partis Tribus Judæ, ubi urbes sex, quinta ea describitur inter Nebsan & Engaddi, Josue 15. vers. 62. ad vallem Salinarum sita videtur. |
| 16 15 | 83 40 | Coa, unde equi ad Salomonem educebantur, 3. Reg. 10. vers. 28. & 1. Paralip. 1. vers. 16. Urbs est Felicis Arabiæ, etiam Ptolem. Coa. 6. c. 7. |
| 33 0 | 70 0 | Cœlesyria Syriæ pars ea est, quæ Latine Cava, i. plana & humilis appellatur; & quæ Phœniciæ & Arabiæ, tum & Judææ, sive potius Samariæ & Galilææ contigua, cum iis aliqua ex parte confunditur: ex quo pene ubique Cœlesyria & Phœnice junguntur in Esdra, & 1. & 2. Mach. ubi hujus nominis mentio multoties est, non alibi. |
| | | Collis aquæductus, qui est ex adverso vallis itineris deserti in Gabaon. 2. Reg. c. 2. vers. 24. & penes quem fugientem Abner insequutus Asael frater Joab, ab ipso aversa hasta transfossus, mortuus est, vers. 23. |
| 38 20 | 60 5 | Colosse urbs in Asia Minori, ad cujus cives Paulus Epistolam scripsit ad Colossenses; in ea mentio est Hierapolis, & Laodiceæ, quæ etiam in Asia Minori, & prope Colossas. Et vere somniant, qui hos Colossenses Rhodios putant. |
| .. .. | .. .. | Comosgana Galilææ vicus ex Josepho in vita sua. Loci positio necdum aliqua nota est. |
| 37 5 | 48 50 | Corinthus Achaiæ urbs celeberrima Græcis Latinisque scriptoribus. In Act. Apost. 18. vers. 1.... Paulus ab Athenis venit Corinthum, ubi Aquilam & Priscillam uxorem ejus inveniens, per annum & menses |

| | Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. |
|---|---|---|
| ses sex mansit apud eos: & multi Corinthiorum credebant, & baptizabantur. | | |
| Corozaim urbs Decapoleos in conspectu Capharnai: sed ad alteram, eamque orientalem Jordanis ripam, nullum apud ipsam miraculum factum scribitur apud Evangelistas, prima tamen numeratur inter civitates, in quibus factæ fuerant plurimæ virtutes, & quæ nondum pœnitentiam egissent. | 31 42 | 67 49 |
| Cous. In navigatione Pauli a Mileto Jerosolymam: Act. Apost. 21. vers. 1. recto cursu (inquit) venimus Coum, & sequenti die Rhodum, indeque Pataram. Cous alias Cos Hippocratis patria. Insula, & urbs est in Mari Ægæo & inter Sporades. | 36 30 | 56 40 |
| Correa, Joseph. Ant. 14. c. 6. & 10. . vicus Judææ initium in mediterraneis; & in itinere a Jerusalem Scythopolim. | 32 10 | 67 10 |
| Creta, Insula in Mari Mediterraneo, inter Asiam, Africam, & Europam; Europæ propior, tum Asiæ, Act. Apost. 27. vers. 7. in Pauli navigatione cum a Cæsarea Palæstinæ Romam duceretur: Cum (inquit) multis diebus tarde navigaremus, & vix devenissemus contra Cnidum, prohibente nos vento, adnavigavimus Cretæ juxta Salmonem; & aliquoties ibid. mentio est Cretæ. In Epistola ad Titum ait Paulus, se Titum in Creta reliquisse, ut per civitates constitueret Presbyteros, & Episcopos, &c. Insula hæc apud profanos notissima fuit Jovis, natalitiis, adventu, & amoribus Europæ, Ariadnæ, & Pasiphaes; Minois & Rhadamanti legibus; forma & feritate Minotauri; Dædali Labyrintho & fuga; quæ omnia ut plurimum fabulosa sunt. | 34 30 | 53 0 |
| Cutha alias Chuta, 4. Regum, ubi agitur de iis, quos Assyriæ Rex misit in civitates Samariæ in locum eorum, quos e Samaria, aut ex Israel abduxerat in Assyrios, c. 17. vers. 24. Adduxit Rex Assyriorum (viros) de Babylone, & de Cutha (legit postea vers. 30. Chuthæi) & de Arath, & collocavit eos in civitatibus Samariæ pro filiis Israel. Cutha forte pro Susa. | 32 30 | 82 30 |
| Cyprus in Canticis, & 1. & 2. Mach. & in Act. Ap. 11. vers. 19. nudum est nomen Cypri, Act. Apost. 13. vers. 4. Paulus & Barnabas a Seleucia (Syriæ) navigaverunt Cyprum, vers. 5. & cum venissent Salaminam, prædicabant verbum Dei .... vers. 6. & cum perambulassent universam Insulam usque Paphum .... 15. vers. 39. Barnabas cum Marco iterum redit in Cyprum ... 21. vers. 3. in navigatione Pauli Jerosolymam: Cum apparuissemus (inquit) Cypro, relinquentes eam ad sinistram, navigavimus in Syriam, & venimus Tyrum; & iterum vidit Cyprum Paulus, cum a Cæsarea Romam abduceretur, Act. Apost. 27. vers. 4. | 35 30 | 66 0 |
| Cyrene Urbs Africæ sive Lybiæ, in quam aliquando transtulit cives Damascenos Rex Assyriæ .... Amos 1. vers. 5. Et conteram vectem Damasci ... & transferetur Populus Syriæ Cyrenem. Act. Ap. 2. vers. 10. Lybia, quæ est circa Cyrenem. Unde Ptolemæo & aliis Regio Cyrenaica. | 30 40 | 48 25 |
| **D** | | |
| Dabereth nulla est inter sexdecim urbes Tribus Issachar, quas omnes recenset Josue 19. a vers. 17. ad vers. 23. potiusque videtur in Tribu Zabulon ex ipsomet Josue, eod. cap. vers. 12. Ea tamen Levitis assignata, ex Tribu Issachar excerpta dicitur, ex Josue 21. vers. 28. & ex 1. Paralip. 6. vers. 72. Dabarith, quam Josephus in magno campo & extremis Galilææ finibus describit in vita sua, mihi cum Dabereth eadem est. | 32 32 | 67 10 |
| Dabir, Cariath-sepher, & Cariath-senna; varia diversaque sunt unius ejusdemque urbis nomina, quæ describitur in Regione sive parte sexta Tribus Juda, Josue 15. vers. 49. ubi dicitur Cariath-senna, hæc est Dabir. sed & eod. cap. 15. dixerat de Caleb, venit ad habitatores Dabir, quæ prius vocabatur Cariath-sepher, i. Civitas Literarum. Dabir ergo, & Cariath-sepher, & Cariath-senna eadem urbs est. Dabir simpliciter scribitur Jos. 10. vers. 38. & 39. cujus Regem percussit Josue, & 12. | 30 10 | 65 58 |

| Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. | |
|---|---|---|
| | | verſ. 13. Rex Dabir unus. Joſue autem 21. verſ. 15. Dabir eſt inter urbes Leviticas e Tribu Juda excerptas, ſic & 1. Paralip. 6. verſ. 58. Dabir. Eam cepit Othoniel, filius Cenez frater Caleb junior, ideoque habuit uxorem Axam filiam Caleb, ex Joſ. 15. verſ. 16. & 17. Judic. 1. verſ. 11. dicitur Dabir, cujus nomen vetus erat Cariath-ſepher, i. Civitas Literarum. |
| 31 55 | 67 27 | Dabir alia eſt in Tribu Gad, cujus longitudinem facit Joſue 13. v. 26. ab Heſebon uſque Ramoth, Maſpha, & Bethonim; & a Manaim uſque ad terminos Dabir. Ubi Heſebon & Ramoth ſunt a Meridie in Septentrionem totius longitudinis Tribus Dan, quæ reſpicit deſerta Arabiæ. Manaim & Dabir a Septentrione in Meridiem, qua eadem Tribus Jordani propior eſt. |
| 25 10 | 92 0 | Dadan, 1. Paralip. 1. v. 1. Filii Chus . . . Regma . . . Filii Regma: Saba, & Dadan. Regmæ inter filios Chus ſortem dedimus pene in extrema Arabiæ Fœlicis parte, ubi Ptolemæo eſt Rhegma civitas. Filiis ejus Sabæ & Dadan; Sabæ dabimus Regionem, quæ a Perſici ſinus freto ad Oceanum Indicum extendit ſe, ubi Ptolemæo Aſabi populi, Aſaborum promontorium, & Melanes Aſaborum montes; ubi Sabæi ſunt Pomp. Melæ, & montes maximi Sabo, Arrhiano in Periplo Maris Erythræi. Aſabi etenim, Sabæi, & Sabe ad nomen Saba conveniunt; ſed & inter hos Sabæos & Rhegma, eſt hodieque pene ad Perſici ſinus oſtium Dedan, qui procul dubio ad Dadan etiam convenit. |
| 44 0 | 42 0 | Dalmatia, Paulus in Epiſt. 2. ad Timotheum ait; Titum abiiſſe in Dalmatiam ( ad prædicandum Evangelium. ) Dalmatia Illyrici pars eſt ad Adriaticum mare. |
| 33 20 | 69 5 | Damaſcus Syriæ totius aliquando maxima, & celeberrima, in Veteri Teſtamento urbs laudabilis, urbs lætitiæ, & domus voluptatis nuncupatur, a Rege Davide capta, & in tributum cenſita, ſub ultimis Salomonis temporibus jugum excuſſit; ſed & multoties ab Aſſyriis, Babyloniis, Græcis, & Romanis laceſſita, & capta eſt. In Novo Teſtamento multum ea inclaruit, quod Paulus Damaſcum appropinquans ſubito ex perſecutore in vas electionis mutatus eſt. Act. 8. & 9. |
| 31 45 | 66 0 | Dan filiorum Jacob quintus, & ex Bala Rachelis ancilla primus. Hujus nominis Tribus pene tota a Tribu Juda circumdatur: deſcribiturque apud Joſue 19. De ea Jacob: Geneſ. 49. v. 16. Dan judicabit populum, ſicut & alia Tribus in Iſrael. v. 17. Fiat Dan coluber in via, ceraſtes in ſemita, mordens ungulas equi, ut cadat aſcenſor ejus retro. Quod in Samſone contra Philiſthæos impletum eſt. Ex hac Tribu ſub principe Ahiezer filio Amiſaddai, Danitæ ab Ægypto in Deſertum aſcenderunt 62700. Num. 1. v. 12. & 39. ex iis 64400. ingreſſi ſunt in Terram promiſſam. 26. v. 43. cujus explorator fuit Ammiel filius Gemalli, 13. v. 13. & Diviſor Bocci filius Jogli. 34. v. 22. |
| 33 17½ | 67 45 | Dan urbs. Vide Lais. |
| 31 14 | 65 57 | Danna, Joſue 15. v. 49. inter Socoth, & Cariath-ſenna, quarta deſcribitur in Regione ſive parte ſexta Tribus Juda, in qua urbes ſunt undecim. Legunt alii Damna, alii Edenna. |
| 28 30 | 67 0 | Daphca, Iſraelitarum ſtatio in deſerto: inter deſertum Sin, & Alus. Num. 33. v. 12. & 13. |
| 35 30 | 69 20 | Daphne locus & lucus prope Antiochiam magnam, profanis notus propter Apollinis, & Daphnes fabulam. Unde Antiochia ſecus Daphnem, 2. Machab. 4. v. 33. |
| 33 3 | 67 50 | Daphnis fons. Num. 34. v. 11. de primis limitibus Terræ promiſſæ ad Orientem: De Sephama deſcendent termini in Rebla contra fontem Daphnem, inde pervenient contra Orientem ad Mare Ceneroth. |
| 32 14 | 68 4 | Datheman caſtrum ſive munitio, in quam fugerunt & receperunt ſe Iſraelitæ; cum Gentes quæ ſunt in Galaad eos perſequerentur, ut tollerent eos, 1. Mach. 5. v. 9. forteque eadem eſt quæ & Bethonim. |
| 32 48 | 66 49 | Debbaſeth locus in Tribu Zabulon inter Mare & Sarid, Joſue 19. verſ. 11. |
| 31 57½ | 67 1 | Debboræ Palma, Judic. 4. v. 4. Erat autem Debbora Prophetis, uxor Lapidoth, quæ judicabat populum in illo tempore, v. 5. & ſede- |

bat

| | Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. |
|---|---|---|
| bat ſub Palma; quæ nomine illius vocabatur, inter Rama. & Bethel, in monte Ephraim. | | |
| Debera locus in limite Tribus Juda contra Benjamin, Joſ. 15. v. 7. | 31 33 | 66 51 |
| Deblathaim, Jerem. 48. v. 22. Et judicium venit ſuper terram campeſtrem, & ſuper domum Deblathaim. etiam Fzechiel: Et faciam terram deſolatam, & deſtitutam a deſerto Deblatha in omnibus habitationibus eorum, 6. v. 14. | 31 11 | 67 24 |
| Decapolis. Tractus, qui a decem celeberrimis urbibus nomen habet Joſeph. 3. Bell. c. 18. de Scythopoli: hæc ( ut ait ) civitas Decapoleos maxima eſt. Puto eas omnes decem civitates eſſe ad Mare Galilææ, aut pene hoc Mare poſitas. Eruntque Bethſan ſive Scythopolis ad Meridiem; Tarichæa, Tiberias, & Jotapata ad Occidentem; Bethſaida alias Julias, & Capharnaum, & Coroſaim ad Septentrionem; Geraſa, Gadara, Gamala, & Hippos ad Orientem. Alii alias has urbes putant. Decapoleos meminere, Matth. 4. v. 25. Marc. 5. v. 20. & 31. Etenim in monte quodam Decapoleos poſtquam plures mutos, cœcos, claudos, debiles, & alios curatos: etiam ſeptem panes, & paucos piſciculos ad quatuor millia hominum ſatietatem, & ex fragmentis ad ſportarum ſeptem impletionem multiplicavit Chriſtus. | 32 35 | 67 40 |
| Decla inter filios Jectan eſt, 1. Paralip. 1. v. 21. fortaſſis erit Dela Ptolemæi. V. Jectan. | 20 30 | 76 20 |
| Dedan locus in Idumæa diverſus a Dadan, quem in Arabia Fœlici diximus: & qui aliquando etiam ſcribitur Dedan. Utriuſque meminit Ezechiel 27. Arabici: v. 15. Filii Dedan negotiatores tui: Inſulæ multæ negotiatio manus tuæ: dentes eburneos & hebeninos commutaverunt in pretio tuo. Et v. 20. Idumæi: Dedan inſtitores tui in tapetibus ad ſedendum. Hæc etenim ad Idumæam Dedan conveniunt, illa ad Arabicam, de qua etiam Iſaias 21. v. 13. ſub nomine Dedanim. | 30 35 | 66 35 |
| Delean quarta deſcribitur in regione tertia Tribus Juda, in qua civitates ſunt ſexdecim. | 31 34 | 66 28 |
| Delos, 1. Mach. 15. v. 23. Inſula profanis ſcriptoribus & fabulis notiſſima, propter Apollinis & Dianæ natalitia, Templumque & Mercatum aliquando totius Græciæ celeberrimum. Eaque Inſulis circumvicinis Cycladum nomen dedit, quod penes Delum quaſi in circulum ſint poſitæ. | 37 0 | 33 10 |
| Derbe. Paulus & Barnabas ex Iconio [ in qua Judæi contra illos tumultum concitarant ] confugerunt ad civitates Lycaoniæ, Lyſtram & Derben, Act. Ap. 14. v. 6. Ptolemæus Derben putat in Cappadocia, alii in Cilicia, alii in Iſauria, ſed vicinæ inter ſe ſunt regiones eæ. | 38 0 | 64 20 |
| Deſertum ſive Deſerta Arabiæ. Arabiæ partes pene omnes, quæ Judææ contiguæ, deſerta, & ſolitudines dici poſſunt, ſi Judææ partium omnium ratio habeatur. | 32 0 | 68 0 |
| Deſertum Beth-ſaidæ, in quo Populus, poſt panum quinque & duorum piſcium multiplicationem, Chriſtum regem facere voluit, Joan. 6. v. 15. fugit ille in montem ſolus. Et ſtatim Chriſtus Diſcipulos compulit, ut navim aſcenderent, & præcederent ſe trans fretum ad Beth-ſaida, Marc. 6. v. 45. . . Ergo deſertum hoc reſpectu Beth-ſaidæ eſt trans fretum Maris Galilææ. | 32 40 | 67 50 |
| Dibon, urbs in Tribu Gad. Num. 32. v. 3. inter urbes, quas ſibi dari poſtulant Tribus Ruben & Gad, quamvis ultra Jordanem, & extra Terram promiſſam, quia ea omnis Regio uberrima erat, & ad paſtum animalium, quibus abundabant, apta. Dibon antea Moabitarum fuit, poſteaque Regis Sehon Amorrhæorum. Rem narrat Moyſes, Num. 21. v. 28. Urbs Heſebon (inquit) fuit Sehon Regis Amorrhæorum, qui pugnavit contra Regem Moab, & tulit omnem Terram, quæ ditionis illius fuerat uſque Arnon . . . & v. 30. Jugum ipſorum diſperiit ab Heſebon uſque Dibon. Contra Dibon & Moab prophetant Iſaias & Jeremias. | 31 50 | 67 29 |
| Dibongad Iſraelitarum ſtatio in deſerto, & inter Jiebarim & Helmondeblathaim, Num. 33. v. 45. | 31 $7\frac{1}{2}$ | 67 $22\frac{1}{2}$ |
| Dimona quinta deſcribitur inter viginti novem urbes primæ partis Tribus Juda, & inter Cina & Adada, Joſue 15. v. 22. | 31 1 | 66 12 |

Dion.

| Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. | |
|---|---|---|
| 32 20 | 68 15 | Dion. Josephus ejus aliquoties meminit in Antiq. Eam Ptolemæus Dium vocat in Cœlesyria, & penes Pellam & Philadelphiam. |
| 31 54 | 67 14 | Doch. 1. Mach. 16. v. 15. & 16. Munitio, in qua Ptolemæus Abobi filius Simonem Machabæum, & Mathatiam, & Judam filios ejus in convivium vocatos, dolose interemit. |
| 44 0 | 50 0 | Dodanim inter filios Javan quartus & ultimus, ex Genes. 10. vers. 4. & 1. Paralip. 1. v. 7. Hujus posteros ponimus ad Danubium, ubi postea Illyricum Orientale. Vide Javan. |
| | | Domes vicus Josepho in vita sua. Necdum positio data est. |
| 31 28 | 66 10 | Dommin regiuncula in Tribu Juda penes Socho & Azeca, ubi castrametati sunt Philisthiim contra Israel, qui congregati venerunt in Vallem Terebinthi, 1. Reg. 17. v. 1. & 2. ibidem & Phesdommin, 1. Paralip. 11. v. 13. |
| | | Domna. Vide Remmon-Amthar. |
| 32 44 | 66 28 | Dor, Josue 11. v. 2. & 12. v. 23. Rex Dor, & Provinciæ Dor unus, inter Reges ab Israelitis devictos, percussosque. Ea est urbs ad mare, & in hæreditate Manasse, 17. v. 11. Dor cum oppidis suis. Sed Judic. 1. v. 27. Manasse non delevit . . . . habitatores Dor. Iterum dicitur in Manasse, 1. Paralip. 7. v. 29. Dora est, 1. Mach. 15. v. 11. 13. 25. Eam Antiochus Demetrii filius obsedit cum centum & viginti millibus bellatorum, & octo millibus equitum, ut Tryphonem caperet, occideretque. |
| 32 43 | 67 22 | Dothaim locus, in quo cum Joseph fratres suos patris greges pascentes inviseret, ipsi eum jam sibi invisum occidere voluerunt; sed Ruben nolente, expoliatum tunica polymita, in Cisternam veterem projecerunt . . In libro Judith dicitur Dothain juxta faciem magni campi, qui contra Esdrelon, 4. v. 5. & 7. v. 3. Holofernis exercituum vestigia describens, a loco qui dicitur Belma, & ab Chelmon, qui contra Esdrelon, dicit eos venisse per crepidinem montis, usque ad apicem, qui respicit juxta Dothain. Dothan scribitur 4. Regum 6. v. 13. Cum Elisæus ab exercitu Regis Syriæ circumdatus, ut caperetur, eos obcæcatos ipsemet in Samariam deduxit: & cibo, potuque refectos ad sua remisit. Domes forte erit Josepho. |
| 32 37 | 66 20 | Drusus sive Turris Josepho 14. Antiq. c. 13. in Cæsareæ portu ædificata ab Herode Rege, & in gratiam Drusi filii uxoris Cæsaris sic nominata. |
| 20 0 | 75 0 | Duma filiorum Ismaelis sextus, 1. Paralip. 1. v. 30. V. Ismael. |

## E

| Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. | |
|---|---|---|
| | | Ebal, Genes. 36. v. 23. Filii Sobal: (filii Seir Horræi in Terra Edom sive Idumæa) Alvan, & Manahat, & Ebal, & Sepho, & Onam. Sed horum omnium situs non constant. |
| 37 15 | 87 45 | Ecbatana in variis Sacræ Scripturæ locis, nunc Castrum, nunc Oppidum nunc Mons, & tandem Civitas vocatur. 1. Esdræ 6. v. 2. in Ecbatanis. quod est Castrum in Medena Pruvincia (lege in Medorum Provincia) inventum volumen unum, talisque scriptus erat in eo &c. melius eadem de re in 3. Esdræ 6. v. 13. & inventus est in Ecbatanis Oppido, quod est in Media regione, locus unus, in quo scripta erant ista, &c. Ecbatana Montem vocat Tobias 5. v. 8. In Rages civitate Medorum, quæ posita est in Monte Ecbatanis. Judith Civitatem potentissimam, 1. v. 1. Arphaxad Rex Medorum . . . . ædificavit Civitatem potentissimam, quam appellavit Ecbatanis. Ecbatana proculdubio Civitas fuit totius Mediæ caput, & quæ olim alias omnes urbes Regionum circumvicinarum opibus & operum magnificentia longe superavit intervallo. Ex Polyb. lib. 10. Vide Bochardum lib. 3. c. 14. primæ partis Geographiæ suæ sacræ. |
| 31 11 | 64 55 | Ecdippa. V. Aziba. |
| 33 10 | 67 28 | Edema urbs in Tribu Nephthali, inter Cenereth, & Arama-Asor, Josue 19. v. 36. |
| | | Eden, Genes. 4. v. 16. Egressusque Cain a facie Domini, habitavit profu- |

| | Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. |
|---|---|---|
| profugus in terra ad orientalem plagam Eden. Per Eden Paradisum terrestrem intelligi volunt. | | |
| Eden in Thalassar, 4. Reg. 19. v. 12. Filii Eden, qui erant in Thalassar. Sic & Isaiæ 37. v. 11. Filii Eden, qui erant iu Thalassar. Forsitanque & idem est in Ezechiele 27. v. 23. sed ubi ipsa Eden, non facile est dicere, ut & Thalassar, nisi Edessa sit. | 37 20 | 73 10 |
| Eder secundam recenset Josue in prima parte Tribus Juda, in qua viginti novem urbes, 15. v. 21. Vide Animadv. Eamdem cum Hered urbe regia facio, & cum Arad. V. Arad. | 30 7½ | 66 31 |
| Edom. V. Idumæa. | 30 0 | 65 30 |
| Edrai urbs regia, & altera sedes Og Regis Basan. Deuter. 1. v. 4. Vide Astaroth. Num. 21. v. 33. Ascenderunt ( Israelitæ ) per viam Basan, & occurrit eis Og Rex Basan cum omni populo suo, pugnaturus in Edrai, v. 35. percusserunt eum cum filiis suis, universumque populum ejus . . . . & possederunt terram illius. Eadem pene repetuntur Deuter. 3. v. 3. . . . est in 2. Manasse. | 32 50 | 68 26 |
| Edrai alia videtur in Manasse 2. | 32 37 | 67 57½ |
| Edrai-Enhasor unicam facio urbem ad differentiam alterius Edrai, quæ trans Jordanem in 2. Manasse, & ut urbium hujus Tribus numerus ad novendecim reduci possit. Edrai-Enhasor inter Cedes & Jeron est, Josue 14. v. 37. in descriptione urbium Tribus Nephthali. Vide Animadv. | 33 3 | 67 38 |
| Eglon nona inter urbes sexdecim tertiæ partis Tribus Judæ, Josue 15. v. 39. & paulo ante 10. v. n. . . Misit Adonisedec Rex Jerusalem ad Oham Regem Hebron, & ad Pharan Regem Jerimoth, ad Japhia quoque Regem Lachis, & ad Dabir Regem Eglon, ut secum adscenderent, & expugnarent Gabaon, quare transfugerit ad Josue, & ad filios Israel; sed eos omnes vicit, & ex spelunca Maceda extractos suspendit Josue, v. 35. urbem Eglon expugnavit, ideoque 12. v. 12. Rex Eglon unus est ex iis, quos percussit Josue. | 31 34 | 66 21 |
| Elam, alias Ælam, v. Paralip. 1. v. 17. Filii Sem: Ælam, & Assur, &c. ab Elam Elamitæ populi, qui primum Persæ & Medi, & Parthi; posteaque pro Persis tantum ut plurimum dicuntur .... Sic sæpe in Isaia, & Jerem. 25. vers. 25. & cunctis Regibus Elam, & cunctis Regibus Medorum; ubi Elam pro Persis ponitur; & dilucide in Daniele, 8. vers. 2. in Susis castro, quod est in Ælam regione. Susa autem est in Perside; iterumque iis omnes inter se dilucidissime distincti sunt in Act. Apost. 2. vers. 9. Parthi, Medi, & Ælamitæ. Ubi Ælamitæ tantum pro Persis sunt. | 34 30 | 93 0 |
| Elath. V. Ailath. | 29 0 | 66 30 |
| Eleale urbs in Tribu Ruben, Numer, 32. vers. 3. inter urbes, quæ a filiis Dan & Ruben expetuntur .... sunt Hesebon, & Eleale, & Saban forte Sabama. vers. 37. Filii Ruben ædificaverunt Hesebon, & Eleale, & Cariath-aim. Isaiæ 15. vers. 4. Clamavit Hesebon, & Eleale usque Jasa. 16. vers. 9. Inebriabo te lachryma mea Hesebon, & Eleale, quoniam super vindemiam tuam, & super messem tuam vox calcantium irruit. Jerem. 48. vers. 34. de clamore Hesebon usque Eleale & Jasa dederunt vocem suam. | 31 43 | 67 31 |
| Eleph. V. Heleph. | 31 46 | 66 40 |
| Elim, Israelitarum statio in deserto, ubi erant duodecim fontes aquarum, & septuaginta palmæ; & castrametati sunt juxta aquas, Numer. 33. vers. 9. Profectique de Mara venerunt in Elim.... vers. 10. indeque egressi fixerunt tentoria super Mare Rubrum. Profectique de Mari Rubro, vers. 11. castrametati sunt in deserto Sin. Elim ergo est inter Mara & Sin penes Mare Rubrum. | 29 15 | 65 30 |
| Elim alias Beer Elim, i. Puteus Elim. V. Beer Elim. | 31 14 | 67 25 |
| Elisa, 1. Paralip. 1. vers. 7. Filii Javan: Elisa, & Tharsis, &c. Elisæ sedes est Hellas ipsa, quæ Achaiam & Peloponnesum amplectitur, Peloponnesum in qua Elis Regio. V. Javan. In Ezech. 27. vers. 7. per Insulas Elisæ, Peninsulas intelligere est. | 37 30 | 48 0 |
| Elmelech. Semel hujus nominis est mentio Josue 19. vers. 26. ubi quinta est inter viginti duas urbes Tribus Aser. Sed Judic. 1. vers. 31. | 33 3 | 67 2 |

Inter

| Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. | |
|---|---|---|
| | | Inter urbes, quas Tribus Aser in sorte sua non delevit, est Helba, quam cum Elmelech eamdem facio. V. Animadv. |
| 19 30 | 86 0 | Elmodad filiorum Jectan primus. V. Jectan. Hujus posterorum sedes est Bochardo in Arabia Fœlici, ubi Ptol. Alumæotæ. |
| 31 41 | 65 51 | Elon urbs in Tribu Dan septima describitur, Josue 19. vers. 43. inter Jethela, & Temna sive Tamna. Salomone regnante, ea fuit sub principe Bendecar 3. Reg. 4. vers. 9. |
| 33 8 | 67 53 | Elon alias Hela, in Saananim, urbs in Tribu Nephthali. Jos. 19. vers. 33. |
| 31 47½ | 65 44 | Elthece urbs in Tribu Dan decima, eaque inter Acron, & Gebbethon, Josue 19. vers. 44. & 21. vers. 3. de Tribu Dan Eltheco, & Gabathon inter Levitarum urbes nominantur pro familia Caath; sed utraque desideratur 1. Paralip. 6. inter versus 68. & 69. Interim Elthece & Eltheco, Gebbethon & Gabathon eædem urbes sunt. |
| 31 38 | 66 32½ | Elthecon sexta & ultima urbs est nonæ partis Tribus Juda, Jos. 15. vers. 59. |
| 31 19 | 65 33 | Eltholad alias Tholad. Josue 15. vers. 30. & 19. vers. 4. Eltholad scribitur. Tholad tantum 1. Paralip. 4. vers. 29. Urbs inter primas tredecim Tribus Simeonis sexta ... Fuerat antea in Tribu Juda. V. Animadv. |
| 35 0 | 88 0 | Elymais Regio. |
| 30 25 | 91 30 | Elymais. 1. Mach. 6. vers. 1. Rex Antiochus audivit esse civitatem Elymaidem in Perside nobilissimam, & copiosam in argento & auro, vers. 2. Templumque in ea locuples valde, &c. 2. Machab. 9. vers. 2. Intraverat ( Antiochus ) in eam ( civitatem ) quæ dicitur Persepolis: & tentavit spoliare templum, & civitatem opprimere. Elymais ergo & Persepolis eadem urbs est. Est autem & altera Elymais in India, ex Tabula Itineraria Romana, & quæ ab hac nostra sit diversissima. |
| 31 52 | 66 29 | Emath. V. Hamath & Æmath. |
| 67 32½ | 67 30 | Emaus sive Emmaus aut Ammaus, duo diversaque sunt ejusdem nominis loca: alter prope Jerusalem in Judæa: alter prope Tiberiadem in Galilæa: uterque memoratur Josepho; primus & qui prope Jerusalem. 15. Antiq. c. 16. ubi Varo in cineres datur .... alter, & prope Tiberiadem 18. c. 3. ac 4. Antiq. Jud. & 4. Bell. c. 1. & 2. in quo Vespasianus pro Tiberiade castra posuit. Ibidemque Josephus asserit Emmauntis sive Ammauntis nomen idem esse atque Aquas calidas. Emmauntis oppidum sive castrum, in quo discipuli duo Christum post resurrectionem in fractione panis agnoverunt, & quod a Jerusalem stadiis sexaginta distare scribit Lucas 24. vers. 13. cum prima Josephi convenit. Cæterum eum locum a Varo exustum postea Nicopolim esse dictum putant Hieronym. Sozomenus, Nicephorus, aliique. V. Animadv. |
| 31 27 | 66 7 | Enaim, septima datur a Josue 15. vers. 34. inter quatuordecim urbes secundæ partis Tribus Juda, inter Taphua, & Jerimoth. |
| 32 33 | 67 22 | Enabris alias Senabris, vicus 30. stadiis a Tiberiade, ubi Vespasianus castrametatus est Tiberiadem obsessurus, Joseph. 3. Bell. c. 31. |
| 33 24 | 67 48 | Enam. |
| 32 21 | 66 31 | Endor urbs in Tribu Manasse, Josue 17. vers. 11. In hac Endor erat Pythonissa illa, quam consuluit Saul, jussitque suscitari Samuelem, a quo suam, suorumque mortem proximam, tum & suum Regnum Davidi cessurum didicit, 1. Reg. 28. |
| 31 11 | 66 51 | Engaddi omnium Tribus Judæ, quæ centum & quindecim fuere, ea ultima describitur, in undecima & ultima hujus Tribus parte, in qua sex urbes, Josue 15. vers. 62. 1. Reg. c. 23. & 24. David in Ceilam fugit, a Ceila in desertum Ziph, in desertum Maon, tum & in desertum Engaddi: ubi in spelunca latitans, Saulis eumque ubique persequentis, & in altera parte Speluncæ ventrem purgantis, David oram chlamydis abscidit. Cæterum Engaddi etiam vocata est Asason-thamar, 2. Paral. 20. vers. 2. & Ecce consistunt ( Moabitæ, Ammonitæ, & Syri ) in Asason-thamar, quæ est Engaddi; & Thamar simpliciter Ezech. 47. vers. 19. & 48. vers. 28. |
| 31 27 | 67 8 | Engallim vicus aut locus ad initia Maris Mortui, Ezech. 47. vers. 10. |

| | Latit. Gr. | Latit. Scr. | Longit. Gr. | Longit. Scr. |
|---|---|---|---|---|
| 10. ubi loquitur de piſcatoribus ab Engaddi uſque ad Engallim ſiccationem ſagenarum facientibus. | | | | |
| Engannim ſive Ængannim quinta ex urbibus quatuordecim, quas deſcribit in ſecunda parte Tribus Judæ, & inter Zanoe & Taphua, Joſue 15. verſ. 34. Hæc melius Ænganniṁ. | 31 | 26 | 66 | 1 |
| Engannim in Tribu Iſsachar eſt inter Rameth & Enhadda, & urbium ſexdecim hujus Tribus undecima, Joſ. 19. verſ. 21. Ea Levitis ex familia Gerſon aſſignata eſt, Joſue 21. verſ. 24. & 1. Paral. 6. verſ. 73. ſed Anem hic ſcribitur. V. Animadv. | 32 | 25 | 67 | 7 |
| Enhadda ex ſexdecim urbibus Tribus Iſsachar duodecima deſcribitur, Joſ. 19. verſ. 21. inter Engannim & Beth-pheſes. | 32 | 26 | 66 | 59 |
| Ennon alias Ænnon juxta Salim: ubi Joannes erat baptizans, quia aquæ illic erant multæ, Joann. 3. verſ. 23. | 32 | 14 | 67 | 25 |
| Enſemes, i. Fons Solis, Joſ. 15. verſ. 7. & 18. verſ. 17. in confiniis Tribuum Judæ, & Benjamin. | 31 | 36 | 66 | 50 |
| Epheſus in Aſia Minori urbs ſacris, profaniſque ſcriptoribus notiſſima: iis propter Dianæ Epheſiæ Fanum; illis qnod Paulus aliquoties Epheſum inviſerit, ibique Evangelium prædicarit, & multa ſigna ediderit. Ex quo urbis hujus, civiumque Epheſiorum mentio aliquoties eſt in Act. Apoſt. & in Epiſt. ad Corinthios, ad Epheſios, ad Timotheum, & in Apocalypſi. | 37 | 45 | 57 | 40 |
| Ephra oppidum ſive prædium Judic. 6.... & quercus, quæ pertinebat ad Joas patrem familiæ Ezri: cumque filius ejus Gedeon excuteret, atque purgaret frumenta in torculari, ut fugeret Madian, monetur ab Angelo, ut liberet Iſrael de manu Madian, ipſeque holocauſtum offerens Deo; Angelus virga, quam manu tenebat, tetigit carnes & panes azymos: aſcenditque ignis de petra, & carnes, azymoſque panes conſumſit. Tum & Gedeon deſtruxit Aram Baal, lucumque ſuccidit; unde Jeroboal dictus eſt. Erat & penes Ephra Lapis ſive Scopulus, ſive Caſtrum. | 32 | 9 | 67 | 16 |
| Ephraim Tribus a Mari ad Jordanem extenſa majorem obtinet Samariæ regionis partem, ſic dicta ab Ephraim ſecundo filio Joſeph, ſed quem majori, qui Manaſſe, prætulit Jacob, cum utrique benediceret. Ex hac Tribu fuere Eliſama filius Ammiud Ephraimitarum 40500. princeps in Deſerto, Numer. 1. v. 10. et 33. Oſee qui poſtea dictus Joſue filius Nun explorator Terræ Chanaan, 13. v. 9. et poſt Moyſen Iſraelitarum Dux, ſub quo 32500. Ephraimitæ Terram Promiſſam ingreſſi ſunt. Camuel filius Sephtan diviſor Terræ Promiſſæ, 34. v. 24. Abdon filius Elel Pharatonites Judex in Iſrael. Lapidoth maritus Debboræ gubernatricis in Iſrael. Ahias Silonites Propheta, qui Salomonis Regnum dividendum prædixit. Jeroboam, et filius ejus Nabath Reges in Iſrael, aliique. Hujus Tribus deſcriptio eſt Joſue 16. | 32 | 0 | 66 | 50 |
| Ephraim Mons plurima ex parte eſt in Tribubus Ephraim et Benjamin, et radices extendit in varias utriuſque Tribus partes, unde Sichem dicitur in Monte Ephraim, Joſ. 20. v. 7. et 21. v. 21. cap. autem 24. v. 30. ſepelierunt eum (Joſue filium Nun) in finibus poſſeſſionis ſuæ in Thamnat-ſare, quæ eſt in Monte Ephraim, et Septentrionali latere Montis Gaas. Idem Judic. 2. v. 9. ſed et Joſue 24. v. 33. Eleazar quoque filius Aaron mortuus eſt, et ſepelierunt eum in Gabaath Phinees filii ejus, quæ data eſt ei in Monte Ephraim. Judic. 4. v. 5. dicitur Bethel in Monte Ephraim. Judic. 10. v. 1. Thola filius Phua Patrui Abimelech vir de Iſſachar, qui habitavit in Samir Montis Ephraim. 1. Reg. 1. v. 1. Vir fuit unus de Ramathaim Sophim, de Monte Ephraim, et nomen ejus Elcana. 9. verſ. 3. Saul Aſinas patris quærens tranſiit per Montem Ephraim. Sunt autem Urbes Gabaa, ubi domus Saul: Gabaath, in qua ſepultus Eleazar: et Bethel in diverſis partibus Benjamin: Sophim et Gaas Montes, et urbs Ramatha in confiniis Benjamin et Ephraim: Sichem et Thamnat-ſare urbes, et Samir Mons in diverſiſſimis partibus Tribus Ephraim. Ex quibus colligere eſt, omnes utriuſque Tribus Montes ſub uno Montis Ephraim nomine aliquando comprehendi. Maximus tamen eorum Montium tractus eſt is, qui Tribum Benjamin dividit a Tribu Ephraim, & aliquando Regnum Juda a | 31 | 52 | 66 | 5 |

| Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. | |
|---|---|---|
| | | regno Israel : Ex quo 2. Paralip. 19. v. 4. Habitavit Josaphat in Jerusalem, rursumque egressus est ad populum de Bersabee usque ad Montem Ephraim, & revocavit eos ad Dominum . . . hoc est per totum Regnum Juda, cujus termini Bersabee ad Meridiem ; Mons Ephraim ad Septentrionem. |
| 32 15 | 67 45 | Ephraim Saltus in Tribu Gad, 2. Reg. 18. v. 6. Et factum est prælium in Saltu Ephraim, v. 7. & cæsus est ibi populus Israel ab exercitu David, v. 9. Accidit antem ut occurreret Absalon servis David; sed mulo insidens, fugiensque, quercui condensæ ramis suspensus est, & a Joab confossus periit. |
| 31 53 | 66 57½ | Ephrem Joan. c. 11. cum Jesum ad mortem quærerent Judæi, v. 54. jam ipse non in palam ambulabat apud Judæos, sed abiit in regionem juxta desertum, in civitatem, quæ dicitur Ephrem, & ibi morabatur cum discipulis suis. |
| 31 48 | 66 27 | Ephron urbs, quam cepit Asa Rex Juda, fugato Jeroboam Rege Israel, eaque est in Tribu Ephraim, non ut quidam putant in Benjamin, 2. Paralip. 13. v. 19. Vereorque ne locus hic cum Ephrem idem sit, & qui aliquando scribitur Ephraim. |
| 32 22½ | 67 44 | Ephron alia est urbs magna & munita, in qua multitudo diversarum gentium habitabat, & machinæ erant multæ, & telorum apparatus: robustique juvenes pro muris stabant. Hanc Judas Machab. ut cum suis transiret, portas aperire nolentem expugnavit, diruit, & per media cæsorum corpora transivit, ex 1. Machab. 5. & 2. Machab. 12. sed & ex 1. Machab. 5. v. 37. Ubi Timotheus dicitur castrametatus esse contra Raphon. Puto hic legendum Ephron ex Josepho; etenim ibidem est Emphron pro Ephron. V. Hippos. |
| 31 11 | 66 24 | Esaan, Jos. 15. vers. 52. inter Ruma & Janum urbs est tertia septimæ partis Tribus Juda. |
| 30 0 | 65 0 | Esau filius Isaac primogenitus, Gen. 25. v. 25. & qui jura primogenituræ fratri suo minori Jacob pro coctione russa vendidit, v. 33. c. 36. v. 1. & seq. Hæ sunt generationes Esau, ipse est Edom, v. 8. habitavit Esau in monte Seir, ipse est Edom, v. 9. hæ sunt generationes Esau patris Edom, in monte Seir. Ex variis hic tribus locis videtur sub nomine Edom, & Esau, & montem Seir, & filium Esau comprehendere. In eodem autem capite post recensitos omnes Esau filios, nepotesque, v. 43. Ipse ( inquit ) est Esau pater Idumæorum : sed eorum sedes demonstrare non possibile putavimus ; credere est eos omnes in Idumæa hic illic semper vagasse, & nullas inter se sedes distinctas habuisse. V. Idumæa. |
| 32 31 | 66 42½ | Esdrelon in Judith mentio aliquoties est, non alibi. Locus ad magnum Campum pertinet. |
| | | Esem. V. Iim-Esem. |
| 31 21 | 66 16 | Esna quinta urbs est ex novem, quas describit Josue in quarta parte Tribus Juda, & inter Jephta, & Nesib, Jos. 15. v. 43. |
| 31 32½ | 65 45 | Esthaol urbs in Tribu Dan secunda, & inter Saraa, & Hirsemes, Josue 19. v. 41. anteaque in Tribu Juda fuerat censita, Jos. 15. v. 33. Ex Jud. 18. Viri sexcenti Tribus Dan de Saraa & Esthaol profecti novam possessionem sibi quærentes, venerunt in urbem Lais, quam incendio tradiderunt, eamque rursum extruentes, habitaverunt in ea, & Dan patris sui nomine vocaverunt. Vide Dan. |
| 31 10 | 66 8 | Esthemo, Isthemo, Esthamo. Urbs, quæ in sexta regione Tribus Juda, & inter Anab, & Anim, Isthemo describitur, Jos. 15. v. 50. Eadem est Esthemo inter Leviticas urbes, Josue 21. v. 14. & 1. Paralip. 6. v. 58. Esthamo etiam 1. Reg. 30. v. 28. inter urbes, quibus David ex Amalecitarum præda gratificatur. |
| 31 18 | 65 57½ | Etham, Athar, Etam, Ether. Tertia est inter quatuor ultimas, sive decima sexta inter omnes septemdecim urbes Tribus Simeon. Hujus urbis nomen ubique variatur ; Athar est Jos. 19. v. 7. anteque Ether eidem Josue 15. v. 42. in Tribu Juda, unde excerpta in Tribum Simeonis translata est. Etham sive Etam, 1. Paralip. 4. v. 32. Vide Animadv. Et ad Etham Spelunca sive Castrum fuit, in quo habitavit Samson, postquam Philisthæorum segetes, & vineas, & oliveta per vul- |

| | Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. |
|---|---|---|
| pes trecentas, facibus ad caudas alligatis, incendisset, sed & tria millia virorum de Juda volentem eduxerunt ad Etham, ligaveruntque, ut eum traderent in manus Philisthiim, qui cum occurrissent, ille vinculis dissipatis maxillam, sive mandibulam Asini, quæ jacebat, arripiens interfecit in ea mille viros. Urbs ea munita fuit a Roboam, Judic. 15. & 2. Paralip. 11. v. *6*. | | |
| Etham locus alius est. Exod. 13. v. 20. Profectique de Socoth castrametati sunt in Etham, in extremis finibus solitudinis. Statio Israelitarum est inter Ægyptum & Mare Rubrum, Num. 33. v. 8. Et de Socoth venerunt in Etham, quæ est in extremis finibus solitudinis, v. 7. Inde egressi venerunt contra Phihahiroth, transierunt per medium mare in solitudinem, & ambulantes tribus diebus per desertum Etham castrametati sunt in Mara. | 30 0 | 63 45 |
| Ether. V. Etham, Athar. | | |
| Ethrod est inter urbes, quas extruxerunt filii Tribus Gad, Numer. 32. v. 35. sed cum Ataroth non convenit, quod in eadem Tribu utriusque mentio sit Ataroth. v. 34. Ethrod v. 35. neque vox hæc cum sequenti voce Sophan conjungenda, ut quidam censent, quod interjecta sit disjunctio, & Græci tamen codices Ethrod non habent. | 31 58 | 67 37 |
| Euphrates fluvius quartus ex iis, qui irrigabant Paradisum, Genes. v. v. 10. & 14. & postea aliquoties fluvium magnum Euphratem vocat, ut Genes. 15. v. 18. Deuter. 1. v. 7. & 11. v. 7. Josue 1. v. 4. & alibi. Fluvius is maximus est, & e montibus Ararat sive Armeniæ erumpens Cappadociam, Syriam, & Arabiam a dextra; Armeniam & Mesopotamiam a sinistra alluit, Chaldæamque inrersecans, recepto Tygri in Persicum Sinum evolvitur. | 40 0 | 71 0 |
| **F** | | |
| Fanum Baal in Ephraim. | 31 39 | 67 37½ |
| FanumiBaal, scripsit vulgata lectio Excelsa Baal, Numer. 22. v. 41. Baalam ariolus ductus est a Balac Moabitarum Rege ad Excelsa Baal, ut Israelitis malediceret, Numer. 23. & 24. sed ille semel & iterum, iterumque benedixit Israelitis, & multa vaticinatur de Christo. | 32 7½ | 67 2 |
| Fons Æthiopis in via, qua ab Hierusalem Gazam iter: nec longe ab Azoto. is est ad cujus aquas Eunuchum Candacis Reginæ Æthiopum baptizavit Philippus Diaconus, Act. 8. v. 39. | 31 47½ | 65 43 |
| Fons Arad, sive F. Harad, penes quem castrametatur Gedeon contra Madianitas, qui erant in Jezrael, Jud. 7. v. 1. | 32 22 | 67 4 |
| Fons Hortorum. Cantic. 4. v. 15. Fons Hortorum, Puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de monte Libano. | .. .. | .. .. |
| Fons Jacob, supra quem cum Jesus fatigatus ex itinere sederet, venit mulier de Samaria haurire aquam: cum qua multa allocutus Jesus de aqua viva, de Deo adorando, Messiam se esse tamdem aperit, & civitatem ingressus pluribus Samaritanis innotescit, Joan. 4. vers. 6. & seq. | 32 9 | 66 57½ |
| Fons Jezrael. Vide Jezrael. | 32 27½ | 66 52½ |
| Fons Rogel. De limitibus Tribus Juda, Josue 15. v. 7. Et erunt exitus ejus ad Fontem Rogel. & de limitibus Tribus Benjamin, 18. v. 16. pervenit ad Fontem Rogel. Fons ergo inter utramque Tribum est Judæ & Benjamin, 2. Reg. 17. v. 17. Jonathas & Achimas stabant juxta Fontem Rogel, cum ancilla nuntiavit eis, ut referrent ad Regem David . . . . . v. 16. ne moraretur nocte illa in campestribus deserti, sed absque dilatione transgrederetur ( Jordanem; ) de Bello Absalonis contra Patrem. 3. Reg. 1. v. 9. Adonias immolatis arietibus, & vitulis, & universis pinguibus juxta lapidem Zoheleth, qui erat vicinus Fonti Rogel . . . & seq. Regnum Davidis etiamnum viventis occupare conatur. | 31 35 | 66 47 |
| Fons Samson, locus in quo Samson post Philisthæos mille deletos sitiit, clamavit ad Dominum, & aperuit Dominus dentem molarem in maxilla Asini: e quo egressæ sunt aquæ, quibus haustis, refocillavit spiritum, & vires recepit Samson, Judic. 15. | 31 39 | 65 52 |

## G

| Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. | |
|---|---|---|
| 32 2 | 66 30 | Gaas Mons, videtur pars Montis Ephraim. V. Ephraim M. 2. Reg. 23. v. 30. inter fortes Davidis eſt Heddai de Torrente Gaas. Eſt ergo & Mons, & Torrens Gaas. |
| 32 51 | 66 48 | Gaba. Joſephus lib. 3. Bell. 2. Mons Carmelus, cui conjuncta eſt Gaba, Civitas equitum, quæ ſic appellatur, eo quod equites ab Herode Rege dimiſſi, coloni eo deducebantur. Dixerat ante lib. 2. c. 19. de Judæis tumultuantibus; Irruerunt ( inquit ) in Gadaram . . . . etiam in Ptolemaidem, Gabam quoque, Cæſareamque tendebant. Et in vita ſua Beſaram ponit pene fines Ptolemaidis, & 20. ſtadiis a Gaba; ea ratione Gaba erit penes Carmelum M. & prope fines Ptolemaidis, & qua a Ptolemaide Cæſaream iter eſt. Gabala videtur Ptolemæi, & Gamala Joſeph. 13. Antiq. 21. & quæ Gaba ipſimet 15. Antiq. 10. |
| 31 50 | 66 48 | Gabaa, Gabae, duodecima, & ultima urbs primæ partis Tribus Benjamin, Joſ. 18. verſ. 24. Levitis poſtea aſſignata eſt, Joſ. 21. verſ. 17. ubi Gabae ſcribitur, & 1. Paral. 6. verſ. 60. ubi Gabee. Gabaa autem ubique lib. Judic. in hiſtoria uxoris Levitæ ab Gabaanitis in libidine extinctæ: qua-propter cæteræ omnes Tribus Iſrael, Tribum Benjamin pene totam deleverunt. In Gabaa erat Domus Aminadab, ad quam reducta eſt Arca Domini, & filius ejus Eleazar ſanctificatus eſt, ut illam cuſtodiret, 1. Reg. 7. verſ. 1. Erat & domus Saul in Gabaa, & 14. verſ. 2. Saul morabatur in extrema parte Gabaa, ſub Malo granato, quæ erat in Magron. 2. Reg. 5. verſ. 25. David percuſſit Philiſthiim de Gabaa uſque dum venias Gezer, & 3. Reg. 15. verſ. 22. Gabaa ab Aſa Rege Judæ extruitur ex lapidibus & lignis, quæ Baaſa Rex Iſrael attulerat ad Ramam muniendam. Geba apud Eſdram, 2. c. 11. verſ. 31. & c. 12. verſ. 29. Cum hac Gabaa facile convenit. |
| 31 30 | 66 38 | Gabaa alia eſt in Tribu Juda, & quæ inter Accaim, et Thamna deſcribitur in octava hujus Tribus parte, ubi urbes decem, Joſ. 15. verſ. 57. |
| 31 42 | 66 42 | Gabaath vigeſima quinta et penultima deſcribitur inter urbes omnes Tribus Benjamin, Joſ. 18. verſ. 28. et 24. verſ. 33. Eleazar filius Aaron mortuus eſt, et ſepelierunt eum in Gabaath Phinees filii ejus, quæ data eſt ei in Monte Ephraim. Inter fortes Regis David eſt Ithai filius Ribai de Gabaath filiorum Benjamin, 2. Reg. 23. verſ. 29. Et iterum 1. Paralip. 11. verſ. 31. Ethai ( qui ante Ithai ) filius Ribai de Gabaath filiorum Benjamin. Apud Iſaiam autem 10. verſ. 29. Gaba ſedes noſtra .... et ſtatim Gabaath Saulis. Sed Gaba cum Gabaa Saulis melius convenit, ut in libris Regum, quam Gabaath, in qua nullum fuit Saulis domicilium. |
| 31 52 | 66 34 | Gabaon. Cum Gabaonitis cenſebantur olim Gabaon, et Caphira, et Beroth, et Cariath-jarim, Joſ. 9. verſ. 17. et c. 10. verſ. 2. Urbs magna erat Gabaon, et una civitatum regalium, major oppido Hai, omneſque bellatores ejus fortiſſimi. Eam cum expugnare vellent Reges Jeruſalem, et Hebron, et Jerimoth, et Lachis, et Eglon; qui ſunt quinque Reges Amorrhæorum, quod Gabaonitæ ſeſe dediſſent Iſraelitis, Joſue caſtra movit e Galgalis: repenteque in hoſtes irruens, multos interfecit: plures Dominus grandine et lapidibus e cœlo demiſſis ... tum et Sol, et Luna ſteterunt, dum Iſraelitæ de inimicis ſuis ſeſe ulciſcuntur. Gabaon prima deſcribitur in ſecunda parte Tribus Benjamin, Joſue 18. verſ. 25. et 12. verſ. 17. Levitis prima datur e Tribu Benjamin, quæ deſideratur, 1. Paralip. c. 6. verſ. 60. Vide Animadv. |
| 32 35 | 67 18 | Gabara urbs a Jotapata 40. ſtadiis, Joſeph. in vita ſua. |
| 33 8 | 67 8 | Gabaragana. |
| 32 25 | 66 $42\frac{1}{2}$ | Gaber. V. Gaver. |
| 32 0 | 66 40 | Gad, Tribus inter trans-Jordanas tres media, nomen habet a Gad filio Jacob ſeptimo, & ex Zelpha Liæ ancilla, primo. Hunc Jacob accinctum prælio ait, Geneſ. 49. verſ. 19. Moyſes Deuter. 33. verſ. 20. Benedictus ( inquit ) in latitudine Gad, quaſi leo requievit, verſ. 21. & vidit principatum ſuum, quod in parte ſua doctor eſſet repoſitus, |

qui

| | Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. |
|---|---|---|
| qui fuit cum principibus populi, & fecit justitias Domini, & judicium suum in Israel. Quod factum videtur, alterum in Jehu Rege Israel, qui ex Ramoth-galaad, alterum in Elia Thesbite Propheta. Gaditarum Princeps fuit in Deserto Eliasaph filius Duel, Numer. 1. vers. 14. sub quo 45650. viri ad bellum apti, vers. 25. Ad explorandam Terram Chanaan Duel filius Machi missus est, 13. v. 16. eamque ingrediuntur 40500. nullum autem dedit hæc Tribus ad Terræ divisionem, quod sortem suam habuerit extra Terræ Promissæ limites; eam descripsit Josue 19. | | |
| Gadara. Vide Gerasa. | 31 26 | 67 52 |
| Gader. Inter Reges a Josue devictos Rex Gader unus, Josue 12. v. 13. Ea ipsa est, quam Gedera (Gadera legunt alii) vocat ipsemet Josue 15. v. 36. & quam describit inter urbes quatuordecim secundæ partis Tribus Juda: & prope Adithaim & Gederothaim. Balanan Gederites præerat olivetis, & ficetis, quæ erant in campestribus, 1. Paralip. 27. v. 28. | 31 41 | 66 13 |
| Gadgad. Num. 33. v. 32. profectique (Israelitæ) de Benejaacan venerunt in montem Gadgad . . v. 33. unde profecti, castrametati sunt in Jetebatha. Israelitarum statio in deserto inter Benejaacan & Jetebatha. | 29 40 | 66 0 |
| Gadi sive Gaddi, in catalogo virorum illustrium sub Davide est Bonni de Gadi, 2. Reg. 23. v. 36. Et de Gaddi transfugerunt ad David, cum lateret in deserto, viri robustissimi, & pugnatores optimi, tenentes clypeum & hastam: facies eorum quasi facies leonis, & veloces quasi capreæ in montibus. | 32 2 | 67 32 |
| Galaad regio; apta alendis animalibus terra, ideoque ab Rubenitis, & Gadditis expetita, Num. 32. v. 1. & seq. v. 39. Filii Machir, Filii Manasse perrexerunt in Galaad. v. 40. dedit Moyses Terram Galaad Machir, filio Manasse, qui habitavit in ea. v. 41. Jair filius Manasse occupavit vicos ejus, quos appellavit Havoth-Jair, i. Villas Jair. Deuter. 3. v. 12. mediam partem montis Galaad, & civitates illius dedi Ruben & Gad. v. 13. reliquam partem Galaad, & omnem Basan Regni Og tradidi mediæ Tribui Manasse, v. 15. Machir quoque dedi Galaad, v. 16. & Tribubus Ruben & Gad dedi de Terra Galaad usque ad Torrentem Jeboc. Et de regione ipsa multoties alibi, quæ nunc Galaad, nunc Galaaditis, nunc etiam Galaaditica dicitur. | 32 20 | 68 0 |
| Galaad mons, ubi cum Jacob Dei jussu ad patrem rediret, Laban assecutus arguit illum, quod se inscio fugeret, quod Deos suos furatus esset: sed Rachelis astu deceptus, tandem inito fœdere Tumulum testis, sive Acervum testimonii erexere. Et ad sua redit Laban; Jacob inter incœptum prosequitur. Ex Genes. 31. | 32 30 | 68 20 |
| Galaad urbs. Judic. 12. v. 7. Judicavit Jephte Galaadites Israel sex annis, & mortuus est, & sepultus in civitate sua Galaad; & non alibi hujus urbis est mentio, vereorque ne hic in civitate Galaad positum sit pro regione. Josephus etenim sepultum ait Jephte in civitate Semei regionis Galaad. | 32 29 | 68 1 |
| Galatia regio Asiæ Minoris inter Phrygiam & Cappadociam, 1. Machab. 8. v. 12. de præliis, & virtutibus Romanorum, quæ fecerunt in Galatia, quam obtinuerunt, & duxerunt sub tributum, 2. Machab. 8. v. 20. de prælio, quod Judæis adversus Galatas fuit in Babylonia . . . ut ipsi Judæi soli percusserunt centum viginti millia. Act. Apost. 16. v. 6. Transeuntes Phrygiam, & Galatiæ regionem. 18. v. 23. perambulans ex ordine Galaticam regionem & Phrygiam. 1. ad Corinthios 16. v. 1. de collectis, quæ fiunt in sanctos, sicut ordinavi Ecclesiis Galatiæ, ita & vos facite. Epist. ad Galat. 1. v. 2. Ecclesiis Galatiæ scribit. In secunda Epist. ad Timoth. 4. v. 10. ait; Crescentem in Galatiam abiisse. Galatiæ etiam meminit Epist. 1. Petri c. 1. v. 1. | 41 0 | 63 0 |
| Galgal urbs regia. Josue etenim 12. vers. 23. inter Reges a se devictos: Rex gentium Galgal unus est. | 32 21 | 66 22 |
| Galgala locus prope Jordanem, & ubi transito Jordane castrametati sunt Israelitæ. Duodecim quoque lapides, quos e medio Jordanis alveo sumserant, posuit Josue in Galgalis, Josue 4. v. 19. & 20. & 5. vers. | 31 43 | 67 12 |

10.

| Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. | |
|---|---|---|
| | | 10. manserunt Filii Israel in Galgalis, & fecerunt Phase, v. 11. & comederunr de frugibus Terræ die altero. v. 12. defecitque Manna postquam comederunt de frugibus Terræ Chanaan. Cap. 9. v. 6. & seq. Dum Josue morabatur in castris Galgalæ, Gabaonitæ induti veteribus vestibus, & calceis; sumtisque panibus mucidis, seque e longinqua regione venire simulantes callide pacem petunt, obtinentque: sed fraude deprehensa, ad perpetuum populi, & altaris ministerium adstricti sunt, ut cæderent ligna, & aquas comportarent ad locum, quem Dominus elegisset. Galgalis pene semper castrametati sunt Josue, & Israelitæ, dum Terram Chanaan sibi vendicant. Galgalis erat Eglon Rex Moabitarum, cum Aod, qui utraque manu pro dextera utebatur, eum gladio ancipiti sive pugione interfecit: vicinisque Israelitis ad arma vocatis, percussit Moabitas circiter decem millia, Judic. 3. in Galgalis Saul a Samuele in Regem Israelitarum coram Domino, & omni populo confirmatur, 1. Reg. 11. sed 13. v. 9. & seq. cum ibi holocaustum temere obtulisset Saul, Samuel ipsum reprehendit, dicitque ab ipso Regnum Israel brevi amovendum. Iterum Galgalis erat Saul, cum Samuel ipsum inobedientiæ arguit, quod a Domino missus, ut funditus deleret Amalec, nihilominus Regem Agag, opimamque prædam ipse reservarat, c. 15. & v. 33. Samuel in frusta concidit Agag coram Domino in Galgalis. |
| 33 0 | 67 20 | Galilæa regio celeberrima, & quæ Septentrionalem obtinet totiùs Judææ partem; quatuor amplexa Tribus: Aser, Nephthalim, Zabulon, & Issachar, quarum primæ duæ Phœnicibus, & Syris intermixtæ Septentrioni etiam & Jordanis fontibus viciniores sub Galilæa Gentium, Isaiæ 9. v. 1. & Matth. 4. v. 15. aliis sub Galilæa superiori: reliquæ sub inferiori, ut plurimum intelliguntur. Totius fines sunt a Septentrione Syria sive Phœnicia, interjacente Libano; a Meridie Samaria, & Carmelus Mons; ab Oriente Jordanis fluvius; ab Occidente Mare magnum, sive Occidentale. In ea Christus conceptus, educatus, & ut plurimum conversatus, Evangelii gratiam primum prædicavit, innumera miracula patravit. Ideoque Galilæus ipse, Apostoli, & Christiani aliquando Galilæi vocabantur. Galilææ meminere omnes Evangelistæ pluribus in locis; Galilææ Gentium solus Matth. Tetrarchiæ Galilææ solus Lucas 3. vers. 1. superioris & inferioris Galilææ Josephus pluribus in locis. |
| 31 32$\frac{1}{2}$ | 67 45 | Gallim. 1. Reg. 25. vers. 44. Saul dedit Michol filiam suam uxorem David ) qui effugerat ) Phalti filio Lais, qui erat de Gallim. Isa. 10. vers. 30. Hinni voce tua filia Gallim, attende Laisa. & 15. vers. 8. quoniam circuivit clamor terminum Moab, usque ad Gallim ululatus ejus. |
| 32 30 | 67 45 | Gamala urbs inferioris Gaulanitidis in conspectu Taricheæ, sita in alto, & præcipiti monte, qui a Cameli forma non multum dissimilis est. Joseph. 1. Bell. c. 4. & 4. c. 1. In castello Gamalæ Alexander Hyrcani frater Demetrium cepit, captivumque retinuit. lib. 2. cap. 25. & 4. c. 1. Vespasianus a Josepho antea munitam cepit, omnesque oppidanos gladio interfecit. |
| 32 51 | 66 48 | Gamala alia est Josepho in Galilæa, Gabala Ptol. mihi eadem videtur atque Gaba. V. Gaba. |
| 32 45 | 61 2 | Garisima Josepho vicus stadiis 20. a Sephori, & eo in loco ipse castrametatus est Sephorim obsessurus, in vita sua. |
| 32 7$\frac{1}{2}$ | 66 57$\frac{1}{2}$ | Garizim & Gebal sive Gebal montes inter se vicini prope Samariam, Deuter. 11. vers. 29. cum introduxerit te Deus in Terram, pones benedictionem super montem Garizim, maledictionem super montem Hebal, &c. |
| 32 25 | 66 42$\frac{1}{2}$ | Gaver, 4. Reg. 9. vers. 27. Ochosias Rex Juda videns hoc ( quod Jehu occidisset Joram Regem Israel ) fugit per viam domus horti; persecutusque est eum Jehu, & ait: etiam hunc percutite in curru suo: & percusserunt eum in ascensu Gaver, qui est juxta Leblaam: qui fugit in Mageddo, & mortuus est ibi. |
| 32 48 | 68 16 | Gaulon alias Gaulan, urbs in Basan, & in Tribu Manasse 2. Josue 20. vers. 8. inter urbes Refugii habet ... & Gaulon in Basan; & 21. |

vers.

| | Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. |
|---|---|---|
| verſ. 27. inter urbes Leviticas filiis Gerſon Levitici generis dedit de dimidia Tribu Manaſſe trans Jordanem civitatem .... Gaulon in Baſan... & 1. Paralip. 6. verſ. 71. Filiis Gerſon de cognatione dimidiæ Tribus Manaſſe, Gaulon in Baſan. Ab ipſa urbe Gaulonitis, & Gaulanitis Regio dicitur Joſepho. | | |
| Gaulane mihi ipſiſſima eſt Gaulan, alias Gaulon Joſeph. Bell. Jud. 1. c. 4. & alibi. | 32 48 | 68 16 |
| Gaza urbs magna, & ex quinque Satrapiis Philiſthinorum Ægyptum verſus ultima, hujus urbis ambas portæ fores media nocte abſtulit, & humeris impoſitas in montem vicinum detulit Samſon, Jud. 16. ſed & poſtea Dalilæ blanditiis victus, & a Philiſthinis vinctus, oculis erutis Gazam ductus eſt, & in carcere detentus, coactuſque molere: cum tandem aliquando Principes Philiſthinorum Idolo ſuo Dagon feſtum diem agerent, Samſonique illuderent, ille Deo invocato, apprehenſiſque & concuſſis duabus, quibus innitebatur tota domus, columnis, tria hominum millia, una eademque ruina ſecum oppreſſit, ibid. | 31 20 | 65 4 |
| Gazer, Gazera, Gazara, Joſue 10. v. 33. Aſcendit Horam Rex Gazer, ut auxiliaretur Lachis, quem percuſſit Joſue, 12. v. 12. Rex Gazer unus, 16. v. 3. Gazer deſcribitur in terminis Tribus Ephraim, & inter Bethoron inferiorem, & Mare magnum, & v. 10. Non interfecerunt filii Ephraim Chananæum, qui habitabat in Gazer: habitavitque Chananæus in medio Ephraim. Nihilominus Joſue 21. v. 21. & 1. Paralip. 6. verſ. 67. inter Levitarum urbes, quæ familiæ Caath conceſſæ ſunt, urbs eſt Gazer. 3. Reg. 9. v. 16. Pharao Rex Ægypti cepit Gazer, ſuccenditque eam igni; & Chananæum, qui habitabat in civitate, interfecit, & dedit eam in dotem filiæ ſuæ uxori Salomonis, v. 17. ædificavit ergo Salomon Gazer. 1. Paral. 20. v. 4. initum eſt bellum in Gazer adverſus Philiſthæos ( a Davide qui eos percuſſit. ) Gazer a Juda Mach. capitur, 1. Machab. 5. v. 8. Eam muniit Jonathas, 1. Mach. 9. v. 12. & Simon Machab. videtur habitaſſe Gazaris, 1. Mach. 13. v. 54. ſic etiam 14. v. 7. dominatus eſt Gazaræ, & Bethſuræ, & Arci ( Jeroſolymitanæ ) v. 34. Joppen muniit & Gazaram, poſteaque Joannes filius ejus dum in Gazaris agit, 16. v. 1. nuntiatum eſt, patrem ſuum doloſe interfectum in munimento Doch. | 32 2 | 66 21 |
| Gebbethon al. Gabbethon, & Gibbethon, urbs in Tribu Gad inter Elthece, & Balaath, Joſue 19. v. 49. | 31 43 | 65 57 |
| Gederothaim urbium quatuordecim, quæ in ſecunda parte Tribus Judæ ſunt, hæc ultima deſcribitur, Joſue 15. v. 36. | 31 14 | 66 11 |
| Gedor inter Bethſur, & Mareth, ea eſt in nona parte Tribus Juda, ubi ſex urbes numerantur, quarum Gedor tertia, Joſue 15. v. 58. | 31 $42\frac{1}{2}$ | 66 24 |
| Gehon fluvius inter eos, qui e Paradiſo terreſtri egrediebantur, Geneſ. 2. v. 13. Et nomen fluvii ſecundi Gehon: ipſe eſt qui circuit omnem Terram Æthiopiæ. | 43 0 | 77 30 |
| Gelboe mons in Tribu Iſſachar, in quo Saul & Iſraelitæ fugerunt ante faciem Philiſthiim: & ceciderunt interfecti in monte Gelboe, & tres filii Saul, Jonathas, & Abinadab, & Melchiſua cæſi ſunt, & Saul vulneratus corruit in gladium ſuum. | 32 $22\frac{1}{2}$ | 67 10 |
| Gelo. V. Gilo. | 31 9 | 66 14 |
| Geneſareth. V. Mare Galilææ & Genereth. | 32 35 | 67 40 |
| Gerara. Geneſ. 10. v. 19. Factique ſunt termini Chanaan venientibus a Sidone Geraram. cap. 20. Poſt Sodomorum everſionem, profectus inde Abraham in terram Auſtralem habitans inter Cades, & Sur, peregrinatur Geraris, ſuamque uxorem vocat ſororem; Abimelech Rex in Geraris eam tulit, ſtatimque intactam Dei juſſu reddidit, & Abrahami precibus tota Regis domus ſanitati reſtituta eſt. Manſit etiam Iſaac in Geraris, Geneſ. 26. v. 6. & ſeq. ubi reprehenditur a Rege Abimelech, quod Rebeccam uxorem ſuam, ſororem eſſe dixiſſet: Et Paſtoribus Geraræ cum Paſtoribus Iſaaci multoties pro Puteis jurgantibus tandem Abimelech & Iſaac fœdus percuſſere. Torrens Geraræ eſt eod. cap. v. 17. 1. Paralip. 14. v. 12. Exterruit Dominus Æthiopes coram Aſa & Juda: fugeruntque Æthiopes, & Zara eorum Rex cum decies centenis milli- | 31 1 | 65 $37\frac{1}{2}$ |

| Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. | |
|---|---|---|
| | | millibus, v.13. & persecutus est eos Asa, & populus, qui cum eo erant, usque Gerara: & ruerunt Æthiopes usque ad internecionem. |
| 32 31 | 67 50 | Gerasa, Geraza, Gergesa, urbs ad Orientem Maris Galilæi, ex qua Gerasenorum regio apud Matth. 8. v. 28. Marc. 5. v. 1. Luc. 8. v. 26. & 37. Sic enim constanter legitur in Latina Versione, ubi variant Græca Exemplaria, & Gergesenorum alias Gerasenorum, & Gergesæorum legitur apud Matth. Gadarenorum apud alios: ex quo alii unicum voluerunt locum ex Gerasa & Gadara: alii forteque melius geminum, 1. cum utriusque loci meminerint Josephus, Ptolemæus, Stephanus, aliique. In regione vicina, & quæ ab alterutra nomen sortitur Jesus Dæmonum legionem ab homine ejecit, & Dæmonibus ipsis petentibus, ut in porcorum gregem ingredi liceret, permisit. Ex ipsis Evangelistis. |
| 32 30 | 67 49 | Gergesæi ex Genes. 10. v. 16. inter filios Chanaan Gergesæus quintus est. & 15. vers. 21. Gergesæi sunt inter populos, quorum Terram semini Abrahæ promittit Deus. Deuter. 7. vers. 1. Gergesæum cum aliis septem gentibus se deleturum ait Deus: Hethæum scilicet, & Gergesæum, & Amorrhæum, & Chananæum, & Pherezæum, & Hevæum, & Jebusæum septem gentes .... Easdem repetit Josue 3. vers. 10. Deus in medio vestri (Israelitarum) est, & disperdet Chananæum, & Hethæum, Hevæum, & Pherezæum, Gergesæum quoque & Jebusæum, & Amorrhæum: iterum 24. vers. 11. Amorrhæus, & Pherezæus, & Chananæus, & Hethæus, & Gergezæus, & Hevæus, & Jebusæus: & tradidi [ ait Deus ) illos in manus vestras. 1. Paralip. 1. vers. 13. 14. 15. 16. filii undecim Chanaan repetuntur, inter quos Gergesæus etiam quintus est. 2. Esdræ 9. vers. 8. sex tantum repetuntur: Chananæi, Hethæi, & Amorrhæi, & Pherezæi, & Jebusæi, & Gergesæi. Hevæi hic omittuntur, qui fortassis a Caphtorim jam dispersi hic illic elapsi erant. |
| 30 0 | 63 30 | Gessen Terra in Ægypto, quam Joseph patri & fratribus suis ad habitandam promittit, Genes. 45. vers. 10. & 46. vers. 28. & seq. Patri occurrit Joseph in Gessen. 47. vers. 1. Joseph ait Pharaoni de Patre suo & fratribus: Ecce consistunt in Terra Gessen, v. 6. Pharao ad Joseph: trade eis Terram Gessen, v. 27. habitavit ergo Israel in Ægypto, i. in Terra Gessen, & possedit eam. 50. v. 7. & seq. ascendit Joseph cum fratribus suis, absque parvulis, & gregibus atque armentis, quæ dereliquerunt in Terra Gessen, ut patrem ( mortuum ) transferret, sepeliretque in terra Chanaan. |
| 33 14 | 68 6 | Gessur. 2. Reg. 3. v. 3. inter filios Davidis tertius est Absalon filius Maacha filiæ Tholmai Regis Gessur. 2. Reg. 13. v. 37. 38. Absalon, quod sororem suam violasset Amnon, illum occidit, fugitque ad Tholomai avum meternum, filium Ammiud, Regem Gessur, & ibi mansit tribus annis. |
| 33 15 | 68 5 | Gessuri Regio, quam Tribus Manasse 2. possedit, ut & Machati. Deuter. 3. vers. 14. Jair filius Manasse possedit omnem regionem Argob usque ad terminos Gessuri & Machati. Josue 13. vers. 1. 2. & seq. universa Gessuri est inter Regiones necdum sorte divisas, sed statim dividendas. vers. 11. & Galaad, & terminus Gessuri & Machati, & omnis mons Hermon, & univesa Basan. vers. 13. nolueruntque disperdere filii Israel Gessuri, & Machati, & habitaverunt in medio Israel. 2. Reg. 2. vers. 8. 9. Abner princeps exercitus tulit Isboseth filium Saul, & Regem constituit super Galaad, & super Gessuri, & super Jezrael, & super Ephraim, & super Benjamin, & super Israel universum. |
| 31 0 | 65 0 | Gessuri pagus in Idumæa. 1. Reg. 27. vers. 8. & seq. David, & viri ejus agebant prædas de Gessuri, & de Gerzi, & de Amalecitis: Hi enim pagi habitabantur antiquitus euntibus Sur usque ad Terram Ægypti. In historia Davidis cum profugus apud Achim in Siceleg morabatur. |
| 31 55 | 65 52 | Geth una ex quinque Satrapiis Philisthinorum, & ex qua fuit Goliath, quem armatum inermis David funda percussit: & capite abscisso celeberrimæ Israelitis victoriæ locum dedit. De urbe Geth, & Ge- |

thæis

thæis mentio est in Josue, in libris Reg. & Paral. Quater etenim in Philisthæos bellum movit David: in quibus Gethæi aliquot, & ut plurimum Gigantes percussi sunt. & 1. Paral. 18. v. 1. factum &, ut percuteret David Philisthiim, & humiliaret eos, & tolleret Geth, & filias ejus, i. villas, & viculos ipsi subjectos, de manu Philisthiim. 20. v. *6*. Aliud bellum in Geth, quam David cepit. Roboam eamdem restauravit, 2. Paral. 11. v. 8. Hazael Rex Syriæ eam etiam cepit, 4. Reg. 12. v. 17. & Ozias Rex Juda ejus muros destruxit, 2. Paral. 2*6*. vers. *6*.

Geth-Epher, Jos. 19. v. 13. in Tribu Zabulon, eadem mihi est atque ea, quæ longe postea Jotapata Josepho dicitur in vita sua, & quam acerrime defendit, qua capta & incensa Josephus ipse capitur, & captivus Romam ducitur. Cæterum Geth-Epher, sive Geth-hepher Jonæ Prophetæ patria est, 4. Reg. 14. v. 25. ubi terminos Israel ab introitu Emath ad mare solitudinis restitutos esse ait secundum sermonem Dei, quem locutus est per servum suum Jonam filium Amathi Prophetam, qui erat de Geth, quæ est in Opher. Jotapatæ situs, & urbis obsidio, & excidium vide apud Josephum 3. Bell.

Gether. Genes. 10. v. 23. filii Aram: Us, & Hul, & Gether, & Mes. sed 1. Paralip. 2. v. 17. filii Sem (dicuntur) Ælam, & Assur, & Arphaxad, & Lud, & Aram, & Hus, & Hul, & Gether, & Mesech; ubi notandum aliquando nepotes cum filiis censeri; sic & aliquando Lot dicitur frater Abraham, & aliquando filius Aran fratris Abraham.

Geth-remmon decima sexta urbium, quas Josue dat Tribui Dan, 19. v. 45. poniturque inter Barach & Mejarcon, & postea Levitis e familia Caath ea conceditur, 21. v. 24. & 1. Paral. *6*. v. *69*.

Geth-remmon alia ast in Manasse. V. Balaan.

Giblii. 3. Reg. 5. v. 18. Giblii præparaverunt ligna & lapides ad ædificandum domum (Salomonis.) Ezech. 27. v. 9. senes Giblii. Putatur hic ubique Giblii nomen esse pro Biblii ab urbe Biblus, sive Byblus.

Gideroth inter Cethlis, & Beth-dagon describitur in parte tertia Tribus Judæ, in qua ex urbibus sexdecim ea decima tertia est, Jos. 15. vers. 41.

Gilo alias Gelo, ultima est inter civitates undecim, quæ describuntur in parte sexta Tribus Juda, Josue 15. v. 51. . . . 2. Reg. 15. v. 12. Accersivit Absalon Achitophel Gilonitem consiliarium David, de civitate sua Gilo . . . sed consilio Achitophel per Chusai Arachitem dissipato, ipse abiit in domum suam, suspendioque interiit, c. 17. 3. Regum 23. v. 34. in fortium Davidis catalogo est etiam filius Achitophel Gelonites.

Ginæa, Joseph. 3. Bell. c. 4. Samaria inter Judæam & Galilæam sita, incipit a vico, cui nomen est Ginæa, & in Acrabatenam desinit Toparchiam.

Giscala Galilææ, & in Tribu Aser oppidum, patria Joannis Leviæ filii, Josepho inimicissimi, quo tamen Giscalam contra Romanos defendente, & tandem deserente, ea omnium Galilææ urbium ultima dedita est, Joseph. 2. Bell. c. 25. 2*6*. 27. & lib. 4. Bell. cap. 4.

Gnydus urbs in Asiæ Minoris promontorio, quod Cretam, & Sporades Insulas adspicit, Actuum Apostolorum 17. v. 7. In Pauli navigatione, & deportatione Romam.

Gomer. Genes. 10. v. 2. Filii Japhet: Gomer, & Magog, & Madai, & Javan, & Thubal, & Mosoch, & Thiras: iis omnibus sedes in Europa dedimus; tum ex constanti pene omnium traditione Japheti filios Europam insedisse; Semi, Asiam; Chami, Africam; tum ex singulis Europæ partibus, quæ singulis Japheti filiis multo melius conveniant, quam quibusvis aliorum posteris. Singulos vide suis locis. v. 3. Porro filii Gomer: Ascenez, & Riphath, & Thogorma. Ipsius Gomeri posteros Germaniam, Galliam, & e Gallia Britannicas Insulas obtinuisse credit Cambdenus. Etiam pro Thogorma in Ezech. Chaldæus interpres exponit Germaniam, quam sententiam alii plures sequuti sunt.

| | Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. |
|---|---|---|
| Geth-Epher | 32 37½ | 67 27½ |
| Gether | 34 0 | 23 0 |
| Geth-remmon | 31 54 | 65 58 |
| Geth-remmon alia | 34 25 | 67 40 |
| Giblii | 32 21 | 66 53 |
| Gideroth | 31 44 | 66 17½ |
| Gilo | 31 9 | 66 14 |
| Ginæa | 32 21 | 67 0 |
| Giscala | 33 4 | 67 15 |
| Gnydus | 36 10 | 56 30 |
| Gomer | 50 0 | 25 0 |

| Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. | |
|---|---|---|
| | | Gallia & Britannicis Insulis pro Ascenez, & Riphath relictis; Galliam pro Ascenez Gomeri primogenito, Britannicas Insulas pro Riphath secundo descripsimus. |
| | | Gomorrha. V. Sodoma. |
| 32 8 | 66 24 | Gophna. Josephus hujus loci aliquoties meminit, & in Antiq. & in Bell. Jud. libro autem 3. Bell. c. 4. Gophnam facit Toparchiæ secundæ principem urbem. Plinius eam sextam Top. recenset. Urbs est in Tribu Ephraim, & inter Samariam, & Lyddam. |
| 31 6 | 66 6 | Gosen nona est ex tredecim urbibus partis secundæ Tribus Judæ, & inter Anim, & Olon posita, Josue 15. v. 51. & circumvicinus tractus Terra Gosen dicitur, Josue 10. v. 41. & 11. v. 16. |
| 41 30 | 80 0 | Gozan fluvius in Asia, & in Armeniæ, & Mediæ confiniis, juxta quem Israelitæ a Salmanassare deportati sunt, 4. Reg. 17. v. 6. Posuitque eos in Hala, & in Habor juxta fluvium Gozan in civitatibus Medorum. Paulo aliter 18. v. 11. transtulit in Assyrios, collocavit eos in Hala, & in Habor fluvius Gozan in civitatibus Medorum. 1. Paralip. 5. v. 26. adduxit eos in Lahela, & in Habor, & in Ara, & fluvium Gozan. Hala sive Lahela, & Habor, & Ara, quæ alii scribunt Chala, Chabor, & Chara urbes sunt in Mesopotamia, quæ Assyriæ pars est, eæque nunc sub Assyriorum, nunc sub Medorum imperio contentæ. |
| 40 0 | 47 30 | Græcia. Isaiæ 66. v. 19. in Italiam, & Græciam, & ad Insulas longe. Ezech. 17. v. 13. Græcia, & Thubal, & Mosoch, v. 19. Dan, & Græcia, & Mosel, puto hic idem esse, quod antea Græcia, & Thubal, & Mosoch; idque respondet cum Genes. 10. v. 2. Javan, & Thubal, et Mosoch. et 1. Paral. 1. v. 5. & Javan, & Thubal, et Mosoch; concesso Javan pro Græcia, ut demonstramus in Javan. In Daniele 11. vers. 2. per Regnum Græciæ Alexandri M. Regnum intelligit, unde 1. Mach. 1. v. 1. & 6. v. 2. Alexander Macedo qui primus regnavit in Græcia, i. qui primus in pene omnibus Græciæ partibus regnavit; cum ante Alexandrum alii aliis Græciæ partibus regnaverint. |
| | | Græci, non tantum Græciæ populi intelliguntur, sed qui cum sub Alexandro Macedone Persarum imperium evertissent, longe lateque per totum Orientem dispersi, hic illic sedes habuere. Sed & in Novo Testamento ex iis alii Hellenes, alii Hellenistæ appellantur: Hellenes, qui antiquam Græcorum superstitionem retinuerint: Hellenistæ, qui Hebraicam institutionem sequebantur. |
| 31 51 | 66 59 | Granatus malus. V. Malus Granatus. |
| 31 40 | 66 33 | Gregis Turris. V. Turris Gregis. |
| | | **H** |
| 33 40 | 75 20 | Habor, 4. Reg. 17. v. 6. et 16. v. 11. et 1. Paral. 5. v. 26. una ex urbibus, in quas Israelitæ transportati, eæ sunt Hala, Habor, Ara; & ad fluv. Gozan. Habor sive Chabor ipsa hodieque est Chabur; alias Chabur ad fluv. Chabur, et ubi in Euphratem labitur, et qui olim Chaboras, et ipsa urbs Chaboras Ptolem. aliisque. |
| 31 14 | 66 42½ | Hachila Collis, sive Collis Hachila, quæ est ad dextram deserti. 1. Reg. 23. v. 14. quæ est ex adverso solitudinis, 26. v. 1. quæ erat ex adverso solitudinis in via, v. 3. ubi castrametatus est Saul in Gabaa Hachila; maluerim in Colle Hachila. Gabaa etenim idem est atque Collis. Cæterum tota ea de Colle Hachila mentio est, cum David fugit a facie Saul. V. Massada. |
| 33 24 | 67 12 | Hococ. V. Alcath. |
| 29 0 | 78 0 | Hadar, Genes. 25. v. 15. & 1. Par. 1. v. 30. ex filiis Ismael octavus est. V. Ismael. |
| 31 30 | 66 27 | Hadassa in tertia regione sive parte Tribus Judæ, urbium sexdecim secunda describitur; inter Sanam, et Magdalgad, Jos. 15. v. 37. Adasa forte Josepho vicus, apud quem Judas Machab. cum Antiochi ducibus congressus, multis hostibus interfectis, fortiter occubuit, 1. Bell. |
| 31 28 | 67 12 | Hadid 2. Esdræ 11. v. 54. urbs in Tribu Benjamin ad Jordanem. |
| 40 0 | 42 30 | Hadria. Act. Apost. 27. v. 27. Navigantibus nobis in Adria. Per |

Adria

| | Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. |
|---|---|---|
| Adria Adriaticum mare intelligit Paulus, quod a Græcia ad Siciliam extendit se. | | |
| Hai. Genes. 12. v. 8. Abraham transgrediens ad montem, qui erat contra Orientem Bethel, tetendit ibi tabernaculum suum, ab Occidente habens Bethel, et ab Oriente Hai. Ex unico hoc loco Hai est ad Orientem urbis Bethel; idque probatur ex Josue 7. v. 2. Cumque mitteret Josue de Jericho viros contra Hai, quæ est juxta Bethaven, ad orientalem plagam oppidi Bethel. et iterum 8. v. 9. Sederuntque inter Bethel et Hai, ad occidentalem plagam urbis Hai. v. 12. viros ad quinque millia elegerat (Josue) et posuerat in insidiis inter Bethel, et Hai, ex occidentali parte ejusdem civitatis (Hai) capta ea est a Josue, & v. 28. qui succendit urbem, & fecit eam tumulum sempiternum, Regem quoque suspendit. | 31 $42\frac{1}{2}$ | 67 2 |
| Hala, 4. Reg. 17. v. 6. & 18. v. 11. & 1. Paral. 5. v. 26. (ubi Lahela pro Hala scribitur) una ex urbibus, in quas Israelitæ transportati sunt. Vide Gozan fluv. & Habor, & Ara, & Charræ. | 38 30 | 78 55 |
| Halcath, Helcath, Hucoc. Unius ejusdemque urbis varia sunt nomina. Halcath est Josue 19. v. 25. ubi prima describitur inter viginti duas urbes Aseritarum; eadem est Helcath, c. 21. v. 31. quæ in Tribu Aser datur Gersonitis generis Levitici; eademque Hucac sive Hucoc, 1. Paral. 6. v. 75. Vide Animadv. | 33 24 | 67 12 |
| Halhul in nona regione Tribus Judæ prima describitur inter urbes sex, Jos. 15. v. 58. | 31 $32\frac{1}{2}$ | 66 $42\frac{1}{2}$ |
| Halicarnassus, Alicarnassus scribitur 1. Mach. 15. v. 23. inter urbes, ad quas Romani in Judæorum gratiam literas scripsere. Græci, Latinique scriptores omnes cum H. scribunt. Urbs est in Asia Minori Herodoti, et Dionysii Historicorum patria, & Mausolæo, sive Sepulcro Mausoli et Artemisiæ nobilis. | 36 15 | 58 5 |
| Hamath, Amath, Hemath, et Emath, unde Hamathæi populi ab Hamathæo undecimo & ultimo filiorum Chanaan, ii sunt ad Septentrionem Terræ Promissæ; sed extra hujus Terræ limites, neque etenim inter eos Chanaan filios, qui delendi essent, computantur. Vide Samaræus. Thou Rex fuit in Emath, 2. Reg. 8. v. 9. & 1. Paral. 18. v. 9. qui misit Joram (Adoram legit Paral.) filium suum ad Davidem congratulandum, quod Adarezer vicisset. Attamen Jeroboam filius Joæ, et Rex Israel restituit Damascum, et Emath Judæ in Israel. Mentio hujus Emath 4. Reg. 17. v. 24. et 30. c. 18. v. 34. c. 19. v. 13. et 2. Paral. 8. v. 3. Abiit quoque Rex Salomon in Emath Suba (alias Soba) et obtinuit eam, v. 4. et ædificavit Palmiram in deserto, et alias civitates munitissimas ædificavit in Emath. Emath etiam Isaiæ, ubi Arphad, et Emath. Vide Amathis. 1. Paralip. 18. v. 3. percussit David Adarezer Regem Soba regionis Hemath, quando perrexit, ut dilataret imperium suum usque ad flumen Euphratem. | 34 15 | 69 0 |
| Hammoth-Dor, Hemath-Dor, Hamon, nulla est inter urbes novendecim, quas recenset Josue in Tribu Nephthali, 19. v. 32. et seq. nisi cum Emath conveniat. Inter urbes Leviticas e Tribu Nephthali excerptas, et Levitis e familia Gerson concessas Hammoth-Dor describitur ab ipso Josue 21. v. 32. quo loco 1. Paralip. 6. v. 76. legitur Hamon. Vide Animadv. Facileque concederem hanc urbem cum Emath (legunt alii Amath) convenire, et cum Amathunte Josephi. | 32 54 | 67 22 |
| Hamon alias Amon, decima quarta, aut decima sexta est urbium Tribus Aser, et inter Rohob, et Cana posita, Jos. 19. v. 18. | 33 23 | 67 18 |
| Hanathon in Tribu Zabulon urbs, Jos. 19. v. 14. de limitibus hujus Tribus: Et circuit (inquit) ad Aquilonem Hanathon, suntque egressus ejus Vallis Jephtahel. | 32 47 | 67 14 |
| Hapharaim, quarta numeratur a Josue 19. v. 19. inter urbes sexdecim Tribus Issachar; eaque videtur inter Sunem sive Sunam, et Seon. | 32 43 | 66 41 |
| Haran. V. Charan. | | |
| Hered urbs regia, ex Jos. 12. v. 14. ubi Rex Hered unus inter eos, quos devicit Josue, atque regis aut urbis Hered necdum fuit aliqua mentio, nec usquam erit: ideoque Hered eandem cum Arad facile dixerim, ut & Hered cum Eder. V. Arad. | 30 55 | 66 31 |

| Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. | |
|---|---|---|
| 31 $12\frac{1}{2}$ | 66 13 | Haret Saltus, 1. Reg. 22. v. 5. in quem fugit David a facie Saul. |
| 31 21 | 65 42 | Harma, Horma, octava urbium tredecim primæ partis Tribus Simeon, Jos. 19. v. 4. ubi scribitur Harma. Harma etiam in Tribu Juda, 15. v. 30. sed Horma ea est, 1. Paralip. 4. v. 30. & ubi Judas Machab. populi Dux cum fratre Simeone percussit Chananæum, & interfecerunt eum, vocatumque est nomen urbis Horma, i. Anathema. Horma forsitan eadem erit, quæ dicitur in deserto, & quo usque Amalecites, & Chananæus percussere Israelitas pugnantes contra Dei voluntatem, Numer. 14. v. 45. |
| 29 15 | 67 45 | Haseroth Israelitarum statio in deserto, Numer. 11. v. 34. Egressi de sepulcris concupiscentiæ venerunt in Haseroth: ubi Maria Moysis soror lepra percutitur, 12. v. 10. de Haseroth Israelitæ venerunt in desertum Pharan, 13. v. 1. sed c. 33. v. 17. & 18. Haseroth est inter sepulcra concupiscentiæ & Rethma. |
| 31 15 | 65 24 | Haser-sual, Hazur-suhal eadem urbs est. Haser-sual, Josue 15. v. 28. in Tribu Juda, & 19. v. 3. tertia numeratur inter tredecim urbes primæ partis Tribus Simeon, ad quam e Juda translata est, sed Hazar-suhal dicitur 1. Paral. 4. v. 28. & iterum Haser-sual 2. Esdr. 11. v. 27. Vide Animadv. |
| 31 31 | 65 35 | Hazer-susa. V. Sensenna. |
| 32 58 | 67 57 | Hasoreth gentium. Sisara ( dux exercitus pro Jabin Rege Asor) habitabat in Hasoreth gentium, Jud. 4. v. 2. v. 13. Et congregavit nongentos falcatos currus, & omnem exercitum de Hasoreth gentium, ad Torrentem Cison, v. 15. perterruit Dominus Sisaram, omnesque currus ejus, universamque multitudinem in ore gladii, ad conspectum Barac, v. 16. & Barac eos persecutus est usque ad Hasoreth gentium. |
| 30 58 | 65 22 | Hassemon. V. Asemona. |
| 32 6 | 66 52 | Hebal alias Gebal. V. Garizim. |
| 31 21 | 66 23 | Hebron, olim Arbe, & Cariath-Arbe; & Mambre, & Convallis Mambre dicta est: ex nomine Arbe, quod est quatuor, & Cariath-Arbe, quod est civitas quatuor, dixerunt plerique hanc urbem sic vocatam, quod ibi mortui, aut saltem sepulti fuerint Adam, Abraham, Isaac, & Jacob: constat Abrahamum, Isaacum, & Jacobum sepultos esse in spelunca duplici, quæ est prope Hebron, non autem Adamum. Bochardus rem vertit ad Anac, sive Enac, & ejus filios tres Achiman, Sisai, & Tholmai, quos in Hebron viderunt, & de quibus mira retulerunt Exploratores Terræ Chanaan. Alii pro Cariath-Arbe Tetrapolim interpretantur, quasi urbs ipsa in quatuor partes distincta fuerit. Primæ sententiæ favere videtur votum, quod Absalon mentitus est se vovisse in Hebron, quasi in conspectu Patriarcharum votum exsoluturus. Secundæ magnitudo Enac, & filiorum Enac de genere gigantæo, & quibus comparati Hebræi, quasi locustæ videbantur, Num. 13. v. 34. Tertiæ, quod urbes Regiæ olim in partes quatuor, ut plurimum, dividebantur, ut in eas separari possent Principis Curia, & Militia; tum & urbis Cives, & Opifices. Nam Hebron urbs antiquissima, & septem annis ante Tanim urbem Ægypti condita est, Num. 3. v. 23. & Regia fuit sub Chananæis, sive Amorrhæis, Josue 12. v. 10. Rex Hebron unus est, inter eos, quos ipse percussit. Sed & numerus dierum, quos David commoratus est in Hebron imperans super Domum Juda, septem annorum fuit & sex mensium, & ipsa omnium Tribus Judæ civitatum facile prima & maxima videtur. Eam autem Josue in septima hujus Tribus parte describit, inter Athmatha & Sior, & postea Sacerdotibus ex familia Aaron concessa fuit; tum & in urbem refugii data. |
| 28 40 | 66 0 | Hebrona Israelitarum statio in deserto inter Jetebatha & Asion-gaber, Numer. 33. v. 34. & 35. |
| 33 3 | 67 2 | Helba. V. Elmeleth. |
| 33 11 | 67 42 | Heleph, in descriptione urbium novemdecim Tribus Nephthali prima ea numeratur, Jos. 19. v. 33. |
| 29 20 | 67 40 | Heliopolis Ægypti urbs, ex qua Pharao Rex uxorem dedit Josepho filiam Putiphare Sacerdotis Heliopoleos, Genes. 41. v. 45. & 46. v. 20. Natique sunt Joseph filii in Terra Ægypti, quos genuit ex Asceneth |

filia

| | Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. |
|---|---|---|
| filia Putiphare Sacerdotis Heliopoleos, Manaſſes, et Ephraim. In Ægyptum, Juveneſque Heliopoleos prophetat Ezechiel 30. a v. 13. ad finem. Sed Iſaias prædixit cap. 19. v. 18. civitates quinque in Ægypto locuturas lingua Chanaan, et juraturas per Dominum exercituum: Civitatemque Solis ex iis unam fore. Civitas Solis proculdubio eſt ipſiſſima Heliopolis: in qua Onias Pontifex ſexcentis poſt Iſaiam annis Templum Hieroſolymitano aſſimile conſtruxit, Joſephus 13. Antiq. c. 4. et 1. Bell. 1. Heliopoleos urbis ſitus eſt inter Memphim et Rameſis; forteque ipſa Rameſſes. | | |
| Helmondeblathaim, Iſraelitarum ſtatio in deſerto inter Dibongad, et Montes Abarim, Num. 33. v. 46. et 47. | 31 $12\frac{1}{2}$ | 67 24 |
| Helon. V. Aion. | 33 8 | 67 54 |
| Helon videtur in Tribu Ruben ex Hierem. 48. v. 21. et Judicium venit . . . . ſuper Helon, et ſuper Jaſa, et ſuper Mephaath. Quod aliæ ex urbes ſint in Tribu Ruben; ſed et aliæ urbes ad hoc nomen accedunt: Elon in Tribu Dan: Holam in Tribu Judæ, quæ melius Olon: Elon in Tribu Nephthali. | 31 $47\frac{1}{2}$ | 67 $22\frac{1}{2}$ |
| Hemona ſive Villa Hemona decima eſt inter duodecim urbes primæ partis Tribus Benjamin, Joſue 18. v. 24. | 13 $42\frac{1}{2}$ | 66 51 |
| Henoch, ſive Enoch, Geneſ. 4. v. 17. Cognovit Cain uxorem ſuam, quæ concepit, & peperit Henoch: & ædificavit civitatem, vocavitque nomen ejus ex nomine filii ſui, Henoch: ſed urbis hujus poſitio non ſatis conſtat, neque ipſa ſtatim a nativitate ipſius Henoch ædificata. | | |
| Hered. V. Hared & Arad. Urbs regia. | 30 55 | 66 31 |
| Hermon mons Libano contiguus ad uſque montes Galaad excurrit; Hermon mons, aut illius partes aliquæ comprehendnntur ſub nominibus Sion, Sanir, Sarion, Deuter. 3. v. 8. Hermon, v. 9. quem Sidonii Sarion vocant: & Amorrhæi Sanir, 4. v. 48. ad montem Sion, qui eſt & Hermon. In Cantic. 4. v. 8. videtur diſtinguere Sanir & Hermon, de vertice Sanir, & Hermon. Totus hic mons poſt devictum Og Regem Baſan ceſſit dimidiæ Manaſſe, quæ trans Jordanem. Montis autem Hermon, ut & Hermonii, qui putantur in Tribu Iſſachar, nulla eſt demonſtratio ex Scriptura Sacra. | 33 20 | 68 20 |
| Herodium ex toparchiis decima eſt Joſepho 3. Bell. c. 3. undecima Plinio 5. c. 14. Caſtellum eſt in Tribu Juda. | | |
| Heſebon, Heſbon, Eſbon, urbs celebris. Vide in Dibon; urbs etenim utraque, ut & aliæ circumvicinæ petuntur a Danitis, & Rubenitis, Num. 32. v. 3. Sehon Rex Amorrhæorum, qui habitabat in Heſebon, antea 21. v. 21. dicitur Sehon Rex Heſebon Amorrhæus v. 26. Deut. 2. v. 26. Miſi (inquit Moyſes) nuntios de Cademoth (in ſolitudine) ad Sehon Regem Heſebon, v. 30. Noluit Sehon Rex Heſebon dare tranſitum. Sic & aliquoties dicitur Sehon Rex Heſebon, Sehon Rex Amorrhæorum, qui habitabat in Heſebon. Urbs ipſa videtur in Tribu Ruben ex Joſue 13. v. 17. qui eam diſerte ponit inter urbes Tribus Ruben; eadem etiam in Tribu Gad videtur, v. 26. ubi in Tribu Gad ponit quidquid eſt ab Heſebon uſque Ramoth, ſed dilucidius 21. v. 27. ubi Heſebon eſt inter urbes, quæ e Tribu Gad excerptæ aſſignantur Levitis, ſic & 1. Par. 6. verſ. 81. In Cantico 7. Oculi tui ſicut Piſcinæ in Heſebon, quæ ſunt in porta filiæ multitudinis; comparat ſponſæ oculos cum piſcinis Heſebon. Multa vaticinantur in Heſebon Iſaias & Jerem. | 31 $47\frac{1}{2}$ | 67 37 |
| Heſmona Iſraelitarum ſtatio in deſerto inter Methca & Moſeroth, Num. 33. v. 29. & 30. | 30 58 | 65 20 |
| Heron. V. Carioth-Heſron, & Aſor. | 31 1 | 65 $47\frac{1}{2}$ |
| Heth, unde Hethæi populi ab Hethæo filio Chanaan ſecundo, Gen. 10. v. 15. & 1. Paral. 1. v. 13. & alibi multoties. Hethæi populi ſunt, quorum Terram Iſraelitis promittit Deus. Vide Gergeſæi. | 32 0 | 66 30 |
| Hettalon bis hujus nominis mentio eſt apud Ezechielem 47. v. 15. & 48. v. 1. & ubique viæ Hethalon nulla urbis, aut loci notitia data. Conſtat autem viam hanc eſſe non longe ab Emath & Sedada, quæ ſub Libano. | 33 27 | 67 $27\frac{1}{2}$ |
| Hettan alias Itham Joſeph. 8. Antiq. c. 2. Hortus aquarum irrigatio- | 32 1 | 66 50 |

| Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. | |
|---|---|---|
| | | tionibus gratissimus, in quem delectationis causa Rex Salomon secedere solebat vectus in curru, alba veste circumamictus, equitibus suis armatis, arcumque ferentibus comitantibus. Locus abest a Jerusalem duobus Schoenis. Sed Schoeni alii ab aliis diversissimi sunt, ideoque nec loci positio facile dabitur. |
| 30 50 | 65 30 | Heve, unde Hevæi Populi ab Hevæo filio Chanaan sexto, Genes. 10. v. 17. & alibi multoties. Ii sunt inter Populos septem, quorum Terram Deus promittit Abrahæ. V. Gergesæi. |
| 28 30 | 81 0 | Hevila. Inter filios Chus Hevila secundus est, Genes. 10. v. 7. & 1. Paral. 1. v. 9. Ejus posteris sedem damus in Arabia ad Persici sinus intimum recessum. V. Chus. |
| 24 20 | 75 0 | Hevila alius est filius Jectam duodecimus, Genes. 10. v. 29. & 1. Paral. 1. v. 23. Ejus etiam posteris sedem damus in Arabia Fœlici, & penes Ophir & Jobab. |
| 43 30 | 73 30 | Hevilath sive Terra Hevilath, de qua Genes. 2. v. 11. Nomen uni Phison, ipse est, qui circuit Terram Hevilath: ubi nascitur aurum. Fluvius est ex iis quatuor, qui in Eden describuntur. Vide Phison, quem Phasin interpretamur, & Terram Hevilath, Colchidem. |
| 38 45 | 60 5 | Hierapolis in Epistola Pauli ad Colossenses 4. v. 13. Testimonium illi (Epaphræ qui ex vobis est) perhibeo, quod habet multum laborem pro vobis, & pro iis, qui sunt Laodiceæ, & qui Hierapoli. Urbs est in Phrygia, & penes Asiam provinciam in Asia Minori. |
| 32 28 | 67 43 | Hippos urbs in conspectu Tiberiadis, & in altera parte Maris Galilææ, 30. stad. ab ipsa Tiberiade, quæ ad Occidentem: 30. etiam a Gadaris, quæ ad Orientem. Ipsam facile cum Ephron eamdem facerem; nomine Ephron ad Hebraicam Hippos aut Hippus ad Græcam & Latinam linguam melius alludente. V. Ephron. |
| 31 37½ | 65 51 | Hir-semes, i. Civitas Solis, sic Josue 19. v. 41. ubi tertia est inter urbes, quas describit in Tribu Dan. V. Heliopolis. |
| 40 0 | 17 30 | Hispania, 1. Machab. 8. v. 3. & quanta fecerunt (Romani) prælia in regione Hispaniæ, &c. Paulus in Epist. ad Romanos 15. v. 24. Cum in Hispaniam proficisci cœpero, spero quod præteriens videam vos, v. 28. Hoc igitur cum consummavero . . . . per vos proficiscar in Hispaniam. Hispania ipsa antea intelligitur sub nomine Thubal. V. Japhet & Thubal. |
| 31 5 | 66 11 | Holon. V. Olon. |
| 31 36 | 67 45 | Hom. V. Terra Hom. |
| 32 47 | 67 14 | Homonæa Joseph. in vita sua, locus a Tiberiade 30. stadiis. |
| | | Hor Mons, Num. 20. v. 22. & seq. Cumque castra movissent (Israelitæ) de Cades, venerunt in montem Hor, qui est in finibus Terræ Edom, 25. & seq. In eo monte Aaron moritur: eoque vestibus suis spoliato filium ejus Eleazarum iis induit Moyses, & de monte cum illo descendit ad populum. |
| | | Horeb. V. Oreb. |
| | | Horem. Vide Magdalel-Horem. |
| 33 19 | 67 4 | Horma, Josue 19. v. 29. Revertiturque (limes Tribus Aser) in Horma, usque ad civitatem munitissimam Tyrum. Horma decima septima urbs est in Tribu Aser. |
| 31 21 | 65 42 | Horma sive Harma primum Tribui Judæ assignata, Josue 15. v. 30. Inter Cesil & Siceleg describitur, in prima hujus Tribus parte; postea vero Tribui Simeonis concessa est, Josue 19. v. 4. etiam inter Bethul (quæ respondet cum Cosil) & Siceleg. Vide Animadv. |
| 33 6 | 66 56 | Hosa, Josue 19. v. 29. in Tribu Aser, nec longe a Tyro, & ab Achziba, eaque decima nona viginti duarum urbium hujus Tribus videtur. |
| 32 50 | 67 28 | Hucuca, Jos. 19. v. 34. revertiturque terminus (meridionalis Tribus Nephthali) contra Occidentem in Azamoth Thabor, atque inde egreditur in Hucuca. |
| 36 30 | 71 0 | Hul. Genes. 10. v. 23. Filii Aram: Us, & Hul, & Gether, & Mes. Hul. Syriam Comagenam, Cyrrepticam, &c. interpretamur. V. Aram. |
| | | Hus alias Us. Tres sunt hujus nominis filii; primus filius Sem, sive |

| | Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. |
|---|---|---|

ve potius filius Aram, filii Sem; secundus filius Nachor fratris Abraham; tertius filius Disan, filii Sem, filii Esau. De primo Hus, 1. Paralip. 1. v. 17. Filii Sem: Ælam, & Assur, & Arphaxad, & Lud, & Aram, & Hus, & Hul, & Gether, & Mosoch. Paulo aliter Genes. 10. v. 22. Filii Sem: Ælam, & Assur, & Arphaxad, & Lud, & Aram, v. 23. Filii Aram: Us, & Hul, & Gether, Mes. In Genesi etenim Us (qui in Paral. est Hus) & Hul, & Gether, & Mes (qui in Paralip. est Hus) & Hul, & Gether, & Mes (qui in Paralip. est Mosoch) sunt filii Aram, filii Sem. In Paral. Hus (qui in Genesi est Us) & Hul, & Gether, & Mosoch (qui in Genesi est Mes) sunt filii ipsiusmet Sem. Sed jam diximus aliquando nepotes cum filiis censitos esse. De secundo Hus, Genes. 22. v. 20. Nunciatum est Abrahæ, quod Melcha genuisset filios Nachor fratri suo, v. 21. Hus primogenitum, & Buz fratrem ejus, & Camuel patrem Syrorum, v. 22. & Cased, & Azau, Pheldas quoque, & Jedlaph, v. 23. ac Bathuel, de quo nata est Rebecca; octo istos genuit Melcha Nachor fratri Abrahæ. De tertio Hus, qui filius Disan septimi, & ultimi filiorum Seir Horræi, Genes. 38. v. 28. habuit autem filios Disan: Hus, & Aran. & 1. Paralip. 1. v. 42. Filii Disan: Hus & Aran eod. cap. v. 38. Filii Seir ... Disan. Seir autem filius fuit Esau, qui filius Isaac, qui filius Abraham. Quidquid sit tres habemus Hus; unum filium Sem, aut filium Aram filii Sem; alterum filium Nachor, fratris Abraham; tertium filium Disan, filii Seir. Primi posteris locum dedimus in Aram, quæ est Syria, & penes Damascum. Vide Aram. Secundi posteris locum dedimus ubi Æsitæ, vel ut mavult Bochardus Usitæ Ptolem. in Arabia deserta: nec ii longe a Mesopotamia, ubi Nachor degebat. Tertii posteros descripsimus in Idumæa sive Edom, ubi Esau. — 33 0 | 69 0; 32 0 | 75 0; 30 20 | 66 0

Hyrcanium castellum, quod Herodes, ut & Alexandrium, & Herodium, & Machæruntem magnifice extruxit Joseph. variis in locis Antiq. & Bell. Corpus Antipatri, qui ab Herode patre occidi jussus est, in Hyrcanium castellum deportatum est. Joseph. 1. Bell. 21. — 32 9 | 66 35

## I.

Jabes-Galaad. Hujus urbis prima mentio est Judic. 21. cum habitatores Jabes-Galaad inventi sunt non interfuisse in Israelitarum exercitu, qui Benjamitas ob stuprum Levitæ uxori illatum deleverunt; ideoque & habitatores omnes Jabes-Galaad interfecti præter virgines, quas profugis Benjamitis reliquis in uxorem dedere, 1. Reg. 11. . . Naas Ammonitarum Rex urbem Jabes-Galaad obsidet, deditionemque spernit, nisi civibus dexter oculus eruatur. Saul accepto nuntio convocat Israel, urbem obsidione solvit, Ammonitas vicit, dissipavitque. Ex eod. lib. 31. Habitatores Jabes-Galaad hujus beneficii memores, cum Philisthiim Saulem & Saulis filios interfecissent, & in muris Bethsan suspendissent, ipsi fortissimi quique tulerunt Saulis, & filiorum ejus corpora, & in memore Jabes-Galaad sepelierunt. — 32 26 | 67 57½

Jaboc, Jeboc, Torrens, Genes. 32. v. 22. cumque mane surrexisset (Jacob) tulit duas uxores suas, & totidem famulas cum undecim filiis, & transivit vadum Jaboc, ut occurreret fratri suo Esau. Numer. 21. v. 24. Et possessa est Terra ejus (Sehon Regis Amorrhæorum) ab Arnon usque Jeboc. Jud. 11. v. 22. Et universos fines ejus (Regni Sehon) de Arnon usque Jaboc: & de solitudine usque ad Jordanem. — 32 20 | 67 55

Jaffa. V. Joppe. — 32 4 | 66 1

Jagur, tertia describitur in prima parte Tribus Juda, ubi urbes viginti novem sunt, Josue 15. v. 21. V. Animadv. — 31 2 | 66 27

Jair regio potius quam urbs, Numer. 32. v. 41. Jair filius Manasse occupavit vicos Terræ Galaad, quos appellavit Havoth-Jair, i. Villas-Jair. Deuter. 3. v. 14. vocavitque Basan ex nomine suo Havoth-Jair, i. Villas-Jair. Jos. 13. v. 30. Omnesque vicos Jair, qui sunt in Basan sexaginta oppida. 1. Paral. 2. v. 23. cepitque Gessur, & Aram oppida Jair; & Canath, & viculos ejus sexaginta civitatum. — 32 40 | 68 10

Jamnia urbs celebris & portus; nulla tamen est Jamnia ex Josue 19. ubi — 32 0 | 65 54

| Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. | |
|---|---|---|
| | | ubi omnes urbes Tribus Dan enumerantur : nec in toto Veteri Testamento, præterquam in libris Machabęorum , in quibus aliquoties ejus mentio est, ut 2. lib. 2. v. 9. de Juda Mach. Jamnitis supervenit, & portum cum navibus succendit, ita ut lumen ignis appareret Hierosolymis, a stadiis ducentis quadraginta. Jamnia describitur in Tribu Dan a Josepho 5. Antiq. 1. ut & Geth, & Accaron. |
| 32 50 | 67 52 | Jamnia vicus in Galilæa, quem propter situm muniit Joseph. in vita sua; an alius ab Jebnael? |
| 31 59 | 67 21 | Janoe. V. Zanoe in Ephraim. |
| 31 13 | 66 18 | Janum, inter urbes novem septimæ partis Tribus Juda, eam quartam recenset Josue 15. v. 53. |
| 47 30 | 40 0 | Japheth. Genes. 5. v. 31. Noe, cum quingentorum esset annorum, genuit Sem, Cham, & Japheth. 6. v. 30. Et genuit ( Noe ) Sem, Cham, & Japheth. 7. v. 13. Ingressus est Noe, & Sem, & Cham, & Japheth filii ejus . . . in Arcam. 9. v. 8. Filii Noe, qui egressi sunt de Arca: Sem, Cham, & Japheth. 10. v. 1. Hæ sunt generationes filiorum Noe: Sem, Cham, & Japheth. 1. Paral. 1. v. 4. Noe: Sem, Cham, & Japheth. Ex ipso ordine ubique servato Sem videtur primus, Cham secundus, Japheth filius Noe tertius, Genes. 10. v. 2. Filii Japheth: Gomer, & Magog, & Madai, & Javan, & Thubal, & Moloch, & Thiras: iis Japhethi filiis, eorumque posteris Europam omnem concedimus: scilicet tribus primis septentrionaliores partes, reliquis meridionaliores. Vide Gomer, & singulos alios in suis locis. Ceterum in Judith 2. v. 15. cum Holofernes dicitur occupasse terminos a Cilicia usque ad fines Japheth, qui sunt ad Austrum. Pro Japheth lego Jaffa, quæ est Joppe. |
| 32 32 | 67 18 | Japhie urbs in Tribu Zabulon, Jos. 19. v. 12. sita videtur inter Jephtahel, & Geth-epher. Japha dicitur Joseph. in vita sua. |
| 32 21 | 67 15 | Jaramoth. V. Ramoth. |
| 16 30 | 80 0 | Jare, quartus filiorum Jectan, Genes. 10. v. 26. & 1. Paral. 1. v. 20. ipsi sedem damus in Arabia Fœlici ad Are urbem regiam ex Ptolemæo. V. Jectan. |
| 31 56 | 66 33 | Jarephel vigesima est urbium viginti sex Tribus Benjamin, et inter Recem et Tharela, Josue 18. v. 24. |
| 31 52 | 66 17 | Jarim Mons, inter Tribus Benjamin et Juda; sunt et ibidem et Saltus et Sylvæ: vox etenim Hebraica Jarim Saltus et Sylvas denotat. |
| 31 36 | 67 29 | Jasa. Sehon Rex Amorrhæorum, Numer. 21. v. 23. venit in Jasa, pugnavitque contra eum ( Israel ) et v. 24. a quo percussus est in ore gladii, et possessa est Terra ejus ab Arnon usque Jaboc, et filios Ammon, Deuter. 2. v. 32. Egressusque est Sehon obviam nobis . . . . ad prælium in Jasa, v. 33. et tradidit eum Dominus . . . . percussimusque eum cum filiis suis, et omni populo suo. Sic et Jasa scribitur apud Isaiam, Jeremiam, etc. Jassa eadem est Josue 23. v. 18. et Jassa et Cademoth, et Mesphaath. Vide Animadv. Inter urbes Levitarum in Josue 21. v. 36. scriptum Jaser pro Jasa. |
| 40 0 | 48 0 | Javan Japheti filius quartus, ex Genes. 10. v. 2. Et ipsius Javan filii sunt: v. 4. Elisa, et Tharsis, et Cethim, et Dodanim: iis in universum Græciam omnem, Illyriamque orientalem concedimus; ita ut Elisæ posteris Achaja & Peloponnesus; filiis Cethim Macedonia, Thessalia & Epirus; filiis Tharsis Thracia; & filiis Dodanim Illyricum orientale assignata sint. Singulos vide suis locis. |
| 31 53 | 67 46 | Jazer, Jezer, urbs in Tribu Gad, Num. 32. v. 1. & 3. Jazer scribitur, & petita ab Rubenitis & Gaditis, quod terra illa esset alendis animalibus apta, in sortem Tribus Gad cessit, v. 35. Et iterum Josue 13. v. 25. Jazer, & 21. vers. 3. ex Tribu Gad Levitis ad habitandum conceditur, ut & 1. Paral. 6. v. 81. ubi Jezer scribitur, & 27. v. 8. Inter Principes duodecim, qui singuli singulis mensibus militiæ Davidis præerant, quintus est, & mense quinto ministrabat Samoth Jezerites, & in turma ejus viginti quatuor millia ( hominum. ) |
| 38 50 | 64 30 | Iconium urbs Lycaoniæ, aliquando metropolis. Ab Antiochia Pisidiæ Iconium venere Paulus & Barnabas, Act. Apost. 13. vers. 51. indeque Lystram & Derben, 14. v. 6. & 2. 7. Lystris claudum, & qui a matris |

| | Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. |
|---|---|---|
| tris utero incedere non poterat, Paulus curavit, & ambulare fecit. v. 9. cum Judæi quidam Paulum lapidibus pene obruissent, ipse cum Barnaba Derben profectus est. v. 19. & 20. indeque reversi sunt Lystram, & Iconium, & Antiochiam Pisidiæ. | | |
| Idumæa, alias Edom, Regio vicina Judææ ad Meridiem, Judæam inter, & Arabiam, & Ægyptum, & ipsa aliquando Judææ pars, aut saltem Judææ subdita. Nominis Idumææ in Novo Testamento, libri Mach. aliquoties, & inter Evangelistas solus Marcus meminit, 3. v. 8. de iis, qui a Galilæa, a Judæa, ab Jerosolymis, ab Idumæa, & ex aliis locis, & regionibus Jesum sequebantur: sed in Veteri Testamento ea notissima est, & sub nomine Edom, & sub nomine Idumææ. In vaticinatione Balaam, Num. 24. v. 17. Orietur Stella ex Jacob.... & erit Idumæa possessio ejus, hæreditas Seir cedet inimicis suis. 2. Reg. 8. v. 14. Et facta est universa Idumæa serviens David. Ezech. 35. vers. 15. Dissipatus est mons Seir, & Idumæa omnis. 1. Mach. 5. v. 3. Filii Esau in Idumæa. Genes. 36. v. 43. Ipse est Esau pater Idumæorum. Deut. 25. v. 1. Non abominaberis Idumæum, quia frater tuus est. Idumæi etenim & Israelitæ descendunt, hi a Jacob minori, illi ab Esau majori Isaac filiis. 1. Reg. 21. v. 7. Doeg Idumæus potentissimus pastorum Saul, & 22. v. 9. & erat primus inter servos Saul, v. 18. & qui jussu Saul irruit in Achimelech, & in Sacerdotes omnes, tum & in viros, mulieresque civitatis Nobe, quod Achimelech Davidem recepisset. 3. Reg. 11. v. 14. suscitavit Dominus adversarium Salomoni Adad Idumæum de semine regio, qui erat in Edom. | 30 0 | 65 0 |
| Jeblaam, Josue 17. v. 11. in hæreditate Manasse describitur, Judic. 1. v. 27. Manasses non delevit Bethsan & Jeblaam. Ex 4. Reg. 9. v. 27. videtur non longe a Gaver, & a Mageddo. | 32 21 | 66 53 |
| Jebnael, Josue 19. v. 33. urbs in Tribu Nephthali videtur ad Jordanem, forsitanque cum Jamnia, quam Josephus habet in Galilæa, respondet. | 32 50 | 67 52 |
| Jebsan. V. Cibsaim. | 32 4 | 66 56 |
| Jebus. V. Jerusalem. | | |
| Jebusæi nomen habent a Jebusæo filiorum Chanaan tertio, Genes. 10. v. 16. Vide Chanaan. Eorum sedes fuit, ubi Jebus-urbs, quæ postea Jerusalem. Vide Jerusalem. | 31 30 | 66 30 |
| Jecbaa. V. Jegbaa. | 32 10 | 67 32 |
| Jecmaan. V. Cibsaim. | 32 4 | 66 56 |
| Jeconan, Jecnan, Jechanam. Josue 19. v. 11. in Tribu Zabulon, Torrentis, qui est contra Jeconam, meminit. Jecnam ipsimet Josue est inter Leviticas urbes e Tribu Zabulon sumtas: loci nomen desideratur 1. Paral. 6. v. 77. sed & Josue 12. v. 22. inter Reges a se devictos habet: Rex Jechanan Carmeli unus; qui non alius, quam Jechonam, ubi Carmeli radices extendunt se. | 32 50 | 66 52 |
| Jectan, Genes. 10. v. 26. qui Jectam genuit Elmodad, & Saleph, & Asarmoth, & Jare, v. 27. & Adurem, & Uzal, & Decla, v. 28. & Ebal, & Abimael, Saba, v. 29. & Ophir, & Hevila, & Jobab: Omnes hi filii Jectan, v. 30. & facta est habitatio eorum de Messa pergentibus usque Sephar montem orientalem. Singulos vide suis locis: ut & Messa sive Mesa & Sophar, quæ omnia in occiduis, & meridionalibus sunt Arabiæ fœlicis partibus. | 22 0 | 75 0 |
| Jectehel, Petra sive Castrum. Amasias Rex Juda percussit Edom in Valle Salinarum, decem millia: & apprehendit Petram in prælio, vocavitque nomen ejus Jectehel, 4. Reg. 14. v. 7. Eadem repetuntur 2. Paral. 25. v. 11. & 12. Amasias abiit in Vallem Salinarum, percussitque filios Seir decem millia, & alia decem millia virorum ceperunt filii Juda, & adduxerunt ad præruptum cujusdam Petræ (Jectehel) præcipitaveruntque eos de summo in præceps. V. Petra. | 30 0 | 67 25 |
| Jecthel, urbs in parte tertia Tribus Judæ sexta describitur, inter Masepha & Lachis, Josue 15. v. 38. | 31 36 | 66 34 |
| Jedala, Josue 19. v. 15. inter urbes duodecim Tribus Zabulon, ac undecima describitur. | 32 39 | 67 9 |
| Jefleti locus in termino Tribus Ephraim contra Tribum Benjamin, inter Archiatharoth, & Bethoron inferiorem, Josue 16. v. 3. | 31 59 | 66 37 |

| Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. | |
|---|---|---|
| 32 8 | 67 32 | Jegbaa eſt inter urbes Tribus Gad, Numer. 32. v. 35. & Judic. 8. v. 11. non longe a Jecbaa, Gedeon iterum percuſſit Madianitarum caſtra, & fugientes Zebee & Salmana interfecit. |
| 32 16 | 66 58 | Jemeni alias Jemini. Saul aſinas patris quærens, tranſit per montem Ephraim, & per Terras Saliſa, Salem, Jemini & Suph: eæ terræ proculdubio ſunt familiarum quarumdam prædia, in confiniis Tribuum Benjamin, & Ephraim. Sed & Cis pater Saul erat e familia Jemini ex 1. Reg. 9. |
| 31 19 | 66 10 | Jephta in quarta parte ſive Regione Tribus Judæ, quarta ea deſcribitur inter Aſan, & Eſna, Joſue 15. v. 43. |
| 32 50 | 67 10 | Jephthael. V. Vallis Jephtael. |
| 31 37½ | 67 0 | Jericho civitas notiſſima in Veteri Teſtamento, quod Joſue eam ſepties circumiens cum Arca Domini, & cum Sacerdotibus buccinas plangentibus, muri ejus firmiſſimi funditus corruerint: & urbs capta & diruta fuerit, Joſue 6.. Joſephus 5. Bell. c. 4. Hiericuntinæ civitatis ſitum deſcribit, & ab Hieroſolymis 150. ſtadiis diſtare ait, & a Jordane 60. ſunt M. P. 7500. a Jordane, 18500. a Hieroſolymis ... 16. tantum hic videntur in Tabula Itineraria Rom. Matth. 20. v. 29. & ſeq. Duobus cœcis ſecus viam ſedentibus, ipſumque tranſeuntem Jeſum vocantibus, ipſe miſertus eorum oculos tetigit, & aperuit. Inter eos fuit Barthimæus filius Thimæi, Marc. 10. v. 46. & ſeq. Luc. 18. v. 35. Lucas iterum 19. v. 1. Zachæi publicanorum principis meminit, quem cum Chriſtus ex arbore evocaſſet, etiam in ejus domum, quæ in Jericho, intravit; & ſalutem fecit. Jericho urbs palmarum aliquando dicitur, ob palmarum in ejus territorio abundantiam. |
| 31 59 | 66 2 | Jercon, alias Aquæ Jercon. V. Majarcon. |
| 33 0 | 67 46 | Jeron; urbs in Tribu Nephthalim, Joſue 19. v. 38. |
| 32 57½ | 66 2½ | Jercon urbs. V. Majarcon, Mei-ercon. |
| 31 31 | 66 3 | Jerimoth urbs regia in ſecunda, eaque campeſtri regione Tribus Judæ, & inter Enaim, & Adullam-Socho, Joſue 15. v. 35. Hujus Rex Pharan cum Adoniſedec Rege Jeruſalem, aliiſque Gabaon oppugnantibus, a Joſue percuſſus eſt, Joſue 10. ideoque c. 12. inter Reges a ſe deviſtos, v. 11. Rex Jerimoth unus. |
| 31 22½ | 66 47½ | Jeruel deſertum ſive ſolitudo, in qua, aut penes quam Ammonitas, Moabitas, & Syros mutua cæde ſeſe deleturos, idque in conſpectu Joſaphat, & Juda, quem impetebant, prædixit Jahaziel filius Zachariæ Levites, 2. Paral. 20. v. 14. & ſeq. |
| 31 45 | 66 35 | Jeruſalem, Jeroſolyma, Jebus, &c. Jebus urbi nomen fuit, cum Iſraelitæ Terram Promiſſam ingrederentur. Eamque in Tribuum ſingularum deſcriptione ponit Joſue in Tribu Benjamin, 18. v. 28. Jebus (inquit) quæ eſt Jeruſalem. Sic & Judic. 19. v. 10. Jebus, quæ alio nomine vocatur Jeruſalem. & 1. Paral. 11. v. 4. Abiit quoque David, & omnis Iſrael in Jeruſalem, hæc eſt Jebus; ubi erant Jebuſæi habitatores Terræ. Obſoleto hoc Jebus nomine poſtea Jeruſalem ab Iſraelitis ubique dicitur, & tandem a Græcis Jeroſolyma, quæ totius Judææ metropolis muniſſima eſt Straboni, longe clariſſima urbium Orientis, non Judææ modo, Plinio, &c. Certe innumera ſunt hujus urbis encomia & in Veteri, et in Novo Teſtamento: quod Davidis, Salomonis, tum et Regni Judæ Throno; quod ſummorum Pontificum ſede, quod Salomonis Templo in toto orbe celeberrimo, ornata fuerit, ſed de ea præſtat ſilere, quam pauca dicere. Tantæ urbis everſionem prædixit Chriſtus Matth. 24. v. 15. Marc. 13. v. 14. Luc. 21. v. 20. quod intra quadrageſimum a Chriſti morte annum evenit, ſub Veſpaſiano, et Tito Romanorum Imperatoribus. |
| 31 12½ | 66 34 | Jeta. V. Jota. |
| 29 10 | 66 20 | Jetebatha, Numer. 33. v. 33. 34. in deſerto ſtatio Iſraelitarum, inter montem Gadgad, et Hebrona. Deuter. 10. v. 7. dicit Jetebatha terram aquarum et Torrentium. Et hic caſtrametati ſunt Iſraelitæ, et v. 8. et ſeq. ibique ſeparata et ſelecta eſt Tribus Levi, ut portaret Arcam fœderis Domini. |
| 31 41 | 65 56 | Jethela ſexta eſt in deſcriptione urbium Tribus Dan, Joſ. 19. v. 42. eaque inter Aialon, et Elon. |

Jether

| | Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. |
|---|---|---|
| Jether in sexta Tribus Judæ parte secunda describitur, inter Samir, et Socoth, Jos. 15. v. 48. Levitis postea assignata est, Josue 21. v. 14. et 1. Paral. *6*. v. 58. | 31 14 | *65* 48 |
| Jethnam-Ziph. Sic conjunctim legimus, et urbs in prima parte Tribus Judæ octava nobis videtur, ut diximus in Animadv. et ad differentiam alterius Ziph, quæ in parte octava ejusdem Tribus Judæ est. | 31 1 | *65* 56 |
| Jethson, Josue 21. v. 3*6*. est inter urbes Leviticas. V. Cademoth. | 31 27 | *67* 33 |
| Jethur filiorum Ismaelis decimus nominatur, Genes. 25. v. 15. et 1. Paral. 1. v. 31. In Arabia Petræa et deserta sedem ejus posteris dedimus, ut et Ismaelitis omnibus. V. Ismael. | 28 30 | 74 30 |
| Jezrael omnium prima describitur inter sexdecim urbes Tribus Issachar, Jos. 19. v. 8. ad Campum magnum posita videtur, unde Jezrael mediam possidens planitiem, Jos. 17. v. 1*6*. Judic. autem *6*. v. 33. Madian, & Amalec, & Orientales populi congregati sunt simul; et transeuntes Jordanem castrametati sunt in Valle Jezrael. Ii sunt, quos delevit Gedeon cum viris trecentis, 1. Reg. 29. v. 1. Congregati sunt Philisthiim universa agmina in Aphec, Israel castrametatus est super Fontem, qui erat in Jezrael, v. 11. Philisthiim ascenderunt in Jezrael. Ii sunt, qui statim Saul et filios ejus percusserunt in Monte Gelboe, 2. Reg. 2. Abner filius Ner princeps exercitus Saul, tulit Isboseth filium Saul, et circumduxit eum per castra, Regemque constituit super Galaad, super Gessuri, et super Jezrael, &c. Salomone regnante. Jezrael est sub Præfecto Bana, 3. Reg. 4. v. 12. & 3. Reg. 21. v. 1. Vinea Naboth Jezraelitæ, erat in Jezrael, quam cum Achab obtinere non posset, illius uxor Jezabel Naboth falsis testibus accusatum lapidavit. 4. Reg. 8. v. 29. Joram ejus filius a Syris vulneratus, reversus est in Jezrael, ut curaretur. | 32 28 | *66* 49 |
| Jezrael in Tribus Judæ parte octava urbs sexta describitur, inter Jota & Jucadam. | 31 17 | *66* 37½ |
| Jeabarim, Israelitarum statio in deserto, inter Oboth & torrentem Zared, Num. 21. v. 11. & 33. v. 44. 45. Jeabarim est inter Oboth, & Dibongad ad torrentem Zared. | 30 40 | *67* 30 |
| Iim & Esem. In veteribus Bibliis scriptum est unica voce Humesem, ex quo Iim-Esem unica voce legimus, & inter viginti novem urbes primæ partis Tribus Judæ eam decimam nonam facimus, Jos. 15. v. 29. sed quæ postea in Tribum Simeonis transposita, quintum obtinet locum, inter urbes tredecim partis primæ hujus Tribus sub nomine Asem, Jos. 19. v. 3. V. Animadv. ubi Asem, & Asom, & Iim-Esem eadem urbs est. | 31 22 | *65* 29 |
| Illyricum Regio, quæ ad dextram Danubii ripam Græciæ sive Macedoniæ, & Thraciæ adjacet: & a Mari Adriatico ad usque Pontum Euxinum extenditur. Paulus in Epist. ad Romanos ait de se c. 15. v. 19. ita ut ab Hierusalem per circuitum usque ad Illyricum repleverim Evangelium Christi. | 47 30 | 77 38 |
| India. 3. Esdræ 3. v. 2. Rex Darius fecit cœnam magnam . . . & Præfectis sub illo ab India usque Æthiopiam, centum viginti septem Provinciis. Esth, 1. v. 1. In diebus Assueri, qui regnavit ab India usque Æthiopiam super centum viginti septem Provincias, & 8. v. 9. (Assueri) Literæ (in gratiam Judæorum) mittuntur ad Principes . . . . & Judices, qui centum viginti septem Provinciis ab India usque Æthiopiam præsidebant. 13. v. 1. Rex maximus Artaxerxes ab India usque Æthiopiam centum viginti septem Provinciarum Principibus, & Ducibus, qui ejus imperio subjecti sunt, salutem. cap. 1*6*. v. 1. eadem repetuntur. Job 28. v. 1. . . . . . sapientiam ait non in auro, non in argento, & in pretiosissimis etiam Indiæ quibusque rebus esse contendit. | 30 0 | 100 0 |
| Jobab, decimus tertius & ultimus filiorum Jectan, 1. Paral. 1. v. 23. Ipsum, ejusque posteros Medinam versus posuimus in Arabia Fœlici. V. Jectan. | 25 20 | 71 0 |
| Joppe (Hebræis Jaffa) inter urbes Tribus Dan, quas omnes recenset Josue 19. Joppe decima nona, & ultima nominatur; non quod sit earum minima, sed quod urbium nomina a Meridie incipiens, in Se- | 32 *6* | *66* 2 |

| Latit. Gr.Scr. | Longit. Gr.Scr. | |
|---|---|---|
| | | ptentrione, ubi Joppe, finiit; etenim Tribus Dan v. 46. cum termino, qui respicit Joppen, v. 47. in ipso fine concluditur. Urbs in edito saxo condita est, & sub urbe Portus, in quem ligna & lapides, e Libano, mari, indeque Hierosolymam, terrestri itinere, deferebantur, ad Templi, Regiæque Domus structuram, 2. Paral. 2. Hic Jonas navem ascendit, ut fugeret in Tharsim: ibidemque, ut credere est, a cete evomitus est, & ad littus ejectus, ex Prophetia Jonæ c. 1. & 2. Judas Machab. Joppen, in qua Apollonii custodia erat, oppugnavit, cepitque, 1. Mach. 10. In ea Petrus Tabitham a mortuis suscitavit, Act. 9. & multos dies apud Simonem coriarium moratus, ibid. Linteum ab cœlo demissum, & omni animantium genere refertum videns, gentes ad Evangelii gratiam recipiendas esse cognovit, Act. 10. |
| 32 0 | 67 20 | Jordanis maximus est, & pene unicus totius Terræ Promissæ, sive Judææ fluvius, cum reliqui omnes potius Torrentes, quam Fluvii dicendi. Fontes habet sub Libano monte, & a Septentrione in Meridiem fluens, Aquas Merom, & Mare Galilææ prætergressus, aquas suas amœnissimas, & saluberrimas in Lacum Asphaltitem, sive Mare Mortuum, natura dirum, pestiferumque, invitus perdit. Fluvius autem hic celeberrimus est, & in Veteri, & in Novo Testamento: quod primum fuerit limes Terræ Promissæ ad Orientem, Num. 34. v. 12. quod tanti fluminis arentem alveum Populus Domini pede sicco pertransierit, Jos. 3. v. 16. & 17. quod in partitione Terræ Promissæ duas Tribus, & alterius dimidiam partem a reliquis decem separarit; quod Elias cum Elisæo fluvium hunc pallio divisum transierit, 4. Reg. 2. v. 8. deindeque & Elisæus solus, semel atque iterum percussis cum pallio Eliæ, & divisis aquis, v. 14. quod Elisæi jussu Naaman Syrus in eo septies se lavarit & a lepra mundatus fuerit, 4. Reg. 5. v. 14. & seq. Sed & Joannes Christi præcursor multos in Jordane baptizaverit, Matth. 3. v. 6. etiam Jesum, v. 15. & vox de cœlo facta est: Tu es filius meus dilectus, v. 17. |
| 32 5 | 66 $52\frac{1}{2}$ | Josephi Prædium. V. Prædium Josephi. |
| 32 $37\frac{1}{2}$ | 67 $27\frac{1}{2}$ | Jotapata. V. Geth-eper. |
| 32 30 | 67 0 | Issachar Tribus sic vocata est ex nono filiorum Jacob, eoque quinto ex Lia uxore; cujus situs a Mari Magno, ubi Carmelus mons, ad Jordanem usque, ubi Lacus Genesareth, extenditur, & australem obtinet Galilææ inferioris partem. Regio omnis opulenta, & fertilis, etiam viris bello præstantibus populosissima. Nihilominus ipsa otio & quieti dedita, sæpe tributum servitutemque pati maluit, & pace frui, quam arma capere. Unde Jacob, Genes. 49. v. 14. Issachar Asinus fortis, accubans inter terminos, v. 15. vidit requiem, quod esset bona, & terram, quod esset optima, & supposuit humerum suum ad portandum, factusque est tributo serviens. Ex hac Tribu fuere Nathanael filius Suar Princeps 54400. Issacharitarum in Deserto, Num. 1. v. 8. & 29. Igal filius Joseph inter exploratores Terræ Chanaan, Numer. 13 v. 8. Phaltiel filius Ozan inter eos; qui Terram hanc divisere, Numer. 34. v. 26. in cujus ingressu 64300. Issacharitæ censiti sunt. Inter Judices Israel Thola filius Phua, inter Reges Baasa, & Baasæ filius Ela, forteque & Propheta Osee filius Beri. Tribus Issachar describitur apud Josue 19. |
| 30 20 | 67 4 | Iscarioth. Iscariothes dicitur Judas proditor a vico Iscarioth, quem alii putant non longe a Samaria Orientem versus; alii in Tribu Simeonis; alii aliter nomen Iscarioth interpretantur. |
| 30 0 | 74 0 | Ismaelitæ ab Ismael, Genes. 25. v. 12. Hæ sunt generationes Ismael filii Abrahæ, quem peperit ei Agar Ægyptia, famula Saræ, v. 13. Et hæc sunt nomina filiorum ejus in vocabulis & generationibus suis: Primogenitus Ismaelis Nabajoth, deinde Cedar, & Adbeel, & Mabsam, v. 14. Masma quoque, & Duma, & Massa, v. 15. Hadar, & Thema, & Jethur, & Naphis, & Cedma. Isti sunt filii Ismaelis, & hæc nomina per Castella & Oppida eorum, duodecim Principes Tribuum suarum, v. 16. habitavit (Ismael) ab Hevila usque Sur, quæ respicit Ægyptum. v. 18. |
| 32 40 | 67 20 | Israel. Nomen hoc nunc totam Hebræorum gentem, nunc partem tantum demonstrat: totam ut plurimum ante Salomonem: partem tantum |

tum

| | Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. |
|---|---|---|
| tum poſtea. Poſt Salomonem etenim Hebræorum Regnum, quod & Iſrael, in duas diviſum partes; una Judæ nomen aſſumſit; altera nomen Iſrael retinuit: quod in hoc ultimum ex duodecim Tribuum Iſrael decem ſeceſſerint, in primo duæ tantum remanſerint ſub nomine Judæ, propter Tribum Judam, regiam, fortiſſimam, & omnium nobiliſſimam. Et ex hac totius Regni diviſione, qui primum Hebræi, & Iſraelitæ in univerſum appellati, ii tandem in Iſraelitas, & Judæos diviſi ſunt: & aliquando hi ſub illo, aliquando illi ſub altero nomine comprehenſi ſunt. Sed hæc nomina tam frequenter deſcribuntur in utroque Teſtamento, ut pene nulla pagina ab alterutro vacet. | | |
| Iſthemo. V. Eſthemo. | 31 $7\frac{1}{2}$ | 66 8 |
| Ithaburis. V. Thabor. | 32 38 | 67 0 |
| Italia. Num. 24. v. 24. Venient in trieribus: de Italia, ſuperabunt Aſſyrios, vaſtabuntque Hebræos, & ad extremum etiam ipſi peribunt. In vaticinatione Balaam Arioli de Romanorum Imperio: Iſa. *66.* v. 19. Italiam, & Græciam, ad Inſulas longe, Ezech. 27. v. *6.* & portoriola de Inſulis Italiæ. Act. 27. v. 1. Judicatum eſt, eum (Paulum) navigare in Italiam. Vide Moſoch. Italiæ Regio notior eſt, quam ut indicari egeat. | 32 30 | 35 0 |
| Ituræa Regio trans Jordanem, & inter Samariam & Arabiam. Ituræi ipſi erant Gentes cum Tribubus Dan & Ruben immixtæ, unde 1. Paral. 5. verſ. 19. & 20. dicuntur Ituræi auxilia præbuiſſe filiis Gad & Ruben contra Agarenos (Arabes.) Iturææ & Trachonitidis Tetrarcha fuit Philippus Herodis frater, Luc. 3. v. 1. Nec alia eſt Iturææ & Ituræorum in tota Scriptura Sacra mentio, & vix aliqua in prophanis Scriptoribus. | 32 0 | *67* 40 |
| Jucadam inter Jezrael & Zanoe urbs eſt in octava Tribus Judæ parte, Joſ. 15. v. 56. | 31 21 | *66* 37 |
| Jud decima tertia urbium Tribus Dan, ex Joſue 19. v. 45. inter Balaath & Bare deſcripta. | 31 47 | *66* $2\frac{1}{2}$ |
| Juda Tribus regia, & ex qua naſciturus eſſet Chriſtus, auſtralem omnem amplectitur Terræ Promiſſæ partem, & a Mari Magno ad Mare Mortuum protenſa, centum & quindecim civitates primum obtinuit: ex quibus etiamſi aliquæ Tribui Simeonis, & Tribui Dan poſtea conceſſæ fuerint, nihilominus ipſa omnium duodecim Tribuum longe maxima & fortiſſima fuit. De ea Jacob, Gen. 49. v. 8. & ſeq. multa vaticinatur de gloria, & dignitate inter reliquas; de fortitudine; de ſceptro, quod non auferendum eſſet de hac Tribu, donec Meſſias miſſus eſſet; de fertilitate Terræ, &c. Ex hac Tribu fuere Naaſſon filius Aminadab Dux ſive Princeps 74600. filiorum Juda in Deſerto, Num. 1. v. 7. & 27. Chaleb filius Jephone, Deo chariſſimus, explorator Terræ Chanaan, & qui eam ingreſſus eſt cum 76500. Judæis. Othoniel inter Judices Iſrael; inter Reges, David, Salomon, aliique Reges Juda. Zorobabel filius Salathiel primus Judæorum Dux poſt captivitatem Babylonicam, aliique poſtea Duces. Joſeph Virginis Mariæ vir, & Chriſti pater. Juda, e quo Tribus hæc nomen habet, filius fuit Jacob quartus ex Lia uxore, & ipſi, poſthabito Ruben primogenito, Regnum promiſſum & datum eſt. Vide Ruben. Tribus Juda deſcribitur a Joſue 15. & in partes ſive regiones undecim dividitur. | 31 20 | *66* 20 |
| Judæ Deſertum. Judic. 1. v. 16. Filii autem Cinæi aſcenderunt de civitate palmarum (Jericho) cum filiis Juda, in deſertum ſortis ejus, quod eſt ad Meridiem Arad, & habitaverunt in eo. | 31 0 | *66* $37\frac{1}{2}$ |
| Judææ Montana penes Hebron putantur: per Montana Judææ maluerim intelligere regiones Judææ omnes, ubicumque Joſue urbes in montanis deſcribit: in prima ſcilicet Tribus Judææ parte, tum in ſexta, ſeptima, octava, nona, decima, & undecima; in campeſtribus etenim deſcribi videntur ſecunda, tertia, quarta, & quinta, ex Joſue 15. | 31 30 | *66* 12 |
| Judæa Regio totius Aſiæ pene minima, ſed & nobiliſſima; in orientali Maris Mediterranei littore, & inter Syriam, cujus pars fuit, & Ægyptum, a qua deſertis Idumææ ſeparatur, poſita. Ea autem pro variis temporum rationibus varia ſortitur nomina. 1. Terra Chanaan pri- | 32 0 | *67* 0 |

| Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. | |
|---|---|---|
| | | primum vocata eſt, Geneſ. c. 12. 13. &c. a Chanaan filio Cham, cujus filii eam inter ſe partiti ſunt, & per multos annos occuparunt. V. Chanaan. 2. Terra Promiſſa, ex quo Deus eam promiſit Abrahæ, & ſemini ejus, Geneſ. c. 12. 13. &c. 3. Terra Iſrael, Ezech. 7. & Regnum Iſrael, 1. Reg. c. 13. 15. Iſraelitis Abrahæ poſteris eam obtinentibus, & totam in ſuas duodecim familias, ſive Tribus dividentibus, quæ fuerunt Aſer, Benjamin, Dan, Ephraim, Gad, Iſſachar, Juda, Levi, Manaſſe, Nephthalim, Ruben, Simeon, & Zabulon; quæ omnes etiam in unicum, tandemque in duo Regna deſcriptæ ſunt, ſub nominibus Iſrael, et Juda. Vide Iſrael. 4. Judæa, 1. Reg. 23. et in Eſdra multoties, a Regno, ſive a Tribu Juda; quæ abductis in Aſſyriam decem Regni Iſrael Tribubus, ſola cum Tribu Benjamin ibi remanſit, uſque ad captivitatem Babylonicam, qua ſoluta, pene etiam ſola in antiquam ſedem rediit. Verum et Judææ nomen nunc totam Iſraelitarum regionem, nunc partem tantum amplectitur. Judæa enim omnis Chriſti ætate diviſa eſt in partes ſex: in Galilæam, Samariam, et Judæam proprie dictam, quæ cis Jordanem; et ad Mare Mediterraneum: in Trachonitidem, Ituræam, ſive Peræam, et Idumæam, quæ trans Jordanem, et in mediterraneis poſitæ ſunt. Vide Iſrael. 5. Palęſtina et Terra Palęſtinorum (eos Philiſthiim Hebræi nominant) Geneſ. 21. &c. Sed Græce, Latineque ſcribentibus Palęſtina: ſub quo nomine Romani Judæam omnem in Provincias tres deſcripſerunt. 6. Terra Sancta, quod in ea Jeſus Chriſtus, Deus-homo factus, natus, & educatus vixerit, miracula innumera fecerit, mortem pro homine paſſus fuerit, & reſurgens in cœlos tandem aſcenderit. Ideoque Chriſtiani omnes Terram hanc, Terram Sanctam uniquique ſua lingua vocavere. |
| 32 4 | 67 26 | Julias. Herodes Tetrarcha Betharamphta muniit, eamque Juliada ab uxore Tiberii Julia appellavit. Joſeph. Antiq. 18. c. 3. & Bell. 2. c. 15. Julias. V. Beth-ſaida. |
| 31 5 | 65 5 | Juniperus Eliæ dicitur, ſub quo Elias ſedit, petiitque animæ ſuæ, ut moreretur, dum fugeret a facie Jezabel; quæ illi, quod pſeudoprophetas ſuos occidiſſet, mortem comminata fuerat: ſed cum obdormiiſſet, ſemel, atque iterum excitatus ab Angelo, panem ſubcinericium & aquam comedit, bibitque: et in fortitudine illius cibi quadraginta diebus, et quadraginta noctibus ambulavit indefeſſus, uſque ad montem Oreb, 3. Reg. 19. . . Juniperi hujus poſitio videtur ad minimum unius diei itinere a Berſabee, et in Deſerto. |
| | | **L** |
| 28 0 | 51 0 | Laabim ex filiis Meſraim tertius, Geneſ. 10. v. 13. At vero Meſraim genuit Ludim, et Anamim, et Laabim, et Nephtuim. Laabim, et ejus poſteris Lybiam, ſaltem quæ circa Cyrenem eſt, concedimus. |
| | | Laban. Deuter. 1. v. 1. Hæc ſunt verba, quæ locutus eſt Moyſes ad omnem Iſrael trans Jordanem, in ſolitudine campeſtri, contra Mare Rubrum: inter Pharan, et Thophel, et Laban, et Haſaroth. Locus ergo in ſolitudine. |
| 31 17½ | 66 6 | Labana urbs in quarta Tribus Judæ parte prima deſcribitur. Joſue 15. v. 42. Hanc a Lebna aliam facimus. |
| 32 52 | 66 57½ | Labanath urbs nona eſt inter viginti duas urbes Tribus Aſer, Joſue 19. v. 26. nec alia hujus urbis mentio; ſed Ahalab, Judic. 1. v. 31. urbs eſt, cujus habitatores non delevit Tribus Aſer; nulla autem eſt Ahalab in Tribu Aſer, niſi ipſa cum Labanath reſpondeat. Vide Animadv. |
| 31 37 | 66 28 | Lachis urbs regia in tertia Tribus Judæ parte, et inter Jecthel et Baſcath, Joſue 15. v. 39. cujus Rex Japhia, et Adoniſedec Rex Jeruſalem, aliique aſcenderunt, ut expugnarent Gabaon. Vide Gabaon. Ideoque inter Reges a Joſue devictos, Lachis Rex unus eſt, Joſue 12. v. 11. 4. Reg. 14. v. 19. Facta eſt contra Amaſiam conjuratio in Jeruſalem, at ille fugit in Lachis; miſeruntque (conjuratores) poſt eum in Lachis, et interfecerunt eum. Eadem referuntur 2. Paralip. 25. v. 27. 4. Reg. cap. 18. In urbe Lachis erat Sennacherib Aſſyriorum Rex, |

cum

| | Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. |
|---|---|---|
| cum Ezechiæ veniam precanti multa imponit, et in Deum blaſphemias jactans, et Jeruſalem obſidens, hujus exercitus centum et octoginta quinque millium ab Angelo percuſſus eſt, fugitque ipſe, et ad ſua reverſus, a filiis occiditur. 2. Paralip. 11. v. 9. Lachis eſt inter urbes, quas muniit Roboam; eod. lib. 32. hiſtoria Sennacherib repetita eſt. | | |
| Lais, Dan, Paneas, Cæſaræa Philippi. Urbs Lais primum dicitur, Judic. 18. v. 7. &c. in hiſtoria filiorum Dan; qui ſexcenti ab Eſthaol et Sarea egreſſi, miſſis exploratoribus, urbem Sidoniorum Lais quieſcentem, et quaſi ſecuram percuſſerunt, et incenderunt; rurſumque eam ædificantes, in ea ſedem fixerunt: et patris nomine Dan vocaverunt. Sub nomine Dan ea notior, quod in parte ſeptentrionali totius Terræ Promiſſæ ſita ſit, ut Berſabee in meridionali. Unde Judic. 20. v. 1. Filii Iſrael ... congregati ſunt, quaſi vir unus de Dan uſque Berſabee. et 1. Reg. 3. v. 20. et cognovit univerſus Iſrael a Dan uſque Berſabee, quod fidelis Samuel Propheta eſſet Domini. 1. Paral. 21. v. 2. Dixit David ad Joab, & ad Principes populi: ite & numerate Iſrael, a Berſabee uſque Dan. & 2. Paral. 30. v. 5. ut mitterent nuntios in univerſum Iſrael, de Berſabee uſque Dan, ut facerent Phaſe Domino in Jeruſalem. Tota etenim Terræ Promiſſæ longitudo eſt a Dan uſque Berſabee. Urbs etiam hæc in Novo Teſt. Cæſaræa Philippi vocatur, Matth. 16. v. 13. Marc. 8. v. 27. in cujus finibus Petro Chriſtum Dei vivi Filium pronuntianti, claves regni cœlorum promiſſæ ſunt; & ſic dicta urbs eſt ad differentiam Cæſareæ maritimæ, & quod Philippus Herodis Majoris filius Ituræ, & Thrachonitidis Tetrarcha eam ampliavit, & in gratiam Auguſti Cæſaris Cæſaræam appellavit, cum ante Paneas diceretur, Joſeph. 18. Antiq. 3. | 33 $17\frac{1}{2}$ | 67 45 |
| Lampſacus urbs in Troade, & ad Helleſpontum, ad quam, ut & ad alias urbes, Regiones, Regeſque, Romani literas miſere in Judæorum gratiam, 1. Mach. 15. v. 22. | 41 35 | 55 20 |
| Laodicea urbs in Aſia Minori prope Philadelphiam, Hierapolim, Coloſſas, nec longe a Sardibus, Smyrna, & Epheſo, in Epiſt. Pauli ad Coloſſenſes, & Joan. in Apocalypſi. | 38 30 | 59 40 |
| Lapis Adjutorii a Samuele poſitus inter Maſphath, & Sen; quod Iſraelitæ huc uſque perſecuti eſſent Philiſthæos, 1. Reg. 7. v. 11. | 31 $52\frac{1}{2}$ | 65 $42\frac{1}{2}$ |
| Lapis Ezel, locus ſive Caſtrum, in quo latuit David, dum Jonathas eum cum Saule conciliare conatur, pene autem ipſemet a patre Saule lancea percuſſus, poſtridie emiſſis tribus ſagittis, Davidem monuit, ut fugeret, 1. Reg. 20. | 31 48 | 66 49 |
| Laſa ipſiſſima eſt Lais in Tribu Dan. | | |
| Laſæa. V. Thalaſſa. | 33 55 | 53 30 |
| Labaoth. V. Beth-Lebaoth, i. Domus Lebaoth. | 31 31 | 65 42 |
| Lebna Iſraelitarum ſtatio in deſerto, inter Remmon-phares, & Reſſa, Numer. 33. v. 20. 21. | 29 45 | 66 45 |
| Lebna. Joſue 10. v. 29. Maceda capta, tranſivit Joſue ad Lebnam, v. 30. quam tradidit Dominus .... feceruntque (Iſraelitæ) Regi Lebna, ſicut fecerant Regi Jericho. An eadem ſit cum Labana, non facile dixerim. | 31 $47\frac{1}{2}$ | 66 8 |
| Lebona. V. Lemna. | 32 3 | 66 50 |
| Lechi alias Ramath-Lechi, Judic. 15. Locus quouſque Judæi Samſonem vinctum adduxerunt, Philiſthæiſque tradiderunt: ſed ille vinculis ſolutis, diſſipatiſque, v. 15. inventam maxillam, i. mandibulam Aſini, quæ jacebat, arripiens, interfecit in ea mille viros, v. 16. vocavitque nomen loci Ramath-Lechi, quod interpretatur Elevatio maxillæ. | 31 $32\frac{1}{2}$ | 65 50 |
| Lecum, Joſ. 19. v. 33. in deſcriptione urbium Tribus Nephthali una videtur, in extrema, eaque Orientali hujus Tribus parte, quæ ad Jordanem, & qua, v. 24. revertitur terminus contra Occidentem in Azanoth-thabor: nec alia eſt hujus loci mentio, fortaſſiſque convenit cum Capharnao. | 32 48 | 67 57 |
| Leheman in regione tertia Tribus Judæ, & inter Chebban, & Cethlis urbs eſt, Joſue 15. v. 40. | 31 39 | 66 22 |
| Leproſorium prope Capharnaum nullum eſt in Sacra Scriptura; bene | 32 44 | 67 46 |

ne

| Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. | |
|---|---|---|
| | | ne quidem, quod circa Capharnaum Leprosus venerit ad Jesum, qui eum tetigit, & mundavit, Matth. 8. v. 2. Marc. 1. v. 40.... |
| 32 12½ | 66 57 | Leprosorium nullum est prope Samariam in Scriptura Sacra; sed tantum quatuor Leprosorum mentio est, qui degebant prope Samariam, dum obsidetur a Benadad, 4. Reg. 7. |
| 32 3 | 66 50 | Lemna, Lebona. Judic. 21. v. 19. Ecce solemnitas Domini est in Silo anniversaria, quæ sita est ad Septentrionalem urbis Bethel, & ad Orientalem plagam viæ, quæ de Bethel tendit ad Sichimam, & ad Meridiem oppidi Lebona. Lemna legunt alii. |
| | | Levi Tribus nomen est a Levi filio Jacob tertio, ex Lia uxore; sed quæ nullam habens a reliquis distinctam possessionem, tota dispersa est per alias omnes duodecim Tribus; ut scilicet populum legem doceret, & sacra administraret. Diversa, & contraria sunt de hac Tribu vaticinia ex Jacob, & ex Moyse. Jacob, Genes. 49. v. 5. & seq. Simeon & Levi vasa iniquitatis bellantia ... in cœtu illorum non sit gloria mea ... qui in furore suo occiderunt virum ... maledictus furor eorum ... & indignatio eorum ... dividam eos in Jacob, & dispergam in Israel. Moyses, Deuter. 33. v. 8. & seq. Levi (ait) Perfectio tua, & Doctrina tua viro sancto tuo, quem probasti in tentatione, & judicasti ad Aquas contradictionis .... Benedic Domine fortitudini ejus, & opera manuum ejus suscipe. Jacob de Simeonis & Levi crudelitate loquitur, qui a fratricidio in Joseph ab aliis fratribus vix retineri potuerint, qui Sichemitas contra fœdus crudeliter trucidarint, qui in Prophetas sæpissime sævierint, & ex quibus Caiphas, & Anna, aliique Sacerdotes virum (Christum) ad mortem expetierint & occiderint. Moyses ad Levitarum zelum respexit, qui vituli aurei adorationem in aliis Tribubus vindicarint, & ob id Sacerdotium, primogenitis Hebræorum antea datum, obtinuerint. Inter Levitas fuere præstantissimi viri Moyses, Aaron, Phinees, Heli, Samuel, Zacharias, Joannes Baptista, aliique Prophetæ. Cumque Desertum ingrederentur Levitæ 22300. erant distincti in Gersonitas, sub Duce Eliasaph filio Lael; Caathitas, sub Elisapham filio Oziel; Meraritas, sub Duce Suriel filio Abihahiel. Summi etiam Sacerdotes, aliique Sacerdotum ordines, Cantores, Templi custodes, Scripturæ interpretes, &c. Levitæ omnes, sunt de 48. urbibus, quæ Levitis in cæteris Tribubus assignatæ sunt. V. Animadv. |
| 31 56 | 66 56 | Levitæ Domus. Judic. 19. v. 18. Pergimus (inquit Levita) ad locum nostrum, qui est in latere montis Ephraim. |
| 33 30 | 67 30 | Libanus omnium totius Terræ Promissæ montium celeberrimus, & qui radices longe lateque extendens Tribuum Aser, & Nephthalim limites, ipsamque Terram Promissam a Septentrione claudit. Mons ipse altissimus, & nihilominus fertilis, & amœnus, in Valles, & campos hinc inde effusus; ubique flores, olivas, vineas producit. Sed & Abietes, Cedri, Cupressi, variæque arbores thuriferæ, & herbæ medicatæ maxime in Libano producuntur: nec mirum si Moyses, Deut. 3. v. 25. petit a Deo, non tantum, ut Terram Promissam videret, sed & montem Libanum. 3. Reg. 5... Salomon petit ab Hiram Rege Tyri, ut sibi idoneos homines subministraret, qui ligna & saxa e Libano cæderent, ad domum Domini ædificandam, regiamque Domum, tum & Domum saltus Libani. In ipso Libano sunt Jordanis fontes, aliorumque quam plurimorum fluminum; est & saltus prope Cæsaræam Philippi. |
| 29 0 | 56 0 | Libya in Ezech. 30. v. 5. Æthiopia, & Libya, & Lydi, &c. quæ omnia, ut partes Africæ, & quæ Ægypto contiguæ sint, enarrat Propheta. Hic Libyam eam intelligo, quæ plurimam tenet a majori Syrti ad Ægyptum partem. |
| 29 0 | 50 0 | Libya circa Cyrenem, Act. Ap. 2. v. 10. Libyæ alterius pars, ubi Cyrene; unde regio Cyrenaica ea dicitur Ptolomæo, & aliis. V. Cyrene. |
| 32 6 | 66 10 | Lidda. V. Lydda. |
| 30 54 | 66 37 | Lingua Maris, & Lingua Maris Salsissimi, Josue 15. v. 2. ubi de limite orientali Tribus Judæ: Initium ejus a summitate Maris Salsissimi, & a Lingua (a littore) ejus, quæ respicit Meridiem. Iterumque, v. 5. ab Oriente vero erit initium Mare Salsissimum, usque ad extrema Jor- |

Jor-

| | Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. |
|---|---|---|
| Jordanis, & ea quæ respiciunt ad Aquilonem, a Lingua Maris usque ad eundem fluvium. cap. 18. Ubi de limite Tribus Benjamin: v. 19. suntque exitus ejus contra linguam Maris Salsissimi ab Aquilone, in fine Jordanis, ad australem plagam. | | |
| Lod. 1. Paral. 8. v. 12. Samad filius Elphaad ædificavit Ono, & Lod. | 31 42 | 67 13 |
| Lodabar urbs, sive locus, aut prædium, in quo morabatur Miphibosepth filius Jonathæ in domo Machir filii Ammiel, cum David eum ad se evocavit, & ipsi restituit agros Saul, et de mensa sua panem dedit, 2. Reg. 9. Locus vocatur Labatham Josepho 7. Antiq. c. 6. Legunt alii Lodabar. | 32 17 | 67 54 |
| Lodhadid. 1. Esd. 2. v. 33. Filii Lodhadid, et Ono septingenti viginti quinque. In Catalogo eorum, qui e captivitate Babylonica reversi sunt in Jerusalem. 2. Esdr. 7. v. 37. In recensione eorum, qui primi ascenderunt Jerusalem. Filii Lodhadid, & Ono septingenti viginti unus. | 31 37 | 67 12 |
| Loth Spelunca. V. Spelunca Loth. | | |
| Lud filiorum Sem quartus, cui & cujus posteris omnem Asiam Minorem, in qua Lydia, aliæque Regiones sunt, concedimus. Vide Sem. | 40 0 | 65 0 |
| Ludim. Genes. 10. v. 13. Mesraim genuit Ludim, &c. ejus posteros locat Bochardus in Æthiopia supra Ægyptum: & ubi Nilus maxime flexuosus & sinuosus est, nomine Ludim flexum significante, aut ad fluviorum flexus alludente. | 20 0 | 62 30 |
| Luith, Ascensus Luith est, Isa. 15. v. 5. & Jerem. 48. v. 5. & ubique penes Oronaim in Tribu Ruben. | 31 35 | 67 $32\frac{1}{2}$ |
| Luza nulla est in Ephraim, ut aliqui putaverunt, si qua Luza alia est a Bethel, quę olim Luza vocabatur, ea extra Judææ terminos erit, forteque in Macedonia. | | |
| Lycaonia Asiæ Minoris Regio mediterranea inter Cappadociam, Galatiam, Pisidiam, & Ciliciam, Act. Apost. 14. v. 6. ab Iconio venit Paulus in civitates Lycaoniæ Lystram, & Derben. | 39 0 | 64 0 |
| Lycia Asiæ Minoris Regio maritima, cujus mentio Act. Ap. 15. v. 23. Inter Regiones, ad quas Romani literas in Judæorum gratiam dedere. | 38 0 | 61 0 |
| Lydda sive Lidda in Tribu Ephraim. Demetrius Rex tres civitates ex Samaria excerptas Judæis concessit .... Lyddam & Ramatha, una ex tribus hic desideratur, 1. Mach. 11. v. 34. V. Apherima. Lyddæ Petrus Ænæam ab annis octo Paraliticum sanavit, & viderunt eum omnes, qui habitabant Lyddæ & Saronę, & conversi sunt ad Dominum, Act. 9. v. 32. & seq. v. 38. & seq. Cumque prope esset Lydda ad Joppen Petrus ad Tabitham mortuam invisendam, & sanandam evocatur. Lydda Joseph. 2. Antiq. c. 3. et sępe alibi. | 32 6 | 66 10 |
| Lydia. Isa. 66. v. 19. Africa et Lydia conjunguntur, ut et Jerem. 46. v. 9. Æthiopia, et Libyes, et Lydii: et Ezech. 27. v. 20. Lydii, et Libyes. 30. v. 5. Æthiopia, & Libya, & Lydi. Hos Lydos in Africa ponimus, ubi jam Ludim posuimus in Æthiopia penes Ægyptum. | 39 30 | 58 30 |
| Lydi, quorum mentio est 1. Mach. 8. v. 8. Asiaticos eos facio, tum quod cum Indis, & Medis Asiaticis conjungantur, tum quod ad historiam Eumenis, qui prope Lydiam Asiaticam fuit, spectent, nullomodo ad Africanos Lydios. | 39 30 | 58 30 |
| Lystra. Vide Iconium. | 39 15 | 64 10 |
| **M** | | |
| Maara Sidoniorum, Josve 13. v. 4. Speluncas sive Castella interpretantur. | 33 $32\frac{1}{2}$ | 67 10 |
| Mabsam ex Genes. 25. v. 13. & 1. Paral. 1. v. 27. Mabsam Ismaelis filius est quartus. Vide Ismael. | 29 30 | 79 0 |
| Maceda urbs decima sexta, & ultima in tertia parte Tribus Judę, Jos. 15. v. 41. celebris, quod speluncam haberet, sive castrum, in quo Reges quinque Jerusalem, Hebron, Jerimoth, Lachis, & Eglon fugientes, absconderunt se: qui postea detecti, captique, a Josue interfecti, et stipitibus suspensi sunt. | 31 $52\frac{1}{2}$ | 66 9 |

| Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. | |
|---|---|---|
| 41 0 | 47 0 | Macedonia Græciæ Regio nobilissima, maxime propter Alexandrum Magnum, qui Persarum Regnum evertit, peneque totum Orientem subegit. Regio ipsa antea Cetthim vocata fuit. V. Cetthim. Paulus iu visione monitus Macedoniam petiit, Act. *16.* v. *9.* 10. transiitque per Samothraciam Insulam, tum per urbes Neapolim, Philippos, etc. 17. v. 1. Amphipolim, Apolloniam, Thessalonicam, et Berœam, etc. Macedonicas omnes. |
| 30 45 | *66* 15 | Maceloth Israelitarum statio in Deserto inter Arada, et Thabath, Numer. 33. v. 25. *26.* |
| 31 27 | *67* 13 | Macherus Joseph. Antiq. 13. c. 24. numeratur inter Castella, in quibus Alexandra Regina sua queque pretiosissima deposuit, eaque sunt Hyrcanium, Alexandrium, et Macherus: et hoc ultimum non longe a finibus Arabum, Joseph. 14. Antiq. c. 10. et 11. id Aristobulus aliquando muniit. Sed in eo captus a Gabinio Romam, unde effugerat, reducitur. Macherus, et obsidio Macheruntis describuntur a Josepho 7. Bell. a c. 20. ad 25. In quibus de loci situ, de herbis, et de aquis in vicinio calidis mira dicta sunt; locus a Basso tandem capitur et diruitur. |
| 33 14 | *67* 57 | Machati, hoc nomen pene ubique jungitur cum Gessuri. V. Gessuri. |
| 32 17 | *66* 41 | Machmetad. V. Aser-Mach-metad. |
| 55 0 | 70 0 | Madai, Genes. 10. v. 2. Filii Japheth: Gomer, et Magog, et Madai, etc. Madai tertius est filiorum Japheth. Gomeri posteris Galliam, Britannicas Insulas, et Germaniam jam dedimus; posteris Magog Scaniam omnem, ubi Regna Daniæ, Sueciæ, et Norvvegiæ sunt, statim dabimus; sic Madai posteris Moscoviam. Vide Magog. |
| 31 0 | *68* 30 | Madian Abrahami filius ex Cethura quartus, ex Genes. 25. v. 1. 2. & 1. Paral. 1. v. 32. ab ipso Madianitæ dicti sunt populi, & Madianitis regio, quæ & Madian. Genes. *36.* v. 35. in Catalogo Regum, qui regnaverunt in Terra Edom, est Adad filius Badad, qui percussit Madian in regione Moab. Moyses fugiens ex Ægypto, moratus est in Terra Madian, Exod. 2. v. 15. Accepitque in uxorem Sephoram filiam Raguel, alias Jethro, Sacerdotis Madian, v. 21. quæ peperit ei filium, quem vocavit Gersam . . . . & alterum, quem vocavit Eliezer, v. 22. Israelitis ex Ægypto per Desertum prætergredientibus Moysi occurrit Jethro, cum Sephora, & duobus filiis. Israelitis jam-jam Terram Promissam ingredientibus Madianitarum & Moabitarum filiæ eos ad fornicationem & idololatriam pellexerunt, Numer. 25. ideoque & Zambri filius Sala dux de cognatione & Tribu Simeonis, & Cozbi mulier Madianitis filia Sur principis nobilissimi Madianitarum, a Phinee interficiuntur . . . . tandemque Madianitæ, & Reges eorum quinque, & masculi omnes, mulieresque deleti, virginibus tantum servatis. Aliquando autem Madianitis servierunt Israelitæ septem annis, Jud. *6.* Sed eos Gedeon delevit, Israelitasque a servitute liberavit, c. 7. & 8. In Judith dicitur Holofernes abduxisse omnes filios Madian, & prædavisse omnes locupletationes eorum, 2. v. 16. |
| 33 7 | *67* 17 | Madon. V. Abdon. |
| 32 59 | *67* 31 | Magdalel-Horem, sic legimus in Josue 19. v. 38. qui urbes novemdecim dicit in Tribu Nephthalim; nec alia est utriusque nominis mentio. Vide Animadv. |
| 31 32 | *66* 32½ | Magdalgad urbs, quæ in tertia parte Tribus Judæ tertia describitur, inter Hadassa & Dedan, Josue 15. v. 37. |
| 28 25 | *63* 30 | Magdalum. Exod. 14. v. 2. Reversi ( Israelitæ ) castrametati sunt e regione Phihahiroth, quæ est inter Magdalum, & Mare, contra Beelsephon. Numer. 33. v. 7. venerunt contra Phihahiroth, quæ respicit Beel-sephon, & castrametati sunt ante Magdalum. Hierem. 44. v. 1. & *46.* v. 14. Hujus Magdali tamquam urbis in Ægypto celeberrimæ mentio est, cum Taphni scilicet, & Memphi, & Terra Phatures, i. Thebis: quæ Inferioris, Mediæ, & Superioris Ægypti tunc urbes maximæ essent. Magdalum, quam habet Antonini Itinerarium 12. a Pelusio milliari, fortassis cum nostra hac Magdalo convenit. |
| 32 32½ | *67* 54 | Magedan, Matth. 15. v. 39. locus trans Mare Galilææ respectu Capharnai, & Beth-saidæ, qua Christus abiit post septem panum multiplicationem: idem est, aut alter alteri vicinus Dalmanutha, Marc. 8. v. 10. |

| | Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. |
|---|---|---|
| 10. ex quo tractus vicinus nunc ab illo, nunc ab altero nomen habet. | | |
| Mageddo urbs regia, ex qua, Josue 12. v. 21. Rex Mageddo unus, ex iis scilicet, quos Josue devicit. Et 17. v. 11. Josue ponit habitatores Mageddo in Tribu Manasse. Sic & 1. Paral. 7. v. 29. Judic. tamen 1. v. 27. Manasse non delevit habitatores Mageddo. 3. Reg. 4. v. 12. Bana filius Ahilud regebat Thanac, & Mageddo, & universam Bethsan: eamque Salomon reædificavit. ibid. 9. v. 15. 4. Reg. 9. v. 27. Ochosias vulneratus fugit in Mageddo & mortuus est. ibid. 23. v. 29. Ascendit Pharao Nechao Rex Ægypti contra Regem Assyriorum .... & abiit Josias Rex in occursum ejus, & occisus est in Mageddo. | 32 27 | 66 29 |
| Mageth, 1. Machab. 5. v. 26. recensetur inter urbes, in quibus Galaaditæ Israelitas detinebant; sed quos liberavit Judas Machab. urbesque cepit, v. 36. Vide Mennith. | 32 7 | 67 54 |
| Magog filiorum Japheth secundus, Genes. 10. v. 2. Vide Japheth: ubi posteris Magog Scaniam omnem sive Scandinaviam, ubi Daniæ, Sveciæ, & Norwegiæ Regna sunt, dedimus; & id ante nos sensit Ambrosius, qui pro Magog Gothos interpretatur. Gothi etenim ipsi in Scania populi sunt celeberrimi. Non autem inficias ibimus, quin ex iis aliqui in Sarmatiam utramque, & in Scythiam Asiaticam jam olim transierint, ut Josepho, Hieronymo, Eustathio, aliisque aliquid concedamus; qui Magog Scytharum; etiam Arabibus, qui Tartarorum parentem putant. Posterorum Magog prima sedes erit in Europa, in qua omnes Japheti filii suas habuisse sedes diximus. | 66 0 | 35 0 |
| Malogranatus. V. Gabaa. | | |
| Mambre. V. Hebron, & Convallis Mambre. | 31 25 | 66 20 |
| Manaath. 1. Paralip. 8. v. 6. hi sunt filii Aod principes cognationum habitantium in Gabaa, qui translati sunt in Manaath. Locus datur in Tribu Ephraim, an vere? | 32 21 | 66 27 |
| Manaim, Mahanaim, hic Angeli Dei fuerunt obviam Jacob, quos cum vidisset, appellavit nomen loci illius Mahanaim, i. Castra, Genes. 32. v. 1. & 2. Manaim scribitur, Josue 13. v. 26. inter urbes Tribus Gad, & in confinio dimidiæ Manasse, quæ a Manaim complectitur universam Basan, & cuncta Regna Og Regis Basan. Ipsa Manaim postea assignata est Levitis e familia Merari, Josue 21. v. 57. & 1. Paralip. 6. v. 80. In 3. Reg. 4. v. 14. Ahinadab filius Addo præerat in Manaim. | 32 21 | 67 51 |
| Manasse Tribus in duas partes divisa; altera cis, altera trans Jordanem descripta est, & hæc ad Aquilonem tendit; illa cum Tribu Ephraim mediam obtinet totius Judææ, quæ cis Jordanem est, partem. Manasse, unde Tribui nomen, filius fuit Joseph primogenitus, sed qui in benedictione Jacob minori Ephraim posthabitus: utrumque tamen suos vocavit, i. tamquam filios suos habuit Jacob; & ipsi loco patris Joseph duplicem habuere in divisione Terræ Promissæ partem. V. Ruben. Gamaliel filius Phadassur Manassitarum 32200. princeps fuit in Deserto, Numer. 1. v. 10. & 35. quibus omnibus mortuis, filii eorum ad 52700. multiplicati Terram Promissam ingressi sunt. Inter exploratores hujus Terræ fuit Gaddi filius Susi de Tribu Manasse, Numer. 13. v. 12. Inter divisores Hanniel filius Ephod, 34. v. 23. & ex eadem Tribu fuere Duces in Israel Gedeon, Jair, Jephte. Descriptio utriusque partis Tribus Manasse est 13. Josue & 17. Hæc pro parte cis Jordanem, illa pro trans Jordanem. | 32 20<br>32 50 | 66 50<br>68 10 |
| Maon in octava parte Tribus Juda, prima inter urbes decem nominatur, Josue 15. v. 55. Est & Desertum, in quo fugit David a facie Saul fugiens, 1. Regum 23. vers. 24. 25. dicitur Desertum Maon in campestribus ad dexteram Jesimon. | 31 3 | 66 36 |
| Mara. Exod. 15. v. 23. & venerunt (Israelitæ) in Mara, nec poterant bibere aquas de Mara, eo quod essent amaræ, v. 24. & murmuravit Populus contra Moysen, v. 25. at ille clamavit ad Dominum, qui ostendit ei lignum, quod cum misisset in aquas, in dulcedinem versæ sunt. Mara statio est Israelitarum in Deserto inter Desertum Etham & Elim, Num. 33. v. 8. 9. | 29 5 | 65 10 |

| Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. | |
|---|---|---|
| | | Marcaboth. V. Beth-Marcaboth. |
| 32 35 | 67 40 | Mare. Mare Galilææ, Mare sive stagnum Tiberiadis, &c. Mare Galilææ vocatur a Galilæa regione vicina. Mare Tiberiadis, ab urbe Tiberiade, quæ ab Herode Tetrarcha ampliata in honorem Tiberii Cæsaris sic appellata est; unde & Mare proximum, cui insidet, ab ipsa nomen accepit. Maris hujus longitudo est 15. aut 20. M. P. latitudo 8. aut 10. interfluente Jordane, totum amœnis circumdatum oppidis, Beth-saida sive Juliade, Capharnao, & Corozaim, a Septentrione; Gerasa, Gamala, Gadara ab Oriente; Bethsan, sive Scythopoli a Meridie; Tirachæa, Tiberiade & Jotapata ab Occidente. Juxta hoc Mare ambulans Jesus vidit duos fratres, Simonem qui vocatur Petrus, & Andream fratrem ejus; Jacobum Zebedæi, & Joannem fratrem ejus; & vocavit eos, Matth. 4. v. 18. Marc. 1. v. 16. . . . . Et iis, Christo jubente, retia laxantibus tanta conclusa est piscium multitudo, ut retia rumperentur, & duæ naviculæ iis impletæ pene mergerentur, Luc. 5. v. 6. 7. Tempestatem, quæ ipso dormiente excitata erat, sedavit, Matth. 8. v. 24. & seq. Marc. 4. v. 37. & seq. Luc. 8. v. 23. & seq. Sed & super hujus Maris aquas ambulavit Christus, Matth. 14. v. 25. Marc. 6. v. 48. Joan. 6. v. 19. & Christo jubente Petrus, Matth. 14. v. 29. & seq. |
| 35 0 | 40 0 | Mare Magnum, quod & Occidentale & Novissimum, & Mare simpliciter vocatur de limitibus Terræ Promissæ ad australem plagam. Num. 34. v. 5. & Maris Magni littore finietur, v. 6. plaga autem occidentalis a Mari Magno incipiet, & ipso fine claudetur, v. 7. ad septentrionalem plagam a Mari Magno termini incipient. Josue 1. v. 4. usque ad Mare Magnum contra Solis occasum erit terminus vester. 5. v. 1. cuncti Reges Chanaan, qui propinqua possidebant Maris Magni loca. 15. v. 11. de limite Tribus Juda: Et Magni Maris contra Occidentem fine concluditur. v. 47. Gaza cum vicis & villulis suis usque ad Torrentem Ægypti & Mare Magnum terminus ejus. Sic & alibi multoties, aliquando Mare Occidentale, Deuter. 11. v. 24. A flumine magno Euphrate usque ad Mare Occidentale erunt termini vestri; aliquando Novissimum, Joel 2. v. 20. Zachar. 14. v. 8. aliquando Mare simpliciter, Josue 11. v. 2. In Regionibus Dor juxta Mare. & 15. v. 46. ab Accaron usque ad Mare. Hoc Mare Latini, Græcique scriptores vocant Mare interius & Mare Mediterraneum, quod Asiam, Africam, & Europam interluit. |
| 22 30 | 70 0 | Mare Rubrum. De eo ad Hebræos Paulus 11. v. 29. Fide transierunt (Israelitæ) Mare Rubrum, tamquam per aridam terram, quod experti Ægyptii devorati sunt. Ex historia Moysis Israelitas ex Ægypto educentis, Exod. 14. v. 20. qui cum extendisset manum super Mare, v. 21. divisa est aqua, v. 22. & ingressi sunt filii Israel per medium sicci Maris: erat enim aqua quasi murus a dextra eorum, & a læva, v. 23. persequentes autem Ægyptii ingressi sunt post eos, & omnis equitatus Pharaonis, &c. v. 27. cumque extendisset Moyses manum contra Mare . . . v. 28. reversæ sunt aquæ, & operuerunt currus, & equites cuncti exercitus Pharaonis. Mare Rubrum Græcis Erythræum vocatur, & aliquando a Gange ad pene ultimum Africæ promontorium intelligitur; sed Mare Rubrum, de quo in Veteri Testamento mentio est, proprie ab antiquis Sinus Arabicus dicitur, quod inter Africam, ubi Ægyptus, & Æthiopia; & Asiam, ubi Arabia; per plusquam mille & ducentos M. passus extendit se. |
| 29 0 | 66 0 | Ad Mare Rubrum statio Israelitarum fuit inter Elim, & Desertum Sin. |
| 31 5 | 67 0 | Mare Mortuum, quod & Mare Salis, Mare Salsissimum, Mare Deserti, & Mare Solitudinis dicitur. Gen. 14. v. 3. Omnes hi (Reges Sodomorum, &c.) convenerunt in Vallem Silvestrem, quæ nunc est Mare Salis. Num. 34. v. 3. de limitibus Terræ Promissæ: Et habebit terminos contra Orientem Mare Salsissimum. Sic & v. 12. & ad ultimum Salsissimo claudentur Mari. & Deuter. 3. v. 17. ad Mare Deserti, quod est Salsissimum. et 4. v. 4. Mare Solitudinis. Josue 3. v. 6. (cum Israelitæ transirent Jordanem) aquæ inferiores in Mare Solitudinis, quod nunc vocatur Mare Mortuum, descenderunt, usquequo omnino deficerent. |

| | Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. |
|---|---|---|
| rent. Jos. 12. v. 3. usque ad Mare Deserti, quod est Salsissimum. et 15. v. 2. de limitibus Tribus Juda: Initium ejus a summitate Maris Salsissimi, et a Lingua ejus, quæ respicit Meridiem; sic et v. 5. Sed et Josue 18. v. 19. de limite Tribus Benjamin: sunt exitus ejus contra Linguam Maris Salsissimi ab Aquilone, in fine Jordanis, ad australem plagam. Esdras 4. v. 7. hoc Mare vocat Mare Sodomiticum a Sodomis notiori Pentapoleos urbe. Vide Sodoma. Sed et Mare Mortuum Josepho, aliisque pene omnibus Græcis, Latinisque scriptoribus vocatur Asphaltites lacus, propter bituminis copiam, quam certo anni tempore ejicit. Josephus eum toto cap. 5. lib. 5. Bell. Jud. describit. | | |
| Maresa urbs in quarta Tribus Judæ parte ultima datur, Josue 15. v. 44. eam muniit Roboam, 2. Paralip. 11. v. 8. Zara Æthiops cum exercitu ad decies centena millia, et curribus trecentis venit usque Maresa, 14. v. 9. . . Eum Asa Rex Juda divino favente auxilio ad internecionem contrivit, 20. v. 37. Eliezer filius Dadan de Maresa prophetavit ad Josaphat, dicens: quia habuisti fœdus cum Ochosia, percussit Dominus opera tua, contritæque sunt naves, nec potuerunt ire in Tharsis. Ex 2. Mach. 12. v. 35. Gorgias a Juda Machabæo victus, vix elapsus effugit in Maresa. | 31 23 | 66 12 |
| Mareth urbs in parte nona Tribus Judæ quarta enumeratur, nec longe a Gedor et Bethanath, Josue 15. v. 59. | 31 44 | 66 25 |
| Masaloth. 1. Mach. 9. v. 2. Castra posuerunt (Bacchides et Alcimus) in Masaloth, quæ est in Arbellis, et occupaverunt eam, et peremerunt animas hominum multas. | 32 59 | 67 $37\frac{1}{2}$ |
| Masepha urbs, quæ in regione tertia Tribus Judæ quinta scribitur, nec longe a Magdalgad, Delean, et Jechtel, Josue 15. v. 38. | 31 33 | 66 36 |
| Maseroth Israelitarum statio in deserto. | 30 30 | 65 0 |
| Masma, inter filios Ismaelis quintus, Genes. 25. v. 14. Vide Ismael. | 29 0 | 72 0 |
| Maspha, Masphat, Mesphe, decima sexta est inter urbes Tribus Benjamin, Jos. 18. v. 26. ubi Mesphe scribitur. Maspha Jud. 21. v. 1. Juraverunt filii Israel in Maspha se non daturos filiis Benjamin uxorem e filiabus suis. Maspha iterum, v. 5. et 8. et 1. Reg. 10. v. 17. Convocavit Samuel populum ad Dominum in Maspha, scilicet ut missis sortibus Saulem a Deo electum in Regem demonstraret. | 31 31 | 66 35 |
| Maspha sive Masphe urbs in Tribu Gad, in qua castrametati sunt Israelitæ contra Moabitas. Judic. 10. v. 17. et 11. v. 11. et ubi Jephte ab Israelitis in Judicem electus ad Dominum fudit preces suas, v. 30. votum temere vovit Domino; Ammonitis etenim devictis, illi in domum suam revertenti occurrit filia unigenita cum tympanis, et choris, qua visa scidit vestimenta sua, &c. | 32 16 | 68 $7\frac{1}{2}$ |
| Maspha campus. V. Campus Maspha. | 33 $27\frac{1}{2}$ | 67 $17\frac{1}{2}$ |
| Maspha. V. Mephaat in Tribu Ruben; sunt ergo Maspha campus in Tribu Aser. Maspha in Tribu Benjamin. Maspha in Tribu Gad. Masepha in Tribu Juda. Maspha in Tribu Ruben. Campus Maspha ad Historiam Josue pertinet. Maspha in Benjamin ad Samuelem, et ad ea, quæ cum Philisthæis gesta sunt. Maspha in Gad ad Jephte, et ad Moabitas, et Amalecitas. Masepha in Juda, urbis nudum nomen est. Maspha vel potius Mephaat in Ruben ad Saul et Davidem. | 31 24 | 67 37 |
| Massa Ismaelis filiorum septimus, Genes. 25. v. 14. Vide Ismael. | 29 0 | 77 0 |
| Massada, Castellum, quod in excelso monte Jonathas . . . primus ædificavit, et Massada nominavit. Herodes Magnus totum montem muro, turribusque fortissimis cinxit: regiamque ibi ædificavit, cumque intus vertex omnis planus, et culturæ aptus: variaque hic illic balnea, puteique; tum et alimentorum copia, armorumque omnis generis apparatus esset, locum fecere, ut captis etiam Jerosolymis, totaque Judæa subacta, Eleazar filius . . . aliique Judei Massadam defendere voluerint. Sed tandem ipsismet mutuo sese interficientibus, castellum hoc Romani diruerunt, Joseph. 7. Bell. a c. 30. ad 36. Putatur Massada locus idem atque qui antea Collis Hachilæ fuit. | 31 12 | 66 44 |
| Mathana Israelitarum mansio prope Tribum Ruben, Num. 21. v. 18. et 19. | 31 15 | 67 30 |
| Mechmas, Machmas. 1. Reg. 13. v. 2. Et erant cum Saul duo millia in | 31 57 | 66 46 |

| Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. | |
|---|---|---|
| | | lia in Machmas, et v. 5. Philiſthiim caſtrametati ſunt in Machmas; ſic et multoties in lib. Reg. Eſd. Iſa. et 1. Mach. *9.* v. 73. habitavit Jonas Machab. in Machmas. Semel tantum eſt Mechmas. 2. Eſd. 11. verſ. 31. |
| 31 *39* | *67* 42 | Medaba. Joſue 13. in deſcriptione Tribus Ruben, v. *9.* univerſaque campeſtria Medaba uſque Dibon, v. *16.* Fuitque terminus eorum ab Aroer, quæ eſt in ripa torrentis Arnon, & in valle ejuſdem torrentis media, univerſam planitiem, quæ ducit Medaba, 1. Paral. *19.* v. 7. Ammonitarum Rex Hamon cum ſuis caſtrametatus eſt de regione Medaba. Ammonitarum olim hæc urbs fuit, poſteaque Amorrhæorum, ex Num. 21. v. 30. |
| 31 *26* | *66* 52 | Meddin inter Betharaba, & Sachacha, urbs eſt in regione undecima & ultima Tribus Judæ, Joſue 15. v. *61.* |
| 31 27 | 65 32 | Medemena. V. Beth-marcaboth. |
| | | Medena Ecbatanis, quod eſt caſtrum in Medena Provincia; legendum eſt in Media vel in Medorum Provincia. V. Ecbatana. |
| 40 0 | 87 30 | Media Aſiæ pars, & quæ aliquando Aſiæ imperium obtinuit. Arbace Medo Ninivem, ubi erat Sardanapalus Aſſyriorum Rex, capiente: ſed & viciſſim Medorum Imperium Cyaxare mortuo ad Perſas devolutum eſt. Ecbatana Medorum Regia fuit. V. Ecbatana. 3. Eſdr. 3. v. 1. Rex Darius fecit cœnam magnam ... & Magiſtratibus Mediæ & Perſidis. 1. Mach. 14. v. 2. Arſaces Rex Perſidis & Mediæ. Cæterum cum Iſrael translatus eſt in Aſſyrios, dicitur poſitus in civitatibus Medorum; ſaltem in civitatibus Aſſyriæ, Meſopotamiæ, & Armeniæ, quæ in confiniis Medorum ſunt, & quæ aliquando Medis ſubditæ. |
| 31 *59* | *66* 2 | Mejercon, alias Majercon, id eſt, Aquæ Jercon, decima ſeptima eſt inter urbes Tribus Dan, Joſue *19.* v. 46. |
| 34 0 | 39 30 | Melite inſula, penes quam Paulus naufragium fecit Act. 27... & cum ſalvus evaſiſſet in inſulam, a vipera morſus nihil mali paſſus eſt, tum & Publii principis inſulæ patrem febri, & dyſenteria, alioſque aliis infirmitatibus vexatos, ſanavit, c. 28. Melite inſula eſt penes, & ad Meridiem Siciliæ. |
| 32 57 | *67* 11 | Mello. Judic. *9.* v. *6.* Congregati ſunt omnes viri Sichem, & univerſæ familiæ urbis Mello .... & conſtituerunt ſibi Regem Abimelech juxta Quercum, quæ ſtabat in Sichem. Sed Joathas, a v. 7. ad 20. imprecatur in habitatores Sichem, & oppidi Mello, quod ſe Gedeonis filio poſthabito, Abimelech nothum ſibi in Regem elegiſſent. Aliud eſt Mello, de quo 2. Reg. 5. v. *9.* Habitavit David in arce, & vocavit eam civitatem David, & ædificavit per gyrum a Mello, & intrinſecus. Eam ædificavit iterum Salomon, 3. Reg. *9.* v. 15. Salomon ædificavit Domum Domini, & Domum ſuam, & Mello, & murum Jeruſalem, &c. quæcumque dicta ſunt de Mello in hiſtoria Davidis, & Salomonis, ea ad voraginem ſive partem urbis Jeruſalem ſpectant, quæ inter ſuperiorem & inferiorem eſt urbem: putoque idem eſſe de ſuburbio ad Sichem, quod aliquando muris munitum fuerit, & in alteram urbem excreverit. |
| 3*6* 55 | *68* 35 | Melothi urbs. Judith 2. v. 13. ait, civitatem opinatiſſimam Melothi ab Holoferne effractam: eam non aliam, quam Malluntem putamus, & quæ non longe a Tharſo Ciliciæ, cujus ibidem mentio eſt. |
| 32 54 | *66* 51 | Memnonis ſepulcrum Joſeph. 2. Bell. 4. prope Beleum fluv. & paludem, quam Cendeviam vocat Plinius. |
| *29* 45 | *61* 55 | Memphis. Iſaias, Jerem. Ezech. & alii in Memphim multa vaticinantur: & ait Jeremias: Memphis in ſolitudinem erit, & deſeretur, & inhabitabilis erit. Mediæ Ægypti aliquandiu, & aliquando totius Ægypti metropolis fuit. |
| | | Menni. Jeremiæ 51. v. 27. de Regibus Ararat, Menni, & Aſcenez. Ararat Armeniam jam diximus; Aſcenez Galliam; quid ſit Menni non facile eſt dicere, niſi pro Madai ſcriptum ſit: nec enim nominis Menni & in ſacris & in profanis ſcriptoribus alia eſt mentio. |
| 31 54 | *67* 52½ | Mennith urbs ſive locus, quo uſque Ammonitas percuſſit Joſue, Judic. 11. v. 33. eadem forte, quæ Mageth in Machabæis. |
| 31 24 | *67* 37 | Mephaath urbs in Tribu Ruben, ex Joſue 13. v. 18. Et Jaſſa, & Cedimoth, |

| | Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. |
|---|---|---|
| dimoth, & Mephaath. & 21. v. 36. inter urbes Leviticas, ex Tribu Ruben Levitis Meraritis datas, est etiam Mephaath; ut & 1. Paral. 6. v. 79. sed Maspha eadem scribitur, in quam fugit aliquando David, 1. Reg. 22. v. 3. & quam Judas Mach. cepit, & incendit, 1. Mach. 5. v. 35. Mallam male vocat Josephus. | | |
| Merala, Josue 19. v. 11. locus sive urbs in Tribu Zabulon, & ad Mare: eadem forte cum Meroth. | 32 54 | 66 $42\frac{1}{2}$ |
| Merome. In Cantico Debboræ, & Barac, Judic. 5. v. 18. mentio est Regionis Merome: forsitanque locus, in quo contra Sisaram pugnatum est. | | |
| Meroth vicus. Joseph. 3. Bell. 4. longitudo superioris Galilææ datur a Thella vico Jordani proximo usque ad Meroth; & hic proculdubio erit ad Mare, cum longitudo ipsa sit inter Mare & Jordanem. | 32 54 | 66 $42\frac{1}{2}$ |
| Mes. Aram filii Sem filius quartus est Mes, Genes. 10. v. 23. & 1. Paral. 1. v. 17. ubi Mesoch scribitur pro Mes, qui in Genesi. Arami autem posteris Syria omni concessa; Emesena, &c. regio erit pro filiis Mes. V. Aram. | 34 0 | 70 0 |
| Mesoch. V. Mes. | 34 0 | 70 0 |
| Mesopotamia. V. Sem & Arphaxad. Asiæ regio fertilissima, sic dicta, quod posita sit inter Euphratem & Tigrim. In eam servus senior domus Abraham profectus est, ut Domini sui filio Isaac uxorem de cognatione sua acciperet, Genes. 24. v. 2. & seq. v. 10. ille perrexit in Mesopotamiam ad urbem Nachor ( Charran, ubi Nachor morabatur ) v. 15. & seq. in qua Rebeccam invenit filiam Bathuel, filii Melchæ uxoris Nachor fratris Abraham, eamque v. 50. & seq. habito parentum consensu, v. 61. 62. adducit ad Isaac in uxorem. Etiam Jacob ex filiabus Laban fratris Rebeccæ, & qui morabatur in Haran Mesopotamiæ, uxorem petiit, ipsique & Lia & Rachel unaquæque pro septem annorum servitute datæ sunt. Balaam hariolus de Mesopotamia evocatus est, ut Israelitis malediceret, Deuter. 23. v. 4. Deus ait: Josue 24. v. 3. Tuli ego patrem vestrum Abraham de Mesopotamiæ finibus, & adduxi eum in Terram Chanaan. Jud. 3. v. 8. Iratusque contra Israel Dominus tradidit eos in manus Chusan Rasathaim Regis Mesopotamiæ, servieruntque ei octo annis. Judith. 2. v. 14. Holofernes venit in Mesopotamiam, & fregit omnes civitates excelsas ... 5. v. 6. Achior Holoferni dicit: Populus iste ( Israel ) ex progenie Chaldæorum est, v. 7. hic primum in Mesopotamia habitavit. | 36 0 | 76 0 |
| Messa, Gen. 10. v. 30. de habitationibus filiorum Jectan: Et facta est habitatio eorum de Messa pergentibus usque Sephar montem orientalem. Messa sive Muza portus Arabiæ Fœlicis notus est, tum & Sephar urbs, a qua Climax mons proximus etiam nomen Sephar habuit, ut putat Bochardus. V. Jectan. | 15 30 | 76 40 |
| Messal septima describitur inter viginti duas urbes Tribus Aser, Josue 19. v. 26. ibique Messal scribitur, quæ Masal eidem Josue 21. v. 30. & 1. Paralip. 6. v. 74. ubi Levitica urbs est Gersonitis assignata in Tribu Aser. | 32 54 | 66 $47\frac{1}{2}$ |
| Methca Israelitarum statio in deserto, & inter Thare, & Hesmona, Numer. 33. v. 28. 29. | 30 45 | 65 35 |
| Miletus in navigatione Pauli ad Jerosolymam: Act. Ap. 20. v. 15. & seq. a Samo Miletum appulit, & a Mileto Coum. Urbs est Miletus in littore Asiæ, sive Cariæ, nec longe ab Epheso. | 37 0 | 58 10 |
| Misor, solitudo, in qua urbs Bosor Tribus Ruben. | 31 $42\frac{1}{2}$ | 67 45 |
| Misraim. Gen. 10. v. 6. Filii autem Cham: Chus, & Mesraim, &c. v. 13. At vero Mesraim genuit Ludim, et Anamin, et Laabim, et Nephtuim, v. 14. Phetrusim, et Chasluim: de quibus egressi sunt Philisthiim et Caphtorim; idem 1. Paral. 1. v. 8. et 12. Mesraim sive Misraim habuit Ægyptum, et Ægypto conterminas regiones: filiique ejus Ludim Æthiopiæ partem, quæ supra Ægyptum, et ad Ægypti Meridiem; Anamin Lybiæ partem, quæ Ægypto contigua, et ubi Ammoniaca Regio; Laabim Lybiam, ubi Cyrene; et Nephtuim Ægyptum inferiorem; Phetrusim superiorem; et Chasluim Ægypti ad Mare Rubrum littus; Philisthiim et Caphtorim ab Ægypto ad Terram Chanaan. | 25 30 | 60 0 |

Moab

| Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. | |
|---|---|---|
| 31 30 | 68 0 | Moab filius majoris filiæ Loth, ex quo Populi Moabitæ, & eorum Regio Moabitis, & aliquando Moab. Numer. 21. v. 13. siquidem Arnon terminus est Moab, dividens Moabitas, & Amorrhæos. v. 20. Bamoth vallis in regione Moab. v. 26. Sehon Amorrhæorum Rex pugnavit contra Regem Moab. v. 29. Væ tibi Moab, peristi popule Chamos ( Moabitarum Deus fuit Chamos. ) Sæpeque postea mentio est Campestrium Moab, & Desertorum Moab. Moabitarum Rex fuit Balac filius Sephor, qui Balaam semel atque iterum e Mesopotamia accersivit, ut Israelitis malediceret, Numer. 22. & 23. Deut. 23. v. 4. Fuit & Moabitarum Rex Eglon, quem percussit Aod, Judic. 3. David Saulis malevolentiam fugiens a Rege Moab receptus in Mephat sive Mephaath aliquandiu latuit, 1. Reg. 22. v. 3. sed in regno confirmatus, Moabitis tributum imposuit, idque paulo post detrectantes solvere coegit: factusque est Moab Davidi serviens sub tributo, 2. Reg. 8. v. 12. |
| 30 45 | 66 15 | Moceloth Israelitarum statio inter Arada & Thahath. |
| 31 42 | 66 3 | Modin urbs & mons, unde surrexit Mathathias Machabæorum pater, qui Judæorum afflictionem, & Sanctorum prophanationem lugens, Judæum, qui primus Idolis immolaverat, & Regis Antiochi ministrum, qui immolare coegerat, occidit in Templo, & aram destruxit, 1. Machab. 2. v. 24. 25. & in fine v. 70. Et defunctus est anno ( vitæ ) centesimo, & quadragesimo sexto, & sepultus est a filiis suis in sepulcris patrum suorum in Modin; ibidem & filii ejus sepulti sunt, Judas Machabæus, 1. Mach. 9. v. 19. Jonathas, 13. v. 25. & Simon Jonathæ frater ibi sepulcrum ædificavit e lapide polito, & septem Pyramidas, v. 27. & seq. |
| 31 11 | 65 33 | Molada secunda inter urbes septemdecim Tribus Simeon, & nomen constanter sic ubique scribitur, Josue 15. v. 26. in Tribu Juda; & iterum 19. v. 2. in Tribu Simeon; & 1. Paral. 4. v. 28. & 2. Esdræ 11. v. 26. eadem putatur cum Molathi. |
| | | Molathi urbs sive potius locus, ex quo Hadriel Molathites, cui data est uxor Merob filia Saul, cum deberet dari Davidi, 1. Reg. 18. v. 9. & 2. Reg. 21. v. 8. 9. quinque filios Michol filiæ Saul, quos genuerat Hadrieli filio Berzellai, qui fuit de Molathi, dedit ( David ) in manus Gabaonitarum, ut crucifigerentur, propter Saulis in Gabaonitas peccatum. |
| 32 17 | 66 52 | Mons Abdiæ, in cujus duabus speluncis Abdias centum Prophetas Domini abscondit; & eos pane & aqua pavit, dum vehemens fames esset; & dum Achab & Jezabel eos ad mortem quærerent. Abdias ipse erat dispensator domus Achab, & Dominum ( Deum ) timebat ab infantia sua, 3. Reg. 18. |
| 32 47½ | 67 44 | Mons Christi, non longe a Capharnao, in quem Christus orandi, & prædicandi causa sæpe secessit, & in quo Apostolos elegit . . . |
| 31 47½ | 66 47½ | Mons Diaboli, sive mons Tentationis; in quem Satanas Christum assumsit, tentavitque, putatur non longe a Jericho Septentrionem versus, ex Matth. 4. & Luc. 4. |
| 31 37½ | 66 13 | Morasthi locus, unde Michæas Propheta. Michæas ipsemet 1. v. 1. Verbum Domini, quod factum est ad Michæam Morasthitem, & Jerem. 26. v. 18. Michæas de Morasthi fuit Propheta in diebus Ezechiæ Regis Juda, non ergo, ut quidam putant, Michæas fuit de Maresa. |
| | | Moseroth Israelitarum statio in deserto, inter Hesmona, & Benejaacan, Num. 33. v. 30. 31. videtur & Mosera, Deut. 10. v. 6. |
| 45 0 | 35 0 | Mosoch inter filios Japhet sextus, Genes. 10. v. 2. & 1. Paral. 1. v. 5. & ubique Javan, Thubal, & Mosoch junguntur: & aliquando, ut in Ezech. 27. v. 13. Græcia, Thubal, & Mosoch; ubi Græcia loco Javan describitur, & 32. v. 26. & 38. v. 2. 3. & 39. v. 1. Mosoch, & Tubal tantum. Diximus in Japhet Javan pro Græcia, Mosoch pro Italia, Tubal pro Hispania intelligi. Pro Javan nunc pene omnes consentiunt in Græciam; pro Thubal plerique, & ipsimet Hispani, in Hispaniam; restat Mosoch ad Italiam. Posteros Mosoch aliqui ad Thusciam tantum, quæ pars est Italiæ, referunt; nos ad Italiam omnem: & in hanc sententiam ante nos fecere septuaginta Interpretes & vulgata lectio; |

| | Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. |
|---|---|---|
| ctio; qui in Isa. *66.* v. *19.* Italiam legit hæc, ubi illi Mosoch. Sed & post Japheth filios, nepotesque recensitos; addit Genes. 10. v. 5. Ab his divisæ sunt Insulæ gentium in Regionibus suis; unusquisque secundum linguam suam, & familias suas, in nationibus suis: videtur Genesis Japhethi filios, nepotesque, in Insulis sive potius in Pen-insulis positos esse demonstrare velle: quod de aliis Noe filiis Semo & Chamo, ne quidem verbum. Et sane Hispania & Italia, & Græcia, sunt Pen-insulæ, nec aliæ omnes Europæ partes multum a Pen-insulis dissimiles sunt. | | |
| Myndus, 1. Machab. 15. v. 22. ad quam Romani literas scripsere in Judæorum gratiam, urbs est in littore Asiæ, sive Cariæ, inter Miletum & Halicarnassum. | 36 30 | 57 55 |
| Myra sive Myrra, urbs inter Lyciæ sex maximas una. In Act. Apost. 27. v. 5. ubi de navigatione Pauli agitur: Pro Lystra; quæ est Lyciæ, melius habent 70. Interpretes Myra, quæ est Lyciæ. Lystra etenim Lycaoniæ urbs est in mediterraneis; Myra Lyciæ, & ad Mare. V. Lystra. | 36 40 | 61 10 |
| Mysia. E Phrygia per Mysiam transiit Paulus in Troadem, Act. *16.* v. 7. 8. Asiæ Minoris regiones sunt. | 41 0 | 57 30 |
| Mytilene. A Macedonia rediens Paulus, ut diem Pentecostes faceret Hierosolymis, ab Asso navigavit Mytilenem, & a Mytilene Chium; Act. 20. v. 14. 15. Urbs est in Lesbo insula. | 39 30 | 56 25 |
| **N** | | |
| Naalol. V. Catheth Naalol. | | |
| Naama urbs in regione sive parte tertia Tribus Juda; inter Beth-dagon & Maceda, Jos. 15. v. 41. | 31 51 | 66 12½ |
| Naamath, hujus loci nulla mentio, nisi in historia Job; ubi Sophar Naamathites est inter vicinos & amicos Job. | 33 7 | 68 6 |
| Naason vicus aut locus in Tribu Nephthalim non longe a civitate Sephet, Tob. 1. v. 1. | 32 51 | 67 17½ |
| Nabo, Nebo. Numer. 32. v. 38. Nabo & Baal-meon sunt inter urbes Tribui Ruben concessas. 33. v. 47. Montes Abarim contra Nabo. Sic in Isaia & Hierem. Nebo scriptum est Numer. 32. v. 3. Et Nebo & Beon; & Mons Nebo, Deut. 32. v. *49.* Ascendit Moyses super Montem Nebo in verticem Phasga, ostenditque ei Dominns omnem Terram (Promissam.) 1. Paral. 5. v. 8. In Aroer usque ad Nebo & Beelmeon. Putat Hieronymus urbem ipsam etiam vocatam Beel-phegor, quod ibi Idolum fuit Beelphegor, quod & Chamos. | 31 33 | 67 22½ |
| Nachor urbs, aut potius urbs Nachor. Ipsa est Haran, in qua Thare & Nachor, & Bathuel, & Laban mansere; ideoque Genes. 24. vers. 10. urbem Nachor dixit, qui frater Abrahami, qui filius Thare, & ipse Nachor pater Bathuelis, qui pater Rebeccæ & Laban. | 35 50 | 74 30 |
| Naim sive Nais urbs, cujus portæ cum appropinquaret Christus, filium viduæ unicum, qui efferebatur ad sepulturam, a mortuis suscitavit, Luc. 7. v. 12. & seq. | 31 39 | 66 47 |
| Naaratha de limite orientali Tribus Ephraim: Jos. *16.* v. 7. descenditque de Janoe in Ataroth & Naaratha, & pervenit in Jericho, egreditur que ad Jordanem. | 32 51 | 67 17 |
| Nabajoth primogenitus Ismaelis filius, Genes. 25. v. 13. & proculdubio ab ipso Nabathæi populi in Arabia. V. Ismael. | 29 30 | 72 0 |
| Nahaliel Israelitarum statio in deserto, inter Mathana & Bamoth, Num. 21. v. 19. | 31 30 | 69 30 |
| Najoth urbs sive locus in Ramatha, in quam David fugit cum Samuele: & ubi ipse David, & Lictores, quos semel, iterum, & tertio Saul miserat ad Davidem comprehendendum, & ipse tandem Saul prophetavit, 1. Reg. 19. v. 14... | 32 51 | 66 51 |
| Naphis Ismaelis filiorum undecimus. V. Ismael. | 28 30 | 77 0 |
| Narbata Joseph. regio quædam hoc nomine appellatur, diremta a Cæsaræa (Palæstinæ) stadiis 60. lib. 2. c. 25. de Bell. | 32 32 | 66 28 |
| Nazareth civitas Galilææ, in quam missus est Angelus Gabriel ad vir- | 32 42 | 66 52½ |

| Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. | |
|---|---|---|
| | | virginem Mariam, desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, Luc. 1. v. 26. Hæc ergo B. V. Mariæ patria est, ut & Christi, quamvis natus in Bethlehem; in Nazareth etenim conceptus & educatus plurimam ætatis suæ partem egit; unde & Nazarenus dictus est. Sed & cum aliquando die Sabbathi intrasset secundum consuetudinem suam in Synagogam, locumque Isaiæ de se interpretatus esset; a concivibus suis incredulis, non tantum extra civitatem ejicitur, sed & ad supercilium montis ductus, ut præcipitaretur, per medios illos transiit, Luc. 4. v. 16... |
| 41 55 | 50 50 | Neapolis Macedoniæ urbs in confinio Thraciæ, Act. 16. v. 11. Paulus in Macedoniam tendens a Troade venit Samothraciam, & sequenti die Neapolim, v. 12. & inde Philippos. |
| 31 18 | 66 48 | Nebsan urbs in undecima & ultima parte Tribus Juda, & inter Sachacha, & civitatem Salis, Josue 15. v. 62. |
| 33 0 | 67 $52\frac{1}{2}$ | Neceb. V. Adami. |
| 32 47 | 67 8 | Neela eamdem facio cum Naalol. V. Catheth-Naalol. |
| 31 32 | 65 $57\frac{1}{2}$ | Nehel-escol. Num. 13. v. 24. Exploratores Terræ Promissæ pergentes usque ad Torrentem Botri, absciderunt palmitem cum uva sua, quam portaverunt in vecte duo viri; de malis quoque granatis; & de ficis loci illius tulerunt, v. 25. qui appellatus est Nehel-escol, i. Torrens Botri, eo quod Botrum portassent inde filii Israel. |
| 32 51 | 67 13 | Nehiel, Nihiel, Josue 19. v. 27. inter viginti duas urbes Tribus Aser undecima vel duodecima est; eaque posita videtur inter Beth-emeth & Chabul. |
| 31 9 | 67 14 | Nemrim. De Aquis Nemrim Isa. 15. v. 6. Jer. 4. v. 34. quæ videntur aliquando fuisse optimæ: eas enim prænuntiant fore desertas Isaias, pessimas Jeremias. |
| 32 51 | 62 25 | Nemora Jordanis, ubi Jonathas continebat se contra Bacchidem, quem semel atque iterum superans, ad pacem compulit, Joseph. 13. Antiq. c. 1. |
| 32 24 | 68 0 | Nemus Jabes-Galaad, in quo cives hujus urbis, Saulis, filiorumque ejus corpora sepelierunt, 1. Reg. 31. v. 13. |
| 32 $37\frac{1}{2}$ | 66 32 | Nepapha. Vide Nopheth. |
| 30 20 | 62 0 | Nephtuim, alias Nephthuim, ex filiis Mesraim quartus: cujus posteri Ægyptum obtinuere. V. Mesraim aut Misraim. |
| 33 15 | 67 40 | Nephthali Tribus ad superiorem, eamque occiduam Jordanis ripam sita, sic nominatur a Nephthali inter filios Jacob sexto, & ex Bala Rachelis ancilla secundo & ultimo. Hanc vicinam Syriæ, & sæpe a vicinis impetitam cervo emisso comparat Jacob, Genes. 49. v. 21. abundantia perfruituram, & plenam benedictionibus dicit Moyses Deuteron. 33. v. 23. Ex hac Tribu fuere Ahira filius Enan Princeps Nephthalitarum 53400. in deserto, Num. 1. v. 15. & 43. Naabi filius Vaphsi explorator Terræ Chanaan, 13. v. 15. Ejusdemque divisor Phedael filius Ammiud pro Nephthalitis, qui 45400. hanc ingressi sunt. Barac filius Abinoen Dux super Israel cum Debbora fuit e Tribu Nephthali, etiam Tobias pater, Tobias filius. Tribum Nephthalim descripsit Josue 19. |
| 32 49 | 67 29 | Nephthali. Tob. 1. v. 1. Tobias ex Tribu & civitate Nephthali, quæ est in superioribus Galilææ supra Naasson, in sinistro habens civitatem Sephet. |
| 31 $47\frac{1}{2}$ | 66 27 | Nephtoa fons in confiniis Tribuum Juda & Benjamin. Josue 15. v. 9. in Juda; & 18. v. 15. in Benjamin. |
| 32 25 | 66 $17\frac{1}{2}$ | Nesib, urbs inter Esna & Ceila, in quarta parte Tribus Judæ describitur, Josue 15. v. 43. |
| 31 31 | 66 53 | Netophati locus. 2. Reg. 23. v. 28. Inter fortes Davidis sunt Maharai Netophathites. & v. 29. Heled filius Baana, & ipse Netophathites. 4. Reg. 25. v. 23. Sarena filius Thanehameth Netophathites ad Godoliam cum aliis venit. 1. Paralip. 11. v. 30. repetuntur ut supra Maharai Netophathites, Heled filius Baana Netophathites. 1. Paralip. 27. v. 13. 15. Inter Principes, qui Davidis militiæ præerant, decimus est, & pro mense decimo Marai (antea Maharai) Netophathites de stirpe Zarai: & duodecimus, menseque duodecimo, Holdai Netophathites |

| | Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. |
|---|---|---|
| thites de stirpe Gothoniel. Etiam Jerem. 40. v. 8. Filii Ophi, qui erant de Netophati. | | |
| Nicopolis in Epiro urbs ad Ambracici sinus fauces; Cæsaris Augusti victoria, & Antonii Cleopatræque fuga, & clade nobilis. Paulus in Epist. ad Titum, ibi se hiematurum, ait, 3. v. 12. | 38 30 | 45 50 |
| Ninive ante & post Sardanapali mortem celeberrima, & ex maximis totius orbis urbibus una: hanc Assur ædificavit, Genes. 10. v. 11. De Terra illa (Sennaar) egressus est Assur, & ædificavit Niniven, & plateas civitatis. 4. Reg. 19. v. 36. Et reversus Sennacherib Rex Assyriorum mansit iu Ninive. Tobias 1. v. 11. ait se per captivitatem devenisse cum uxore sua, & filio suo in civitatem Niniven. Niniven civitatem magnam, utpote trium dierum itinere, vocat ipsemer Jonas, qui ad eam a Deo missus est, ut pœnitentiam prædicaret; ipsisque pœnitentibus Deus pepercit, Jonæ 3. v. 3. . . 10. | 35 30 | 80 30 |
| Noa urbs inter Remmon-Amthar, & Hanathon describitur in Tribu Zabulon, Josue 19. v. 13. | 32 47 | 67 20 |
| Nobe. V. Anathoth. | | |
| Nopheth. Jos. 17. v. 11. In sorte Tribus Manasse . . . & tertia pars urbis Nopheth. Mirum hanc urbem diversis Tribubus attributam: tertiam scilicet partem Tribui Manasse, quam hic describit Josue. Sed & mirum, quod Josue non alibi meminerit aliarum partium hujus urbis, nec nominis Nopheth alia est mentio in tota Scriptura Sacra, nec in aliis, nisi sit Nepaphath Josephi, quam in vita sua ait se muris cinxisse, dum Præsidem in Galilæa ageret. Ea autem est inter Tribus Issachar, & Manasse. | 32 38 | 66 32 |
| **O** | | |
| Oboth Israelitarum statio in deserto, inter Phunon Jiebarim, Num. 21. v. 10. & 33. v. 43. 4. | 30 25 | 67 40 |
| Odollam, Adullam. 1. Reg. 22. v. 1. David fugit in speluncam Odollam. Sic et 2. Reg. 23. v. 13. et 1. Paralip. 11. v. 15. vocat ubique speluncam Odollam. 2. Paralip. 11. v. 7. Odollam simpliciter. Sic et 2. Esdr. 11. v. 30. et Michææ 1. v. 15. et 2. Mach. 12. v. 38. Ex Genes. 38. v. 1. 2. Judas filius Jacob uxorem habuit Sue Hiræ viri Chananæi Odollamitis filiam, v. 12. Hiras opilio gregis Odollamites. Ubique ergo Odollam potius scribitur quam Adullam. V. Adullam. | 31 32½ | 66 8 |
| Olon, urbs in sexta regione sive parte Tribus Juda, inter Gosen et Gilo, Josue 15. v. 51. Ipsa autem Holon scribitur inter urbes Leviticas e Tribu Juda assumtas, ex ipso Josue 21. v. 15. & Helon, 1. Paralip. 6. v. 58. V. Helon. | 33 33 | 67 10 |
| Ono, eam ædificavit Samad filius Elphaad Benjamitæ) post Judæorum reditum e Babylone) 1. Par. 8. v. 12. Dicitur Ono in valle artificum, 2. Esdr. 11. v. 35. | 31 31 | 67 10 |
| Ophera nona datur inter urbes primæ partis Tribus Benjamin, Josue 18. v. 23. | 31 39 | 66 54 |
| Ophir filius Jectan. V. Jectan. | 22 10 | 73 0 |
| Ophir locus, ad quem Salomonis classis triennio quoque (singulis annis vult Salianus) navigabat, aurum asportatura. Sed ubinam gentium sit Ophir, etiamnum inter diligentiores scriptores magna lis est: aliis Sophalam in Africa, aliis Taprobanam Insulam in Asia, aliis Peruviam in America, aliis alio contendentibus. Pro Ophir legit Ophaz Jerem. 10. v. 9. De Ophir 3. Reg. 9. v. 18. c. 10. v. 11. 13. c. 22. v. 19. 1. Paralip. 24. v. 4. 2. Paral. 8. v. 18. c. 9. v. 10. | ...... | ...... |
| Ophni undecima inter duodecim urbes primæ partis Tribus Benjamin, & inter Villa-Hemona, & Gaba sive Gabaa, Jos. 18. v. 24. an alia ab Ono? | 31 47 | 66 19 |
| Oreb, sive Horeb mons in deserto Madian: in monte Oreb Moysi oves soceri pascenti Dominus apparuit in rubo ardenti, Exod. 3. v. 1. 2. & seq. Percutiens Petram Horeb, aquam, ut populus biberet, eduxit, Exod. 17. v. 6. Deuter. 1. v. 2. Undecim diebus de Horeb per viam montis Seir usque ad Cadesbarne. 4. v. 15. Non vidistis aliquam simili- | 29 0 | 67 15 |

| Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. | |
|---|---|---|
| | | litudinem in die, qua locutus est vobis Dominus in Horeb, in medio ignis. 5. v. 2. Dominus Deus noster pepigit nobiscum fœdus in Horeb. In eo monte, Moyse orante manibus levatis, Israel vincebat Amalecitas, demissis manibus, Amalecitæ vincebant Israelitas; & tandem Moysis lassas manus sustinentibus Aarone, & Hur Mariæ sororis Moysis viro, percussi sunt, & in fugam conversi Amalecitæ, Exod. 17. v. 10... 3. Reg. 19. v. 8... Elias fugiens a facie Jezabel, pervenit ad usque montem Dei Oreb; in cujus spelunca mansit, & ad ostium speluncæ evocatus, Dei mandata audiit. |
| 31 40 | 67 27 | Oronaim urbs in Tribu Ruben. Isaias videtur eam locare non longe ab ascensu Luith, qui est in monte Abarim, 15. v. 5. & Jerem. 48. v. 3. 5. |
| 34 40 | 67 50 | Orthosias urbs Syriæ, inter Byblum & Aradium, in quam navi fugit Tryphon, 1. Mach. 15. v. 37. |
| 32 6 | 66 27½ | Ozen-Sara, Ozen-Zara. 1. Paralip. 7. v. 24. Filia Beriæ fuit Sara, quæ ædificavit Bethoron superiorem, & Bethoron inferiorem, & Ozen-Sara. |
| | | **P** |
| 33 40 | 71 55 | Palmira. 3. Reg. 9. v. 17. ædificavit Salomon... v. 18. & Palmiram in terra solitudinis ... 2. Paral. 8. v. 3. Abiit Salomon in Emath Suba, & obtinuit eam, v. 4. & ædificavit Palmiram in deserto, & alias civitates munitissimas ædificavit in Emath ( Suba. ) Palmira notissima est in Historia Romana, quod inter summa duo imperia Romanorum & Parthorum, in discordia semper ab utrisque prima expetita fuit. V. Thamar. |
| 37 0 | 63 0 | Pamphilia Asiæ Minoris Regio maritima inter Lyciam & Ciliciam, 1. Mach. 15. v. 23. ad quam Romani literas dedere in Judæorum gratiam. Act. 2. v. 10. ubi de variis populis, qui uniquique Apostolos prædicantes sua lingua intelligebant. Mentio etiam Pamphyliæ 13. v. 13. & 17. v. 38. in peregrinatione Pauli. |
| 32 27½ | 67 45 | Panium. Joseph. 15. Antiq. 13. & 1. Bell. 16. Herodes .. Templum Cæsari circa Jordanis fontem, candido marmore posuit, qui locus appellatur Panium; ubi montis vertex in excelsum editus, propter subjecti lateris vallem specus aperit umbrosum, qua profundæ altitudinis rupes, ad immensum liquentis guttæ receptaculum concavatur, ita ut stagnantis aquæ fons, aut e speluncæ radicibus oriantur fontes: & ut putant, hoc est Jordanis initium. lib. 3. c. 18. Naturalis pulchritudo Panii regiis opibus, & Agrippæ divitiis magnificentius ornata est. |
| 33 35 | 64 30 | Paphus urbs in Cypro insula, de qua Act. 13. v. 6. Et cum perambulassent ( Saulus & Barnabas ) universam insulam usque Paphum, invenerunt quemdam magum Pseudoprophetam ... v. 11. quem cœcum reddidit Saulus ... v. 12. statimque Proconsul Sergius Paulus credidit. ( Saulusque videtur in posterum ab ipso Pauli nomen sumsisse ) v. 13. a Papho navigavit Paulus in Pamphyliam, & Pergen. |
| 36 15 | 60 40 | Patara, in navigatione Pauli, cum a Macedonia rediret Jerosolimam, Act. 21. v. 1. Patara Lyciæ urbs est maritima, & quasi Xanthi navale, ipsa tamen & inter urbes sex Lyciæ maximas una. |
| 36 40 | 55 30 | Pathmos insula, in quam Joannes relegatus Apocalypsim scripsit. |
| 36 30 | 65 0 | Pelagus Pamphiliæ, & Ciliciæ, Act. 27. v. 5. quod inter Cyprum & Pamphiliam, Ciliciamque interest. |
| 32 27½ | 68 7½ | Pella. Josephus 3. Bell. 4. Peræa longitudinem facit a Machærunte Pellam: & hæc ad Septentrionem est, illa ad Meridiem: eam etiam Toparchiæ septimæ facit metropolim, quam Plinius non novit, nisi Betholene cum Pellensi conveniat. Cæterum Pellam eamdem esse cum Abella facile concederem: quod Abellæ nomen sit tantum in primis, Pellæ in ultimis Judæorum temporibus, & cum jam Macedones rerum in Asia potiti fuissent, & ab regia Philippi & Alexandri Magni sede Pella, quæ in Macedonia est, Abellam in Pellam mutasse credere est. |
| 31 5 | 63 25 | Pelusium Ægypti urbs est ad orientale Nili ostium. Ezech. 30. v. 15. Et effundam indignationem meam super Pelusium robur Ægypti. |

Pen-

| | Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. |
|---|---|---|
| Pentapolis semel tantum hujus nominis mentio est in Scriptura Sacra, scilicet in Sapientia Salomonis, 10. v. 6. Hæc [ Sapientia ] justum a pereuntibus liberavit fugientem: descendente igne in Pentapolim: Urbes eæ sunt Sodoma, Gomorrha, Adama, Seboim, & Segor. V. Sodoma. | 32 0 | 67 0 |
| Peræa Regio trans Jordanem, cujus ingenium & dotes describit Joseph. 13. Antiq. 5. & 3. Bell. 4. & ejus longitndinem facit a Pella Machæruntem usque, & latitudinem a Philadelphia ad Jordanem; cum Ituræa facile confunditur, forsitanque eadem est; & pene omnem hunc Tractum obtinuit Tribus Gad, aliquem Tribus Ruben. | 32 0 | 67 45 |
| Pergamus Asiæ, sive potius Lydiæ in Asia Minori, & non longe a Troade urbs est, Joann. in Apocalypsi 1. v. 11. una inter septem Asiæ Ecclesias. | 39 30 | 57 30 |
| Perge urbs Pamphyliæ mediterranea, Act. 13. v. 13. a Papho venerunt ( Paulus & Barnabas ) Pergen Pamphiliæ, v. 14. transeuntes Pergen venerunt Antiochiam Pisidiæ. c. 14. v. 24. & loquentes verbum Domini in Perge, descenderunt in Attaliam. | 37 50 | 62 30 |
| Persepolis, 2. Mach. 9. v. 2. [ Antiochus ) intraverat in eam ( urbem ) quæ dicitur Persepolis, & tentavit expoliare templum, & civitatem opprimere: sed multitudine ad arma concurrente in fugam versus est. Eadem historia est 1. Mach. 6. v. 1. Civitatem ipsam Elymaidem in Perside nobilissimam vocat. V. Elymais. Persepolis aliquando Persarum regia fuit, etiam Alexandri Magni tempore, qui meretricis Laidis impulsu illius regiam combussit. | 30 30 | 91 30 |
| Persis Regio, Persæ populi. Persis Regio Asiæ celeberrima, cum Assyriorum, & Medorum Regna in Persarum manus devenerunt sub Cyro. Esdr. 3. v. 1. Darius fecit cœnam magnam . . . . . magistratibus Mediæ & Persidis. Daniel 11. v. 2. trium Regum Persidis meminit, prophetatque quartum in Græciam bellum moturum. Sed & v. 3. Regem fortem ( Alexandrum ) in Persas dominaturum. 14. v. 2. Arsaces Rex Persidis & Mediæ dicitur. | 31 0 | 92 0 |
| Petra Arabiæ. V. Jectehel. Ab urbe Petra Arabiæ pars Petræa dicta fuit. | 30 0 | 67 25 |
| Petra dividens, sive Petra divisionis, in qua latuit David cum suis Saulem fugiens; & ab ipso Saule statim obsessus, & in modum coronæ a Saulis militibus circumdatus, cum desperaret, se evadere posse, subita Philisthinorum irruptio Saulem alio revocavit, 1. Reg. 23. v. 16. 27. 28. | 31 4 | 66 31 |
| Petra Oreb in Tribu Ephraim: ad quam Gedeon interfecit Oreb Madianitarum principem, Judic. 7. v. 25. Alia est Petra in monte Horeb. V. Oreb. | 31 57½ | 67 16 |
| Phanuel locus penes Torrentem Jaboc, ubi Jacob luctatus est tota nocte cum Angelo, Genes. 32. v. 24. & vocavit Jacob nomen loci illius Phanuel, v. 30. Ibidem postea urbs fuit, cujus cives cum Gedeoni in Madianitas proficiscenti cibum negassent: ipse victor rediens Turrim Phanuel evertit, habitatores civitatis occidit, Judic. 8. Eam reædificavit Jeroboam, 3. Reg. 12. v. 25. | 32 18 | 66 46 |
| Pharan. Genes. 14. v. 6. Campestria Pharan, quæ in solitudine. 21. v. 2. habitavitque in Deserto Pharan ( Ismael ) & accepit illi mater sua uxorem de Terra Ægypti. Num. 10. v. 12. Recubuit Nubes in solitudine Pharan, pro Israelitis per deserta iter facientibus. 13. v. 1. Profectusque est populus de Haseroth, fixis tentoriis in Deserto Pharan, v. 4. de Deserto Pharan misit Moyses principes viros, v. 18. ad considerandam Terram Chanaan, v. 27. venerunt in Desertum Pharan, quod est in Cades. Deuter. 1. v. 1. Locutus est Moyses ad omnem Israel . . . in solitudine . . . . inter Pharan, & Thophel, & Laban, & Haseroth. 33. v. 2. Apparuit Dominus de Monte Pharan, &c. Est ergo Pharan & Campus, & Desertum, & Mons, etiam Ptolemæo aliisque: & Urbs & Promontorium ad Mare Rubrum. | 28 55 | 65 10 |
| Pharathon. Judic. 12. v. 15. Mortuus est ( Abdon Judex Israel ) & sepultus in Pharathon terræ Ephraim, in monte Amalec; & paulo ante v. 13. Post hunc ( Aialon Zabulonitem ) judicavit Israel Abdon filius | 32 12 | 66 47 |

lius

| Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. | |
|---|---|---|
| | | lius Illel Pharathonites. Inter fortes David est Banaia Pharathonites, 2. Reg. 23. v. 30. & iterum 1. Paral. 11. v. 31. Banaia Pharathonites, & c. 27. inter duodecim Principes, qui Davidis militiæ præerant undecimus fuit Banaias Pharathonites de filiis Ephraim: & in turma ejus viginti quatuor millia, v. 14. |
| 36 25 | 62 20 | Phaselis urbs est in littore Pamphyliæ, ad quam, ut & ad alias Romani scripserunt, Judæosque tamquam sibi fœderatos commendarunt, 1. Mach. 15. v. 25. |
| 31 51 | 67 31 | Phaselum castellum ab Herode Ascalonita conditum, & in memoriam fratris sui Phaseli a Parthis occisi sic nominatum, Joseph. 1. Bell. c. 16. & aliquoties alibi. |
| 31 31 | 67 27½ | Phasga Mons. In vertice Phasga, quod respicit contra desertum, Num. 21. v. 20. & 23. v. 14. Cumque Balac ( Rex in Moab ) duxisset ( Baalam ariolum ) in locum sublimem, super verticem montis Phasga, &c. Deuter. 3. v. 17. ad radices montis Phasga, dixit Dominus Moysi: v. 27. Ascende montem Phasga, & oculos tuos circumfer ad Occidentem & Aquilonem, Austrumque & Orientem: & aspice; nec enim transibis Jordanem istum. 4. v. 49. usque ad Mare solitudinis, & usque ad radices montis Phasga. 34. v. 1. Ascendit ergo Moyses de campestribus Moab, super montem Nebo, in verticem Phasga contra Jericho; ostenditque ei Dominus omnem Terram Galaad usque Dan. V. Asedoth-Phasga, quæ urbs est. |
| 26 0 | 62 0 | Phatures. V. Phetrusim. |
| 32 30 | 67 30 | Pherezæus inter filios Chanaan nullus est. Attamen Pherezæi sunt inter Chananæos, sive inter Gentes, quas Deus ab Israelitis delendas, earumque possessiones occupandas voluit. V. Gergesæi. Pherezæorum prima mentio est, cum rixa fuit inter Pastores Abrahami & Lot. Eo enim tempore, Genes. 13. v. 6. Chananæus & Pherezæus habitabant in Terra illa . . . . statimque Deus promittit Abrahæ & semini ejus . . . . & Hethæos, & Pherezæos . . . . 15. v. 20. Chananæorum etiam & Pherezæorum solum meminit Jacob, cum Simeon & Levi propter sororis suæ Dinæ raptum ac stuprum Sichimitas interfecissent, Genes. 34. v. 30. |
| | | Phes-Dommin. V. Dommin. |
| 26 0 | 62 0 | Phetrusim est inter filios Mesraim quintus, Genes. 10. v. 14. & 1. Paralip. 1. v. 12. Hujus posteri superiorem Ægyptum occupavere; unde pars illa Terra Phatures postea dicta est, Hierem 44. v. 1. Verbum Hieremiæ ad omnes Judæos, qui habitabant in Terra Ægypti.... in Taphnis, & in Memphis, & in Terra Phatures. Per Taphnim, inferiorem; per Memphim, mediam; & per Terram Phatures superiorem Ægyptum sive Thebaidem intelligit. Terræ Phatures etiam meminit Ezech. 30. v. 14. |
| 23 30 | 63 30 | Phihahiroth. Exod. 14. v. 1. Dominus dicit ad Moysen, v. 2. Reversi ( Israelitæ ) castrametentur e regione Phihahiroth, quæ est inter Magdalum, & Mare, contra Beel-sephon, Num. 33. v. 7. Inde ( ab Etham ) egressi, venerunt contra Phihahiroth, quæ respicit Beelsephon, & castrametati sunt ante Magdalum, v. 8. Profectique de Phihahiroth transierunt per medium Mare in solitudinem. Israelitarum castrametatio hæc fuit in Ægypto, ut Pharaonem ad ipsos insequendos Deus eliceret, ipsumque in Mari Rubro perderet. |
| 33 24 | 67 51 | Phiala Jordanis fluvii fons alter, qui per subterraneos meatus primum, deindeque emersus, statim alterum facit Jordanis alveum, & cum primo ad urbem Dan immiscet se, Joseph. 3. Bell. c. 35. & ex aliis. |
| 38 40 | 59 10 | Philadelphia, urbis hujus sive Ecclesiæ meminit Joan. in Apocalypsi, & inter septem Asiæ Ecclesias, 1. v. 11. & 3. v. 7. |
| | | Philadelphia alia est. V. Rabba. |
| 42 15 | 50 30 | Philippi. Act. 16. v. 11. Venimus ( Paulus & Barnabas ) Neapolim, v. 12. & inde Philippos, quæ est prima partis Macedoniæ civitas ( colonia. ) 20. v. 6. Navigavimus post diem Azymorum a Philippis: & venimus Troadem. Epistolam etiam scripsit Paulus ad Philippenses, in qua 1. v. 1. Omnibus Sanctis, qui sunt Philippis, cum Episcopis, & |

| | Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. |
|---|---|---|
| Diaconibus gratiam & pacem a Deo Patre precatur. In Epist. ad Thessalonicenses 1. c. 2. v. 2. ait se Philippis passum, & contumeliis affectum fuisse. Urbs hæc in Historia Romana celebris est ob Antonii, & Augusti victoriam contra Cassium, & Brutum. | | |
| Philisthiim, unde Philisthæi, & Palæstina Regio, Palæstini Populi. Philisthiim, Genes. 10. v. 14. inter filios Mesraim habet Phetrusim, & Chasluim: de quibus egressi sunt Philisthiim & Caphtorim. An utrique a Chasluim tantum, aut separatim Philisthiim a Phetrusim; et Caphtorim a Chasluim non satis dilucide ex eo loco constat, nec multum interest; satis sit utrosque Mesraim nepotes esse, quorum Philisthiim notissimi, qui, cum Terræ Chanaan littus meridionale insedissent, in eo Satrapias quinque constituere; Gazam, Ascalonem, Azotum, Accaronem, et Geth. Singulas eas urbes vide suis locis. Philisthæorum autem sive Philisthiim nomen Israelitis formidabile fuit. Ii etenim in Israel dominati sunt, et tributum exegerunt per annos centum et quinquaginta, donec Samson, viribus et magnitudine animi nulli inferior, illos multoties castigaverit; Ascalonitis triginta vitam et vestem detraxerit; cum trecentis vulpibus ignem in eorum segetes, vineta, oleasque immiserit; mille Philisthæos in mandibula asini interemerit; Gazæ portas in montem vicinum transportarit; eosque qui se insequuti essent e monte præcipitarit, etc. Sed paulo post Samsonem Philisthæi Israelitas vicerunt, Arcam Domini in potestatem suam redegerunt; et ipsi vicissim a Samuele semel atque iterum victi; tum et a Saule, cum Goliath armatus a Davide interim victus et cæsus est: et versa vice Saulem Saulisque filios vicerunt, interemeruntque. Sed Davide ad regnum confirmato, Philisthæi tandem ad eas redacti sunt angustias, ut tributum, quod Hebræi pendebant primum, remiserint, tum et variis attriti præliis nihil amplius per se tentaverunt. Sub Romanis in totam Judæam, Regionesque circumvicinas Palæstinæ nomen invaluit. | 31 30 | 65 30 |
| Phison, fluvius inter eos, qui in Eden sunt. Phasin interpretor. Vide Gehon. Rationem olim dedimus in nostra Asiæ descriptione, ubi de Paradiso Terrestri. Genes. 2. v. 11. Nomen uni (fluvio) Phison, ipse est, qui circuit omnem Terram Hevilath, ubi nascitur aurum. In Ecclesiastico 24. v. 35. qui implet quasi Phison sapientiam. | 44 30 | 74 0 |
| Phithom, urbs inter eas, quas Israelitæ ædificabant in Ægypto. Exod. 1. v. 11. ædificaveruntque urbes tabernaculorum Pharaoni Phithom & Ramesses. | 31 15 | 62 15 |
| Phœnice Asiæ, sive potius Syriæ, quæ in Asia, Regio nobilissima; eaque tota ad Septentrionem Terræ Promissæ posita; ita ut & Sidon, & Tyrus, aliæque urbes in Phœnice computentur. Ipsa gens Phœnicum in gloria magna literarum inventionis, & siderum, navaliumque & bellicarum artium, Plin. l. 5. c. 12. Phœnices pluries mentio est 3. Esdr. ubi Cœlesyria, aut Syria cum ipsa Phœnice ubique junguntur. | 33 40 | 67 20 |
| Phœnix sive Phœnicis Portus in Creta insula, qua respicit ad Africum & Eurum, Act. 27. v. 12. in navigatione Pauli Romam. | 35 45 | 68 0 |
| Phogor Mons, & in monte Fanum, & in Fano Phogor Idolum Moabitarum, quod aliquando Beel-phegor. Numer. 25. v. 3. Initiatus est Israel Beel-phegor, & iratus Dominus, v. 4. ait ad Moysen, &c. v. 17. hostes vos sentiant Madianitæ, & percutite eos, v. 18. quia & ipsi hostiliter egerunt contra vos; & decepere insidiis per Idolum Phogor: & Cozbi filiam ducis Madian sororem suam, quæ percussa est in die plagæ pro sacrilegio Phogor, v. 14. Erat nomen viri Israelitæ, qui occisus est cum Madianitide, Zambri filius Salu, dux de cognatione, & Tribu Simeonis, v. 15. mulier Madianitis, quæ pariter interfecta est, vocabatur Cozbi filia Sur principis nobilissimi Madianitarum. | 31 35 | 67 27 |
| Phrygia, Act. 2. v. 10. inter Regiones, Gentesque, quæ Apostolorum prædicationem unaquæque suis linguis intelligebant. In peregrinatione Pauli per Asiam: Phrygiam transit, Act. 16. v. 6. & 18. v. 25. Asiæ Minoris Regio est inter Galatiam & Lydiam. | 40 0 | 61 0 |
| Phunon Israelitarum statio in deserto: & inter Salmona & Oboth, Numer. 33. v. 24. 43. | 30 5 | 67 40 |
| Phuth. Genes. 10. v. 6. Filii Cham: Chus, & Mesraim, & Phuth, & Cha- | 38 0 | 35 0 |

| Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. | |
|---|---|---|
| | | & Chanaan. Mesraim & Phuth in Africa sedem retinuere. Mesraim in Ægypto, Lybia, & confiniis; Phuth in Africa proprie dicta, ubi est Putea urbs; in Mauritania, ubi Phuth fluv. & alibi cum ipsi ut plurimum fuerint Nomades. |
| 38 30 | 63 0 | Pisidia Asiæ Minoris Regio, inter Phrygiam, Lycaoniam, & Pamphiliam: forteque & aliquando Pamphyliæ pars. Paulus & Barnabas, Act. 13. v. 14. pertranseuntes Pergen, venerunt Antiochiam Pisidiæ. |
| 42 30 | 68 0 | Pontus. Genes. 14. v. 1. & 9. Arioth Rex Ponti est inter Reges, qui cum Chodorlahomore bellum gerunt contra Sodomorum, aliarumque urbium circumvicinarum Reges. Ex Ponto etiam aliqui fuere Jerosolymis, qui ab Apostolis Evangelium sua lingua audiere. Ponti meminit Epistola 1. Petri 1. v. 1. Asiæ regio inter Cappadociam & Pontum Euxinum. |
| 32 7½ | 66 52½ | Prædium Joseph, apud Joann. 4. v. 5. Venit ( Jesus ) in civitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar, juxta prædium, quod dedit Jacob filio suo. De prædio illo: Genes. 33. v. 19. Emitque ( Jacob ) partem agri, in qua fixerat Tabernacula, a filiis Hemor patris Sichem, centum agnis. Et 48. v. 22. ( Jacob Josepho ) Do tibi partem unam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi. Josue 24. v. 32. Ossa Joseph, quæ tulerant filii Israel de Ægypto, sepelierunt in Sichem, in parte agri, quem emerat Jacob a filiis Hemor patris Sichem, centum novellis ovibus, & fuit in possessionem filiorum Joseph. |
| | | Ptolemais. Vide Acco. |
| 40 55 | 38 12½ | Puteoli, Act. Apost. 28. v. 13. qua Paulus appulit Romam iturus, locus est in littore Campaniæ Fœlicis. |
| 33 12½ | 66 52½ | Puteus aquarum viventium. In Cantico Canticorum 4. v. 15. Fons hortorum, Puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano. Puteus ipse prope Tyrum putatur, ex ea parte Libani, quæ postea Antilibanus dicta est. |
| 30 59 | 65 24 | Puteus viventis & videntis, ex Genes. 16. v. 14. Sic ab Agar vocatus est, quod eam hic Angelus Domini allocutus esset; Puteus est inter Cades & Barad in deserto. |
| | | **Q** |
| 31 28 | 67 0 | Quarantana desertum non longe a Jericho, & a Mari Mortuo, in quod Christus a Spiritu ductus jejunavit quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, posteaque varie tentatus est a Satana, ex Matth. 4. Marc. 1. Luc. 4. |
| 31 45 | 66 52 | Quercus fletus, sub quo Debora Rebeccæ nutrix sepulta est. Vide Bethel. |
| 32 9 | 66 49 | Quercus Sichem. Jos. 24. Post recensita a Deo beneficia accepta, populum, quem in Sichem congregaverat, monet, ut soli Deo serviat; quod cum promitteret, hæc omnia scripsit, & in rei testimonium posuit grandem lapidem subter Quercum in Sanctuario Domini. Putatur hæc Quercus penes Sichem, & ubi Abimelech a Sichemitis factus est Rex in Israel; maluerim in ipsa urbe. |
| | | **R** |
| 32 20 | 68 8 | Rabba. Josue 13. v. 25. Aroer, quæ est contra Rabba, i. quæ positæ sunt in contrariis diversissimisque partibus Tribus Gad. 2. Reg. 11. v. 1. Joab vastavit filios Ammon, & obsedit Rabba, Davide in Jerusalem remanente. 12. v. 26... Sed Joab, cum urbs Rabba jamjam capienda esset, Davidi nuntios misit, ut ipse præsens adesset, & victoriæ gloriam omnem reportaret. Rabbath filiorum Ammon eadem est, in qua erat Og Regis Basan lectus ferreus cubitorum novem longitudinis, & quatuor latitudinis, Deuter. 3. v. 11. Rabbath tandem dicta fuit Philadelphia, cujus cives ut plurimum Græci cum Judæis sæpissime contendebant, Joseph. 20. Antiq. c. 1. & 3. Bell. c. 4. latitudinem Peræ metitur a Philadelphia ad Jordanem. |
| 32 28 | 67 12½ | Rabboth septima urbs inter alias sexdecim, quas describit Josue 19. v. 20. eaque inter Anaharath & Cesion. |

Ra-

| | Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. |
|---|---|---|
| Ragaba, Joseph. 13. Antiq. c. 23. castrum, quod dum obsidet Alexander Jannæus, ex vini intemperie in febrim incidit, moriturque. | 32 31 | 67 57 |
| Ragau. Judith 1. v. 5. Nabuchodonosor, qui regnabat in Ninive civitate magna, pugnavit contra Arphaxad, & obtinuit eum, v. *6.* in campo magno, qui appellatur Ragau, circa Euphratem & Tigrim. | 31 0 | 80 0 |
| Rages. Hujus loci tota mentio est a Tobia, qui 1. v. 16. vocat Rages civitatem Medorum; iterumque 3. v. 7. & 4. v. 21. & 5. v. 8. ubi Rages civitas Medorum dicitur posita in monte Ecbatanis; iterum civitas Medorum dicitur *6.* v. *6.* & *9.* v. *6.* In eam urbem Tobias ex Tribu Nephthalim deportatus est a Salmanasar: primumque ab ipso clementer acceptus, a Sennacherib exilio, & bonis mulctatus, ab Assaradone restitutus, statimque iterum bonis spoliatus, Niniven migravit, tandemque Tobia filio Raguelis filiam uxorem ducente, pater ipse annorum plenus, vaticinatur Niniven, in qua erant, brevi evertendam, & Jerusalem restaurandam. | 36 35 | 90 40 |
| Rama decima qnarta est inter urbes viginti sex Tribus Benjamin, & secunda partis secundę, Josue 18. v. 25. Nemoris in Rama mentio est 1. Reg. 2. v. *6.* Urbis situs est itinere Levitæ, cujus uxor extincta est in Gabaa; deprehenditur inter Jerusalem, & Gabaa, Judic. 19. v. 10... 13. Urbem hanc Rama munire constituerat Baasa Rex Israel, 3. Reg. 15. v. 17. Sed cum Asa auxilium impetrasset a Benadad Rege Syriæ, Baasa intermisit munire Rama, v. 31. Et Asa Rex lapides & ligna abstulit de Rama, & ex iis muniit Gabaa, & Maspha in Benjamin, v. 22. Eadem historia est 2. Paralip. 16. Rama autem, de qua Matthæus 2. v. 18. Vox in Rama audita est: ploratus & ululatus multus; Rachel plorans filios suos, & noluit consolari super eos, quia non sunt. Et Jerem. 31. v. 15. Vox in Rama [ in excelso lectio vulgata interpretatur ) audita est lamentationis, luctus & fletus. Alii hanc vocem Rama urbem in Tribu Benjamin; alii in excelso interpretantur, clamoremque & luctum matrum, filios suos ab Herode occisos, plorantium ubique auditum intelligunt. | 31 $52\frac{1}{2}$ | 66 27 |
| Ramatha, ubi Domus Elcanæ, & Annæ parentum Samuelis, 1. Reg. 1. v. 1. dicitur Ramatha in Sophim de monte Ephraim. 7. v. 15. Judicabat Samuel Israelem cunctis diebus vitæ suæ, v. 16. & ibat per singulos annos circuiens Bethel, & Galgal, & Masphat, & judicabat Israelem in supradictis locis, v. 17. revertebaturque in Ramatha: ibi etiam erat domus ejus, & ibi judicabat Israelem: ædificavit etiam ibi altare Domino. 25. v. 1. Mortuus est Samuel, & congregatus est universus Israel, & planxerunt, & sepelierunt eum in domo sua in Ramatha. | 32 1 | 66 $12\frac{1}{2}$ |
| Ramesses. Genes. 47. v. 11. Joseph Patri & Fratribus suis dedit possessionem in Ægypto, in optimo terræ loco, Ramesses, ut præceperat Pharao. Exod. 1. v. 11. Præposuit Pharao ( longe alius ab altero ) eis ( Israelitis ) magistros operum, ut affligerent eos oneribus, ædificaveruntque urbes tabernaculorum; Pharaim, Phithom, & Ramesses. 12. v. 37. Profectique sunt filii Israel de Ramesse in Socoth. Sic & Numer. 33. v. 3. & v. 5. cum Israelitæ ab Ægypto egressi in solitudinem, tum & in Terram Promissam tenderent. | 30 0 | 62 30 |
| Rameth decima inter urbes sexdecim, quas Josue describit in Tribu Issachar, 19. v. 21. Eadem dicitur Jaramoth 21. v. 29. cum datur Levitis e familia Gerson: eademque Ramoth, 1. Paral. *6.* v. 73. inter urbes Leviticas de Tribu Aser. V. Animadv. | 32 21 | 67 15 |
| Ramoth Galaad urbs in Tribu Gad, Deuter. 4. v. 43. Ramoth in Galaad est inter urbes refugii trans Jordanem. Ramoth simpliciter dicitur in recensione urbium Tribus Gad, Josue 13. v. 26. c. 20. v. 8. iterumque est Ramoth in Galaad de Tribu Gad inter urbes refugii, & 21. v. 37. Ramoth in Galaad inter urbes Levitarum, ut & 1. Paralip. *6.* v. 80. 3. Reg. 4. v. 13. Ramoth-Galaad est sub præfecto Bengaber cum universa Basan, in qua sexaginta urbes. 22. v. 3. & seq. Achab Rex Israel, & Josaphat Rex Juda, pseudoprophetarum Vaticinio decepti, procedunt in Ramoth-Galaad: sed vincuntur, occiso Achab, qui Michææ vera prophetanti maxillam percusserat, eumque carcere inclu- | 32 17 | 68 1 |

| Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. | |
|---|---|---|
| | | ſerat. 4. Reg. 8. v. 28. Joram in prælio contra Hazael Regem Syriæ vulneratur ante Ramoth-Galaad. Sic & 2. Paralip. 22. v. 5. |
| 28 20 | 68 0 | Raphidim Iſraelitarum manſio inter Deſertum Sin, Exod. 17. v. 1. & Petram Horeb, v. 6. c. 19. v. 2. Nam profecti de Raphidim & pervenientes in Deſertum Sinai. Num. 33. v. 14. 15. Egreſſique de Alus in Raphidim fixere tentoria . . . . profectique de Raphidim caſtrametati ſunt in Deſerto Sinai. |
| 33 5 | 67 50 | Rebla. Num. 34. v. 11. de limitibus Terræ Promiſſæ: Et de Sephama deſcendent termini in Rebla contra fontem Daphnim. 4. Reg. 23. v. 33. Vinxitque eum (Joachaz) Pharao Necao in Rebla, quæ eſt in Terra Emath, ne regnaret in Jeruſalem, v. 34. Regemque conſtituit Eliacim. 4. Reg. 25. v. 6. Apprehenſum Regem (Sedeciam) duxerunt ad Regem Babylonis in Reblatha. Sed & v. 18. Princeps militiæ Regis Nabuchodonoſoris (capta Jeruſalem) tulit Saraim Sacerdotem primum, Sophoniam ſecundum, & tres Janitores, &c. v. 20. quos Nabuzardan duxit ad Regem Babylonis in Reblatha, in Terra Emath. Jerem. 39. v. 5. Comprehenderunt Sedeciam in campo ſolitudinis Jericuntinæ, & captum adduxerunt ad Nabuchodonoſor Regem Babylonis in Reblatha, quæ eſt in Terra Emath. v. 6. Et occidit Rex Babylonis filios Sedeciæ in Reblatha, in oculis ejus, & omnes nobiles Juda, &c. |
| 33 14 | 67 32 | Reccath. Joſue 19. v. 35. in Tribu Nephthali habet Reccath inter munitiſſimas urbes. |
| 31 57½ | 66 27 | Recem urbs decima nona urbium, quas in Tribu Benjamin viginti ſex recenſet Joſue 18. v. 27. videturque inter Amoſa & Jarephtel. |
| 24 0 | 90 0 | Regma quartus filiorum Chus, Geneſ. 10. v. 7. & 1. Paralip. 1. v. 9. ubi Filii Regma ſunt Saba & Dadan. Regma nomen retinet apud Ptolemæum in Arabiæ Fœlicis littore ad Perſicum Sinum. V. Dadan. |
| 31 51 | 66 57½ | Remmon vel Petra Remmon, in quam fugerunt ſexcenti viri, qui remanſerant de Tribu Benjamin, Judic. 20. v. 45. 47. in hiſtoria uxoris Levitæ. Rupes ſive ſaxum aut caſtrum fuit natura munitiſſimum. |
| 31 22½ | 65 52 | Remmon ſive Remon urbs primum Tribus Judæ fuit, in parte ſive regione prima, Joſue 15. v. 32. ubi cum ſimplici m ſcribitur Remon. Poſteaque Tribui Simeonis data eſt, Joſue 19. v. 7. & Remmon ſcribitur cum duplici mm. Sic 1. Paralip. 4. v. 32. & 2. Eſdræ 11. v. 29. & Zachar. 14. v. 10. Sic & Remmon-Amthar in Tribu Zabulon, Remmon-phares in Deſerto; Petra Remmon in Tribu Benjamin. |
| 32 44 | 67 27½ | Remmon-Amthar, Joſue 19. v. 13. Vide Animadv. Urbs hæc inter urbes Leviticas familiæ Merari aſſignatas, in Tribu Zabulon. Remmono ſcribitur in 1. Paralip. 6. v. 77. cui Damna ex Joſue 21. v. 35. reſpondet. |
| 29 36 | 67 0 | Remmon-phares Iſraelitarum ſtatio in deſerto, inter Rhema, & Lobna, Num. 33. v. 19. |
| 37 10 | 79 50 | Reſen urbs in Aſſyria. Geneſ. 10. v. 11. De Terra illa egreſſus eſt Aſſur, qui ædificavit Ninivem . . . & Chale, v. 12. & Reſen quoque inter Niniven, & Chale: hæc eſt civitas magna. 4. Reg. 19. v. 12. & Haran, & Reſeph, &c. Reſeph puto idem eſſe, quod & Reſen. Eadem repetuntur in Iſaiæ 37. v. 12. |
| 30 0 | 67 0 | Reſſa Iſraelitarum ſtatio in deſerto, inter Lebna, & Ceelatha, Numer. 33. v. 21. 22. |
| 29 20 | 67 51 | Rethma. Num. 33. v. 18. Et de Haſeroth venerunt in Rethma, v. 19. profectique de Rethma venerunt in Remmon-phares. Iſraelitarum ergo ſtatio in deſerto inter Haſeroth, & Remmon-phares. |
| 37 50 | 40 0 | Rhegium. In navigatione Pauli Romam: Act. 28. v. 13. Inde (e Syracuſis) circumlegentes devenimus Rhegium . . . ſecunda die venimus Puteolos. Rhegium urbs in Brutiis Italiæ populis ad Fretum Siculum, nec longe a Scylla & Caribdi. |
| 35 45 | 58 30 | Rhodus inſula & urbs, ad quam Romani ſcripſere in gratiam Judæorum, 1. Mach. c. 15. v. 23. Act. 21. v. 1. Paulus & Barnabas a Mileto Jeroſolymam navigantes recto curſu veniunt Coum, & ſequenti die Rhodum, & inde Pataram. |
| 55 0 | 15 0 | Riphath. Geneſ. 10. v. 3. Filii Gomer: Aſcenez & Riphath, & Thogorma. Ipſi Aſcenez Galliam, Thogormæ Germaniam, Riphathi Britannicas Inſulas concedimus. Vide Gomer & Aſcenez. |

Roge-

| | Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. |
|---|---|---|
| Rogelim. 2. Reg. 17. v. 27. . . Berzellai Galaadites de Rogelim, Davidi, & Davidis exercitui, qui a facie Absalon fugiebant, munera, i. cibos affert, ut & Machir filius Ammihel de Lodabar, & Sobi filius Naas de Rabbath filiorum Ammon. | 32 11 | 67 58 |
| Rohob, semel atque iterum ea nominatur in Tribu Aser, apud Josue 19. versibus scilicet 29. inter Abran, & Hamon, & 30. omnium hujus tribus urbium ultima. Sed dubitare liceat ne alterutrum nomen aliter legendum sit, alias non necesse fuerat ejusdem urbis & nominis repetitio. Urbs hæc postea Levitis ex familia Gerson data est, Josue 21. v. 31. & 1. Paralip. 6. v. 75. Sed & Rohob mentio est Num. 13. vers. 22. cum singularum Tribuum Principes a Moyse missi Terram Promissam exploraverunt, a Deserto Sin usque Rohob, intrantibus Emath. & Judic. 1. v. 31. Aser quoque non delevit habitatores . . . . Rohob. | 33 16 | 67 21 |
| Rohoboth fluv. Genes. 36. v. 37. Inter Reges, qui regnaverunt in Terra Edom, est Saul de fluvio Rohoboth. Sic & 1. Paral. 1. v. 48. Forte est Euphrates, ubi urbs Rohoboth. | 33 30 | 76 15 |
| Roma. 1. Machabæorum 1. v. 11. Antiochus illustris, filius Antiochi (Magni) Regis, qui fuerat Romæ obses. 7. v. 1. Exiit Demetrius Seleuci filius ab urbe Roma. 8. v. 17. Et elegit Judas (Mach.) Eupolemum filium Joannis filii Jacob, & Jasonem filium Eleazari, & misit eos Romam constituere cum illis amicitiam & societatem. 12. v. 1. Et vidit Jonathas, & elegit viros, & misit eos Romam statuere, & renovare cum eis amicitiam. 14. v. 16. auditum est Romæ, quia defunctus esset Jonathas. v. 24. Post hæc autem misit Simon Numenium Romam. v. 38. Et Rex Demetrius, v. 40. audivit, quod appellati sint Judæi a Romanis amici, & socii, & fratres. 15. v. 22. 23. & Romani fœderatos suos Judæos per literas commendant, etiam Regibus Demetrio, Attalo, Ariarathi, & Arsaci, &c. Act. 18. v. 2. quod præcepisset Claudius discedere omnes Judæos a Roma. 19. v. 21. Paulus ait: Postquam fuero ibi (Jerosolymæ) oportet me & Romam videre. 23. vers. 11. Sequenti nocte assistens ei Dominus ait: constans esto; sicut enim testificatus es de me in Jerusalem, sic te oportet & Romæ testificari. 28. vers. 14. & Et sic venimus Romam. vers. 16. Cum autem venissemus Romam, permissum est Paulo manere sibimet cum custodiente se milite. | 41 45 | 36 30 |
| Ruben Tribus inter eas, quæ trans Jordanem australissima, nomen ea sortita est a Ruben filio Jacob primogenito, ex Lia uxore; sed cui jura primogenituræ exciderunt, quod lectum patris ascendisset cum Bilha ancilla Rachelis: ideoque duplex portio de bonis paternis, administratio Sacrorum, & dominium inter fratres ad alios translata sunt. Duplex portio de bonis paternis in filios Joseph Manasse, & Ephraim; Sacrorum administratio in Tribum Levi; & Dominium sive Regnum in Juda. Jacob ipsum Ruben primogenitum suum, & fortitudinem suam fatetur, sed & principium doloris sui . . . & non crescas (inquit) quia ascendisti cubile patris & maculasti stratum ejus, Genes. 49. v. 3. 4. pene eadem Moyses Deuter. 33. v. 6. Vivat Ruben . . . . & sit parvus in numero. Et hæc quidem Tribus infima, & ab aliis contemta ut plurimum fuit. Inter filios Tribus Ruben Elizur filius Sedeur Rubenitarum 46500. princeps fuit in Deserto, Num. 1. v. 5. & 21. Sammua filius Zechur Terræ Promissæ explorator, 13. v. 5. Nullus ab ipsa Tribu divisor, quia extra datos Terræ Promissæ limites sortem petiit, & in quam 43700. Rubenitæ ingressi sunt. Dathan & Abiron filii Eliab, & Hon filius Pheleth de Tribu Ruben cum Core Levita vivi absorpti sunt, Num. 16. De ipsa Tribu putatur Judith, tum & Joel Propheta. Eam descripsit Josue 13. | 31 30 | 67 30 |
| Ruma urbs in Tribu Ephraim. Et cum Sichemitæ in Abimelech insurgerent, sedit ipse in Ruma, Jud. 9. v. 41. | 32 1 | 66 44 |
| Ruma urbs inter Arab & Esaan in parte septima Tribus Judæ, Josue 15. v. 52. ex qua Zebida mater Joakimi Regis Juda, quæ fuit filia Phadaia de Ruma, 4. Reg. 23. v. 36. | 31 9 | 66 19 |

## S

| Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. | |
|---|---|---|
| 31 0<br>33 0 | 75 0<br>78 0 | Saab alias Salib, *Joseph.* 3. Bell. c. 15. vicus in Galilæa, e quo natus est Eleazar Samæi filius, qui in obsidione Jotapatæ saxo e murorum altitudine emisso, arietis caput abrupit, in fossam desiliens eripuit, & etiamsi sagittis quinque transfixus fuerit, in muros asportavit; sed viribus deficiens, illud suis ostendisse contentus cecidit. Locus hic mihi videtur idem, qui & Sared & Sarid est Josue. |
| 33 2½ | 67 52½ | Saananim Tribus Nephthalim regiuncula videtur: in qua urbes Heleph, & Helon, Josue 19. v. 33. |
| 24 0 | 93 0 | Saba. Genes. 10. v. 7. & 1. Paral. 1. v. 9. Filii Chus: Saba, & Hevila, & Sabatha, & Rhegma, & Sabathaca. Saba ergo erit primus filiorum Chus, & ejus posterorumque sedes in Arabia Deserta, ubi Saba alias Sabe Ptolemæo. Vide Chus. |
| 24 0 | 93 0 | Saba alter est etiam, Genes. 10. v. 7. Filii Rhegma (filii Chus) Saba & Dadan. Rhegmæ posteri jam positi sunt, ubi Ptolem. habet Rhegma in Arabiæ Fœlicis littore ad Persicum Sinum. Hujus filii sunt Saba & Dadan. Vide Dadan. |
| 14 0 | 75 0 | Saba filius Jectan decimus in Arabia Fœlici describitur, inter Abimael & Ophir, Genes. 10. v. 28. |
| 31 47 | 67 22 | Sabama. Filii Ruben ædificaverunt Hesebon . . . Sabama, Num. 32. v. 38. Josue in descriptione Tribus Ruben . . . & Cariath-aim, & Sabama, & Sarath-asar in monte convallis, 13. v. 19. Isaias meminit vineæ in Sabama, 16. v. 8. 9. & Hierem. 48. v. 32. |
| 31 41 | 67 22 | Saban alias Sabam, Num. 32. v. 3. est ipsa Sabama. |
| 31 27 | 67 41 | Sabarim urbs in Tribu Nephthali, cujus Ezechiel meminit 47. v. 16. ubi Emath, Berotha, & Sabarim sunt inter terminum Damasci, & confinium Emath. |
| 31 44 | 67 7 | Sabarim in Tribu Benjamin. V. Samaraim. |
| 25 15 | 83 0 | Sabatha filiorum Chus tertius, ipsique primum sedem dabimus inter Hevila & Rhegma, ubi Ptolem. Sata: forteque & ab ipsis est Sabatha metropolis eidem Ptolemæo; quæ quamquam hinc longius dissita sit, populis ipsis necdum certas sedes habentibus facile fuit, nunc his nunc illis sedes immutasse. |
| 20 10 | 90 0 | Sabathaca ultimus filiorum Chus. Jamque aliis Arabiam, sedesque ad Persici Sinus fauces, & paulo amplius obtinentibus restat, ut ad Sachalitas populos, & Sachalitem Sinum Sabathacæ posteris positionem faciamus. |
| 31 11 | 65 16 | Sabee ipsissima est Bersabee. V. Animadv. |
| 31 22 | 66 50 | Sachacha urbs in undecima, eaque ultima parte Tribus Juda, inter Maddin & Nebsan, Josue 15. v. 61. |
| | | Saharin. V. Sarohen. |
| 35 40 | 66 45 | Salamina. Act. 13. v. 4. Paulus & Barnabas navigaverunt Cyprum, v. 5. & cum venissent Salaminam, prædicabant verbum Dei in Synagogis Judæorum. |
| 33 22 | 68 11 | Salecha alias Selcha. Deuter. 3. v. 10. Universa Terra Galaad, & Basan, usque ad Selcha & Edrai, civitates regni Og in Basan. 1. Paral. 5. v. 11. Filii vero Gad e regione eorum habitaverunt in Terra Basan usque Selcha. Josue 12. v. 4. Og, qui dominatus est in monte Hermon, & in Salecha, & in universa Basan. 13. v. 11. Omnis mons Hermon, & universa Basan usque ad Salecha. |
| 31 34 | 65 55 | Salebin, Selebin. Josue 19. v. 42. Selebin quarta describitur in Tribu Dan. Salebin ea vocatur Judic. 1. v. 35. inter urbes, quas in sorte sua Tribus Dan non delevit. Salebin etiam est sub præfectura Benderan, Salomone regnante, 3. Reg. 4. v. 9. |
| 12 16 | 76 28 | Salem. Genes. 14. v. 18. Melchisedech Rex Salem dicitur. Genes. 33. v. 17. a Socoth . . . . v. 18. transivit Jacob in Salem urbem Sichimorum, quæ est in Terra Chanaan; ideoque ponitur penes, & cis Jordanem in conspectu Socoth, quæ in altera parte Jordanis est: An Selame Josephi alia sit a nostra Salem, non facile est dicere. |

| | Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. |
|---|---|---|
| Saleph secundus filiorum Jectan. V. Jectan. Saleph ipse & posteri ejus sedes habuisse videntur, ubi Ptolemæo Alapeni populi. | 22 40 | 76 30 |
| Salim in historia Saul asinas patris quærentis prædium est. Vide Jemini. | | |
| Salis urbs in Idumæa Josepho, i. Civitas salis. | 31 12$\frac{1}{2}$ | 66 52$\frac{1}{2}$ |
| Salmona Israelitarum statio in deserto inter montem Hor, & Phunon, Num. 33. v. 41. | 29 40 | 67 30 |
| Salmone. In navigatione Pauli, cum Romam duceretur: Act. 27. v. 7. Adnavigamus Cretæ juxta Salmonem. Promontorium est ad orientalem totius insulæ Cretæ partem. | 34 40 | 35 40 |
| Saltus Libani. Vide Libanus M. | 33 20 | 67 42 |
| Sama. Vide Amam-Sama. | 31 7 | 65 42$\frac{1}{2}$ |
| Samaræus decimus est filiorum Chanaan, Genes. 10. v. 18. & 1. Paral. 1. v. 16. sed cum aliis Chanaan filiis, qui delendi, & quorum possessiones inter Israelitas possidendæ, & dividendæ essent, Samaræus ipse non computatur, nec Aracæus, nec Sinæus, nec Aradius, nec Amathæus; ultimi quinque Chanaan filii: forteque, quod ipsi necdum in vivis essent, cum Chanaan maledictus fuit. Samaræorum sedes fecimus in Syria, inter Aradum & Amath, ut & ipse Samaræus est inter Aradium, & Amathæum filios Chanaan. | 39 15 | 68 0 |
| Samaraim mihi eadem est atque Sabarim: eaque quinta inter urbes viginti sex Tribus Benjamin, Josue 18. v. 22. A porta urbis Hai ad usque Sabarim percussi sunt, & fugerunt Israelitæ, Josue 7. v. 5. | 31 44 | 67 7 |
| Samaria Regio Judæam inter & Galilæam media, & quæ Tribus Ephraim & Manasse cis Jordanem amplexa, nomen habet ab urbe Samaria. Dum iret (Jesus) in Hierusalem, transibat per mediam Samariam & Galilæam: & cum ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi, quos omnes ad Sacerdotes misit, & mundati sunt: unus autem regressus est, & magnificavit Deum, & hic erat Samaritanus, Luc. 17. v. 11. & seq. V. Samaria urbs. | 32 10 | 66 50 |
| Samaria, urbs in umbilico Samariæ, tum & Tribuum duodecim posita; maxima, pulcherrima, & munitissima fuit; & post Thersam sedes Regum Israel. 3. Reg. 16. v. 23. Regnavit Amri super Israel duodecim annis: in Thersa regnavit sex annis. v. 24. Emitque montem Samariæ a Somer duobus talentis argenti; & ædificavit eum, & vocavit nomen civitatis, quam extruxerat, nomine Somer Domini montis, Samariam. v. 28. Dormivitque Amri cum patribus suis, & sepultus est in Samaria: regnavitque Achab filius ejus . . . . v. 29. Achab filius Amri regnavit super Israel in Samaria viginti & duobus annis. Sic & omnes alii postea Reges Israel in Samaria sedem habuere, & urbem hanc alii post alios magnificis ædificiis ornavere, quoadusque Teglat-phal-asar & postea Salmanasar decem Israelitici Regni Tribus in Assyriam deportaverint. | 32 9 | 66 59 |
| Samir. Judic. 10. v. 1. Post Abimelech surrexit Dux in Israel Thola filius Phua patrui Abimelech, vir de Issachar, qui habitavit in Samir montis Ephraim, & v. 2. Judicavit Israelem viginti & tribus annis: mortuusque est, ac sepultus in Samir. | 32 13 | 66 24 |
| Samir, urbs in regione sive parte sexta Tribus Judæ, Josue 15. v. 48. | 31 12$\frac{1}{2}$ | 65 44 |
| Samothracia. In Pauli navigatione ex Asia in Macedoniam: Act. Apost. 16. v. 11. Navigantes a Troade recto cursu venimus Samothraciam, & sequenti die Neapolim. Samothracia insula est in Ægæo Mari, Thraciæ meridiano littori opposita. | 41 40 | 53 25 |
| Samus est inter regiones, urbes, insulas, &c. ad quas Romani literas dedere, ut Judæos sibi fœderatos esse testarentur, 1. Mach. 15. v. 23. Insula & urbs in Ægæo Mari, pene ante Ephesum. | 37 35 | 56 50 |
| Sanan in tertia regione Tribus Judæ urbs prima describitur, Josue 15. v. 37. | 31 31 | 66 22$\frac{1}{2}$ |
| Saphonites melius forte Aphonites; unde Zabdias Aphonites vel Saphonites cellis vinariis præerat sub Davide, 1. Paralip. 27. v. 27. | 37 17$\frac{1}{2}$ | 67 42 |
| Sara, Saraa, Sarea, urbs in campestribus Judæ primum describitur, Josue 15. v. 33. e qua Tribu excerpta Tribui Dan postea data est, | 31 36 | 65 44 |

Jos.

| Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. | |
|---|---|---|
| | | Jof. 19. v. 41. ubi omnium prima data eft. Judic. 13. Manue & uxor ejus fterilis in Saraa manebant, & dum aliquoties facrificant, Samfon nafciturus ab Angelo prædicitur, femel atque iterum matri, & deinde patri. 2. Paral. 11. v. 10. Saraa eft inter urbes, quas Roboam muris firmavit. |
| 31 $37\frac{1}{2}$ | 66 9 | Saraim urbs eft in fecunda parte Tribus Judæ, eaque inter Azera, & Adithaim, Jofue 15. v. 36. Viæ Saraim mentio eft 1. Reg. 13. v. 52. Poftquam etenim David interfeciffet Goliath, Philifthæi cæfi, fugatique funt in via Saraim, & ufque ad Geth, & ufque ad Accaron |
| 31 39 | 67 $17\frac{1}{2}$ | Sarath-afar. De ea diximus in Sabama: nec alia eft hujus urbis mentio. |
| 39 5 | 58 45 | Sardes. Hujus urbis mentio eft tantum in Apocalypfi 1. v. 11. ubi de feptem Afiæ Ecclefiis, quarum una Sardes, & 3. v. 1. & 4. Urbs eft in Afia, five in Lydia Afiæ Minoris parte. |
| 31 36 | 65 44 | Sarea. V. Sara. |
| 32 43 | 66 46 | Sared, Sarid, in Tribu Zabulon. Jof. 19. v. 10. Et factus eft terminus poffeffionis eorum Sarid, et v. 12. et revertitur de Sared contra Orientem in fines Cefelech-Thabor. Sared urbs five locus eft inter Mare et Cefeleth-Thabor. |
| 32 1 | 67 11 | Sareda. 3. Reg. 11. v. 26. Jeroboam filius Nabath, Ephratæus de Sareda, fervus Salomonis, levavit manum contra Regem. |
| 33 $27\frac{1}{2}$ | 67 4 | Sarepta five Sarephta. 3. Reg. 17. v. 9. et feq. Claufo cœlo, Elias juffu Domini abiit in Sarephta Sidoniorum, manfitque cum muliere vidua, quæ primum Eliam pane fubcinericio, et parvulo pavit, et ipfe viciffim a Domino obtinuit, ut hydria farinæ mulieris non deficeret, nec lecythus olei imminueretur ad diem, in qua Dominus daturus effet pluviam fuper faciem terræ. Sed et viduæ hujus filium mortuum precibus fuis Elias viventem matri reddidit. Sareptæ etiam mentio eft apud Abdiam prophetam, v. 20. et apud Luc. 4. v. 26. |
| 31 $27\frac{1}{2}$ | 65 45 | Sarohen, Saharin, Selim, varia diverfaque funt unius ejufdemque urbis nomina, aut faltem quæ varie exfcripta funt. Selim eft in Tribu Juda, Jof. 15. v. 32. Sarohen eidem Jofue 19. v. 6. in Tribu Simeonis, ubi decima tertia, & ultima nominatur, inter urbes tredecim primæ hujus Tribus partis. Saarim alias Saharim, 1. Paral. 4. v. 31. etiam ultima et decima tertia inter urbes primæ partis Simeonis Tribus. Nec ulla amplius eft horum nominum mentio. |
| 33 5 | 66 55 | Saron mons in Tribu Afer. Ifa. 33. v. 9. de Ifraelitarum caftigatione: Et factus eft Saron ficut defertum. 35. v. 2. de futura eorum confolatione: Decor Carmeli et Saron; ipfi videbunt gloriam Domini, et decorem Dei noftri. |
| 32 4 | 67 37 | Saron urbs in Tribu Gad, cujus meminit 1. Paral. 5. v. 16. c. 27. Poft Principes, Præfectofque, quos David Tribubus, Thefauris, etc. præfecerat, v. 29. Armentis, quæ pafcebantur in Saron, præpofitus fuit Setrai Saronites. |
| 32 11 | 67 18 | Sarona alias Saron, urbs regia in Tribu Ephraim. Inter Reges, quos vicit, percuffitque Jofue 12. v. 18. Rex Saron unus. Urbs ea non longe a Lydda eft, cum etenim Petrus Æneam Paralyticum Lyddæ fanaffet, viderunt eum omnes, qui habitabant Lyddæ et Saronæ, qui converfi funt ad Dominum, Act. Apoft. 9. v. 33. et feq. |
| 32 19 | 67 37 | Sarthan oppidum five locus, ut et Adon, quoufque aquæ fuperiores Jordanis intumefcentes apparebant, dum Ifrael alveum fluvii pede ficco tranfit, ex Jofue c. 3. in fine. 3. autem Reg. 7. v. 46. de vafis fictilibus, quæ fieri curavit Salomon pro Domo Domini: In campeftri (inquit) regione Jordanis fudit ea Rex in argillofa terra, inter Socoth et Sarthan. Sarthana eadem eft, 3. Reg. 4. v. 12. Bana filius Ahilud regebat .. et univerfam Bethfan, quæ eft juxta Sarthana. Sarthan etenim et Bethfan funt altera in alterius confpectu, ad utramque Jordanis ripam. Sarthan in Tribu Gad trans Jordanem; Bethfan in dimidia Manaffe cis Jordanem. |
| 31 15 | 67 15 | Save. Gen. 14. v. 5. Chodorlahomor, et Reges ejus focii percufferunt .. et Enim in Save Cariath-aim. Legunt alii in valle Cariath-aim. Eod. cap. v. 17. Egreffus eft Rex Sodomorum in occurfum ejus, (Abra- |

bra-

| | Latit. Gr. | Latit. Scr. | Longit. Gr. | Longit. Scr. |
|---|---|---|---|---|
| braham ) postquam reversus est a cæde Chodorlahomor, et Regum, qui cum eo erant, in valle Save, quæ est Vallis Regis. Facile crediderim & Save Cariath-aim, & Save, quæ est vallis Regis, eamdem esse vallem prope Cariath-aim. | | | | |
| Scala Tyriorum, Joseph. 2. Bell. 17. Mons est inter Tyrum & Ptolemaidem 100. stadiis a Ptolemaide Septentrionem versus; 120. a Tyro in Meridiem. | 33 | 5 | 66 | 55 |
| Scythopolis. V. Beth san. | 32 | 17½ | 67 | 30 |
| Sechrona locus inter Azotum, & Accaronem, Josue 15. v. 11. | 31 | 37 | 65 | 33 |
| Sedada, vicus aut locus in confiniis Terræ Promissæ ad Septentrionem. Sedada, Numer. 34. v. 8. & Ezech. 47. v. 15. | 33 | 23 | 67 | 39 |
| Segor. Genes. 14. v. 2. dicitur, Bala ipsa est Segor. In incendio Sodomorum Segor precibus Loth servata est, ut ipse in eam fugiens salvus fieret, Genes. 19. v. 23. Sed & statim v. 30. Ascendit Loth de Segor, & mansit in monte : duæ quoque filiæ ejus cum eo. Hujus loci etiam mentio est, Deuter. Isa. & alibi : Segor autem Hebræis dicitur Salisa, i. vitula conternans. Pentapoleos totius minima fuit; unde parva dicitur, Genes. 19. v. 20. eaque meridionalior; unde Genes. 13. v. 10. Ab Ægypto venientibus in Segor. | 30 | 54 | 66 | 50 |
| Sehesima decima quinta numeratur a Josue 19. v. 22. inter alias sexdecim urbes Tribus Issachar. | 32 | 37½ | 66 | 44 |
| Sehon sive Seon urbium sexdecim Tribus Issachar quinta, Jos. 19. v. 19. inter Hapharaim & Anaharath. | 32 | 37½ | 66 | 52 |
| Seir mons in Tribu Juda, aut potius inter Idumæam, & Tribum Juda. De ipso Genes. 14. v. 6. ponit Chorræos sive Horræos in montibus Seir. Genes. 32. v. 3. Misit ( Jacob ) nuntios ante se ad Esau fratrem suum, in Terram Seir, in regionem Edom. 36. v. 8. Habitavitque Esau in monte Seir, ipse est Edom. Deuter. 2. v. 1. Circuivimus montem Seir longo tempore. v. 2. Dixit Dominus .. v. 4. transibitis per terminos fratrum vestrorum filiorum Esau, qui habitant in Seir, v. 5. videte ne moveamini contra eos. | 30 | 55 | 65 | 10 |
| Seir mons alius est in limite Tribuum Judæ, Dan, & Benjamin. Josue de limite Trib. Judæ 15. v. 10. Et circuit de Baala ( Cariath Baal ) contra Occidentem usque ad montem Seir: transitque juxta latus montis Jarim ad Aquilonem. | 31 | 55 | 66 | 10 |
| Seir mons tertius est in secunda Manasse, videturque pars, eaque contigua monti Hermon, ita ut Hermon sit propior Libano, aut pars Libani, & Seir propior montibus Galaad. | 33 | 0 | 68 | 30 |
| Sela vigesima secunda urbium viginti sex, quas in Tribu Benjamin recenset Josue 18. v. 26. videturque inter Tharela & Eleph. | 31 | 51 | 66 | 43 |
| Selame, Josepho in vita sua, vicus in superiori Galilæa, quem ipse muniit. | | | | |
| Selcha. V. Salecha. | | | | |
| Selebin. V. Salebin. | 31 | 34 | 65 | 55 |
| Seleucia. 1. Mach. 11. v. 8. Seleuciam maritimam vocat: eamque intelligit, quæ in Syria, nec longe ab Antiochia magna sive Epidaphne. De eadem Act. Apost. 13. v. 4. in eam abierunt Paulus & Barnabas, inde navigaverunt Cyprum. | 35 | 40 | 68 | 50 |
| Seleucias, Joseph. lib. 4. Bell. 1. & alibi, urbs ad Semechonitidem paludem, quam ipse, præter situm natura munitum, muris etiam cinxit. | 33 | 7½ | 67 | 57½ |
| Selim. V. Sarohen. | | | | |
| Selmon Mons & Nemus. In illo etenim Abimelech arboris ramum præcidit, impositumque ferens humero, & suis idem facere imperans, ramis succensis, factum est, ut fumo & igne mille homines necarentur in Turri Sichem, Judic. 9. v. 48. 49. Selmon montis mentio est Psal. 67. v. 15. | 32 | 9 | 66 | 59 |
| Sem. Noe cum quingentorum esset annorum genuit Sem, Cham, et Japhet, Genes. 5. v. 31. & 6. v. 10. Sic ubique & eodem ordine, ut diximus in Cham & Japhet. Erit ergo Sem filiorum Noe primus, et hujus Semi filii c. 10. v. 22. Ælam, et Assur, et Arphaxad, et Lud, et Aram. Filiis Ælami Persidem, Assuri Assyriam, Arphaxadis Meso- | 37 | 30 | 75 | 0 |

pota-

| Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. | |
|---|---|---|
| | | potamiam, Ludi Asiam Minorem, Arami Syriam dedimus. Singulos vide suis locis. |
| 32 12 | 66 59 | Semeron mons, penes quem Abia Rex Judæ Jeroboam Regem Israel vicit, 2. Paralip. 13. v. 4. Stetit Abia Rex super montem Semeron, qui erat in Ephraim. V. Jamaria. |
| 32 43 | 67 6 | Semeron urbs regia, ad cujus Regem, & circumvicinos alios misit Jabin Rex Asor, ut conjunctis copiis contra Israelem pugnarent, Jos. 11. v. 1. & seq. Et inter Reges ab Israelitis ad Aquas Meron devictos Rex Jemeron unus est, 12. v. 20. Urbs ipsa Semeron decima describitur in Tribu Zabulon, inter Catheth-Naalol, & Jedala, Jos. 19. v. 15. |
| 31 50 | 66 52 | Sene & Boses erant inter ascensus, per quos nitebatur Jonathas transiire ad stationem Philisthinorum, eminentes petræ, ex utraque parte, & quasi in modum dentium scopuli, hinc & inde prærupti: nomen uni Boses, & nomen alteri Sene, 1. Reg. 14. v. 4. unus scopulus prominens ad Aquilonem ex adverso Machmas, & alter ad Meridiem & contra Gabaa. v. 5. |
| 25 45 | 66 .... | Senna de terminis Terræ Promissæ ad Meridiem, Num. 34. vers. 4. qui circuibunt australem plagam per ascensum Scorpionis, ita ut transeat in Senna, & pervenit a Meridie usque ad Cadesbarne. Alibi Sina scribitur. |
| 32 0 | 80 0 | Sennaar. Genes. 10. v. 10. de Nemrodo: Fuit principium ejus Babylon, & Arach, & Achad, & Chalanne in Terra Sennaar. De iis qui Babel construxerunt: 11. v. 2. Cumque proficiscerentur de Oriente, invenerunt campum in Terra Sennaar, v. 4. faciamus nobis civitatem & turrim, &c. 14. v. 1. Et Amraphel Rex Sennaar inter socios Chodorlahomoris est. Daniel. 1. v. 2. Tradidit Dominus in manu ejus (Nabuchodonosoris) Joakim Regem Juda, & partem vasorum Domus Dei, & asportavit ea in Terram Sennaar in Domum Dei sui. Terra ipsa Sennaar est ipsamet Chaldæa, quæ Assyriæ pars est. |
| 31 31 | 65 35 | Sensenna, Haser-susa, Hazar-susim, unius ejusdemque urbis varia sunt, diversaque nomina. Sensenna primum scripta est in Tribu Juda, Jos. 15. v. 31. Sed postea Tribui Simeonis data. Haser-susa est eidem Josue 19. v. 5. & Hasar-susim 1. Paralip. 4. v. 31. & ubique undecima inter tredecim primas Tribus Simeonis urbes. |
| 33 10 | 67 51 | Sephama in limite orientali Terræ Promissæ: Num. 34. v. 10. inde metabuntur fines contra orientalem plagam de villa Enan, usque Sephama, v. 11. & de Sephama descendent termini in Rebla. |
| 21 30 | 80 0 | Sephar mons. Genes. 10. v. 30. de Filiis Jectan in universum: Et facta est habitatio eorum de Messa pergentibus usque Sephar montem orientalem. Sunt Sephar civitas metropolis, & Sepharitæ populi in Arabia Fœlici, propeque Climax mons, quem ab urbe, & populis vicinis etiam Sapharam aut Sepharum dici posse contendit Bochardus lib. 2. c. 30. partis primæ Geogr. suæ Sacræ. |
| 32 0 | 77 0 | Sepharvaim. Hujus nominis aliquoties mentio est 4. Reg. & Isa. & nunc Dei, nunc regis, nunc civitatis Sepharvaim, & pene ubique cum nominibus Emath, & Arphad, 4. Reg. 18. v. 34. ubi est Deus Emath, & Arphad, & Dous Sepharvaim, Ana & Ava. Sic Isa. 36. v. 19. 37. v. 13. Ex positionibus Emath sive Amath, & Arphad, quas in Syria, & in confinio Arabiæ diximus, putamus etiam Sepharvaim non longe ab iis distare: forsitanque ubi Ana & Ava, quas urbes esse in Sepharvaim censemus. V. Ana. |
| 31 25 | 66 15 | Sephata vallis, quæ est juxta Maresa, 2. Paral. 14. v. 10. ubi Asa Rex Judæ Zaram Æthiopem vicit, insignemque victoriam reportavit. |
| 31 32 | 66 5 | Sephela regio, in qua Simon Jonathæ frater urbem Adiada ædificavit, muniitque, 1. Mach. 12. v. 38. V. Adiada. |
| 30 40 | 66 45 | Sepher mons, & Israelitarum castrametatio in deserto, inter Ceelatha & Arada, Num. 33. v. 23. 24. |
| 32 52 | 67 31 | Sephet in ipso Tobiæ exordio civitas videtur in Tribu Nephthali & superioribus Galilææ partibus. |
| 32 44 | 66 58 | Sephoris. Joseph. in vita sua: Urbium Galilææ maximæ sunt Sephoris & Tiberias; hæc ad lacum cognominem, illa in meditullio regionis |

| | Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. |
|---|---|---|
| nis sita. Sephorim Herodes muris fortissimis munierat, & Galilææ metropolim fecerat. Joseph. 2. Bell. c. 6. In Sephori Galilææ erat Judas Ezechiæ filius, qui ad regni administrationem tendens, copias colligebat, &c. | | |
| Sepulcra concupiscentiæ, locus prope montem Sinai in deserto, ubi populus Israel pro Manna carnes concupivit; Deusque misit coturnices, &c. Num. 11. v. 4. . . . & alibi. | 39 0 | 68 0 |
| Sepulcrum Deboræ, Genes. 35. v. 8. ad radices Bethel subter Quercum, vocatumque est nomen loci illius, Quercus fletus. V. Quercus fletus & Bethel. | 31 47 | 66 52 |
| Sepulcrum Rachel uxoris Jacob, inter Jerusalem, & Bethlehem. Genes. 35. v. 19. Mortua est Rachel in partu filii sui Benjamin, & sepulta est in via, quæ (a Jerusalem) ducit Ephratam, hæc est Bethlehem. v. 20. Erexitque Jacob titulum super sepulcrum ejus: Hic est Titulus Monumenti Rachel. | 31 41 | 66 28 |
| Ser, legendum putamus Assedim-Ser. V. Assedim-Ser, & Animadv. | | |
| Setim. Num. 25. v. 1. Morabatur eo tempore Israel in Setim, & fornicatus est populus cum filiabus Moab, v. 2. quæ vocaverunt eos ad sacrificia sua, &c. Josue 2. v. 1. Misit Josue de Setim duos viros exploratores in abscondito, & dixit eis: Ite, & considerate terram, urbemque Jericho. 3. v. 1. Josue de nocte consurgens movit castra, egredientesque de Setim venerunt ad Jordanem. Michææ 6. v. 5. Dominus ingratitudinem populi reprobrans; petit, ut reminiscatur quid factum sit, de Setim usque ad Galgalam; de transitu Jordanis intelligit. | 31 31 | 67 17 |
| Siceleg nona inter tredecim primas Tribus Simeonis urbes, Josue 19. v. 5. & sic constanter ubique nomen legitur; ut & Josue 15. v. 31. in Tribu Juda, & 1. Paral. 4. v. 30. & 1. & 2. Reg. in quibus multoties est hujus nominis mentio. Dedit enim eam profugo Davidi Achis Rex in Philisthæis: & ab ea David cum sexcentis suis in circumvicinos populos excursiones faciebat, prædamque plurimam agebat, imponebatque Regi Achi; sed & dum ipse Achim sequitur contra Saulem, & statim remittitur, Amalecitæ Siceleg incendunt, Davidis, suorumque uxores, filios, filiasque captivas abducunt: David eos trans Torrentem Besor persecutus, epulantes tripudiantesque occidit; captivos, prædamque omnem reducit; sua cuique reddit, reversusque in Siceleg, ex hostium præda etiam amicis gratificatur. | 31 25 | 65 38 |
| Sichem, Sichima, Sichar. Sichem urbs antiqua, & penes quam Abrahamo apparuit Deus, & ipsi Terram Chanaan promisit, Genes. 12. v. 6. & 7. Jacob etiam e Mesopotamia rediens, a Socoth (quæ trans Jordanem) transivit in Salem (quæ cis Jordanem) urbem Sichimorum, 33. v. 18. emitque partem agri a filiis Hemor patris Sichem, vers. 19. Sed ob Dinæ raptum & stuprum Sichimitæ a Simeone, & Levi fratribus Dinæ circumcisi sunt, & perfide percussi, 34. toto cap. Jacob a Sichem in Bethel secedens, deos dienos suorum infodit subter Quercum, quæ est post Sichem, 35. v. 3. & 4. Ex Josue 20. v. 7. & 21. v. 21. & ex 1. Paral. 6. v. 67. Urbs Sichem Levitica facta est, & familiæ filiorum Caath concessa, & ad Confugium data. Josue 24. v. 32. Ossa Joseph, quæ tulerant filii Israel de Ægypto, sepelierunt in Sichem, in parte agri, quem emerat Jacob. Vide Prædium Joseph. Judic. 9. toto cap. Abimelech in Sichem occidit omnes fratres suos, & Tyrannidem usurpavit; in quem statim, & in Sichimitas multa imprecatur Joatham, qui unicus ex 70. fratribus fuga mortem evaserat. Et paulo post Sichimitæ in Abimelech insurgunt, urbem autem ipse capit, funditusque diruit; sed ipso ad turris oppidi Thebes obsidionem molæ fragmine oppresso, Sichem urbem, aut superstites cives, aut circumvicini populi quoquomodo reparavere. Nam 3. Reg. 12. toto cap. venit Roboam in Sichem, ut post patrem Salomonem, Rex ab omnibus Tribubus Israel eligeretur; regno autem in duas partes secto, Jeroboam Rex in Tribubus decem nominatus Sichem reædificavit, muniitque. Cæterum Sichem aliquando Sichima scribitur in historia Abimelech, Judic. 9. &c. & in Psalmis 59. & 107. cives Sichimi pluribus in locis, & Sichimitæ, Judic. 9. & urbs ipsa Sichar, Joann. 4. v. 5. Venit (Jesus) in | 32 9 | 66 57½ |

| Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. | |
|---|---|---|
| | | in civitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar, juxta prædium, quod dedit Jacob filio suo Joseph. v. 6. Erat autem ibi Fons Jacob. |
| 37 5 | 48 25 | Sicyon urbs in Peloponneso, ad quam Romani literas scripsere, & Judæos sibi amicos dixere, 1. Mach. 15. v. 23. |
| 36 35 | 63 40 | Side Pamphyliæ in Asia Minori urbs maritima, ad quam Romani scripsere, Judæosque sibi confœderatos dixere, 1. Mach. 15. v. 23. |
| 33 36 | 67 7½ | Sidon. Genes. 10. v. 19. Facti sunt termini Chanaan venientibus a Sidone Geraram, usque Gazam. Jos. 11. v. 8. & 19. v. 28. Sidonem magnam vocat, eamque describit in sorte Tribus Aser. Jud. etenim 1. v. 31. Aser quoque non delevit habitatores Acco & Sidonis: & 10. v. 6. Filii autem Israel servierunt Idolis Baalim, & Astaroth, & Diis Syriæ, & Sidonis; ideoque in Sidonem multa habent Prophetæ Isa. Hierem. Ezech. & alii. De Sidone Matth. 11. v. 21. 22. & 15. v. 21. & seq. In partibus Tyri & Sidonis Christus mulieris Chananææ filiam male a Dæmonio vexatam sanavit. Marc. 7. v. 25. & seq. eamdem refert historiam. Act. Apost. 27. v. 3. Paulus per Sidonem transiit, cum a Julio Romam duceretur. Ceterum urbs ipsa Sidon antiquissima est, & quæ a Sidone primogenito undecim filiorum Chanaan ædificata, aut saltem ab ejus filiis, & in patris memoriam nominata, situ fertili, salubri, commodissimo, & fortissimo est, ita ut ab Israelitis numquam domari potuerit: suosque retinuerit Deos, Deamque Astarten, quam uxorum suarum Gentilium impulsu adoravit aliquando Salomon. |
| 32 56 | 66 56 | Sihor in recensione urbium viginti duarum Tribus Aser octava, Jos. 19. v. 26. |
| 31 27 | 66 27 | Sihor alia est, alias Sior, in Tribus Judæ parte septima, Jos. 15. v. 54. ubi Sior scribitur; & Sihor 1. Paral. 13. v. 5. cum David congregavit cunctum Israel a Sihor Ægypti usquedum ingrediaris Emath. |
| 32 43 | 66 50 | Simonias vicus Joseph. in vita sua; eum non longe a Nazareth putat Adrichomius. |
| 31 59 | 66 57 | Silo. Judic. 21. v. 19. Ecce solemnitas Domini est in Silo anniversaria, quæ sita ad septentrionalem plagam viæ, quæ de Bethel tendit ad Sichimam, & ad meridiem oppidi Lebona. Vide Lemna. |
| 31 20 | 65 40 | Simeonis tota Tribus ex Tribu Juda excerpta est, Philisthæis vicina, qua in Desertum sive Idumæam, & Ægyptum iter est. Nomen habet a Simeone filio Jacob secundo ex Lia uxore. De Simeone & Levi eadem vaticinatus est Jacob. V. Levi. Et Moyses in Tribuum benedictione nullam Simeonis facit mentionem. Putatur, quod ex ea Judas Christi Salvatoris proditor nasciturus esset. Ex hac Tribu Salamiel filius Surisaddai 59300. Simeonitarum Princeps fuit in Deserto, Numer. 1. v. 6. Saphat filius Huri explorator Terræ Chanaan, 13. v. 6. quam ingressi sunt 22200. Sed Zambri filius Salu fornicator cum Cozbi filia Zur Principis Madianitarum occisus est a Phinee. Simeonis Tribum describit Josue 19. |
| 28 45 | 66 45 | Sin. Exod. 16. v. 1. Profectique de Elim, venit omnis multitudo filiorum Israel in Desertum Sin, quod est inter Elim & Sinai. 17. v. 1. Profecta omnis multitudo filiorum Israel de Deserto Sin. . . castrametati sunt in Raphidim: ubi non erat aqua ad bibendum populo, &c. De iis, qui ad explorandam Terram Promissam missi sunt: Num. 13. v. 22. Exploraverunt Terram a Deserto Sin usque Rohob intrantibus Emath. Ex hoc loco videtur Desertum Sin confine Terræ Promissæ a Meridie. 20. v. 1. Venerunt filii Israel, & omnis multitudo in Desertum Sin... & mansit populus in Cades. 27. v. 14. Offendistis me in Deserto Sin. . . . hæ sunt Aquæ contradictionis in Cades Deserti Sin. 33. vers. 36. Desertum Sin, hæc est Cades; ubi Israelitarum mansio in Deserto, inter Asion-gaber, & montem Hor. 34. v. 3. de Terræ Promissæ limitibus: Pars meridiana incipiet a solitudine Sin, quæ est juxta Edom; sic Cades in deserto Sin, Deuter. 32. v. 51. Josue 15. v. 1. A termino Edom, Desertum Sin contra Meridiem; de limite Tribus Judæ. |
| 31 1 | 68 18 | Sina. Josue 15. v. 3. de eodem limite: Egrediturque contra Ascensum Scorpionis, & pertransit in Sna (pro Sin) ascenditque in Cadesbarne. 4. Esdræ 3. v. 17. Mons Sina pro Sinai positum est; ut & 14. v. 4. & in Judith 5. v. 14. Deserta Sina montis pro Sinai dicta sunt; |

& in

| | Latit. Gr. | Latit. Scr. | Longit. Gr. | Longit. Scr. |
|---|---|---|---|---|
| & in Eccleſiaſtic. 48. v. 7. qui audis in Sina judicium, pro Sinai eſt. Act. Apoſt. 7. v. 30. Et expletis annis quadraginta, apparuit illi in Deſerto montis Sina ( Sinai ) Angelus, in igne flammæ rubi, v. 38. cum Angelo, qui loquebatur ei ( Moyſi ) in monte Sina ( Sinai. ) & in Epiſtola Pauli ad Galatas 4. v. 24. Hæc enim ſunt duo Teſtamenta: unum quidem in Monte Sina ( Sinai ) v. 25. Sina enim ( Sinai ) mons eſt in Arabia. | | | | |
| Sinæi populi forte Cinæi. | | | | |
| Sinai Mons; ſed aliquando Sina pro Sinai ſcribitur, ut demonſtravimus in Sina, aliquando Sina pro Sin; diverſa eſſe loca in Deſerto demonſtrat Exod. 16. v. 1. Venit Iſrael in Deſertum Sin, quod eſt inter Elim & Sinai: ubi Sin & Sinai diſtincte diverſa ſunt. 19. v. 2. Profecti de Raphidim, pervenientes uſque in Deſertum Sinai, caſtrametati ſunt in eodem loco, ibique Iſrael fixit tentoria e regione montis, v. 3. Moyſes aſcendit ad Deum. v. 11. Deſcendet Dominus coram omni plebe, ſuper montem Sinai. v. 18. Totus mons Sinai fumabat, eo quod deſcendiſſet Dominus ſuper eum in igne. v. 20. Deſcenditque Dominus ſuper montem Sinai, in ipſo montis vertice, & vocavit Moyſen. 24. v. 16. & habitavit gloria Domini ſuper Sinai. 30. v. 18. Deditque Dominus Moyſi . . . in monte Sinai duas Tabulas Teſtimonii lapideas, ſcriptas digito Dei. 34. v. 2. Eſto paratus mane, ut aſcendas ſtatim in montem Sinai. v. 4. Aſcendit ( Moyſes ) montem Sinai. v. 29. Cumque deſcenderet Moyſes de monte Sinai, v. 32. venerunt ad eum filii Iſrael, quibus præcepit cuncta, quæ audierat a Domino in monte Sinai. Numer. 3. v. 4. Mortui ſunt Nadab, & Abiu, cum offerrent ignem alienum in conſpectu Domini, in Deſerto Sinai. c. 26. v. 64. de Iſraelitarum numero, qui Terram Promiſſam ingreſſuri erant: Inter quos nullus fuit eorum, qui ante numerati ſunt a Moyſe & Aaron in Deſerto Sinai, &c. Notandum autem dici aliquando Mons Sinai, & aliquando Deſertum Sinai. | 28 | 40 | 68 | 5 |
| Sior. V. Sihor. | 31 | 27 | 66 | 27 |
| Sira ciſterna, forteque caſtrum, ex quo Abner a Joab evocatus, doloſe poſtea interfectus eſt, contra Davidis mentem, qui ejus mortem amare deflevit. Ex 1. Reg. 3. | 31 | 42 | 66 | 34 |
| Sis clivus. In Prophetia Jahazelis filii Zachariæ loquentis ad Regem Juda Joſaphat; Ammonitas, Moabitas, & Idumæos dicit aſcenſuros per clivum nomine Sis, & invenietis illos ( inquit ) in ſummitate Torrentis, qui eſt contra ſolitudinem Jeruel, 2. Paral. 20. v. 16. | 31 | 26 | 66 | 55 |
| Smyrna in Apocalypſi 1. v. 12. & 2. v. 8. Urbs eſt in Aſiæ Minoris littore, nomen etiamnum retinens. | 38 | 30 | 57 | 40 |
| Soba. Contra Reges Soba pugnavit Saul, 1. Reg. 14. v. 47. & David percuſſit Adarezer filium Rohob regem Soba, 2. Reg. 8. v. 3. Repetitur Adarezer Rex Soba v. 5. & 12. 1. Paral. 18. v. 3. percuſſit David Adarezer Regem Soba regionis Hemath. | 33 | 30 | 69 | 0 |
| Socho. V. Odollam & Adullam-Socho. | 31 | $32\frac{1}{2}$ | 66 | 8 |
| Socoth. Geneſ. 33. v. 17. Et Jacob venit in Socoth, ubi ædificata domo, & fixis tentoriis appellavit nomen loci illius Socoth, i. tabernacula. Ex Joſ. 13. v. 27. urbs hæc videtur inter Beth-nemra & Saphon. Ea ipſa eſt, quæ Gedeoni in Madianitas proficiſcenti panem negavit, ut & Phanuel. Principes autem civitatis hujus Socoth ſevere poſtea puniit, iis cum tribulis, & ſpinis deſerti contritis & imminutis, Judic. 8. | 32 | 14 | 67 | $32\frac{1}{2}$ |
| Socoth alia eſt urbs in ſexta parte Tribus Judæ, inter Jether & Danna, Joſue 15. v. 48. | 31 | 17 | 66 | $52\frac{1}{2}$ |
| Socoth. Exod. 12. v. 37. Profectique filii Iſrael de Rameſſe in Socoth. 13. v. 20. Profectique de Socoth caſtrametati ſunt in Etham in extremis finibus ſolitudinis. Etiam Num. 33. v. 5. Socoth eſt ſtatio Iſraelitarum inter Rameſſe & Etham. | 29 | 50 | 63 | 15 |
| Sodoma Pentapoleos prima fuit, cum omnium prima inter eas quinque urbes ſemper nominetur: aliquando etiam ſola, & aliquando cum Gomorrha tantum. Prima inter alias, Geneſ. 10. v. 19. & 14. v. 2. 8. Deu- | 31 | 0 | 66 | 50 |

| Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. | |
|---|---|---|
| | | Deuter. 29. v. 23. cum Gomorrha tantum, Genes. 13. v. 10. & 18. v. 20. & 19. v. 28. sola pro aliis omnibus, Genes. 14. v. 17. 21. & 18. v. 16. 22. & 19. v. 1. & Isaiæ 3. v. 9. Jerem. in Thren. 4. v. 6. Ezech. 16. v. 46. 48. 49. 55. 56. notandumque in Ezech. post Sodomam adjecisse ubique, & filiæ ejus, i. urbes aliæ circumvicinæ, & earum districtus; ubi oppida aliquot minora, & viculi, & villæ quam-plures fuere. Iterum Matth. 11. v. 23. 24. Luc. 10. v. 12. & 17. v. 29. & Mare Mortuum Esdras vocat Sodomiticum, 4. c. 5. v. 7. |
| 33 1 | 68 3 | Sogane, Joseph. in vita sua & alibi, oppidum in Gaulanitide, quod etiamsi loci natura prævalidum esset, Josephus tamen muris & munitionibus circumdedit. |
| 32 43 | 68 20 | Solima Josephus in vita sua vicum habet in Gaulanitide. |
| | | Somer Mons, ubi Samaria. |
| 32 1 | 67 41 | Sophan. Inter urbes Tribus Dan est Sophan, Num. 32. v. 35. inter Ethrod & Jazer: an alia sit Sophan, Jos. 13. v. 27. non facile est dicere; hæc tamen videtur non longe a Socoth, altera non longe a Jazer. |
| 32 0 | 66 16 | Sophim Mons inter Tribus Benjamin & Ephraim. 1. Reg. 1. v. 1. ubi lego: Fuit vir unus de Ramatha in Sophim, de monte Ephraim & nomen ejus Elcana, &c. Samuelis (qui filius Elcanæ) domus in Ramatha, ut diximus in Ramatha, satis superque demonstrat hic legendum esse Ramatha in Sophim; in monte scilicet, qui sit pars aliqua montis Ephraim. V. Ephraim mons. |
| 31 34 | 65 40 | Sorec Torrens, & Vallis inter Tribus Dan, & Simeon, Jud. 4. (Samson) amavit mulierem, quæ habitabat in Valle Sorec, & vocabatur Dalila: ipsa autem a Principibus Philisthinorum impulsa, ut blanditiis eliceret, sciretque in quo esset fortitudo ejus: sæpe delusa, tamdiu illi molesta fuit, donec cognita causa dormientem totondit, & detonsum in manus Philisthinorum tradidit: qui statim eum excæcatum, & catenis vinctum Gazam traduxerunt. |
| 35 30 | 29 5 | Spartiatæ alias Lacedæmonii, cives urbis & Reipublicæ illustris in Græcia, sive in Laconia, quæ Peloponnesi, quæ Græciæ pars est. Jonathas Machabæus cum Spartiatis fœdus iniit, 1. Mach. 12. v. 2. |
| 31 31 | 66 49 | Specula, alias Spelunca, 2. Paral. 20. v. 24. Juda, cum venisset ad Speculam, quæ respicit solitudinem, vidit procul omnem late regionem plenam cadaveribus . . . . v. 21. Venit Josaphat, & omnis populus ad detrahenda spolia mortuorum. |
| 31 22 | 66 $22\frac{1}{2}$ | Spelunca duplex prope Hebron, Genes. 23. v. 16. & seq. Eam emit (Abraham) ab Hephrone Hethæo, solvitque quadringentis siclis argenti probatæ monetæ publicæ, & in ea sepelivit Saram uxorem suam. Genes. 25. v. 9. & sepelierunt (Isaac & Ismael) eum (Abraham) in Spelunca duplici, quæ est sita in agro Hephron . . . . e regione Mambre. 49. v. 29. Jacob præcepit suis, ut sepeliretur cum patribus suis in spelunca duplici, v. 31. ibi sepelierunt eum (Jacob) & Saram uxorem ejus; ibi sepultus est Isaac cum Rebecca conjuge sua; ibi & Lia condita. |
| 31 9 | 66 49 | Spelunca Loth, in quam se recepit Loth post Sodomorum & aliarum civitatum perditionem. Sed & in qua ex incestu cum filiabus genuit ex majori Moab, & ex minori Ammon; unde Moabitæ, & Ammonitæ populi, qui ad Orientem Jordanis sedes habuere. Vide Ammon & Moab. |
| 31 $12\frac{1}{2}$ | 66 42 | Spelunca Saul est in Engaddi. V. Engaddi. |
| 32 50 | 68 5 | Sueta, Suita, Suhita, unde Baldad Suhites ex amicis Job. |
| 32 42 | 66 33 | Sunem, Sunam, tertia datur a Josue 19. v. 18. inter urbes sexdecim, quas recenset in Tribu Issachar, nec longe ea a Casaloth & ab Hapharaim, 1. Reg. 28. v. 4. Castrametati sunt Philisthiim in Sunam; Saul & Israel in Gelboe. 3. Reg. 1. v. 3. 4. 5. Abisag puella Sunamitis Davidi jam Seni in uxorem datur. Per Sunam urbem sæpe transibat Elisæus, hospitique suæ Sunamitidi filium obtinuit, eumque postea mortuum in vitam revocavit, 4. Reg. 4. |
| 30 0 | 64 0 | Sur. Genes. 16. v. 7. de Angelo, & Agar: Cumque invenisset eam Ange- |

| | Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. |
|---|---|---|
| Angelus Domini juxta fontem aquæ in solitudine, qui est in via Sur in Deserto. 20. v. 1. Abraham . . habitavit inter Cades & Sur. De Ismaele: 25. v. 18. Habitavit ab Hevila usque Sur, quæ respicit Ægyptum. Exod. 15. v. 22. Tulit Moyses Israel de Mari Rubro, & egressi sunt in Desertum Sur, . . . 23. & venerunt in Mara. 1. Reg. 15. v. 7. Percussitque Saul Amalec ab Hevila, donec venias ad Sur, quæ est e regione Ægypti. 27. v. 8. Ascendit David, & viri ejus, & agebant prædas de Gessuri, & de Gerzi, & de Amalecitis: hi enim pagi habitabantur in Terra antiquitus, euntibus Sur usque ad Terram Ægypti. | | |
| Susa in Perside urbs celeberrima, Susianæ metropolis; & aliquando Regum Persidis sedes. 2. Esdr. 1. v. 1. Et ego (Nehemias) eram Susis castro. Esther de Assuero: 1. v. 2. Quando sedit in solio regni sui, Susan civitas regni ejus exordium fuit, v. 3. tertio anno fecit grande convivium. In toto hoc libro Assueri & Esther historia est, cum Assuerus Vasthi uxorem repudiavit, Esther neptim Mardochæi in uxorem assumsit, Amanque Judæis inimicissimum, & Assuero olim carissimum, tandem suspendi jussit, Mardochæo fideli in illius locum constituto. | 32 30 | 86 50 |
| Syene. Turris Syenes bis meminit Ezech. & in eam prophetat, ut & in Ægyptum. Ægypti superioris urbs est in confinio Æthiopiæ, ea Prophanis bene nota, quod sub Tropico Cancri posita sit. | 23 40 | 62 0 |
| Sylva Libani, 2. Paral. 25. v. 18. Vide Libanum. | 33 20 | 67 42 |
| Syracusæ, urbs totius Siciliæ quondam maxima, & opulentissima: in ea mansit triduo Paulus, cum Romam duceretur, Act. Apost. 28. v. 12. | 36 12½ | 39 25 |
| Syria, regio Asiæ Majoris celeberrima, & sub cujus nomine plures comprehenduntur regiones; ipsa etiam Mesopotamia, ut in Genes. 28. v. 2. & 33. v. 6. & alibi. Sed & aliquando Assyria sub Syriæ nomine, & versa vice Syria sub Assyriæ nomine intelligitur. Inter Syriæ Reges recensentur Chusan Rasathaim, quem oppressit Othoniel filius Cenez fratris Chaleb minor, Judic. 3. v. 9. & 10. Adarezer, quem David semel atque iterum vicit, eique tributum imposuit, 3. Reg. 11. v. 23. Razan filius Eliada congregavit viros . . . abieruntque Damascum . . . & constituerunt eum Regem in Damasco, v. 25. eratque adversarius Salomoni . . . Benadad filius Tabremon filii Hesron; cum ipso Benadad fœdus iniit Asa Rex Juda, ut sibi auxilium ferret contra Baasan Regem Israel. Hazael, quem Elias unxit super Syriam, 3. Reg. 19. v. 15. 4. Reg. 15. v. 37. & cap. 16. . . Rasis cum Phacee Rege Israel bellum gerit contra Achaz Regem Juda. Sed Theglathphalasar pro Rege Achaz veniens, Damascum capit; Rasin interfecit, &c. Romanis Syriam totam obtinentibus, Syriæ Præses fuit Cyrinus, qui Cæsaris Augusti edictum promulgavit, ut universus describeretur Orbis. Luc. 2. Syriæ etiam aliquoties mentio est in Act. 15. v. 23. Scribunt Apostoli, & Seniores fratres his, qui sunt Antiochiæ, & Syriæ, & Ciliciæ. v. 41. Perambulabat Paulus Syriam, & Ciliciam confirmans Ecclesias. | 35 30 | 70 0 |
| Syri, Syriæ sunt populi. | 35 30 | 70 0 |
| Syrophœnissa. Hujus nominis unica est mentio; eaque in Novo Testamento. Sed mulier ipsa, quam Syrophœnissam vocat Marcus 7. v. 26. eam Chananæam dicit Matthæus 15. v. 22. forteque genere Chananæa fuit, & quæ in confiniis Syriæ & Phœnices domum haberet. | 34 45 | 69 0 |
| Syrtis. In navigatione Pauli Romam: Act. Apost. 27. v. 17. Timentes ne in Syrtim incideremus. Geminæ sunt ante littus Africæ Syrtes, impares magnitudine, pari natura, & naufragiis infames. | 29 0 | 45 0 |

Ta-

## T

| Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. | |
|---|---|---|
| 32 46 | 68 11 | Tabernacula Cedar. In Cantico Canticorum 1. v. 4. Nigra sum, sed formosa, filiæ Jerusalem, sicut Tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis. Vide Cedar. |
| 33 27 | 67 26 | Tabernaculum Aber Cinæi. Judic. 4. v. 17. Sisara fugiens venit ad Tabernaculum Jahel uxoris Haber Cinæi, v. 18. qui ingressus Tabernaculum, & opertus ab ea pallio, v. 21. Tulit Jahel uxor Haber clavum Tabernaculi, & posuit supra tempus capitis, percussumque malleo defixit in cerebrum usque ad terram. |
| 32 6 | 65 57 | Talem, alias Telem, urbs in prima regione Tribus Juda est, inter Jethnam-Ziph, & Baloth-Asor, Josue 15. v. 24. |
| 31 28 | 66 46 | Tamna urbs in octava Tribus Judæ parte, inter alias decem ultima describitur, Josue 15. v. 57. |
| 31 0 | 63 0 | Tanis, alias Taphnis. Numer. 13. v. 23. Nam Hebron septem annis ante Tanim Ægypti condita est. Psalmi 77. v. 12. Coram patribus fecit mirabilia in terra Ægypti, in campo Taneos. Esai. 19. v. 11. & 13. Stulti Principes Taneos. Eamdem vocat Taphnim Jerem. 2. v. 16. Filii Mempheos & Taphnes ... 43. v. 7. ingressi sunt Terram Ægypti... & venerunt usque ad Taphnis. 44. v. 1. Verbum quod factum est per Jeremiam ad omnes Judæos, qui habitabant in Terra Ægypti: habitantes in Magdalo, & in Taphnis, & in Memphis, & in Terra Phatures ... sic & 46. v. 14. Vide Magdalum. |
| 31 21 | 66 5 | Taphua in secunda regione Tribus Judæ, & prope Ængannim, & Enaim describitur, Josue 15. v. 34. |
| 32 6 | 67 19 | Taphua urbs regia. Josue 12. v. 17. Inter Reges, quos vicit, percussitque, Rex Taphua unus est. Et eidem Josue 16. v. 8. ubi agit de limitibus Tribus Ephraim ad Orientem: De Taphua pertransit contra mare in Vallem arundineti. 17. v. 7. ubi de Tribus Manasse limitibus: Egreditur ad dextram juxta habitatores fontis Taphuæ, v. 8. etenim in sorte Manasse ceciderat terra Taphuæ, quæ est juxta terminos Manasse filiorum Ephraim. Taphua igitur est in terra Ephraim, & in confinio Manasse. |
| 32 2 | 67 $17\frac{1}{2}$ | Taphuæ fons. Taphua urbs est in Tribu Ephraim. Fons autem Taphuæ videtur in Tribu Manasse, Josue 17. vers. 7. de limite Manasse: & egreditur ( inquit ) ad dextram juxta habitatores fontis Taphuæ. |
| 32 28 | 67 3 | Tarichæa Josepho ad littus Maris Galilææ describitur triginta stadiis a Tiberiade, eamque ipse muris cinxit in vita sua, & alibi. |
| 37 0 | 67 50 | Tarsus. Act. Apost. 21. vers. 39. Paulus de se ait: Ego homo sum Judæus a Tarso Ciliciæ, non ignotæ civitatis municeps. cap. 9. Paulus ad Christi fidem conversus, & a Judæis ad mortem expetitus, vers. 30. fratres deduxerunt eum Cæsaream ( Palestinæ ) & dimiserunt Tarsum. 11. vers. 25. Profectus est Barnabas Tarsum, ut quæreret Saulum. 22. vers. 3. Ego ( Paulus ) sum Judæus, natus in Tarso Ciliciæ, nutritus in hac civitate ( Jerusalem ) secus pedes Gamaliel. Strabo asserit Sardanapalum, uno die Anchialem & Tarsum condidisse. |
| | | Telem. V. Talem. |
| 32 8 | 66 50 | Terebinthus, sub qua Jacob suorum idola defodit, cum Quercu Sichem eadem a quibusdam putatur; maluerim Terebinthum penes urbem, & Quercum in urbe describere. |
| 33 $2\frac{1}{2}$ | 67 10 | Terra Chabul. V. Chabul. |
| 32 0 | 75 0 | Terra Chellon, Jud. 2. vers. 13. videtur in Arabia & penes Euphratem. |
| 31 36 | 67 45 | Terra Hom, in qua olim populi Zuzim a Chodorlahomore & sociis ejus percussi, Genes. 14. vers. 5. Vulgata lectio legit, cum eis, pro in Hom. Percusserunt ( inquit ) Raphaim in Astaroth-Carnaim, & Zuzim cum eis ( alii legunt in Hom ) & Emim in Save Cariathaim, |

| | Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. |
|---|---|---|
| aim. Lectio in Hom verisimilior videtur, ut singulis populis regio aliqua detur. | | |
| Terra Hus Basanitis pars putatur, ubi Theman, Sueta, & Naamath urbes, aut dominia, aut prædia sunt, ex quibus Eliphaz Themanites, Baldad Suhites, & Sophar Naamathites vicini, & amici Job, illum visitarint; qui in Terra Hus degebat. | 32 55 | 68 10 |
| Terra Thob. Illa fuit, ut apparet, in confiniis Galaaditidis, & Moabitarum, & Ammonitarum: penesque aut ubi ipsa urbs est Maspha patria Jephte. | 32 2½ | 67 45 |
| Thabor decima quarta est inter urbes sexdecim Tribus Issachar, quas Josue describit 19. v. 22. | 32 32½ | 65 53 |
| Thabor urbs. V. Ceseleth-Thabor. | | |
| Thabor mons. Hujus prima mentio est Judic. 4. v. 6. ad quem Debbora præcipiebat, ut Barac exercitum duceret, pugnaturus contra Sisaram. v. 12. Nunciatum est Sisaræ, quod ascendisset Barac filius Abinoen in montem Thabor. v. 14. Descendit Barac de monte Thabor, & decem millia pugnatorum cum eo, &c. In Psalmis & Prophetis mentio est hujus montis Thabor, nulla apud Evengelistas, nec in toto Novo Testamento: unica tamen eaque constans est traditio, Christi Transfigurationem factam esse in monte Thabor. Ithabyrius mons est Josepho, aliisque. Joseph. 4. Bell. c. 6. Mons Ithabyrius est inter Campum magnum & Scythopolim septentrionali tractu inaccessus, in vertice 20. stadiorum planities patet, tota muro circumdata, hunc ambitum quadraginta diebus ædificavit Josephus . . . & in eum statim magna multitudo hominum congregata fuit . . . sed a Placido Romano in aquæ penuriam redacta, fide accepta se dedidit. | 32 39 | 67 0 |
| Thacasin, Jos. 19. v. 13. urbs in orientali limite Tribus Zabulon; inter Geth-epher, & Remmon-Amthar. | 32 42 | 67 33 |
| Thahath Israelitarum mansio in deserto; inter Maceloth, & Thare, Numer. 33. v. 26. 27. | 30 30 | 66 0 |
| Thalassa urbs in Creta Insula prope Boniportum; legunt alii Lasæam in navigatione Pauli, Act. Apost. 27. v. 8. | 33 55 | 53 30 |
| Thalassar, ubi Eden. V: Eden. | | |
| Thamar. Ezech. bis meminit urbis aut loci Thamar: quod nomen idem est atque Palma, ideoque pene omnes cum Palmira urbem eamdem faciunt. Sed Thamar Ezechielis cum Palmira nullomodo convenit, melius forsitan cum Asason-thamar, quæ & Engaddi. De Terra Israelitarum sive Promissa agit Ezechiel 47. v. 19. Plaga autem australis meridiana a Thamar usque ad Aquas Contradictionis Cades. 48. v. 28. Ad plagam Austri a Meridie erit finis de Thamar usque ad Aquas Contradictionis Cades. Hæc ad Meridiem sita sunt. Palmira autem est in Syria Soba; & inter Damascum & Euphratem: longeque etiam ad septentrionalem Terræ Promissæ plagam recedit. | 31 7 | 66 51 |
| Thamna, Themna, Thamnata. Themna scribitur octava inter urbes Tribus Dan, quas recenset Josue 19. v. 43. Thamna antea dicta fuit in Tribu Juda, 15. v. 10. non longe a Beth-semes, & Accaron, sed quæ e Tribu Juda excerpta, postea in Tribum Dan translata est. Judic. 14. v. 1. & seq. Samson descendit in Thamnata, mulieremque de filiabus Philisthiim amat, & petit in uxorem, quod cum parentes ægre concessissent, ipse descendens in Thamnata, leonem occurrentem laceravit; in cujus ore postmodum reperto melle, parabolam fecit; eaque a sodalibus per uxorem suam intellecta, in causa fuit, ut Samson Philisthæis nocendi occasionem quæsierit. 2. Paral. 28. v. 18. Philisthiim diffusi sunt per urbes campestres, & ad Meridiem Juda; ceperuntque Bethsames, & Ajalon, & Caderoth, Socho quoque & Thamnam, & Gamzo cum viculis suis, & habitaverunt in eis. | 31 47½ | 65 46 |
| Thamnatsare. Jos. 24. v. 30. Sepelierunt eum (Josue) in finibus possessionis suæ in Thamnatsare, quæ est sita in Monte Ephraim, a septentrionali parte Montis Gaas. | 32 2 | 66 29 |
| Thanach, Thenach. Josue 12. v. 21. Rex Thenach unus ex iis, quos devicit Josue. 17. v. 11. Thenach cum viculis suis est in sorte Manasse; | 32 30 | 66 33 |

| Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. | |
|---|---|---|
| | | se ; eademque 1. Paral. 7. vers. 29. Thanach, & Josue 21. vers. 25. de dimidia Tribu Manasse Thanach & Gethremmon Levitis ex familia Caath filiis conceduntur. Pro Thanach aut Thenach 1. Paral. 6. vers. 70. legitur Aner ex eadem dimidia Manasse, & pro ipsis Caathitis. Vide Anim. 3. Reg. 4. vers. 12. Bana filius Ahilud regebat Thanach & Mageddo. |
| 32 5 | 67 10 | Thanath-Selo, Josue 16. vers. 6. in descriptione Tribus Ephraim. |
| 30 30 | 65 40 | Thare Israelitarum statio in Deserto: inter Thahath & Methca, Numer. 33. v. 27. |
| 31 34 | 66 40 | Tharela urbs vigesima prima inter alias viginti sex, quæ sunt in Tribu Benjamin, Josue 18. v. 27. eaque inter Jarephel & Sela. |
| | | Tharsis. 3. Reg. 10. vers. Classis Regis per mare, cum classe Hiram, semel per tres annos, ibat in Tharsis, deferentes aurum & argentum, & dentes Elephantorum, & Simias, & Pavos. Eadem repetuntur 2. Paral. 9. vers. 21. Sed 20. vers. 35. Iniit amicitias Josaphat Rex Juda cum Ochosia Rege Israel, vers. 36. & particeps fuit, ut facerent naves, quæ irent in Tharsis . . . feceruntque classem in Asiongaber, vers. 37. prophetavitque Eliezer . . dicens . . . percussit Dominus opera tua, contritæque sunt naves, nec potuerunt ire in Tharsis. Tharsis etiam mentio est Psalm. 47. vers. 8. & 71. vers. 10. & Isaiæ 2. vers. 16. & Jeremiæ 10. vers. 9. Ubi argentum involutum de Tharsis affertur, & aurum de Orphan ( melius alii legunt Ophir. ) Ex variis iis locis, & quæ de Ophir & quæ de Tharsis, jam suis locis dicta sunt, ut & in Asion-gaber. Salomon duas classes instruebat, quarum una in Asion-gaber pro Ophir; altera ( ut credere est in Joppe ) pro Tharsis ædificabatur. Sed & scriptores ipsi aliquando Tharsis pro Ophir dixerunt: Sane Jonas cum in Joppe navem ascendit, ut iret in Tharsis. Tharsis ipsa respectu Joppe ad Occidentem est. Naves autem quæ in Asion-gaber constructæ erant, eæ ad Orientem & in Ophir tendebant. Cæterum Tharsis ipsa Tartessus in Hispania videtur. |
| 32 18 | 67 $2\frac{1}{2}$ | Thebes. Judic. 9. vers. 50. Abimelech venit ad oppidum Thebes, quod circumdans obsidebat exercitu. v. 51. Erat autem Turris excelsa in media civitate, ad quam confugerant viri, mulieresque & omnes Principes civitatis . . . . v. 52. Accedens Abimelech . . . & ignem supponens, v. 53. Ecce una mulier fragmen molæ desuper faciens, illisit capiti Abimelech, & confregit cerebrum ejus. |
| 32 59 | 68 0 | Thella vicus Jordani proximus, a quo usque Meroth latitudinem Galilææ facit Joseph. 3. Bell. 4. |
| 31 $32\frac{1}{2}$ | 66 42 | Thecua, Thecue. Urbs hæc inter centum & quindecim urbes, quas in Tribu Juda recenset Josue 18. nulla est. Hujus tamen mentio 2. Reg. 14. Cum Joab mulierem a Thecua accersit, instruitque, ut Davidi proponens de duobus filiis rixantibus, uno alterum occidente, eoque ad talionem petito, rogat ne utrisque privetur. Sensit David hanc figuram esse de Absalone, ipsumque revocavit. Roboam etiam Thecue muniit, 2. Paral. 11. v. 6. & Desertum est Thecue, 2. Paral. 20. v. 20. Et Amos Propheta seipsum de Thecue testatur, 1. vers. 1. Verbum Amos, qui fuit in pastoribus de Thecue. |
| 26 0<br>28 30 | 83 0<br>72 0 | Thema Ismaelis filiorum nonus videtur, Genes. 25. v. 15. & 1. Paral. 1. v. 3. Et de eodem videtur, Hierem. 25. v. 23. ubi & Dedan & Thema & Buz, qui omnes in Arabia. Thema ubi Ptolemæo Themi, quamquam in mediterraneis eos primas sedes habuisse facile crediderim, cum aliis Ismaelitis. |
| 33 1 | 68 13 | Theman est inter filios Eliphaz filii Esau primus. Genes. 36. vers. 11. Eliphaz ( qui fuit Esau ) filii Theman, Omar, &c. & 1. Paral. 1. vers. 36. Filii Eliphaz Theman, & Omar; & videtur regio in Idumæa, ubi filii Esau, qui filius Agar, de qua Baruch 3. vers. 23. Filii Agar . . . . . . negotiatores Merrhæ & Theman. Amos 1. vers. 12. Mittam ignem in Theman. An alia sit urbs, unde Eliphaz Themanites, an ipsa Theman, unde Eliphaz, sit in Idumæa, inquirendum est. |
| 32 15 | 67 $7\frac{1}{2}$ | Thersa urbs regia. Josue 12. v. 24. Inter Reges a se devictos Rex Ther- |

| | Latit. | | Longit. | |
|---|---|---|---|---|
| | Gr. | Scr. | Gr. | Scr. |
| Thersa unus. Et Salomonis regno in duas partes secto, Reges Israel in Thersa aliquandiu manserunt. 3. Reg. 14. Regis Jeroboam uxor cum Ahiam Prophetam adiisset, interrogassetque de puero suo, ipsa filium moriturum, & domum Jeroboam eruendam esse audit, rediensque in Thersam, cum domum ingrederetur, puer mortuus est. cap. 15. Baasa Rex Israel audiens Benadad Regem Syriæ exercitum misisse in civitates Israel, v. 21. intermisit ædificare Rama, & reversus est in Thersa. 16. v. 6. Dormivit Baasa cum patribus suis, sepultusque est in Thersa. v. 8. Regnavit Ela filius Baasa super Israel in Thersa duobus annis, v. 9. & rebellavit contra eum servus suus Zambri dux mediæ partis equitum; erat autem Ela in Thersa bibens, & temulentus, v. 10. Irruens in eum Zambri percussit & occidit eum, vers. 15. Regnavit Zambri septem diebus in Thersa, vers. 16. Sed omnis Israel sibi Regem fecit Amri, qui erat princeps militiæ in castris, vers. 17. Et ascendit de Gebbethon & obsedit Thersa, vers. 18. Zambri videns, quod expugnanda esset civitas, ingressus palatium, se succendit cum domo regia. vers. 23. Regnavit Amri super Israel duodecim annis: in Thersa regnavit sex annis, emitque montem Samariæ . . . & ædificavit . . . & vocavit nomen civitatis, Samariam, & sepultus est in Samaria. Ab ipso Amri sedes Regum Israel e Thersa in Samariam translata est. 4. Reg. 15. v. 14. Ascendit Manahem filius Gadi de Thersa, venitque in Samariam, & percussit Sellum filium Jabes in Samaria, & interfecit eum, & regnavit pro eo. | | | | |
| Thesbe; unde Elias Thesbites ubique dicitur, 3. Reg. 17. v. 1. & seq. locus sive oppidum in Tribu Gad. | 32 | 6 | 67 | 32½ |
| Thessalonica. Venit Paulus Thessalonicam, ubi erat Synagoga Judæorum, Act. Apost. 17. v. 1. & alibi. Scripsit etiam unam atque alteram Epistolam ad Thessalonicenses, & meminit Ecclesiæ Thessalonicensium. Urbs magna est, & aliquando Macedoniæ metropolis, ad intimum Thermaici sinus recessum. | 41 | 40 | 48 | 50 |
| Theuca vicus non longe a Jerusalem, in quem Titus Josephum cum Cereali misit, ut locum iuviserent, referrentque, an ad castrametationem idoneus esset. Joseph. in vita sua. | . . . | | . . . | |
| Thiras ultimus est septem filiorum Japhet, Genes. 10. v. 2. & 1. Paralip. 1. v. 5. Posteris Japhet omnibus sedes in Europa dedimus; etiam Thiras, qui septimus & ultimus est, inter Sarmatiam & Daciam sedem habebit; ubi hodie Hungaria, Transylvania, Valachia, Moldavia, & Polonici Regni pars, quæ inter Vistulam & Borysthenem; ubi Lithuania, Russia, Volhynia, Podolia, &c. | 50 | 0 | 50 | 0 |
| Thocem, 1. Paralipom. 4. vers. 32. Unde vox ipsa huc irrepserit, non video, cum nulla sit in Tribu Simeon, Josue 19. nulla in Tribu Juda, ex qua Tribu Simeon tota desumta est: nulla in toto Veteri & Novo Testamento; & interim 1. Paralip. 4. vers. 32. ubi tantum est repetitio urbium Tribus Simeon, hic Thocen est, quæ nulla in Tribu Juda, nulla in Tribu Simeon ex Josue. | 31 | 21 | 66 | 2 |
| Thogorma. Vide Gomer. | 52 | 30 | 35 | 0 |
| Thopel. Inter Pharan & Thopel, & Laban & Haseroth Moyses Deuteronomium dixit & scripsit, præcepitque legi septimo quoque anno, & in arcam reponi jussit, Deuteronom. 31. . . Locus Thophel dicitur in solitudine campestri contra Mare Rubrum, Deuteronom. 1. vers. 1. | 31 | 34 | 67 | 16 |
| Thyatira. In Apocal. 1. v. 11. inter septem Ecclesias Asiæ Thyatira una est, urbs inter Pergamum & Sardes. | 39 | 15 | 58 | 5 |
| Tiberias. De hac urbe diximus in Mare Galilææ, quod ab urbe dictum sit mare, stagnum, & lacus Tiberiadis. Hanc muniit Josephus dum Præsidem ageret in Galilæa. Urbs distat 30. stadiis ab Hippo, 60. a Gadaris, 120. a Scythopoli; eaque fuit aliquando Galilææ metropolis. | 32 | 35 | 67 | 31 |
| Tichon. Ezech. 47. v. 16. Domus Tichon, quæ est juxta terminum Auran. | 33 | 22½ | 67 | 47 |
| Tigris fluvius in Paradiso voluptatis. Genes. 2. vers. 14. Nomen | 38 | 0 | 78 | 0 |

| Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. | |
|---|---|---|
| | | fluminis tertii Tigris, ipse vadit contra Assyrios. Tobias 6. vers. 1. & mansit ( Tobias Junior ) prima mansione juxta fluvium Tigris. Judith 1. vers. 6. In campo, qui appellatur Ragau, circa Euphratem & Tigrim. Daniel 10. vers. 4. Eram ( inquit ) juxta fluvium magnum qui est Tigris. Is fluvius oritur e montibus Ararat, sive Armeniæ: & inter Assyriam & Mesopotamiam fluens, Chaldæamque sive Babyloniam intersecans, Euphrate recepto labitur in Sinum Persicum, Arabiam inter & Persidem. |
| 31 23 | 66 55 | Torrens ad solitudinem Jeruel, 2. Paral. 20. vers. 16. V. Jeruel. |
| 31 50 | 66 5 | Torrens, ipse est ex quo David limpidissimos quinque lapides elegit, iisque in peram pastoralem positis, fundam manu ferens, processit adversus Goliath Gigantem Philisthæum, eumque armatum inermis occidit, 1. Reg. 17. Cendebæus etiam penes hunc Torrentem a Machabæis fusus, fugatusque est, 1. Mach. 16. vers. 8. Torrens hic e montibus Judæ descendit, labiturque per Modin, & Vallem Terebinthi, & inter Jamniam & Joppe in Mare effluit. |
| 33 0 | 68 0 | Trachonitis, regio trans Jordanem, tota montibus aspera, unde ipsi nomen. Hujus in Scriptura Sacra solus meminit Lucas 3. vers. 1. Anno decimo quinto imperii Tiberii Cæsaris, procurante Pontio Pilato Judæam, Tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo fratre ejus Tetrarcha Ituræ & Trachonitidis, & Lysania Abilinæ Tetrarcha. |
| 31 44 | 67 16 | Transitus Israel, locus qua Jordanem ipsi transierunt; dum etenim aquæ superiores ad instar montis intumescentes sese sustinent, & inferiores in Mare descendunt, deficiuntque, Sacerdotibus cum arca in medio stantibus, Populus omnis Israel per siccum fluvii alveum Terram Promissam ingressus est, ex Josue 3. |
| 41 30 | 37 5 | Tres Tabernæ, in Pauli itinere a Puteolis Romam, Act. Apostol. 28. vers. 15. |
| 40 40 | 55 30 | Troas. Asiæ Minoris regio propter Trojæ cladem notissima, Act. 16. vers. 8. cum pertransissent ( Paulus & Timotheus ) Mysiam, descenderunt Troadem. vers. 11. Navigantes a Troade, recto cursu veniunt Samothraciam ( insulam. ) Hujus aliquoties iterum mentio est in Act. Apost. 20. vers. 6. & seq. ubi Paulus Eutychum adolescentem de tertio cœnaculo lapsum, mortuumque suscitavit. |
| 16 0 | 69 0 | Troglodytæ. 2. Paral. 12. vers. 3. Troglodytæ, & Æthiopes tamquam vicini inter se recensentur. Troglodytæ maritimi sunt, & inter Æthiopiam, & Mare Rubrum. Æthiopes in mediterraneis Africæ ad Nilum. |
| 40 0 | 15 0 | Tubal melius Thubal filiorum Japheth quintus, Genes. 10. vers. 2. & 1. Paral. 1. vers. 5. Pene autem ubique junguntur, & Thubal, & Mosoch, ut in Ezechiele 27. vers. 13. aut Mosoch & Thubal, 32. v. 26. & 38. vers. 2. 3. & 39. vers. 1. Vide Javan & Mosoch. Posteris Mosoch Italia concessa, restat Hispania pro filiis Thubal; quod ante nos ipsimet Hispani quamplures, & aiii dixerunt. |
| 31 38 | 66 34 | Turris Gregis prope Bethlehem, Genes. 35. nec longe ab illa Rachel Benjamin enixa in dolore partus moritur, & ibi sepulta est, v. 18. 19. Indeque egressus Abraham fixit Tabernaculum trans Turrem Gregis, vers. 21. Turris Gregis etiam meminit Michæas Propheta 4. vers. 8. Penes hanc Turrim audierunt Pastores Angelos canentes; Gloria in excelsis Deo. |
| 33 27½ | 67 53 | Turris Libani, forteque ea in Domo saltus Libani, de qua 3. Reg. 7. vers. 2. & 10. vers. 17. & 2. Paral. 9. vers. 20. |
| 33 17 | 66 56 | Tyrus, cujus meminit Josue 19. vers. 29. Ea proculdubio est antiqua Tyrus, nova necdum constructa, attamen antiquam illam Tyrum vocat Josue munitissimam, quæ nihilominus ab Israelitis capta & deleta fuit; cum nulla sit Tyrus inter urbes, quas Tribus Aser non deleverit. Sed a Sidoniis postea nova Tyrus in rupe sive tumulo peninsulari penes littus ædificata, antiqua illa multo firmior fuit; atque in tantam aliquando pervenit magnitudinem, & opum abundantiam, ut Sidonem ipsam anteierit. Urbs ipsa Davidis & Salomonis temporibus Regem habuit Hiram, qui saxa, qui cedros e Libano, qui arti- |

fices

fices prudentes & scientissimos misit, ad Domum Domini, sive Templum ædificandum, & Regiam Salomonis Domum. Ea tamen a Nabuchodonosore primum, posteaque ab Alexandro Magno expugnata dirutaque: demum refloruit propter portus, situsque commoditatem. Ut autem Tyrus ipsa Sidonis colonia fuit, ita & Tyri Carthago, Utica, & ultra fretum Gaditanum, Gades.

## V

| | Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. |
|---|---|---|
| Vallis Arundineti. Josue *16.* de Tribus Ephraim limitibus: vers. 8. De Taphua pertransit contra Mare in Vallem Arundineti, suntque egressus ejus in Mare Salsissimum. *17.* vers. *9.* Descenditque terminus Vallis Arundineti in Meridiem Torrentis civitatum Ephraim. | 31 47½ | *69 17½* |
| Vallis Benedictionis prope Desertum Thecuæ: in quo Ammonitis, Moabitis, & Syris sive Idumæis contra Josaphat insurgentibus, ipse cum Populo supplex ad Deum confugit, & factum est ut hostibus sese mutuo cædentibus, non superfuit qui necem evaderet. Josaphat ergo & Juda Deum benedixerunt; & vestes, & vasa pretiosissima, & suppellectilem omnem diripuerunt, & locum Vallem Benedictionis appellaverunt, 2. Paral. 20. v. 1... *26.* | 31 25 | *66 45* |
| Vallis Casis, tertia inter urbes duodecim primæ partis Tribus Benjamin, Jos. 18. v. 21. videturque non longe a lingua sive sinu Maris Salsissimi. | 32 27½ | *67 4* |
| Vallis Ennon, & Convallis filii, & filiorum Ennon, Josue 15. v. 8. & 18. vers. *16.* & aliquoties alibi. 4. Reg. 23. vers. 10. de Josia Rege Juda, qui Idolorum simulacra, altaria, templa subvertit, contaminavitque Topheth, quod est in Convalle filii Ennon, ut nemo consecraret filium suum, aut filiam per ignem, Moloch. De iis abominandis sacrificiis: Jerem. 7. vers. 32. Ecce dies venient, dicit Dominus, & non dicetur amplius Topheth, & Vallis Filii Ennon, sed Vallis interfectionis. | 31 40 | *65 42½* |
| Vallis Jephtael inter Tribus Aser & Zabulon, Josue *19.* v. 14. ubi de Tribu Zabulon agit, & v. 27. ubi de Tribu Aser. | 32 50 | *67 0* |
| Vallis Josaphat inter Jerusalem & montem Oliveti, & qua Torrens Cedron labitur. | 31 43 | *66 35* |
| Vallis Raphaim inter Tribus Juda, & Ephraim: ita ut Vallis pars summa sit Tribus Juda, Josue 15. v. 8. & pars extrema in Benjamin, Jos. 18. v. *16.* In hac Valle & circumvicinis locis David multoties percussit Philisthæos, eorum idola cepit & combussit. | 31 43 | *66 36* |
| Vallis Salinarum. 2. Reg. 8. v. 13. Fecit quoque sibi David nomen, cum reverteretur, capta Syria, in Valle Salinarum cæsis decem & octo millibus, vers. 14. & posuit in Idumæa custodes. Idem erit etiamsi paulo aliter, 1. Paralip. 18. vers. 12. Abisai filius Saruiæ percussit Edom in Valle Salinarum decem & octo millia, vers. 13. & constituit in Edom præsidium, ut serviret Idumæa David. Sic & de Amasia rege Juda, 4. Reg. 14. vers. 7. ipse (Amasias) percussit Edom in Valle Salinarum decem millia. & 2. Paral. 25. vers. 11. Amasias abiit in Vallem Salinarum, percussitque filios Seir decem millia. ubi Seir pro Edom ponitur. | 31 17½ | *66 17½* |
| Vallis Sennim. Judic. 4. v. 11. Haber Cinæus recesserat quondam a cæteris Cinæis fratribus suis... & tetendit tabernacula usque ad Vallem, quæ vocatur Sennim, & erat juxta Cedes. | 33 2½ | *67 30* |
| Vallis Terebinthi. 1. Reg. 17. vers. 1. 2. Philisthæis in Socho, & Azeca castrametantibus, Saul & filii Israel congregati venerunt in Vallem Terebinthi. Et eod. cap. Goliath Gethæus insultat Israelitis: sed eum in armis, & fortitudine sua fidentem David inermis occidit, præcisumque caput ad Saulem attulit; hinc Achimelech Sacerdos dicit Davidi, 21. vers. *9.* Ecce hic gladius Goliath Philisthæi, quem percussisti in Valle Terebinthi. | 31 47½ | *66 10* |

| Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. | |
|---|---|---|
| 31 59 | 67 32 | Vetzehob melius Betezob, Joseph. 7. Bell. cap. 21. locus ultra Jordanem, unde Maria illa nobilis, & infœlix mulier, quæ in obsidione & fame Jerosolymitana, quem ipsamet lactabat, filium occidit, coxit, manducavit. |
| 32 50 | 68 10 | Via Basan, quæ a Corosain in Basan; forteque & alia quæ a Damasco veniens totam Basanitidis longitudinem excurrit. |
| 31 42½ | 66 32 | Via Bethlehem. Vide Sepulcrum Rachel. |
| 31 42 | 66 47½ | Via Jericho. Nulla hujus viæ mentio in Scriptura Sacra, sed tantum hominis a Jerusalem in Jericho euntis: & qui incidit in latrones. Vide Ascensus Adomin. |
| 32 5 | 66 55 | Via de Silo ad Sichem. V. Silo & Lemna. |
| | | Via montis Seir in Deserto ea est. |
| | | Via Trachonitidis mihi eadem, quæ Via Basan. |
| 32 50 | 68 10 | Via Vallis inter Carmelum Montem, & Urbem Jezrael, qua Elisæus frequenter transibat. Vide Carmeli Vallis. |
| 32 35 | 66 50 | Vinea Naboth penes urbem Jezrael. |
| 32 25 | 66 55 | Ur urbs sive locus Abrahæ natalitiis notus. Locum illum cum urbe Urchoa Ptolemæi, quæ in Chaldæa est, eumdem aliquando putavimus: quod Ur Chaldæorum dicatur, Genes. 11. vers. 31. & 15. vers. 7. & 2. Esdræ cap. 9. vers. 7. ( hoc in loco de igne Chaldæorum legit vulgata lectio, pro de Ur Chaldæorum, verbi significationem, pro loci nomine proprio interpretata ) sed ex pluribus Scripturæ Sacræ locis & ex aliis authoribus, Ur probatur esse in Mesopotamia, ubi etiam Chaldæi sint populi a Chaldæis Chaldææ; ubi Babylonia & Urchoa sunt, diversi. Act. Apost. 7. vers. 2. Deus ( inquit Stephanus ) apparuit patri nostro Abrahæ, cum esset in Mesopotamia ( scilicet in Ur Chaldæorum ) priusquam moraretur in Charan, vers. 3. Et dixit ad illum: exi de terra tua, & de cognatione tua: & veni in terram, quam monstravero tibi, vers. 4. Tum exiit de terra Chaldæorum, & habitavit in Charan. Sic & Josue 24. vers. 2. Hæc dicit Dominus Deus Israel: Trans fluvium ( Euphratem ) habitaverunt patres vestri ab initio; Thare pater Abraham, & Nachor servierunt Diis alienis, vers. 3. Tuli ergo patrem vestrum Abraham de Mesopotamiæ finibus, & adduxi eum in Terram Chanaan. Sic & Judith 5. cum Holeferni, quinam essent Israelitæ, petenti respondet Achior Dux filiorum Ammon: vers. 6. Populus iste ex progenie Chaldæorum est. vers. 7. hic primum in Mesopotamia habitavit, & quoniam noluerunt sequi Deos patrum suorum, qui erant in terra Chaldæorum. vers. 8. Deserentes cæremonias patrum suorum, quæ in multitudine Deorum erant. vers. 9. Unum Deum cœli coluerunt, qui & præcepit eis, ut exirent inde &c. Ex quibus locis facile perspicitur, Abraham primum habitasse in Ur Chaldæorum, quæ sit in Mesopotamia, tum & in Haran, quæ etiam in Mesopotamia, & tandem in Terra Chanaan. Unde Genes. 11. vers. 31. Tulit Thare Abraham filium suum, & Lot . . . & eduxit eos de Ur Chaldæorum, ut irent in Terram Chanaan, veneruntque usque Haran, & habitaverunt ibi, scilicet per annos aliquot; nam Thare mortuo, cap. 12. vers. 4. 5. Abraham & Lot venerunt in Terram Chanaan. Hæc ex utroque Testamento satis superque demonstrant, Ur Chaldæorum in Mesopotamia esse. Sed & Chaldæos ibidem fuisse probari potest ex Xenophontis lib. 3. de Institutione Cyri: ubi multoties Chaldæos Armeniæ contiguos facit. Et ex Josephi lib. 1. Antiq. cap. 8. qui Chaldæos & Mesopotamios in populum unum confundere videtur, eosque odio Abrahamum habuisse, & in eum insurrexisse ait. Sic & Ur Castellum in Mesopotamia deprehenditur ex Ammian. Marcell. lib. 25. cum, Juliano extincto, Romanus exercitus a Ctesiphonte Nisibin rediens Tigrim trajecit, & inter Tigrim & Nisibin Castellum Ur in itinere offendit. Loci autem situs non inter Tigrim & Nisibin est, qua brevissimum iter a fluvio ad Nisibin; sed inter Tigrim, qua fluvium trajecerunt Romani ( inter Seleuciam & Ninivem ) & Nisibin. |
| 36 0 | 79 30 | |
| | | Us. Vide Hus. |

Usal

| | Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. |
|---|---|---|
| Usal, Uzal, inter filios Jectan sextus, Genes. 10. v. 27. & 1. Paral. 1. v. 21. Sedes ipsi, ipsiusque posteris in Arabia Fœlici dat Bochardus; ubi hodie Sanaa metropolis regni Uzal, idque probat ex Judæis & Arabibus, qui hac voce hodieque utuntur. | 17 0 | 73 ... |
| **X** | | |
| Xaloth. Joseph. 3. Bell. c. 4. inferioris Galilææ latitudo patet a vico Xaloth, qui in campo magno situs est, usque ad Bersoben, unde etiam superioris Galilææ latitudo incipit ad usque Baca. | 32 31 | 66 37½ |
| **Z** | | |
| Zabadæi. vide Nabajoth; unde Nabathæi. Zabathæi pro Nabathæis male scriptum est. | | |
| Zabulon Tribus a Zabulone decimo filiorum Jacob, eoque sexto & ultimo ex Lia uxore nomen sortita, in Galilæa inferiori sita est, & a mari magno ad mare Galilææ extenditur. De Zabulone Jacob Genes. 49. vers. 13. Zabulon in littore maris habitabit. Et Moyses de Zabulone & Issachar, Deuteronom. 33. vers. 19. qui inundationem maris, quasi lac sugent, & thesauros absconditos arenarum. Præter oram maris, quam obtinent, urbes vicinas habent Ptolemaidem, Tyrum, Sidonem; in quibus emporia celeberrima. Zabulonitarum 57400 Princeps in Deserto fuit Eliab filius Helon, Num. 1. vers. 9. Gaddiel filius Sadi explorator Terræ Chanaan, 13. vers. 11. Elisaphan filius Phamach divisor hu jus Trræ, 34. vers. 25. quam ingressi sunt 60500 Zabulonitæ. Ex eadem Tribu fuere Elon sive Ajalon Judex super Israel, & Jonas Propheta. Hanc descripsit Josue. | 32 40 | 67 10 |
| Zabulon nulla urbs est Josue 19. ubi urbes omnes Tribus Zabulon describuntur; bene quidem Judic. 12. vers. 11. Cui (Abesan) successit Ajalon Zabulonites, & judicavit Israel decem annis, vers. 12. mortuusque & sepultus est in Zabulon. Hic Zabulonem pro Regione aut Tribu intelligi, non pro urbe primum putavimus, & id ex Josepho colligebamus, qui Helun sive Ajalon ipsum diserte facit ex Tribu Zabulon, non ex urbe. Sed ipsemet omne abstulit scrupulum lib. 3. Bell. cap. 4. Inferioris (inquit) Galilææ longitudo protenditur a Tiberiade usque ad Zabulon, cui vicina est in locis maritimis Ptolemais. | 32 52 | 66 44 |
| Zachariæ domus videtur in urbe Hebron Baronio. | | |
| Zambri. Jerem. 25. vers. 25. Et cunctis Regibus Zambri, & cunctis Regibus Elam, & cunctis Regibus Medorum. Zambri desideratur in plerisque Græcis codicibus, & nomen ignotum est; forte pro Armenia. | | |
| Zanoe, urbs gemina est hujus nominis in Tribu Juda. Altera in secunda hujus Tribus parte inter Asena & Ænganim: Altera in octava parte inter Jucadam & Accaim. Utraque ex Josue 15. sed prima vers. 34. ultima vers. 56. Est etiam Zanoe Esdræ 3. vers. 13. & Zanoa 11. vers. 30. Janoe alia est in Ephraim. | 31 30<br>31 24 | 65 57<br>66 35 |
| Zared Torrens. Num. 21. vers. 12. Et inde (a Jiebarim) venerunt ad Torrentem Zared, vers. 13. quem relinquentes castrametati sunt contra Arnon, quæ est in Deserto. Deuteronom. 2. vers. 14. Tempus autem quo ambulavimus de Cadesbarne usque ad Transitum Torrentis Zared, triginta & octo annorum fuit. | 31 6 | 67 15 |
| Zephona in limite septentrionali totius Terræ Promissæ. Num. 34. vers. 8. sunt Emath, Sedada, Zephona, Enan. | 33 20 | 67 36 |
| Ziph gemina urbs videtur ex Josue 15. una vers. 24. altera vers. 55. Hæc inter Carmel & Jota describitur in octava. Altera inter Jethnam & Ze- | | |


| Latit. Gr. Scr. | Longit. Gr. Scr. | |
|---|---|---|
| | | & Zelem in prima Tribus Judæ parte. Sed legimus Jethnam; ut in Animadversionibus: ideoque altera erit simpliciter Ziph; ubi & desertum & mons & sylva est. |
| 31 9 | 66 37½ | 1. Reg. 23. vers. 13. de Davide profugo: Mansitque in monte solitudinis Ziph, in monte opaco . . . vers. 15. David erat in deserto Ziph in sylva. 23. vers. 19. Ascenderunt autem Ziphæi ad Saul in Gabaa dicentes: Nonne ecce David latitat apud nos, in locis tutissimis sylvæ, in colle Hachila, quæ est ad dextram deserti. 26. vers. 2. Surrexit Saul, & descendit in desertum Ziph, & cum eo tria millia virorum, de electis Israel, ut quæreret David in deserto Ziph. |



JOAN-


GEOGRAPHIÆ SACRÆ
ex Veteri, et Novo Testamento desumptæ
TABULA PRIMA
quæ
TOTIUS ORBIS PARTES
continet.
MARE
MAGNUM
OCCIDENTALE
AFRICA
ÆTHIOPES
ARABIA
ÆLAM
ASSUR
ARMENIA
CHALDÆA
MESOPOTAMIA
MARE RUBRUM
AQUILO
AUSTER
OCCIDENS
ORIENS
ISRAELITARUM MANSIONES IN DESERTO




GEOGRAPHIÆ SACRÆ
ex V & N Test Desumptæ
TABULA SECUNDA
in qua
TERRA PROMISSA
Autore N. SANSON
AQUILO
PHŒNICE
SYRIA
DAMASCUS
MARE MAGNUM quod et
OCCIDENTALE
OCCIDENS
ORIENS
ARABIA
TRIBUS EPHRAIM
TRIBUS MANASSE
ISSACHAR
TRIBUS GADA
SIMEON
JUDA
Mare Galilææ
Mare Salsis simum quod et Mortuum &c.
Satrapiæ
EDOM
quæ et
IDUMÆA
AUSTER
Scala
Mille Passus
Stadia
Leucæ Gallicæ



# JOANNIS CLERICI NOTÆ IN INDICEM GEOGRAPHICUM NICOLAI SAMSONIS.

## A

ABDON & MADON non poſſunt confundi ab Hebraice ſcientibus, nam עברן *habran*, aut עברון *habdon* nimium differunt a voce מדון *madon*. Vult mutari *Samſon* ב *Beth* in מ *Mem*, quod poteſt fieri, quia literæ ſunt ejuſdem organi, nec res caret exemplis; ſed tamen, ſine neceſſitate ulla, non eſt ſtatuendum. Præterea vult inverti primam ſyllabam; quod vulgo non fit, apud Hebræos. At duæ priores appellationes *Abdon* & *Abran* potuerunt facilius miſceri, ob ſimilitudinem elementorum *Reſch* ר & *Daleth* ד, quæ ſæpe confuſa ſunt, in nominibus propriis. Vide *S. Bochartum* Phalegi Lib. III. c. 6. & 10.

ABELA. Non male judicat vir doctiſſimus *Abel-Maacha*, *Abel-Beth-Maacha*, *Beth-Maacha*, *Abel-Domus-Maacha* & *Abel-maim* unum idemque eſſe nomen. Sed locum 2. Reg. XX. 14. *tranſierat per omnes tribus Iſrael in Abelam & Beth-Maacha*; male vult emendari, *quæ Beth-Maacha*; nam in Hebræo codice hic eſt diſerte: אבלה ובית מעכה *Abelam & Beth-Mahacham*, eaque copula non a Latino dumtaxat Interprete, ſed & a Græcis expreſſa eſt. Mallem conjunctionem ו *Vau* interpretari *aut*, quem ſignificatum ſæpe obtinet. Ceteroqui recte judicat unam eamdemque eſſe civitatem, quamvis non ſint temere miſcendæ urbes quæ diſtinguuntur conjunctione, ſed dumtaxat re ita neceſſario poſtulante; quod non ſemper obſervavit vir eruditus, ut poſtea liquebit.

ABELINA. A nemine dicta eſt *Lyſanii*, niſi ab Interprete Latino *Ptolemæi*, qui debuit vertere *Lyſaniæ*; nam Λυσανὶς eſt a Λυσανίας, non Λυσάνιος. Vide *Abr. Berkelium* ad *Stephanum*, ad vocem Abile. Verſio illa *Ptolemæi* craſſis mendis, & audacibus, alieniſque additamentis tota ferme ſcatet, quamvis a *Pet. Montano*, ut in Præfatione monemur, emendata. Itaque temere fecerit, quiſquis ei fidem, non inſpectis Græcis, habuerit; quod noſter hic feciſſe videtur. Ceterum de Abilene adito ſæpius poſthac laudandum *Joannem Lightfootium* Chorographicorum Lucæ præmiſſorum Cap. I. Sect. 7.

ACANTHALAUNOLA. Eſt vox corrupta, quam deſumſit vir alioqui Geographiæ

phiæ peritiſſimus, ſed Linguarum Hebraicæ & Græcæ rudis, ex verſione Latina *Joſephi* de Bello Jud. Lib. v. c. 6. in Græcis, 2. in Latin. pag. 907. Ed. Genevenſis. Ubi hæc legimus: *caſtra ponit in loco, quem Judæi ſermone patrio Achanthonaula vocitant*. Sed audi Græca: στρατοπεδεύεται κατὰ τὸν ὑπὸ Ἰουδαίων πατρίως ἀκανθῶν αὐλῶνα καλούμενον, *caſtrametatur in valle quæ a Judæis patrio ſermone ſpinarum dicitur*. I nnnc & crede verſionibus Latinis Græcorum ſcriptorum! Liquet enim *akanthonaulona*, deformatum in *Acantonaula*.

ACCARON. Videtur merito *Samſoni*, quæ vocatur *Accaron* Joſ. xv. 45. eadem eſſe quæ dicitur *Acron* ibidem Cap. 43. Debuit utrobique dici *Accaron*, ut habent LXX Intt. nam eſt utrobique in Hebræo עקרון *hekron*, pro punctatione Maſorethica.

ACCO. Facile conceſſerim *Acco*, *Accho* & *Accon* unum idemque nomen fuiſſe, Hebraice עכו *haccho*. Sed *Achſaph* ſive *Axaph* perinde eſſe non puto, nec Linguæ Hebraicæ genius patitur אכשף *achſchaph* cum ſuperiore nomine miſceri. Fuit ſine dubio urbs diſtincta a Ptolemaide, ſive *Acchone*.

ADOMIN. Imo ADOMIM, nam eſt Hebraici אדמים *adummim*. Cum ſic poſtulet uſus Linguæ Hebraicæ, & ſic habeant LXX. Intt. ſtultum eſt imitari peccata exſcriptorum veterum Hebraice neſcientium, quæ in nominibus propriis innumera ſunt, ut liquet vel ex libro *Euſebii* de *locis Hebraicis*. Auris imperita & minus attenta facile miſcet terminationes in IN & IM.

AUDUREM. Mendum eſt Typographicum, pro *Adurem*, ut vocatur in Vulgata, Hebraice הדורם *hadoram* Gen. x. 27.

ÆGYPTI TORRENS. Videtur eſſe ipſe Nilus. Vide notata ad Num. XXXIV. 5.

ÆGYPTUS. Satius fuiſſet omittere hiſtorias itinerum in Ægyptum ſuſceptorum & tradere diviſionem Ægypti in ſuperiorem & inferiorem. Qua de re vide *Sam. Bochartum* Phalegi Lib. IV. Cap. XXIV.

ÆMATH. Non una urbs vocatur in Scriptura Chammath חמת. Erat enim ſic dicta in Tribu Nephthalis, ad occaſum Jordanis & cujus meminit Samſon. Erat & in Tribu Ruben ad ortum Jordanis. Vide quæ ad hanc vocem notavit *Jacob Bonfrerius* in loca Hebraica Euſebii & Hieronymi.

ÆN & AIN ſunt unum & idem vocabulum Hebraicum עין *hain*, quæ vox fontem ſonat.

ÆTHIOPES. Dignnm erat notatu eos, qui vocantur *Æthiopes* iu Vulgata verſione, non eſſe eoſdem, qui a Græcis Æthiopes dicebantur. Hi enim populi erant, qui ad meridiem ſuperioris Ægypti habitabant; at a Vulgato aliiſque veteribus Interpretibus Æthiopes dicuntur etiam poſteri *Chuſi*, qui Arabiam incolebant, ut multis oſtendit *Sam. Bochartus* Phalegi Lib. IV. c. 2. Sic uxor Moſis, quæ Madianitis, hoc eſt, Arabiſſa erat; ut liquet ex Exod. II. 16. dicitur *Æthiopiſſa* in Vulgata verſione Num. XII. I. ubi in Hebræo textu eſt כושית *Chuſitis*. Præterea in Novo Teſtamento mentio fit Æthiopiæ vere ita dictæ Act. VIII. 27. Denique obſervandum fuiſſet hoſce Æthiopes in Veteri Teſtamento לודים *loudim* dici, quod demonſtravit idem vir ſummus ejuſdem Libri Cap. XXVI. Nec hoc ignoravit *Samſon*, ut liquet ex vocibus *Ludim* & *Lydia*.

AGAR. *Fons*, inquit noſter, *Gen.* XVI. 7. At eo in loco non dicitur fons vocatus *Agar*, ſed Agaræ ab Angelo oſtenſus. Si fons ille nomen ab Agara duxiſſet dictus eſſet עין-הגר *hen hagar*, ſeu Hagaræ fons, non *fons Hagar*, quaſi poſterior vox eſſet in nominandi caſu. Sed forte in iis locis, ut fieri ſolet, oſtendebatur fons, qui vocabatur *fons Hagar*. Verum ejuſmodi Myſtagogis non facile credendum.

AHION, AION. Hebraice: עיון *hijon*, quod nonniſi vitioſe potuit duplici ratione a Latinis efferri. Attamen priore modo ſcribitur 3. Reg. XV. 20. poſteriore 4. Reg. XV. 29. Emendandum hoc fuit a Vulgatæ editoribus, ne Hebraicæ Linguæ imperiti fallerentur ſcriptionis varietate.

AJALON. Obſervat *Samſon* I. Paral. VI. 69. ſcribi *Helon*. Addere debuit perperam; nam Hebraice eſt אילון *ajalon*; quod efferri potuit *Elon*, ſed non *Helon*, cum nemo credat א adſpiratam eſſe. Non puto ab *Hieronymo* nomen eodem modo ſcriptum duplici ratione, & quarum altera quidem manifeſto eſt vitioſa, expreſſum. Exſcriptorum hoc delictum fuerit, quod a Romanis Vulgatæ caſtigatoribus emendandum fuit. LXX. vero Interpretes ſcribunt Αἰλών.

AILATH. Ad hanc vocem filius Amaziæ Regis Judæ, de quo 4. Reg. XIV. 21. bis vocatur *Azariath*, perperam; nomen ejus fuit עזריה *hazarjah*. Non eſt quod miremur veteres Librarios Græcos & Latinos tam portentoſa peccata commiſiſſe in nominibus propriis Bibliorum, ut liquet ex libris *de nominibus & locis Hebraicis*;

cum

cum vir doctus, qui interlinearia saltem Biblia *Ariæ Montani*, ne alia memorem, præ oculis debuit habere, & facile potuit Hebraicæ Linguæ elementa discere, si in nominibus Hebraicis vacillaret.

ALEXANDRIA. *A Bochardo*, inquit Samson, *nulla est in toto Veteri testamento; ubi pro Alexandria legit Thebas Ægyptias, sive Diospolim* &c. Miræ he sunt loquutiones, & hominis harum rerum parum periti. *Bochartus* (non *Bocardus*, quomodo etiam insignis Criticus hoc nomen scribit; quod adducit, ut videatur legisse auctorem, quem non intelligebat, quippe Hebraicæ Linguæ imperitus) Phalegi Lib. I. c. I. merito negat *No-Amon*, debuisse verti *Alexandriam*, quippe nondum conditam temporibus Jeremiæ Ezechielis & Nahumi, ostenditque esse Thebas Ægyptias.

ALIMIS. Dicendum erat *Alimi*, nam est in Græco I. Mac. V. 26. ἐν Ἀλίμοις, vel Ἀλέμοις, quæ ostendit vocem esse Dativi casus. Sic quoque peccavit *Augustinus Lubinus*, in Tabulis Geographiæ Sacræ. Talia hic non notarem, crederemque potius esse Typographica errata, quam Auctorum; nisi nimis essent frequentia in eorum scriptis: Ceterum de hac urbe vide *J. Drusium* & *H. Grotium* ad I. Maccabaicum.

ALMATH. Dicitur vocari etiam *Almon* Jos. XVIII. 15. sed nulla ibi *Almonis* mentio, verum dumtaxat Cap. XXI. 18. Vocatur עלמון *halmon* a Josua; sed I. Paral. VI. 60. (non 6.) עלמת, si modo nullum sit in alterutro loco mendum, nam ex postremis vocis literis ון non difficulter fieri potuit ת, & vicissim. Quare nobis sæpe in hisce nominibus hæreat aqua necesse est, cum simus antiquioribus Codicibus destituti.

AMAAD. Hebraice עמעד *hamhad*. Recte in Alexandrino Codice AMAΔ vocatur, male in Romano AMIEΛ, quæ est mera depravatio prioris nominis. Neque ex hoc uno exemplo, sed ex multis etiam aliis Codicem Alexandrinum Romano emendatiorem esse deprehendi. Igitur male *Lubinus* dicit hanc vocari a LXX. Intt. *Amiel*, quia unum Codicem Romanum consuluit.

AMAM-SAMA. Sic conjunctim legit *Samson*, sed in Hebraico Codice disjunctim legimus אמם ושמע *amam ouschemah*, ut & apud LXX. Ἀμάμ καὶ Σαμαά ex Cod. Alexandrino, nam in Vaticano corruptæ sunt hæ voces. In Vulgato omissa est conjunctio. Vide *Andr. Masium*, ad subductionem numeri urbium, in Tribu Juda.

AMANA. *Vicus*, inquit noster, *seu locus ad orientem maris* (*mortui*) *ubi erit sepulcrum Gog in valle viatorum* Ezech. XXXIX. 11. Miror ex qua editione Bibliorum hæc hauserit, nam habet Vulgata, non quidem vers. 11. sed vers. 16. *Amona*, ex Hebræo המונה *hamonah*. Præterea vaticinium hoc est, cujus ignotum est implementum, nec umquam fuit ea urbs in Judæa. Sæpe Prophetæ dicunt homines aut urbes, aliis atque aliis nominibus vocatum iri, ut significent id fore urbes atque homines, quod nomina illa significant, non sic vulgo appellatum iri. Vide Jerem. XXIII. 6. XXXIII. 16. Itaque merito *Samsonem* castigat *Lubinus*, quem vide in *Amona*. Lege & quæ nos infra ad *Amona*.

AMANA. Recte montem interpretatur *Samson* ex Cant. IV. 8. sed nescio unde *Lubinus* acceperit ex ejus radicibus fluere fluvios Damasci Abana & Pharphar. Nam ii quidem fluvii memorantur 4. Reg. vers. 12. sed nulla de eorum fontibus illic mentio.

AMETHYTA. Imo *Amerytha*, Græce Ἀμήρυθα. Vide *Josephum* pag. 1013. Ed. Genevensis.

AMMON. *Filius*, inquit, *fuit de filiabus Lot*. Mira loquutio, neque enim, ut opinor, utriusque Loti filiæ fuit filius.

AMONA. *In tribus Ruben*, inquit, *finibus*. Tum citat Ezech. XXXIX. 16. Est commentitia urbs, quæ antea dicta perperam *Amana*, ut liquet ex Ezechielis loco, quem ideo hic recitabo a vers. 11. *Dabo Gog locum nominatum sepulcrum in Israel, vallem viatorum ad orientem maris, quæ obstupescere faciet prætereuntes & sepelient ibi Gog & omnem multitudinem ejus* (Hebraice, המונה hamonah) *& vocabitur vallis multitudinis* (המון hamon) *Gog. Et sepelient eos domus Israel &c. nomen autem civitatis Amona*, המונה *hamonah*. Primum nescio quare *mare mortuum* antea interpretatus sit Samson, potius quam Gennesarethicum. Deinde cum in Tabula collocarit tantum *Amona* omissa Amana, ad meridiem torrentis Zared, cur latitudinem loci, ad *Amana*, ait esse graduum 31. scrupulorum 1. ad *Amona* vero scrupulorum 4? Merito *Lubinus* ad hunc locum: *miror novorum Geographorum audaciam, qui civitati Amona certissimum situm adsignant, ad orientem maris mortui, in finibus tribus Ruben. Si simili in ceteris audacia procedant, quæ sit eis adhibenda fides non video*. Nec ego sane, & miror hisce artibus laudem potuisse parari docti & accurati Geographi.

AMORRHAEI. *Nomen habent*, inquit, *ab Amorrhæo quarto filio Chanaan*. At Gen. x. 16. אמורי *Emori* non est nomen viri, sed gentis; nec aliud vult Moses, nisi ex Chanaane esse oriundos *Jebusæos*, *Amorrhæos*, & ceteros qui illic memorantur, quæ ratio loquendi frequens est in illis Genealogiis.

AMOTH-DOR. Hanc observat *Samson* vocari *Hammoth-dor*, *Hemath-dor*, & *Hamon* 1. Par. VI. 36. sed negat eam esse inter urbes novemdecim, quas Josue recenset in tribu Nephthali Cap. XIX. 32. Fallitur, nam quæ Jos. XIX. 35. dicitur חמת *hhamath*, eadem esse videtur ac quæ vocatur Cap. XXI. 32. חמת-דאר *hammoth-dor*, quæ vox forte melius legetur hic *hhammath-dor*, ut Cap. XIX. In Alexandrino Codice est Ἐμαθδώρ, qua lectione confirmatur conjectura nostra.

ANA. Citatur locus 4. Reg. XVIII. 34. & XIX. 13. in quo legitur: *ubi est Deus Emath & Arphad, ubi est Deus Sepharvaim, Ana & Ava*; nisi quod in posteriori loco, pro *Deus*, est *Rex*, & voci *Sepharvaim* additur vox *civitatis*. Ad hæc Samson observat *Emath*, *Arphad*, *Sepharvaim*, *Anam* & *Avam* esse aut Deos, aut urbes, in quibus ejusdem nominis Dii colebantur. Constat sane *Emath* & *Sepharvaim* esse nomina urbium, nec dubito, quin reliqua etiam sint. Sed quo indicio colligi posset hic Deos cognomines significari? Nullo. Qui Hebraice nesciunt, credere forte possent *Deum Emath* dici *Deum*, cui nomen est *Emath*, sed qui Hebraica adspexerint, & legerint אלהי חמת, item אלהי ספרוים, vertent *Dii Chamathæ*, *Dii Sepharvajimorum*. Consuetudo non declinandorum barbarorum nominum sæpe incautos fefellit. Solæ voces *Ana & Ava* 4. Reg. XVIII. 34. possint haberi nomina Deorum, qui colebantur Sepharvajimis; sed si legas eadem verba in sequenti Capite, ubi sic concepta sunt: *Rex Sepharvajim*, *Ana & Ava*, facile intelligere licet postrema etiam hæc nomina esse urbium. Fallitur etiam *Lubinus*, qui hominis aut Dei nomina putat.

ANAMIN. Gen. x. 13. cum reliqua nomina, quæ hic a *Samsone* recitantur, desinant in IM, more Hebraico, cur hoc solum nomen in IN, quasi Chaldaicum esset, terminavit? Sane non tantum in Hebræis, sed & in Latinis Codicibus omnia terminantur in IM. Si *Samson* legere Hebraica potuisset, crederem eum mendum hoc exscripsisse ex titulo Cap. XXX. Lib. IV. Phalegi *Bocharti*; ubi simile admissum a Typothetis mendum; nam est ענמין *hanamin*, pro ענמים *hanamim*, ut est apud Mosem.

ANAMA. Imo *Anania*, ענניה. Sic enim habetur Nehem. XI. 32.

ANGE. Montes hi, de quibus sermo est Judithæ II. 12. in versione Latina, puto esse Nephelococcygiæ montes, non minus ac *Bæktilæth*, quod est in Græco Exemplari. Legat lector Geographiæ Orientalis non imperitus iter hoc Holophernis, & intelliget ex ejusmodi narratione non esse colligenda urbium nomina.

ANTIPATRIS. Aliter *Chapharsalama* 1. Macchab. VII. 31. & *Chapharsaba*, Joseph. Lib. XIII. 23. Vide de hac urbe collecta a *Joanne Lightfootio* Chor. Matthæo præmissæ Cap. LVIII.

ANUATH. Scriptum sic est in Græcis ἀνουάθ. Codex Samsonis fuit Latinus, ubi facile *Annath* scriptum pro *Anuath*, inversa littera *n*. In Græcis error non ita proclivis. *Eusebius* in locis Hebr. meminit duplicis loci, eo nomine appellati.

APADNO. Non est urbs, sic enim habent verba Danielis Cap. XI. 45. *Et figet* אהלי אפדנו *tabernacula aulæi*, aut *tentorii sui*. LXX. Intt. cum non intelligerent hanc vocem, nomen proprium esse crediderunt. Sed melius deducitur a radice אפד *vestivit*, & *tentorium* vertitur. Male *Adrichomius* hinc urbem fecit in tribu Juda.

APHOECA. Scribe *Apheca*, Jos. XV. 53. Hebr. אפקה *aphekа*.

ARABIA. *Solis*, inquit noster, *Semi posteris possidenda*. Cur? ubi facta ea divisio orbis, inter filios Noachi? Nusquam. Quis agros terrarum orbis vacuos familiis illis divisit? Nemo. Nec quamvis plerique Semi posteri Asiam incoluerint, continuo sequitur eam iis solis attributam.

ARAC. Non dicit Moses Gen. x. 17. *Arac* fuisse filium Chanaanis, sed ex Chanaane ortum הערקי *Arkæum*, nimirum, populum. Est enim hoc nomen gentis, seu populi. Hunc collocat in Libano *Sam. Bochartus* Lib. IV. Phalegi C. XXXVI. Vide & *Augustin. Lubinum*, in Tab. Geogr. Sacræ.

ARBELA, non *Arbella*, urbs Galilææ *Josepho* Ant. Lib. XII. c. 18. Forte est Salman-betharbel, de qua Hosea Cap. x. 14. Vide *Joan. Lightfootium* Centur. Chor. Matthæo præmissa. Cap. LXXXV.

ARNON. Vult *Samson* liquere ex Num. XXI. 13. fuisse *urbem*, *montem & torrentem*. De torrente certum est, sed montem & urbem fuisse non docet Moses, qui sic habet

habet ad verbum : *Hinc moventes caſtra poſuerunt trans Arnonem , qui eſt in deſerto , egrediturque e finibus Emorrhæorum :* אשר במדבר היצא מגבל האמורי. Quod verterunt οἱ LXX. ἐν τῇ ἐρήμῳ τὸ ἐξέχον ἀπὸ τῶν ὁρίων τῶν Ἀμοῤῥαίων. *in eremo exortum a finibus Amorrhæorum*. Quæ Græca verba perperam intellecta ab Hieronymo verſa ſunt, nam ſæpe ex Græcis Hebraica vertit *: quæ eſt in deſerto & prominet in finibus Amorrhæi*. Primo in Hebraicis אשר tam poteſt verti *qui*, quam *quæ;* ita ut ad *torrentem* referatur, & ſic debet verti, quia urbis *Arnon* nullum eſt in Scriptura veſtigium, torrentis vero mentio clara & frequens. Deinde in Græcis ἐξέχον, non eſt hic *eminens*, nam reſpondet Hebraicæ voci יוצא *egreſſum;* quod, ubi de flumine ſermo eſt, ſignificat *exortum*, *erumpens*, quæ eſt etiam vocis Græcæ ſignificatio. Oportuiſſet *Hieronymum* hic ex Hebræo codice Græcam vocem intellexiſſe, non vim intuliſſe Hebraicæ ex Græca loquutione perperam intellecta. Eumdem errorem admiſit, in verſione locorum Hebraicorum *Euſebii*. Vocem Hebraicam hoc ſenſu de fluvio uſurpat Moſes Gen. II. 10. ubi vide a nobis notata. Poſſet tamen, ne quid diſſimulem, ex Joſ. XIII. 16. aliquid adduci ad confirmandum urbem fuiſſe torrenti cognominem; quia dicitur urbs ſita *in medio torrente* Arnon, nec ejus urbis nomen ullum editur. Attamen *urbis Arnon* diſerta mentio nuſquam occurrit. *Euſebius* meminit dumtaxat loci prærupti, aut vallis, cui nomen *Arnona*.

ASCALON. De duplice Aſcalon earumque ſitu varia habet *Joan. Ligtfootius* Chorogr. Matthæo præmiſſæ Cap. XIV. quæ digna ſunt quæ legantur.

ASEMONA. *Haſſemona* & *Haſſemon* non ſunt duo nomina ejuſdem urbis, ſed unum idemque nomen. Nam עצמון *hatſmon* eſt nomen ipſum, quod cum motu ad locum effertur עצמונה *hatſmonah*, ut norunt tirones. Vide loca a *Samſone* allata.

ASEPHON, *Aſaphon*, *Aſophon*. Quærit *Samſon* an ſit alius locus a Sophon, qui trans Jordanem. At Joſephus unius loci Ἀσωφὼν meminit, a Jordane non remoti, Ant. Lib. XIII. cap. 21. initio.

ASER-MACHMETAD. Imo *Machmethath;* nam deſinit in *Thau*, non in *Daleth*.

ASTHAROTH. Mentio fit hujus urbis, locis a *Samſone* allatis, & Gen. XIV. 5. ſed nuſquam vocatur *Baſan* aut *Boſran*. *Baſan* nomen fuit, non urbis, ſed totius tractus, cujus Rex fuit Hogus, Deut. I. 4. *Boſran* vero eſt corruptio vocis Hebraicæ בעשתרה *beheſtherath*, quæ eſt nomen urbis Baſanitidis, Joſ. XXI. 27. ſed quis dixerit eamdem fuiſſe cum *Aſtharoth* עשתרות*?* Poſtea noſter *Boſram* illam commentitiam confundit cum *Boſtra Ptolemæi*, quæ fuit urbs Idumææ. *Haſtharoth* vero, in cujus æde ſuſpenſa ſunt a Philiſthæis arma Saulis, vocabulum eſt Deæ Phœnicum notiſſimæ, etiam apud Græcos, qui eam *Aſtarten* vocabant, de qua vide *Joan. Seldenum* de Diis Syris Syntagm. II. Cap. 2. Igitur minime neceſſe eſt ita dictam Deam, quod eſſet in urbe *Aſtharoth*, cum Sidone, aliiſque Phœniciæ urbibus coleretur.

ATTALIA. Laudat noſter Act. XIV. 24. *ubi*, inquit, *nomen ſcribitur cum duplici tt, quod aliis omnibus cum ſimplici*. Neſcio quibus Geographis, quibuſve Codicibus uſus ſit vir doctus, nam optimi quique Geographi ſcribunt *Attalia*; prout debet ſcribi, cum deductum nomen ſit ab *Attalo* conditore. *Strabo* in deſcriptione Pamphyliæ Lib. XIV. Πόλις Ἀτταλία, ἐπώνυμος τοῦ κτίσαντος Φιλαδέλφου *: urbs Attalia, quæ nomen habet a Philadelpho*, ( nimirum, *Attalo* cui Philadelpho cognoment fuit ) *qui eam condidit*. Sic *Stephanus* Byzantinus, ad quem vide Interpretes; ſic & *Plinius* Lib. V. cap. 30. ſcribit nomen Attaliæ Lydiæ, ſic & alii. Unam vidi tabulam primam Aſiæ Ptolemæi, ubi vitio ſculptoris ſcriptum eſt *Atalia*. Hæc notatu digna non erant, niſi iis occaſionem præbuiſſet *Samſon*, qui Geographiæ veteris æque peritus ac novæ fuiſſe non videtur, nec antiquas hiſtorias multum triverat.

AURAINTIS. De hoc tractu vide quæ habet *Joan. Lightfootius* Chorogr. præmiſſorum Lucæ Cap. I. Sect. V.

## B

BAHURIM. Eadem erat ac *Halmon*, ſeu *Hellemeth*, ſi credimus Paraphraſtæ Chaldæo in 2. Reg. XVI.

BALOTH. Vult vir doctus Joſ. XV. 24. & 25. ubi legimus in Hebræo Codice*:* בעלות וחצור חדתה *babaloth vehhatſor hhadathah*, vertendum, *Bahaloth Aſor, quæ eſt Aſor nova*. Cujus rei ſat graves rationes non video ; nec ſane חדתה *hhadatha*, niſi Chaldaica dialecto novam ſignificat ; nam Hebræi dicunt חדשה *hhadaſchah*, & prӕterea conjunctio prӕfixa voci חצור *hhatſor*, hanc vocem diſtinguit a ſuperiore. Ceterum de urbibus, quæ vocabantur *Aſor*, vide *J. Bonfrerium* in Onomaſtico urbium & locorum S. Scripturæ.

BENEHAACAN. Lege: *Benejaakan*. Num. XXXIII. 31.

BETHANIA. Pagus a *Samſone* neſcio cur omiſſus, remotus Jeroſolima XV. ſtadiis. Vide Matth. XXI. Marc. XI. I. &c. & quæ de eo habet *Joan. Lightfootins* Cent. Chorogr. Matth. præmiſſæ Cap. XLI.

BETH-EL, *domus Dei*, dicta ſarcaſtice BETH-AVEN, *domus iniquitatis*, Hoſ. IV. 15. ſita fuit ad ſeptemtrionem Tribus Beniaminis. Vide *Joan. Lightfootii* Cent. Chorogr. Matthæo præmiſſam Cap. XX.

BETH-PHAGE. Vicus in monte Oliveti, aut certe pars aliqua ejus montis. Vide Matth. XXI. Luc. XIX. 29. & quæ habet de hoc loco *Joan. Lightfootius* ibid. Cap. XXXVII. Miror hunc locum fuiſſe a *Samſone* omiſſum, qui tot ignobilium vicorum meminit.

BETH-SAIDA. Duplex fuit, contra quam vulgo putant, *Bethſaida*. Altera Galilææ, ſive ad occaſum lacus Geneſerethici, de qua Joan. XII. 21. ubi dicit Philippum fuiſſe ἀπὸ Βεθσαϊδὰ τῆς Γαλιλαίας. Conſtat autem Galilæam omnem fuiſſe ad occaſum ejus lacus. Altera Bethſaida fuit ad ortum ejuſdem, in Batanæa, de qua Marc. VIII. 22. Hanc inſtauratam a ſe vocavit Juliadem Philippus, Herodis filius, qua de re vide *Joſephum* Ant. Jud. Lib. XVIII. c. 3. Vide & *Joan. Lightfootium* in Centur. Chorograph. Matthæo præmiſſæ Cap. XCIII. ubi tamen perperam carpit Tabulas, quæ Bethſaidam in Galilæa collocant, immemor loci Joannis XII. nec aliam agnoſcit Bethſaidam, præter eam quæ Julias poſtea dicta eſt.

BETH-SALISA, al. *Bæſaliſa*. Sic *Samſon*, ſed utrumque nomen commentitium eſt. Petita ſunt ex locis Hebraicis *Euſebii* & *Hieronymi*; ubi *Euſebius* Βαιθσαρισάθ, ἔνθεν ὁ ἄνθρωπος πρὸς Ἐλισσαῖον, *Hieronymus* vero *Bethſaliſa*. Reſpiciunt ad 4. Reg. IV. 42. ubi in Hebræo codice eſt *Babal-ſaliſa*, ut habet & Vulgatus Interpres. Nec dubito quin ita legerint *oi* LXX. ſed in nominibus propriis immanes ſunt in ea verſione depravationes, quæ vitari aut emendari non potuerunt ab Hebraicæ Linguæ imperitis.

BETH-SECCA. *Samſon* hanc eamdem facit cum Bezec בזק, de quo Jud. I. 4. Non inteligo quare. Tum profert Jud. VII. 22. ubi Madianitæ dicuntur fugiſſe *uſque ad Beth-ſetta*. *Alii*, inquit, *legunt Beth-ſecca*. Qui ſunt illi alii? In Hebraico textu eſt בית-שטה *beth ſchittah*. Cetera ſunt meræ depravationes.

BETH-SIMOTH. Citat Num. XXXIII. 49. & Joſ. XIII. 20. tum ait Ezechielem XXV. 9. legere *Beth-jeſimoth*. Sed ſic etiam legitur in Vulgata, apud Joſuam, & ubique in Hebræo Codice, בית-ישימות *beth jeſchimoth*. Igitur mendoſæ ſunt Vulgatæ editiones Num. XXXIII. 49. negligentia correctorum Romanorum; niſi quis velit *Hieronymum* habuiſſe mendoſum codicem, aut ubi literula *Jod* non ſatis diſtincte ſcripta erat.

BETHUL. *Bethul* & *Bothuel* cum utraque dicatur urbs Simeonitarum, iiſdemque locis collocetur, unam eamdemque haberi nemo mirabitur. Sed urbem Tribus Judæ, de qua Joſ. XV. 30. & quæ dicitur כסיל *cheſil*, nemo facile credet, quamvis in eadem regione fuiſſe dicerentur.

BETHULIA. Hanc putat eſſe *Bethlechem*, quæ recenſetur inter urbes Zabulonis Joſ. XIX. 15. Hoc non facile ſibi perſuadebit quiſquis Hebraice ſcit; nam eſt nimium diſcrimen inter בתוליה *bethouljach*, & בית-לחם *bethlechem*. Sed ubi fuit, inquies, *Bethulia*? Neſcio.

BUBASTUS. Ezech. XXX. 17. Eſt Hebr. פי-בשת *phi-beſeth*, quam non male *Bubaſtum* verterunt *oi* LXX. & Vulgatus Interpretes.

## C

CADEMOTH. Vult hanc *Cedimoth* dici Joſuæ XIII. 18. ſed eſt mendum; etenim in Hebraico textu ubique eodem modo ſcriptum קדמות *Kedemoth*, quod eſt eadem ratione pronunciandum.

CADES. Plerique duplicem ſtatuunt, ita ut Cades-Barnea intelligatur eſſe magis ad occaſum, Cades ſimpliciter magis ad ortum, ſed utraque ad meridiem. Hanc tamen ſententiam confutare nititur *Joannes Lightfootius* Cent. Chorog. Matth. præmiſ. C. VII.

CADES-ASOR. Ait vir eruditus ſic ſe legere Joſ. XV. 23. ut numerus urbium conſentiat cum ſumma, quam ſubducit Joſua. Itaque delet conjunctionem, nam Vulgata ipſa habet, ex Hebraico Codice: *Cades & Aſor*. Sic ſæpe factitat Geogra-

graphus noster. Sed quis eum docuit in hisce vocibus, potius quam in aliis, esse mendum? Unde scit nullum esse in subductione totius summæ? Mallem nihil mutare.

CAESAREA. De Cæsarea, antea turri Stratonis dicta, varia ex Josepho & Rabbinis habet *Joan. Lightfootius* Cent. Chorogr. Matthæo præmissæ Cap. LVII.

CAMPUS MAGNUS. Vide accuratiorem descriptionem hujus vallis ex *Josepho* & aliis, in Dissertatione nostra de subversione Sodomæ.

CAMPI SILVAE Ps. CXXXI. 6. Non est proprium nomen loci, sed significat campos silvestres, in quibus erat Arca, antequam Jerosolimam intromitteretur. Vide Interpretes ad eum locum.

CANA. Remotam fuisse Tiberiade, aliquot tantum horarum itinere, liquet ex eo quod *Josephus* in vita sua narret se, una nocte, Cana Tiberiadem ivisse, cum ducentis viris. Aliquoties ejus oppidi meminit. *Joan. Lightfoot*. Cent. Chorogr. Matthæo præmissæ Cap. XC.

CAPERNAUM. Sita fuit inter Tiberiadem & Tarichæas, ut putat *Joan. Lightfootius* Cent. Chor. Matthæo præmissæ Cap. CXXX.

CAPHTHORIM Gen. X. 13. 14. Ostendimus esse majoris Syrtis in Africa accolas ad eum Geneseos locum; ubi, si vacat, vide quæ habemus. In locis a nostro allatis, ubique est *Caphthorim* in Hebræo textu, sed eos Cappadoces fuisse existimavit *Hieronymus*.

CATHETH-NAALOL. Disjunctim scripta sunt קטת ונהלל *Kattath venahalol*. Jos. XIX. 15. & similiter in versionibus LXX. Intt. & Vulgatæ.

CAUDA, insula. Dignum erat notatu eam *Claudam*, in Græcis exemplaribus, dici Act. XXVII. 16. Ab aliis Gaudos vocata, sed verum nomen videtur fuisse *Gaulos*. Vide *Sam. Bochartum* in Chanaan Lib. I. c. 36.

CENCHRAE. *Samson* notat hoc navale a scriptoribus Græcis & Latinis dictum esse *Cenchreas*, & sic vocatur in textu Græco Act. XVIII. 18. Rom. XVI. 1.

CEDRON. Nonnulla de hac valle lectu non indigna habet *Joan. Lightfootius* Cent. Chorog. Matthæo præmissæ Cap. XXXVIII.

CETHIM. Recte Macedoniam interpretatur, ut ostendimus contra *Sam. Bochartum*, qui Italiam esse putabat Phalegi Lib. III. c. 5.

CHALDAEA. Si *Samson* noster æque versasset veteres Geographos & Historicos, ac recentiores, animadvertisset hic Chaldæam esse duplicem. Nam alia est Chaldæa, ex qua ortum ducebat Abrahamus: alia, cujus meminerunt Jeremias & Ezechiel. Prior igitur fuit Armeniæ vicina ac montosa; posterior ad Austrum Babyloniæ, in patentibus campis. Quod hic non ostendam, cum jam probarim in Indice Philologico Philosophiæ Orientalis *Thomæ Stanleii*, quem, si ita videatur, adito. Postea animadverti suboluisse hoc *Samsoni*, quem vide ad vocem *Ur*. Antea neminem videram, qui hoc deprehendisset. Sed nec omnia legimus, nec omnium quæ legimus meminimus. Sic sæpe contigit pluribus idem in mentem venire, qui minime capita contulerunt, nec alii aliorum scripta legerunt; Quamobrem, si qua laus ex inventione, omnibus æque debetur. Scio esse qui continuo plagii suspicentur eum qui similia, post alium, dicit, sed alios ex suo animo metiuntur, qui cum nihil legant, nihil possunt invenire, sed necesse habent omnia ex aliis exscribere, & ex lutulentis rivis haurire quæ alii ex ipsis fontibus habent.

CHALE. Hanc dictam etiam fuisse vult *Halam* & *Labelam*. Observandum primum כלח *chalahh* fuisse urbem Assyriæ, metropolin Calachenes, ad Lycum fluvium, ut ostendit *Sam. Bochartus* Phalegi Lib. IV. c. 22. Secundo in locis 4. Reg. XVII. 6. XVIII. 11. vocari urbem illam חלח *hhalahh*, mutato כ in ח, quod proclive est; nec debuit mirum videri *Lubino*, sed bonus vir Hebraica non inspexerat, nec forte legere poterat; ideoque totus ubique pendet ex vitiosis lectionibus LXX. Interpretum. Doctior hac in re non fuit *Samson*, qui ait *Labelam* dictam hanc urbem 1. Par. V. 26. ubi est: ויבאיהם לחלח *vaijabihem labhlahh*, ubi ל significat motum ad locum, *in Hhalahh*, nec est radicalis, ut liquet ex 4. Reg. XVIII. 11. ubi in eadem historia est בחלח *bahhalahh*, hoc est, in Hhalahh. Recte est in Alexandrino Codice Versionis LXX. εἰς Χαλὰ, non εἰς Χαὰχ, ut est mendose in Vaticano. Res est Hebraice scientibus manifesta.

CHAM. Recte terram Cham interpretatur Ægyptum Ps. CV. 22. qua de re consule *Sam. Bochartum* Phalegi Lib. I. c. 2.

CHARAM. Mendose sic scribitur, pro *Charan*, nam Hebraice semper est חרן *hharan*, de quo vide dicta ad Gen. XI. 31. Locus Tobiæ XI. est dubius, quia nec nomen *Charan*, nec aliud simile habet textus Græcus, & אקרים *akrim* est in versione

ſione Hebraica *Fagii*, quam ex Græco quodam exemplari derivatam volunt. Vide *P. Dan. Huetium*, in Demonſtratione Evangelica, ubi agit de libro Tobiæ.

CHASLUIM. Populos fuiſſe Libyæ Pentapolitanæ oſtendimus ad Gen. x. 14. ubi dicta vide.

CHUS. Recte in Arabiam tranſiiſſe dicitur, non in Æthiopiam, qua de re multis *Sam. Bochartus* Phalegi Lib. IV. c. 2.

COA. Eſt confictum nomen, ſi ſequamur hodiernam punctationem, ex qua dicitur fuiſſe *exitus equorum Salomonis ex Ægypto* ומקוה *oumjkveh*. Quæ vox efferenda eſſet *Mikkovah*, ſi nomen eſſet proprium. 3. Reg. x. 28. Sed vox eſt obſcura, nec temere rejicienda Latini Interpretis punctatio, cum quo conſentiebant olim LXX. Intt. ut liquet ex locis Hebraicis, ubi habet *Euſebius*: Κωὸ πλησίον Αἰγύπτε. Scriptum fuit KUA, unde librarius fecit ΚΩΑ, ut liquet ex ſimilitudine elementorum, verſioneque *Hieronymi*, quæ habet *Coa*. Nunc miro errore, in antiquiſſimis Codicibus Vaticano & Alexandrino, eſt θεκβὲ 3. Reg. x. at 2. Par. I. 16. ubi eadem hiſtoria & eadem vox, eſt verſa τιμὴ, *pretium*.

COELE-SYRIA. *Cavam* noſter interpretatur *planam & humilem*, Debuit dicere *cavam* vocatam, quod vallis eſſet inter duos montes, unde κοίλη dicta. Nam plana quævis & humilia loca non dicuntur *cava* aut κοιλά. Nemo inferiorem Ægyptum *cavam* dixit, quæ humilis & plana eſt. Vide de hac *Sam. Bochartum* Phalegi Lib. II. c. 8. Græci κοιλάδας *valles* vocant, & loca in iis ſita κοιλά. *Euſtathius*: Κοίλη Λακεδαίμων ἐπιθετικῶς καὶ κοίλη Συρία ὅτι διὰ τὸ ὄρεσι περιειλῆφθαι ὅτω λέγονται. *Cava Lacedæmon epithetice, & cava Syria, quia montibus pariter cingi dicuntur*. Ed. Rom. pagg. 293. 303. & 1478.

CUTHA. *Forte*, inquit, *pro Suſa*. Debuiſſet potius memorare *Ciſſiam*, quæ hodie *Chuzeſtan*, regionem ad ortum Tigridis, & ſeptemtriones Suſianæ. *Coſſæi* populi *Arriano*, *Diodoro*, *Curtio*, *Polyeno* & *Ptolemæo* dicuntur.

## D

DALMANUTHA. Marc. VIII. 10. Urbs Perææ ſita ad meridiem lacus Geneſarethici, non procul ab Hippone, ex ſententia *Joan. Lightfootii* in Dec. Chorograph. præmiſſæ Marco Cap. v. 2.

DANNA. Joſ. xv. 49. *Legunt*, inquit, *alii Damna*, *alii Edenna*. Male, nam eſt in Hebraico Codice דנה *dannah*, nec LXX. Interpretes ullum M in ea viderunt, quamvis legerint R pro D, cum habeant ῥεννά. *Damna* dicitur urbs Zabulonis Joſ. XXI. 35. quæ non debet miſceri cum Danna, quæ fuit in Tribu Judæ; nec omittenda fuit a *Samſone*. Itaque recte ejus ſeorſim meminit *Lubinus*.

DAPHNE. Locus ille non eſt profanis notus, propter fabulam Apollinis & Daphnes, ut vult noſter; nam quod Græcanica fabula narratur fertur contigiſſe in Theſſalia, cum Daphne dicatur filia Penei. Suburbium hoc amœniſſimum Antiochiæ dictum eſt Δαφνὴ a Græcis, propter frequentiam laurorum. Vide *Strabonem* Lib. XVI. in deſcriptione Syriæ, *Stephanum* Byzantinum, & quæ de eo loco congeſſit *Iſ. Cauſaubonus* ad M. Antoninum *Capitolini*.

DAPHNIS. Non eſt ullum nomen fontis in Hebraico Codice, neque in LXX. Intt. Num. XXXIV. 11. ad quem locum vide *Jac. Bonfrerium*.

DEDAN. Vide de hoc *Sam. Bocharti* Phal. Lib. IV. c. 6. ubi accuratiora omnia.

DESERTUM JUDÆÆ. De quo in Novo Teſtamento; deſcribitur a *Joanne Lightfootio* in Decadis Chorographicæ Marco præmiſſæ Cap. II. 4.

DION. *Eam*, inquit, *Ptolemæus* Dium *vocat*. Quaſi Δίων & *Dium* differrent! aut quaſi *Ptolemæus* Latine ſcripſiſſet! Sed bonus vir inſpexit tantum tabulas ſculptas *Ptolemæi*, non ipſum *Ptolemæum* Græce loquentem.

DODANIM. *Sam. Bochartus* vult hic ut I. Paral. I. 7. ſcribi *Rodanim*, putatque Rhodani accolas intelligendos Phalegi Lib. III. c. 6. nos *Dodonæos* aut Epiri, aut Theſſaliæ. Vide dicta ad Gen. x. 4. Nimis tenuis eſt ſimilitudo inter *Dodanim* & *Danubium*, quam ut propterea antiquorum illorum populorum ad Danubium ſedes quærantur.

DOMMIN. Imo *Dommim*, aut, ex Hebraica prolatione, Dammim. Sic & I. Paral. XI. 13. *Phaſ-dammim*, non *dammin*. Sæpe ita peccatum ab imperitis, aut oſcitantibus Librariis; ut jam antea animadvertimus, poſſetque pluribus exemplis probari.

E

E

ECBATANA. *In variis Scripturæ locis nunc castrum, nunc oppidum, nunc mons, & tandem civitas vocatur*. Sic *Samson*, & primum profert 1. Esd. VI. 2. *In Ecbatanis, quod est castrum, in Medena Provincia, inventum volumen &c.* Sed in Hebræo textu legimus: *Et inventum est in scrinio* ( באחמתא *beahhmetha* ) *in palatio quod erat in Media provincia volumen &c.* Sic legebatur a LXX. Intt. nam in Codice Alexandrino est, ἐν Ἀμαθᾷ, unde liquet Ecbatanam hic frustra quæsitam. Locus 3. Esdr. VI. 13. non est sat magni ponderis, & potest scriptoris illius opinionem, non rem compertam, complecti. Constat sane אחמתין *ahhmethin*, capsas significare, in Paraphraste Chaldæo Cap. I. 4. Estheræ. De monte *Ecbatanis* in versione Latina Tobiæ V. 8. nescio quid sentire possimus, nam in Græcis nullum ejus vestigium; quamquam satis constat Ecbatana in colle sita fuisse. Vide *Herodotum* lib. I. c. 98. Ceteroqui certum est Ecbatana caput fuisse Mediæ.

EDRAI-ENASOR. Hæc sejunctim leguntur Josuæ XIX. 37. sed jungit *Samson*, ut constet numerus. Verum cur has potius quam alias? Cur etiam hic negligit Vulgatam, quæ, ut Codex Hebræus, sejunctim habet *Edrai & Enhasor*; quam alioqui non audet, vel ex Hebraico Codice, emendare?

ELAM. Populus medius inter Mesopotamiam & Mediam, de quo consule *S. Bochartum* Phaleg. Lib. II. c. 2. qui accuratius docebit quæ de eo cognosci possunt, quam *Samson*, qui in talibus non raro peccat: quamquam laudet aliquando *Bochartum*, sed quem non legerat; si enim legisset, multo frequentius eum sequeretur, nec in tenebris palparetur.

ELYMAIS. Dubito an fuerit urbs hujus nominis, quamvis hoc diserte habeatur 1. Macch. VI. 1. quem auctorem sequutus est & *Josephus*. Crediderim Macchabaicorum scriptorem nomen regionis pro nomine urbis sumsisse; nam Elymais est nomen totius tractus, ut Persis, non urbis. Judæi parum docti erant in ejusmodi rebus. Sic scriptor 2. Macch. Cap. IX. *Persepolin* vocat urbem, cujus Templum spoliare voluit Antiochus, quam alii in Elymaide constanter collocant. Vide *Bochartum* Phal. Lib. II. c. 2.

EMAUS. De loco sic dicto, Tiberiadi vicino, vide quæ collegit *Joan. Lightfootius* Cent. Chorogr. Matthæo præmissæ Cap. LXXV. & Lucæ Cap. IV.

EPHRON. Volunt Massorethæ legi עפרין 2. Par. XIII. 19. Revera *Ephraim vocatur* a *Josepho* Lib. IV. C. 33. de Bel. Jud. Sæpe meminerunt hujus loci Thalmudici doctores, ut ostendit *Joan. Lightfootius* Cent. Chor. præmissæ Matthæo Cap. LIII.

ETHAM. Nomen urbis variari ait *Samson*, scribi enim etiam *Etam*, *Athar* & *Ether*. Atqui עיטם *hetam* uno modo Hebraice scribitur, debetque sine adspiratione esse. Sic & עתר *hether*, Jos. XV. 42. XIX. 7. Si varie scribantur Latine, vitio hoc tribuendum Librariorum. Eamdem utramque esse vix crediderim, nam collationi locorum, & numerorum non satis credo; cum ubi lateat mendum ignoremus.

ETHROD. Num. XXXII. 35. עטרות *hatroth*, estque *Ethroth* in emendatioribus Codicibus Vulgatæ, nec potest esse *Ethrod*, quæ non est vox Hebraica. Sed est conjungenda hæc vox cum sequente Sophan, nam est in Hebræo Codice עטרות שופן, sine interjecta ulla copula, quæ in Vulgata addita est. Ut hæc urbs distinguatur a superiore, vocatur *Atroth-Sophan*, cum antecedens dicatur *Ataroth* simpliciter. Noster, eas separat, propter conjunctionem ET; quam tamen, cum videtur, prorsus negligit.

G

GABAA, & Gabæ & Gabee, & Gabaath, est unum idemque nomen Hebraicum גבעה *gibhah* aut גבע *gabah*. Tria priora sunt nomen in statu absoluto varie prolatum, postremum est in statu constructo גבעת *gibhath*. Aut veteres Interpretes non satis constantes fuerunt, in prolatione, orthographiaque vocum; aut certe Librarii parum diligentes. Ceterum videtur duplex *Gabaa* fuisse in Benjaminis Tribu; Levitica, nimirum, & Saulis sedes; imo & tertia Elehazaris in Ephraimi agris, quod docebit collatio locorum a *Samsone* prolatorum. Saulis sedem Jerosolyma remotam fuisse XXX. stadiis docet *Josephus* Ant. Lib. V. Cap. 6.

GADARA. Metropolis Peræ, ut docet *Josepus* de Bello Jud. Lib. IV. c. 26. de qua vide & *Joan-Ligtfootium* Cent. Chorogr. Matthæo præmissæ. Cap. LXXV.

GAL-

GALGALA, aut *Gilgal*. Duplicem esse vult *Joan. Lightfootius* Cent. Chorogr. Matthæo præfixæ Cap. LXXXVIII. Expendendæ sunt ejus rationes.

GALILÆA. De hac regione multa collegit *Joan. Lightfootius* Cent. Chorogr. Matthæo præmissæ Capp. LIX. & seqq.

GAMALA. Sita erat in inferiore Gaulanitide, ad lacum Genesareticum, e regione Tharichæarum. Quod colligere est ex *Josepho* Antiq. Judaic. Lib. XVIII. c. I.

GAVER 4. Reg. IX. 27. Hebraice גור *gour*.

GAZA. Duplex fuit. Una vetus, de qua *S. Bochartus* Chanaanis Lib. II. Cap. 12. quæ diruta postmodum fuit, ut liquet ex Act. VIII. 26. & *Hieronymo*, in locis Hebraicis. Altera nova, quæ diu postea stetit. Vide *H. Grotium* ad locum Actorum, & *Joan. Lightfootium* Chorog. Matth. præmissæ cap. XIII.

GAZARA. Sic vocat *Josephus* Antiq. Lib. XIII. c. II. urbem ad meridiem Jamniæ sitam, quæ *Gazer* aut *Gezer* vocatur 3. Reg. IX. 15. Eam *Strabo* Lib. XVI. mutato Zain in Daleth, appellat Gadara. Vide *Joan. Lightfootii* Cent. Chorogr. præmissam Matthæo cap. LXXV.

GEHON. Fluvius videtur fuisse Cassiotidis. Vide quæ notavimus ad Gen. II. 13.

GENESARETH LACUS. De hoc multa collegit *Joan. Lightfootius* Cent. Chorograph. Matthæo præmissæ cap. LXX. De regione vicina eumdem vide cap. LXXIX.

GESSEN. Gen. XLV. 10. Sine dubio mendum est Codicum Græcorum, qui habent γεσὲμ. Hebraice enim est גשן *goschen*.

GESSURI. Non est *pagus in Idumæa*, sed populus inter Judæam & Ægyptum, ut liquet ex loco allato, nisi more sequentis ævi, eum tractum Idumæam voces.

GIBLII. 3. Reg. V. 18. Sunt incolæ urbis *Gebal*, fabri lignarii, aut lapidarii. Vide Ezech. XXVII. 9. & Psalm. LXXXII. 8. Ceterum an *Gebal* sit *Byblos* diutius quærendum, quamvis loco Ezechielis dicentur Βίβλιοι a LXX. Interpretibus, facile enim potuerunt librarii nomen ignotum in notius mutasse; præsertim cum *Biblii*, aut *Byblii* vicini essent Tyriorum, de quibus illic agit Propheta.

GNYDUS. Scribe *Gnidus*, ut Act. XXVII. 7. & alibi ubique.

## H

HACHILA. Non male scriptum est hoc nomen, si referatur ad 1. Reg. XXVI. 1. 3. ubi collis hic vocatur חכילה *hhachlah*, sed male si ad 1. Reg. XXIII. 6. 8. 10. ubi mentio fit urbis קעילה *Kehila*. At credo in *Samsonis* verbis pro 1. Reg. XXIII. 14. legendum esse 19. ubi mentio collis *Chachila*. Sæpius enim Typothetæ in numeris peccarunt, quod nolim viro diligenti tribuere.

HALA. Vide dicta ad vocem *Cale*.

HALCATH. Efferendum *Helchath* duobus locis Josuæ, ex punctatione hodierna; aut utrobique *Halchath*, si ita velimus protulisse Veteres. Ceterum vix puto חוקק *hhoukok* verum nomen esse 1. Par. VI. 75. Suspecta mihi ea vox est. Librarii pro חלכת, in Codice non pulchre scripto, potuerunt prius illud legere. Sunt sane plura exempla talium mendorum, ex collatione locorum Scripturæ paralellorum colligenda. Sed nihil definio. Vide Jos. XIX. 34.

HAMATH. Quatuor sunt urbes ejus nominis. Prima est *Hamath* Soba, terminus septemtrionalis Judææ, ad ortum Jordanis. Hæc creditur postea *Epiphania* dicta. Secunda est *Hammath magna*, quæ fuit Cœles-Syriæ, & postea *Antiochia* vocata. Vide Amos. VI. 2. Tertia est *Amathus*; quarta *Amatha*, utraque etiam ad ortum Jordanis. Hæc facile intelligentur ab iis, qui legent loca Hebraica *Hieronymi*, cum notis *Jacobi Bonfrerii*; quem librum miror non consultum a *Samsone*. Adde & *Sam. Bochartum* Phalegi Lib. IV. c. 36.

HARMA. Aut ubique *Horma* scribendum esset, ut faciunt *Massorethæ*, aut *Harma*; absurdum enim est idem nomen duplici ratione proferre.

HEBRON. Sita erat ad ortum Jerosolymæ, ex qua poterat prospici in montanis Judææ. Cap. XLIX. Cent. Chorogr. Matthæo præmissæ a *Joan. Ligthfootio*.

HELIOPOLIS. Si Hebraice scivisset *Samson*, non omisisset dicere nomen Hebraicum hujus urbis esse און ON, quod liquet ex collatione locorum. Sed nomen quod effertur ON in Genesi, AVEN in codice Massorethico dicitur Ezech. XXX. 17. quæ punctandi inconstantia non est laudanda.

HERMON. Recte dicitur a nostro *mons Libano contiguus*; sed non indignum erat notatu Libanum hunc dici a Græcis Antilibanum, ita ut catenam oppositam mon-

montium a septemtrionibus Syriam Cavam claudentium Libanum vocent. Vide *Eusebium* & *Hieronymum* in locis Hebraicis, & ad eos *Jac. Bonfrerium*. Voces etiam *Hermon*, חרמון *Sirjon* שריון & *Sion* שיאן montem editum sonant. Ita vocabant Gentes vicinæ veluti κατ' ἐξοχὴν partem Antilibani sibi propiorem. Vide quæ diximus ad Deuteronomii loca, a *Samsone* allata.

HIPPO. De Hippone vide & *Joan. Lightfootium* Cent. Chorograph. Matthæo præmissæ Cap. LXXVII.

HOR. Hæc quoque vox *montem* sonat, nam הר *hor* & הר *har hur*, *mons*, non videntur differre, nisi dialecto. Hinc factum Græcum ὄρος, *mons*.

HUS. Notat sic dici *Samson*, in Paralipomenis, qui in Genesi vocatur VS. Sed nullum est discrimen nisi in Latina scriptione; nam utrobique est עוץ *houts*, in Hebraico codice. Sed interdum aut Librarii, aut veteres Interpretes literam *Ain* adspiratione expresserunt, interdum quasi leni spiritu affectam omiserunt; quod factum non oportuisset. Eadem enim litera eodem modo semper exprimi debuit.

## I

JAMNIA. Apud Hebræos יבנה *jabneh*, 2. Paral. XXVI. 6. Itaque fallitur *Samson*, qui negat hoc nomen occurrere in toto Veteri Testamento, nec vocem JABNIA, quæ exstat in Vulgat. memoravit. Vide quæ de hac urbe collegit *Joan. Lightfootius* Cent. Chorogr. Matthæo præmissæ, Cap. XV.

JAVAN. De hoc vide Lib. III. Phalegi *Sam. Bocharti*, & quæ nos ad Gen. X. notavimus.

IDUMÆA. Quamvis idem nomen sit, attamen Idumæa pro eodem terrarum tractu semper non sumitur, ut ostendit *Joan. Ligthfootius*, in Chorographica Decade Marco præmissa Cap. I. ubi docet latius antea patuisse, postea intra arctiores limites coactam. Antiqua Idumæa vocabatur *Idumæa magna*, recentior *minor*.

JECONAN. Hebraice יקנעם *jokneham*. Ergo sic debuit scribi, aut JECONAM, constanter, non *Jecnan*, aut *Jeconan*.

JECTAN. De hoc ejusque posteris, vide *Sam. Bochartum* Phalegi Lib. II. c. 13. & seqq.

JERICHO. Hujus urbis, agrique vicini descriptionem ex *Josepho* & Rabbinis habet *Joan. Lightfootius* Cent. Chorogr. Matth. præmissæ Cap. XLVI. & seqq.

JERUSALEM. Hujus urbis descriptionem ex *Josepho* & Rabbinis collegit *Joan. Lightfootius* Centur. Chorogr. Matthæo præmissæ Cap. XXI. & seqq.

IIM & ESEM. Sunt duæ urbes Tribus Judæ, quarum meminit Josua Cap. XV. 29. Interposita conjunctio, quam & LXX. & Vulgatus legerunt in suis Codicibus Hebraicis, ut nos in nostris, non obstitit quominus eas unam esse velit *Samson*; quem sequi nolim, ob rationes sæpius allatas. Quod nobis profert antiquas editiones Bibliorum, quæ habent *Umesem*, id vero est manifestum mendum Librariorum præferre Authentico Codici & antiquissimis Versionibus.

JOPPE. Hebræis dictam vult *Jaffa*. Debuit dicere *Japho* יפו. Sed sequutus est postremorum sæculorum pronunciationem, quam Hebraicam temere credidit, ut & bonus *Lubinus*.

JORDANES. Quandoquidem Geographiam *Josephi* Sacræ miscet *Samson*, non debuisset omittere quod habet *Josephus* de duplici fonte Jordanis, ex quo nomen traxit. Qua de re vide a nobis dicta ad Gen. XIII. 8. Fallitur *Lightfootius*, qui contra sentit Cent. Chorogr. Matthæo præmissæ, Cap. LXVII.

ITURÆI. Adde eos fuisse prognatos ab *Itur*, sive *Jetur* Ismaelis filio, de quo Gen. XXV. 15. ubi vide quæ adnotavimus. Adi & *Lightfoot*. Chor. præmiss. Lucæ. Cap. I. sect. 6.

JUDÆA. Vide ejus descriptionem apud *Joan. Lightfootium* Chor. Matthæo præmissæ Capp. IX. & seqq. ubi ex Rabbinis aliisque Scriptoribus eam collegit. Adde & Cap. IV. ex Decade Marco præmissa.

JUDÆÆ MONTANA vocabatur ferme universus tractus meridianus Judææ, qui & *desertum montium*. Vide *Joan. Ligthfootium* Chor. Matth. præmissæ Cap. XI.

JULIAS Betharamphtha. Vide de ea quæ collegit *Joan. Lightfootius* in Chorogr. Centuria præmissa Matthæo Cap. XCIII.

## L

LEHEMAN. Lege *Lehemam*, nam Hebraice eſt לחמה *lahhmam*. Nec dubium eſſe poteſt quin eſſet in antiquis Codicibus Mem in fine, quandoquidem LXX. Intt. legerum: Joſ. xv. 40. Λαμὰς ut eſt in Alexandrino Codice. Norunt, qui poſſunt Hebraice legere, quanta ſit inter ם *Mem* & ס *Samech* ſimilitudo, quæ nulla eſt inter Mem & Num.

LEMNA. *Lebona*. Sola hæc poſterior appellatio vera eſt. Nam Hebraice eſt לבונה *lebonah*. Vitio Librarii, male audientis, ſcriptum eſt *Lemna*. Meliores Codices Græci & Latini habent *Lebona*.

LIBANUS. Vide quæ notavimus ad vocem *Hermon*. Si *Samſon* antiquioris Geographiæ æque peritus fuiſſet, ac recentioris, plura de Libano & Antilibano dixiſſet. Potuiſſet ſaltem *Bonfrerii* Onomaſticon, Lutetiæ editum anno MDCXXXI. conſulere, quod non factum demiror.

LUD. Non capio qui præter morem noſter ſuſtineat tribuere huic Semi filio Aſiam Minorem, cum ejus poſteris alibi Majorem Aſiam tribuat. Verum quamvis plerique in Majore Aſia ſedes fixerint, nihil vetat quoſdam etiam in Minorem iviſſe.

LYDDA. Diei unius itinere Jeroſolima remota. Vide de ea *Joan. Lightfootium* Cent. Chorogr. Matthęo pręmiſſæ Cap. XVI.

## M

MADAI. Cum *Madai* conſtanter pro *Media* ſumatur in Scriptura, abſurdum eſt hos relegari in Moſcoviam. *Gomer* ſunt Phryges, *Magog* Caucaſi accolæ, ut multo melius *Bochartus* Lib. III. Phalegi, a quo, ſine gravibus rationibus, diſcedere nou debuit *Samſon*, qui in hiſce Gentium originibus, *Bocharto* collatus, plane cæcutiebat. Verum Japhethi poſteros omnes in Europa bonus vir collocare voluit, quamquam nulla neceſſaria ratione cogente, ut jam indicavimus.

MAGDALA. Caſtellum fuit Galilææ non procul a Tiberiade & Scythopoli. Hinc dicta Maria Magdalena. Vide *Joſephum* in vita ipſius, & *Joan. Ligthfootium* Cent. Chorograph. Matthæo præmiſſæ cap. LXXVI.

MAGDOLUM. Quia in verſione Vulgata vox hæc, præter morem, declinatur, eſtque tantum in accuſativo, poſuit bonus vir *Magdolum* in recto; cum debuiſſet ſcribere *Magdolus*, nam Græci dicunt Μάγδωλος, ut liquet ex *Euſebii* locis, aliiſque Scriptoribus. Hebræi efferunt *Migdal*.

MAGOG. Vide dicta ad *Madai*.

MANAIM. Mahanaim. Poſterius nomen eſt recte ſcriptum, prius prave. Nam Hebraice conſtanter ſcribitur מחנים *mahhnajim*, duplicia caſtra. Neſcio qui *Samſon* & *Lubinus* de Geographia Sacra ſcribere aggreſſi ſint, cum, præ imperitia Linguæ Hebraicæ, mendoſas lectiones nominum a rectis ſecernere non poſſent. Temeritatem ſane non excuſat apud Lectores titulus honorificus *Geographorum Regiorum*; cum ne bonos quidem ſcriptores, hiſce de rebus, in Gallia editos conſuluerint, quod ſatis mirari non poſſum.

MARE MORTUUM. Vide quæ de eo ex *Joſepho* & Rabbinis collegit *Joannes Lightfootius*, Cent. Chorogr. Matthæo præmiſſæ, eap. V.

MARE RUBRUM. Hebraicæ voces ים ארום *jam edom*, quę debebant verti *mare Idumææ*, verſę ſunt a Gręcis Phœnicum interpretibus θάλασσα ἐρυθρὰ, *mare rubrum*, ob ambiguitatem vocis ארום *edom*, quę non tantum nomen eſt proprium viri & regionis, ſed *rubrum* etiam ſonat. Inde natę fabulę de colore rubro maris, & de neſcio quo Rege Erythra. Vide patrui mei *Davidis Clerici* quęſt. X.

MEJERCON. *Alias*, inquit, *Majercon*. Male, nam Hebraicum eſt מי הירקון *me-hajjarkon*, Joſ. XIX. 45.

MEMPHIS. Dicendum erat eam Hebraico nomine vocari נוף *noph*, Eſa. XIX. 13. & alibi.

MEROME. Jud. V. 18. non eſt nomen proprium loci, ſed ſignificat colles, vel edita loca. Itaque מרומי שדה *mrome ſchadeh* verterunt LXX. Intt. ὕψη ἀγροῦ, *altitudines agri*. Nec poſſunt, niſi neglectis conſtructionis certiſſimis regulis, verti *regio Merome*, ut norunt quicumque ſciunt Hebraice.

MIS-

MISRAIM. Dignum erat notatu nomen hoc esse regionis, non hominis; idque dualis numeri, quia duplex Ægyptus fuit, inferior & superior, a singulari מצר *metser*, unde מצרים *mitsrajim*, & alia id genus, quę habet *Bochartus* Phalegi Lib. IV. c. 24. Sed & alia nomina, quę hic memorantur, sunt etiam populorum, Ludim, Anamin, &c. Hebraicę Linguæ peritus potuisset addere, quod nonnullis visum, מצרים, ubi de hominibus sermo est, non efferendum cum Massorethis *Mitsrajim*: quod, ut diximus, nomen est totius regni; sed *Mitsrim*, a singulari מצרי *mitsri*, quod factum a מצר *metser*, Ægyptus.

MORASTHI. Vult esse patriam Michææ Prophetæ. Sed ex Analogia τῶν ἐθνικῶν ὀνομάτων necesse habemus dicere patriam Prophetæ dictam מורשה *moraschah*, aut מורשת *morescheth*, unde formatur מורשתי. Scio *Eusebium* & *Hieronymum*, in locis Hebraicis, efferre etiam *Morasthi* nomen patriæ Prophetæ; sed tam sæpe * peccat *Hieronymus* in Sacræ Linguæ Analogiam, ut homini ignotam fuisse nemo dubitare possit, sicut jam antea monuimus, ad vocem *Merome*.

MOSOCH. Italiam esse nemo dixerit, qui legerit quæ habet *Sam. Bochartus* Phalegi Lib. III. c. 12. ubi liquido ostendit populos fuisse, qui Moschicam incolebant Colchidi vicinam.

MYRA. Rectum hoc nomen est, non *Myrrha*, nam dicta erat hæc urbs ἀπὸ τῶν μύρων. Vide *Stephanum* Byzntinum ejusque interpretes, ad vocem Μύρα. In sequentibus verbis, mendum est Typographicum, nam pro *Lystra, quæ est Lyciæ*, legendum *Lystra, quæ est Lycaoniæ*, & sic scripserat *Samson*, ut ex ultimis verbis liquet. Sed quodnam genus mendi in sequentibus sit me nescire fateor, nec exiguo opus est acumine Critico, ut sani quidpiam ex iis eruatur. Quid enim hæc sibi volunt: *In Act. Apost.* XXVII. 5. *ubi de navigatione Pauli agitur, pro Lystra, quæ est Lycaoniæ, melius habent* 70. *Interpretes, Myra quæ est Lyciæ*? Pro 70. *Interpretes*, dicendum fuit *Græci Codices*, aut simile quidpiam; & dicere voluit *Samson*, quamvis calamus animum fefellerit. Usque adeo imperitus non fuit, ut crediderit Acta esse Hebraice a Luca scripta, & a LXX. Interpretibus Græce versa.

## N

NAIM. De situ hujus urbis, vide *Joannem Lightfootium* Chorographicorum Lucæ præmissorum Cap. III.

NEPHTUIM. Habitasse videntur hi populi, qui Hebraice נפתוחים *naphthouhhim*, Marmaricæ partem aliquam. Vide *Bochartum* Phalegi Lib. IV. c. 29.

NETOPATI. Non est locus, sed nomen ἐθνικὸν, 2. Reg. XXIII. 28. & Jerem. XL. 8. *Netophati* est incola pagi, vel oppidi נטופה *netophah*, de quo 1. Esd. 1. 21. Quod si quis objiciat in Versione Latina Jerem. XL. haberi *de Netophati*, unde colligat *Netophati* nomen esse loci; reponemus loco Regum recte haberi *Netophatites*, quod est nomen ἐθνικῶν. Nec quidquam hinc colligas, præter inconstantiam Interpretis, quæ cum Hebraicæ Analogiæ accurata cognitione consistere nequit. Antea similia observavimus, pluraque multo possent addi.

NOB. Urbs sacerdotalis in Benjamine, de qua Isa. X. 32. Hinc poterat prospici Jerusalem, si credimus Paraphrastæ Chaldæo in locum Isaiæ. Vide *Joan. Lightfootii* Cent. Chor. in Matthæum, Cap. XLIV.

NOPHETH. Miratur *Samson* tertiam partem Nophethæ tribui Manasse Jos. XVII. 11. cum præsertim nulla fiat alibi mentio hujus urbis, uti nec reliquarum ejus partium. Hæc ostendunt verisimiliorem esse eorum sententiam, qui הנפת *hannopheth* interpretantur de tractu regionis. Certe digna erat quæ memoraretur. In hoc ipso Libro Cap. XI. 2. נפות דר *naphoth Dor*, sunt *tractus Doræ*, & 1. Reg. IV. 11. נפת דר *napat Dor*, est idem tractus. Si hæc perpendantur, graviora videbuntur auctoritate LXX. Interpretum, sed a quibus, nisi velimns dediscere Linguam Hebraicam, abire necesse habemus. Itaque nihil erat cur hisce, potius quam rei ipsi, crederet *Jac. Bonfrerius* ad Jos. XVII. 11.

* Vide notam ad Rhenferdii observationes, ubi S. Pater egregie defenditur.

## O

OLIVETI MONS. Cum tam ſæpe mentio fiat hujus montis in Novo Teſtamento, miror a *Samſone* omiſſum. Erat ad ortum Jeroſolimæ, a qua erat torrente Cedron diviſus. Vide *Joan. Lightfootium* Cent. Chor. Matthæo præmiſſæ cap. XL.

ONO. Tribus paſſuum millibus diſtabat a Lydda, ut docet ex Thalmudicis *Joan. Lightfootius* Decadis Chorograph. Marco præmiſſæ, cap. IX. 3. ubi alia de hoc vide.

OPHIR. De hoc loco conſule eruditam Diſſertationem de Navigationibus Salomonis *P. Danielis Huetii*, quæ Criticis Sacris ſubjecta eſt. Hic enim non tantum quid ſentiat vir doctiſſimus, ſed & quid alii ſenſerint invenies. Putat ille Ophiram eſſe oram Orientalem Africæ, *Bochartus* in Taprobana, ſeu Ceilane, quærebat. Res eſt obſcura & difficilis; de qua unicuique id ſentire, quod magis arridet, licet.

OZEN-SARA. Sic eſt ſcribendum, non *Ozen-zara*; nam nomen mulieris, a qua oppidum conditum fuit, erat Hebraice שארה *Scheerah*. Qnamvis S & Z ſint literæ affines, præſertim in Lingua Gallica, non ſunt miſcendæ.

## P

PALMYRA. Quia nobilis urbs erat, nomen ejus Hebraicum תרמור *thadmor* fuit proferendum. Habet hoc nomen non tantum Scriptura, cujus archetypam Linguam conſulere non potuit noſter, ſed etiam *Joſephus* Lib. VIII. c. 2. p. 268. Ed' Genevenſis. Θαδαμόραν ὠνόμασε, καὶ τοῦτ' ἔτι νῦν καλεῖται παρὰ τοῖς Σύροις. οἱ δὲ Ἕλληνες αὐτὴν προσαγορεύουσι Παλμύραν. *Thadamoram vocavit, & hoc nomine appellatur etiamnum hodie apud Syros. Græci vero vocant Palmyram.* Vide quæ de hac urbe collegit vir eruditus *Abr. Sellerus*, in libello Anglico, quem *Antiquitates Palmyrenas* inſcripſit.

PELLA. An hæc urbs eadem ſit, quæ antea *Abella* dicta fuerat, neſcio: ſed *Betholene*, aut verius *Bethleptephene* toparchia, fuit ad occaſum Jordanis, nec poteſt cum Pellena miſceri; nam Pella fuit ad ortum ejuſdem fluvii ſita, ut *Samſon* fatetur. Vide *Joſephum* de B. J. Lib. III. c. 6. in Græcis. *Plinius* Pellam in Peræa collocat, quam vocat Decapolitanam, diſtinguitque a decem Toparchiis Judææ. Non facile credendum viro erudito, in antiqua Geographia, ſimpliciter affirmanti.

PERSEPOLIS. Vide ad vocem Elymais.

PERAEA. Deſcriptionem hujus regionis ex *Joſepho* & Rabbinis vide apud *Joannem Lightfootium* Centur. Chorograph. Matthæo præmiſſæ cap. XCI. & præmiſ. Lucæ cap. I.

PHETRUSIM. Dignus erat *Sam. Bochartus*, ad quem amandaretur lector, quotieſcumque de ejuſmodi nominibus ſermo eſt. Vide igitur Phalegi Lib. IV. c. 27. ubi oſtendit populos fuiſſe Thebaidis.

PHILISTHIIM. Unde dicti ſint diximus ad Exod. XV. 20. Vide & ad Gen. X. 14.

PHUTH. De hoc nomine adito *Sam. Bochartum* Phalegi Lib. IV. c. 33. ex quo *Samſon* hauſit quod habet.

PTOLEMAIS, ſive *Achon*. Situs ejus deſcribitur a *Joſepho* de Bello Jud. Lib. II. c. 17. Nonnulla etiam ex Rabbinis de hac urbe habet *Joan. Lightfootius* Cent. Chorog. Matthæo præmiſſæ cap. LXIV.

## R

RESEN. De hac urbe vide quæ congeſſit *Sam. Bochartus* Phalegi Lib. IV. c. 23.

RIPHATH. Populi ſunt Aſiæ Minoris, ſi credimus *Sam. Bocharto* Phalegi III. c. 10. Nos Riphæorum montium incolas cum pleriſque fuiſſe, veriſimilius eſſe oſtendimus, in noſtris Commentariis ad Gen. X. 3. Virum ſummum libenter ſequimur, quotieſcumque, re ipſa diligenter expenſa, rationibuſque trutinatis, recte eum ſentire putamus, nec uſquam debita laude fraudamus; attamen ſicubi a vero abire videtur, quod aliquando contigit, in diverſa libere abimus. Scrinia ejus numquam, tacito nomine, compilavimus, quod plagiarii faciunt; nec ei cæcum adſenſum præbuimus, quod eſſet imprudentium. Quod ſi qui laborum noſtrorum calumniatores, & famæ, quantulacumque eſt, invidi, alia in malignis chartis ſcribere ſuſtineant,

eos

eos non moramur; a quibus probe ſcimus nec *Bocharti*, nec noſtra ſcripta umquam lecta fuiſſe. Quibus turpiter mentiri, & quæ commenti ſunt edere religioni non eſt, ii digni non ſunt in quibus confutandis tempus teramus. Multa debemus, cum univerſa Republica Literaria, viro longe doctiſſimo, quæ ei ubique ingenue imputamus; ſed & non pauca, de quibus ne ſomniavit quidem, labore & induſtria retegere, in tenebris Antiquitatum Orientalium latitantia, conati ſumus, & in lucem edidimus. Honorificum nobis eſt etiam hæc illi tribui; nam ſi inepta eſſent, tanto viro ne a mendacibus quidem adſcriberentur; ſed nemo, qui ejus Opera legerit, ea quæ poſt mortem ejus excogitata ab aliis ſunt, & ſæpe etiam opinionibus ejus contraria, homini tribuerit; niſi qui impudentiam pro virtute colat, nec eruditiorum judicia reformidet. Sed hæc obiter contra tenebrionem neſcio quem, indignum qui a nobis nomine appelletur, dicta ſunto.

## S

SAAB. Sic legitur in textu Græco *Joſephi*, & in verſione *Gelenii*, de Bello Judaico Lib. III. c. 16. Vellem a *Samſone* rationes editas, cur hoc oppidum etiam dictum *Salib*, aut eſſe idem ac *Sarid* crediderit.

SABA. De homonymia nominis *Saba*, in Scriptura Sacra, dignus eſt qui legatur *Sam. Bochartus* Phalegi Lib. II. c. 25.

SABATHA. Incola Arabiæ felicis, ad mare Perſicum, ut oſtendit idem Phalegi Lib. IV. c. 10.

SABATHACHA. Carmaniæ urbis Samydaces incola, ſi eidem credimus, ejuſdem Libri cap. IV.

SAMARAIM noſtro eadem eſt, atque *Sabarim*. Sed צברים *tſemarajim* Joſ. XVIII. 22. & שמרים *ſchebarim* Joſ. VII. 5. idem eſſe nomen facile ſibi non perſuadebunt Hebraicæ Linguæ periti. Nec ſatis etiam conſtat an poſterior vox ſit nomen proprium. Non crediderunt certe LXX. Interpretes. Adi *Andr. Maſium* & *Jac. Bonfrerium* ad locum.

SAMARIA. De regione & urbe ſic dicta varia habet digna lectu *Joan. Lightfootius* Chorogr. Matthæo præmiſſæ Cap. LVI.

SAPHONITES. *Melius forte*, inquit, *Aphronites*. Sine dubio deterius; eſt enim, in Hebræo Codice, השפמי *haſſchiphimi*. & LXX. habent σεφνὶ, unde liquet primam vocis literam Latine eſſe oportere S. Sed facile extrita eſt, quia antecedens vox eſt *Zabdias*. Hoc animadverſum oportuiſſet a correctoribus Romanis, qui ediderunt *Aphonites*.

SAREPHTA. Hebraice צרפת *tſarphath*. De hac urbe ejuſque ſitu egit *Joan. Lightfootius* Chorograph. Lucæ præmiſſorum Cap. II.

SAROHEN. Saharim & Selim vult eſſe varia ejuſdem urbis nomina, aut faltem varie exſcripta. Neutrum puto verum שלחים *Silhhim* eſt tribus Judæ oppidum Joſ. XV. 32. שרוחן *Scharouhhen* tribus Simeonis Joſ. XIX. 6. שערים *ſchaharaiim* I. Par. IV. 31. tribus item Simeonis. Scio vicinas fuiſſe tribus, & forte in finibus permiſtos fuiſſe Simeonitas cum Judæis. Sed nihil cogit hæc nomina eſſe ejuſdem urbis, aut male exſcripta.

SARON. Dicitur mons in tribu Aſer ex Eſai. XXXIII. 9. & XXXV. 2. Non video cur illic non poſſit ſermo eſſe de Sarone Galaaditico; de quo I. Par. V. 16. aut de Sarone, vel planitie ad Joppen & Lyddam. Neque enim quia illic Libano jungitur Saron, ideo eſt in Aſeris tribu neceſſario quærendus, magis quam Charmel, qui eodem loco memoratur.

SARON, de quo I. Par. V. 16. in tribu Gad, non eſt forte idem ac locus, de quo ejuſdem libri Cap. XXVII. 29. poteſt enim hic poſterior locus, intelligi de Sarone ad Lyddam & Joppen. Vide *Jac. Bonfrerium* ad *Laſaron*, in Onomaſtico urbium & locorum S. Scripturæ, & *Joan. Lightfootium* Cent. Chor. Matthæo præmiſſæ Cap. XVII.

SARTHAN. Meminit ad hanc vocem oppidi *Adon* ex Joſ. III. Legendum *Adom*, ארום, ut & habent emendata Vulgatæ exemplaria.

SCYTHOPOLIS. Eadem ac Bethſan, de qua vide quæ collegit *Joan. Lightfootius* Cent. Chorogr. Matthæo præmiſſæ Cap. LX.

SEGOR. Hebraice צוער *tſohar*. Situm fuit hoc oppidum, ad ortum Maris Mortui, verſus meridiem. Vide quæ de hoc loco habet *Joan. Lightfootius* Cent. Chorog. Matthæo præmiſſa, Cap. V.

SE-

SEMECHONITIS LACUS. Idem ac *aquæ Merom.* Ejus deſcriptionem ex Joſepho & Rabbinis vide ibidem Cap. LXIX.

SENNA. *Alibi*, inquit, *Sina ſcribitur*; ſic debet ſcribi, ſi punctationem Maſſorethicam ſequamur, eſt enim צנה *tſinah.*

SENNAAR. Rectius dicas eſſe Babyloniam, quam *Chaldæam*, *quæ eſt pars Aſſyriæ*: quæ loquutio impropria & incommoda eſt. De hoc tractu copioſe egit *Sam. Bochartus* Phalegi Lib. I. c. 5.

SEPPHORIS. Maxima urbium Galilææ *Joſepho* de Bello Jud. Lib. III. c. 3. & apud Scriptores Thalmudicos celebris. Vide *Joan. Lightfootii* Centur. Chorograph. Matthæo præmiſſam Cap. LXXXII.

SIDON. Videtur eſſe nomen urbis, non hominis. Conſule eumdem *Bocarthum* ejuſdem operis Lib. IV. c. 35.

SIHOR. Recte notat eſſe urbem in Tribu Judæ Joſ. XV. 54. quæ ſcribitur ציער *tſihor*. Sed nihil habet commune cum fluvio Ægypti שיחר *ſchihhor*, qui quaſi limes eſt meridianus, ad mare occiduum, Judææ. Vide quæ diximus ad Gen. XV. 18. Hinc intelligere licet, ut ex aliis ferme omnibus quæ antea a nobis dicta ſunt, quanti momenti ſit Hebraice ſcire, ut Geographia Sacra illuſtrari queat; nec ſatis ſcio qui viri ingenioſi & ceteroquin eruditi, ſine eo ſubſidio, talia aggredi ſuſtinuerint.

SIMONIAS. Addi potuit, ex *Joſepho* p. 1007. eum vicum fuiſſe ἐν μεθορίοις κείμενον τῆς Γαλιλαίας, *ſitum in finibus Galilææ*; omiſſa *Adrichomii* auctoritate, qui nihil hac de re, niſi ex *Joſepho*, proferre certi potuit.

SPECULA. *Alias*, inquit, *Spelunca*. Mendoſe, ſine dubio, cum ſit in Hebræo textu המצפה *hammitſphah*, 2. Par. XX. 24.

SPELUNCA LOT. In Tabulis eſt ad occaſum Maris Mortui, cum ſit collocanda ad ortum, ubi ſedes Moabitarum & Hammonitarum. Ex eodem latere collocanda etiam *Segor*, aut *Tſohar*. Vide *Joannis Lightfootii* Cent. Chorograph. Matthæo præmiſſam, Cap. V.

SYRIA. De Syriæ amplitudine nominiſque ambiguitate conſulenda præſertim erudita Prolegomena *Joan. Seldeni*, in librum de Diis Syris.

SYROPHOENISSA mulier Marco Cap. VII. 26. merito dicitur Chananæa a Matthæo Cap. XV. 22. quia Phœnices ſine dubio erant Chananæi. Miror virum doctum dubitanter ea de re loqui, qui antea dixit Sidonem fuiſſe primogenitum Chanaanis. Vide Interpretes ad Matthæum.

## T

TANIS *alias*, inquit, *Taphnis*. Fallitur, nam Tanis metropolis inferioris Ægypti, tempore Moſis, Hebraice dicitur צען *tſohan*; Thaphnis verò תחפנחס *thahhphanhhes*, quæ ſunt diverſiſſima nomina. Prior urbs a Græcis vocatur *Tanis*, poſterior *Daphnæ*. De utraque ſat multa dicta ſunt a viro doctiſſimo *Joanne Marſhamo* in Chronico Canone. De Tani etiam exſtat nunc Epiſtola *Sam. Bocharti* ad *Sanctamantium*, ſcriptorem Poematis Gallici, quod *Moſes ſervatus* inſcribitur, in qua copioſe demonſtravit Tanim fuiſſe ſedem antiquiſſimorum Ægypti regum. Sed Samſonis ætate nondum erat edita. Subjuncta eſt Chanaani *Bocharti*, in Editione Lugdunenſi. De Daphnis nos diximus in *Quæſtione Hieronymiana* V. Hunc errorem etiam erravit bonus *Lubinus*, quamvis ab *Hieronymo*; & LXX. Interpretibus ea oppida non eodem nomine appellentur; nam צען vocant *Tanin*, תחפנחס vero *Taphnes*. Cum viderent Geographi Regii, eos quos auctores ſequebantur non eodem modo hæc nomina ſcribere, debuiſſent quod verum erat olfacere. Video tamen & alios ſic erraſſe, nam qui addidit notas margini Editionis Hondianæ Ptolemæi, ſeu is fuerit *Petrus Montanus*, ſeu alius, ſimile delictum admiſit ad oram Cap. V. Libri IV. Geographiæ Ptolemæi. Ad Hebraicæ Linguæ, Geographiæque Sacræ imperitiam acceſſit, quod *Ptolemæus* Daphnarum Ægyptiarum non meminerit. Quamobrem etiam eam urbem omiſſam videmus in Tabulis Ægypti, etiam in ea quæ a *Pet. Duval.* eſt edita. Debuit collocari non procul a Peluſio, nam *Herodotus* vocat *Daphnas* Lib. II. c. 30. docetque præſidium fuiſſe Ægypti, contra Arabas & Syros. Ex Antonini Itinerario octo millibus paſſuum Peluſio diſtabat.

TERRA HUS. *Baſanitis pars putatur*, inquit *Samſon*. Vide *Hus*, ubi hæc tantum dicta oportuit. Multo rectius ſedes Jobi collocantur, in Arabia deſerta ad Euphratem, ubi *Auſitis* a *Ptolemæo* deſcribitur. Vide ad Gen. XXII. 21.

THA-

THAMAR. Recte *Samſon* probat ex ſitu non eſſe Palmyram. Potuiſſet addere, ideo non ſequi eſſe, quia *Thamar* palmam ſignificat; nam nomen Hebraicum Palmyræ eſt תדמור *Thadmor*, non *Thamar*, & præterea *Palmyra* nomen eſt Græcum, non Latinum, quamquam forte origine orientale. Vide Cap. I. Appendicis Antiquitatum Palmyrenarum *Ab. Selleri*, antea laudatarum.

THARSIS. De hoc nomine conſulendi *Sam. Bochartus* Phalegi Lib. III. c. 7. & *Dan. Huetius* in Commentario, de navigationibus Salomonis, Cap. III. Prior credidit *Tharſis*, quam Salomo navibus petiit, fuiſſe in India; poſterior putat eo nomine ſignificari omnem oram occidentalem Africæ & Hiſpaniæ. Digni ſunt quorum argumenta omnia, a rerum ejuſmodi curioſis, expendantur.

THIRAS. Noſter terrarum orbem diviſit, pro arbitrio, Noachi nepotibus, nec ullam rationem nominum, aut Hiſtoriæ habuit. At multo rectius *Sam. Bochartus* hunc *Tiras* טירס in Thracia viciniſque locis collocavit, Phalegi Lib. III. c. 2.

TIBERIAS. De hac urbe multa habet *Joan. Lightfootius* Cent. Chorog. Matthæo præmiſſæ Cap. LXXII. quod vide.

TORRENS. Mirum eſt cum tot torrentes eſſent in Judæa, neque ullus ita κατ' ἐξοχὴν vocaretur, hanc appellativam vocem, quaſi nomen proprium, hic recenſeri. Mirum etiam eſt quid ſibi velit *Samſon*, hiſce verbis: *ipſe eſt ex quo David limpidiſſimos quinque lapides elegit*. Scimus quidem ex quodam torrente tribus Judæ electos hoſce læves lapides, ex I. Regum C. XVII. 40. ſed nomen torrentis non additur, nec tamen vocatur הנחל *hannahhal*, torrens, quaſi eſſet torrentibus aliis inſignior, ſed tantum quia ſermo eſt de vicino quodam torrente. Sic accolę fluvii cujuſvis, in Gallia, non tantum nomine proprio, ſed & appellativo vocitant, *la riviere*, hoc eſt, fluvium, quia ſubaudiunt vicinum. Nemo tamen propterea Dictionarium conficiens, ex illorum ſermone, nomen proprium faciet LA RIVIERE.

TROAS. Troadem quidem dictum olim fuiſſe tractum Trojæ vicinum nemo neſcit: at in Actis Apoſtolorum de eo tractu ſermo non eſt, ſed de urbe, quæ vocabatur *Alexandria Troas*, ut ab aliis Alexandriis diſtingueretur, & ſimpliciter *Troas*. Poſſet eſſe dubius locus Act. XVI. 8. ubi dicitur Paulus καταβῆναι εἰς Τρωάδα, nam ambigua eſt loquutio, poſſetque de tractu toto Troici agri iutelligi. Sed Cap. XX. 6. ubi dicitur Paulus exſpectatus fuiſſe ἐν Τρωάδι a comitibus, manſiſſe per ſeptem dies & concionatus eſſe, ſatis liquet urbem eſſe intelligendam, cum Latino Interprete, qui loquutione minime ambigua ſignificavit ſe intelligere urbem, non regionem. Habet enim, ſine præfixa prępoſitione, ut ſolet fieri in nominibus urbium, non tractuum: *deſcenderunt Troadem*, *ſuſtinuerunt nos Troade*, *venimus ad eos Troadem*. Quod ſi animadvertiſſent, ut par erat, Geographi Regii *Samſon* & *Lubinus*, qui a Vulgata toti pendent, non dixiſſent Troadem hic nomen eſſe regionis. Si inſpexiſſent etiam *Jac. Bonfrerii* Onomaſticon Urbium & locorum Sacrę Scripturę, errorem ſuum facile intelligere potuiſſent; qui tamen cum ſit ab aliis doctioribus admiſſus, immineatque finis penſi hujuſce noſtri, paullo pluribus hic a nobis demonſtrabitur. Primum urbem fuiſſe Troadem oſtendemus; deinde errantium aliquot veterum & recentiorum verba recitabimus; quo poſt hac ab eo delicto magis caveatur. *Polybius* Lib. v. ſub finem: Ἐγένετο μὲν τις οὐκ ἀγενὴς περὶ ταῦτα πρᾶξις καὶ ὑπὸ τῶν περὶ τὴν Τρωάδα κατοικούντων Ἀλεξανδρέων· Θεμίστην γὰρ ἐξαποστείλαντες μετ' ἀνδρῶν τετρακισχιλίων ἔλυσαν μὲν τῶν Ἰλιέων πολιορκίαν, ἐξέβαλον δ' ἐκ πάσης τῆς Τρωάδος τοὺς Γαλάτας: *Egregium ſane facinus ab Alexandrenſibus, qui Troadem colunt, eſt editum. Miſſo enim Themiſte, cum quatuor militum millibus, non ſolum Ilienſes obſidione liberarunt; ſed etiam ex univerſa Troade Gallos ejecerunt*. Hi Alexandrenſes ſunt Troadenſes, quorum & antea mentionem injecit. Pluribus ejus urbis meminit. *Strabo*, initio Lib. XIII. hiſce verbis: Ἀπὸ δὲ Ἀβύδου μέχρι Λεκτοῦ τὰ περὶ Ἴλιον, καὶ Τένεδον, καὶ Ἀλεξάνδρειαν τὴν Τρωάδα: *Ab Abydo Lectum uſque eſt Ilium, Tenedos, & Alexandia Troas*. Non, *Alexandria, ac Troas denique*, ut male habet Interpres Latinus, quaſi *Alexandria* & *Troas* duæ eſſent minoris Phrygiæ urbes. Inferius vero poſtquam narravit Ilium, pagus cum antea eſſet, ab Alexandro fuiſſe ornatum & inſtauratum, urbiſque nomine donatum, addit: Μετὰ δὲ τὴν ἐκείνου τελευτὴν, Λυσίμαχος μάλιστα τῆς πόλεως ἐπεμελήθη, καὶ νεὼν κατεσκεύασε καὶ τεῖχος περιεβάλετο ὅσον τετταράκοντα σταδίων. συνῴκισέ τε εἰς αὐτὴν τὰς κύκλῳ πόλεις ἀρχαίας, ἤδη κεκακωμένας: *poſt ejus mortem, Lyſimachus potiſſimum urbis curam ſuſcepit, templumque in ea condidit, & muro urbem cinxit quadrnginta circiter ſtadiorum. Tum eam incolis inſtruxit ex urbibus finitimis antiquioribus & jam collapſis*. Quæ exſcribenda ratus ſum, ne quis cum Ilio mi-

miſceat Alexandriam; quod nonnulli fecerunt, ut poſtea oſtendam. Subdit de Alexandria Strabo : ὅτι καὶ Ἀλεξανδρείας ἤδη ἐπεμελήθη, συνῳκισμένης μὲν ἤδη ὑπ' Ἀντιγόνου καὶ καλουμένης Ἀντιγονίας δὲ τοὔνομα· ἔδοξε γὰρ εὐλαβὲς εἶναι τοὺς Ἀλέξανδρον διαδεξαμένους, ἐκείνου πρότερον κτίζειν ἐπωνύμους πόλεις, εἶθ' ἑαυτῶν· καὶ δὴ καὶ συνέμεινε καὶ αὔξησιν ἔλαβε, νῦν δὲ καὶ Ῥωμαίων ἀποικίαν δέδεκται, καὶ ἔστι τῶν ἐλλογίμων πόλεων : *Quo tempore Alexandriam etiam curaverat, cum jam eſſet ea incolis inſtructa ab Antigono & Antigonia vocaretur, mutato nomine; nam pium viſum fuerat Alexandri ſucceſſoribus condere urbes, quæ nomen ab eo acceperant, deinde quæ ab ipſis. Itaque hæc urbs duravit, & aucta eſt, nunc vero accepit etiam coloniam Romanam, eſtque inter illuſtres urbes.* Dein ad Ilium redit, ejuſque urbis fata exponit. Sæpe poſtea Troadem ſimpliciter Alexandriam vocat. *Livius* Lib. XXXV. c. 42. de Antiocho : *Tres eum civitates tenebant, Smyrna, & Alexandria Troas, & Lampſacus, quas neque vi expugnare ad eam diem poterat, neque conditionibus in amicitiam perlicere &c.* Meminit etiam *Alexandriæ* Troadis Lib. XXXVII. c. 35. *Plinius* pariter Lib. V. c. 30. *Troadis*, inquit, *primus locus Amaxitus, dein Cebrenia, ipſaque Troas, Antigonia dicta, nunc Alexandria Colonia Romana*. *Stephanus* Byzantinus, inter octodecim Alexandrias, ſecundam hanc memorat : δευτέρα ἐστὶ πόλις Τρῳάδος : *ſecunda eſt urbs Troadis*. Subdit : ἐν ᾗ ἐγένετο Ἡγήμων ἐποποιὸς, ὃς ἔγραψε τὸν Λευκτρικὸν πόλεμον : *in qua natus Hegemon. Epicus poeta, qui Leuctricum bellum ſcripſit*. Hæc cum ita ſint, mirum eſt hunc ipſum *Stephanum* ( ſi modo ipſius ſint, non exſcriptorum verba ) ſic poſtea de Troade loquutum : ΤΡΩΙΑΣ, ἡ χώρα τοῦ Ἰλίου, ἣ ἐκαλεῖτο Τευκρὶς καὶ Δαρδανία καὶ Ξάνθη· τὸ ἐθνικὸν Τρωαδεύς· ἐντεῦθεν ἦν καὶ Ἡγησιάναξ γραμματικὸς γράψας περὶ τῆς Δημοκρίτου λέξεως βιβλίον ἓν, καὶ περὶ ποιητικῶν λέξεων· ἦν δὲ Τρωαδεύς. TROJA, *regio Ilii, quæ vocabatur Teucris &* Dardania, *& Xanthe. Gentile eſt Troadeus. Hinc erat Hegeſianax Grammaticus, qui ſcripſit de dictione Democriti librum unum, & de vocibos poeticis; erat autem Troadeus.* Non dicam Τρωὰς potius eſſe legendum, quod alii obſervarunt; ſed mirum eum non meminiſſe Alexandriæ Troadis, unde potius factum Τρωαδεὺς, quam ex nomine totius tractus, & unde fuit Hegeſianax; nam patria potius urbs dicitur, quam regio. Non unus vir doctus hinc, ut opinor, in errorem delapſus eſt. *Ger. Joan. Voſſius*, vir longe doctiſſimus, de Hiſt. Græcis Lib. III. ubi agit de Hegeſianacte, poſtquam eum Alexandrinum dixit, & ſcripſit Troica. *Fortaſſe*, inquit, *Hegeſianax hic Alexandrinus, ut alii multi, dictus fuit, quia civis ejus urbis eſſet; licet revera in Troade natus foret*. Imo *Alexandrinus*, aut *Alexandrenſis* & *Troadeus* ſimul fuit, quia Alexandria & Troas una eademque urbs, ut vidimus. *Hoc cur ita ſentiam illud facit, quod ſatis veriſimile ſit, Hegeſianactem Troicorum ſcriptorem, eumdem eſſe ac Troadis civem*. Videretur *Voſſius*, ſi hæc tantum dixiſſet, animadvertiſſe Hegeſianactem eſſe Alexandriæ Troadis civem, nam nemo dicitur *civis Phrygiæ*, *civis Lydiæ*, aut ullius ejuſmodi amplioris terrarum tractus, ſed ſingularis urbis civis. Poſtea profert locum *Stephani*, modo allatum, quem ſic in margine vertit : *Troas, regio Ilienſis, quæ Teucria & Dardania vocabatur & Xanthe. Gentile autem eſt* Troius. *Inde erat Grammaticus Hegeſianax, qui de* Heracliti *dictione librum ſcripſit, deque vocibus Poeticis. Erat autem* Trojanus. Primum *Troius* non eſt *Troadeus*, aut *Troadenſis*; nam Ilienſis quivis fuit *Troius*, ſed non *Troadeus*. Gentile hoc nomen eſt ab urbe Troade, illud a Troja. Deinde *Troadeus* non eſt Trojanus, ſi quis enim Trojanus dici eo tempore potuit, oportuit eum natum Ilii; quod oppidum inſtar veteris Trojæ & quaſi in ruderibus ejus conditum habebatur. Ceterum dum feſtinat *Heraclitum*, pro *Democrito*, poſuit. Hæc eo non attuli, quo *Voſſium* minoris ab ullo propterea fieri vellem; quo viro diligentior nemo in Belgio vixit, aut in ejuſmodi rebus doctior; ſed ne ejus exemplo alii errarent. Cum ſic peccarit vir ſummus, non mirabimur alios pariter eſſe lapſos. Audiamus hac de re *Carolum Patinmu*, eruditiſſimum alioquin Antiquarium, qui ſic loquitur in Numiſmatibus Antonini, p. 176. ubi agit de nummo Troade cuſo, quales multi in Cimeliarchis adſervantur : *Troias*, inquit, *a Troo* ( l. *Troe* ) *Dardani nepote, hujus regionis rege, primum, deinde Antigonia ab Antigono, tandem Alexandria a Paride dicta eſt, quamvis has vicinas quidem ſed diverſas faciat Strabo* : ἔστι δὲ τόπος ἐν τῇ Ἴδῃ τῇ Τρωϊκῇ Ἀλεξάνδρεια λεγόμενος ἐν ᾧ φασὶ τὸν Πάριν διακρῖναι τὰς Θεὰς, *hoc eſt*, locus prope Idam, in Troade, nominatus Alexandria, in quo fertur Paridem judicaſſe Deas. *Hanc Auguſtum feciſſe coloniam & Auguſtæ nomen ſumſiſſe facit Strabonis locus*. Hic eſt multiplex error, partim ex *Stephani*, cujus nomen in margine habet *Patinus*, loco male intellecto natus. Primum legi debet, apud *Stephanum*, *Troas*, quod eſt gentile fœmininum, cujus maſculinum eſt *Tros*, aut

aut *Troius*. Secundo, falsum est dictum primum *Antigoniam* ab Antigono, deinde a Paride *Alexandriam*, ut liquet ex *Strabonis* loco Lib. XIII. allato; quamvis Antigoniæ nomine oblivioni mandato Alexandria iterum cœperit vocari. Tertio, non est dicta *Alexandria* ab *Alexandro* Hectoris fratre, sed a Macedone, ut idem Geographus docet. Quarto *Alexandria*, quæ a Paride dicta, memoratur non a *Strabone*, sed a *Stephano*, cujus, sub nomine Strabonis, perperam sunt verba a *Patino* allata, ad vocem Alexandria. In margine est nomen *Stephani*, quod forte emendatio fuit neglecta a Typothetis. Sed perperam notatur Lib. XII. *Strabonis* in eadem margine, nam Lib. XIII. agit de *Alexandria* Troade; sed de loco a Paride dicto *in Ida monte*, non *prope Idam*, nihil habet. Quinto Strabo *Antigoniam* ab *Alexandria* Troade minime distinguit, ut ex ejus verbis vidimus. Sexto *Strabo* nequaquam dicit a quo sit Colonia Romana ducta Alexandriam, neque memorat Augustam vocatam. Verum hæc ex nummis & tempore quo scripsit *Strabo* colligitur. Multos habet nummos *Patinus*, ubi vocatur hæc urbs, TROAS COL. AUG. Sic in paucis verbis multiplex admissa est ab erudito sane Antiquario hallucinatio. Hoc unum maxime miror, qui in rectam viam non sit tot numismatum consideratione revocatus. Sed alius, non minus eruditus Antiquarius, *Joannes Foi-vaillant*, quem non contendendi studio, sed obiter monendi, appello, miscuit, contra Historiæ fidem, Ilium & Troadem, in *Numismatibus Æneis Impp.* &c. *in Coloniis*, *Municipiis* &c. percussis; dum Troadensibus tribuit quod de Iliensibus dictum est. Si legat vir doctissimus *Strabonis* Lib. XIII. & locum præsertim a nobis allatum, videbit Ilium non fuisse eamdem urbem, ac Alexandriam Troadem, neque hæc nomina umquam cum Ilio mista a Veteribus. Hæc scripseram, cum animadverti virum doctissimum, ad numismata a Troadensibus in honorem *Alexandri Severi* cusa, ex *Polybio* animadvertisse duas esse urbes Ilium & Troadem. Itaque sua sponte ab errore in viam regresso merita laus non est deneganda; lectoresque quæ antea dixit, de duabus urbibus, quasi una fuisset, hinc ut emendent sunt monendi. Neque enim dubium est, quin δεύτεραι φροντίδες hic sint σοφώτεραι. Cum sic cespitarint viri tam docti, & humaniorum literarum usque adeo periti, non mirabimur bonum *Lubinum* toto cœlo errasse: *Troas*, inquit, Act. XVI. 8. *regio Asiæ Minoris*, *olim pars Phrygiæ*, *Ægeo mari exposita*. *Ipsa est quam Stephanus* Trojam *vocat*. Atqui nusquam *Stephanus Trojam* hanc urbem vocavit, sed *Troadem*. Pergit Lubinus: *quæ*, *ut ait*, *prius Idæa*, *postea Teucris*, *deinde Troja*, *tandem Troas*, *exscidio urbis Trojæ notissima*. *Stephanus* quidem auctor est ad vocem *Troja* dictam eam urbem *Ideam*, *Teucridem* & *Trojam*, sed non dicit *Troadem* vocatam; nec umquam Troas, exscidio Trojæ innotuit, sed contra, liberatione vicini Ilii, illustris facta est ut narrat *Polybius* Lib. V. sub finem. Tandem: *Eam adhuc Stephanus*, inquit Lubinius, *infra appellat Trojas* &c. Antea sat multa de hoc loco diximus, nec quidquam addemus, nisi eos qui ejusmodi libros versare soliti non sunt, nisi ubi necesse est, ut quærant quicpiam, sæpe mirum in modum ab iis falli. Nunc ad *Samsonem* redeamus.

TUBAL. *Melius*, inquit, *Thubal*. Recte, nam Hebraice vocatur תובל *thoubal*, sed optime fecisset, si cum *Bocharto* Phalegi Lib. III. c. 12. dixisset signari hac voce Tibarenorum montium incolas. Sunt enim ejus rei multa & gravia argumenta.

TYRUS. De vetere & nova Tyro multo accuratius, ex Veteribus, egit *Joannes Marshamus* ad Sæc. XI. & XVIII. in Chronico Canone Ægyptiaco. Noster rem, *tamquam per nubila lunam*, vidit. Antiqua Tyrus erat in continente, ante Nabuchodonosorem, a quo diruta cum fuisset, nova urbs est condita in Insula opposita. Sed Alexander fretum interpositum aggere opplevit; factaque est peninsula, quæ antea insula erat. Hæc Veterum testimoniis confirmata iuvenies apud *Marshamum*.

## V

VALLIS ENNON. Saltem scribendum erat ENNOM, nam Hebraice constanter scribitur הנום *hinnom*. Pars fuit *vallis Cedron*, de qua vide *Joan. Lightfootium* in Chorogr. præmissa Matthæo Cap. XXXIX.

UR. Vide not. ad vocem *Chaldæa*. Sed de situ *Uræ* pluribus agentem *Bochartum* Phalegi Lib. I. c. 10. & Lib. II. c. 6. adito. Illinc puto hausisse nostrum quidquid habet hic boni.

HAEC notanda habebamus ad *Samſonem*, at non ut juſto Cemmentario eum illuſtraremus, quod numquam in animo fuit; ſi enim plenius hac de re ſcribere vellemus, mallemus novum ædificium, quod totum noſtrum eſſet, a fundamentis uſque excitare; quam in alieno ædificio hic & illic nonnulla emendare, quibus emendatis, multa eſſent adhuc mutanda, ut ſymmetria ubique obſervaretur. Potiſſima duntaxat *Samſonis* delicta attigimus, minoribus prætermiſſis; nec ea notavimus, ut celebris Geographi exiſtimationi quidquam detraheremus, ſed ne ejus auctoritate rudiores fallerentur. Addidimus etiam paſſim, unde plura & meliora peti poſſint, in gratiam eorum, quorum hæc accuratius noſſe intererit.



# JUDÆA.

JUDÆA, quam Terram Sanctam Christiani omnes nunc vocant, in prima Terrarum partitione Semo, & Semi posteris cum Asia, & toto Oriente concessa fuit : ut & Chamo Libya sive Africa, & Meridies ; Japheto Europa, & omnis Occidens. Eam nihilominus Chanaan filius Cham, sive ejus filii Chananæi occuparunt, inter se partiti sunt ; & ex iis Terra ea *Terra Chanaan* primum dicta est.

Filii Chanaan fuere undecim, Sidon, & Hethæus, & Jebusæus, & Amorrhæus, & Gergesæus, & Hevæus, & Aracæus, & Sinæus, & Aradius, & Samaræus, & Amathæus. Ex quibus totidem populi fortissimi & numerosissimi prodiere Sidonii, Hethæi, Jebusæi, Amorrhæi, Gergesæi, Hevæi, Aracæi, Sinæi, Aradii, Samaræi, & Amathæi.

Sidonii, ex Sidone primogenito filiorum Chanaan, ea tenuere, in Terra ipsa Chanaan, loca ; ubi postea fuere urbes Sidon, Tyrus, Accon, (quæ longe postea Ptolemais) forteque & Sicaminon, in maritimis Tribuum Aser & Zabulon partibus.

Hethæi, ubi Dor, & Turris Stratonis, quæ postea Cæsarea Palæstinæ, forteque & Joppe, & Jamnia in maritimis Tribuum Issachar, Manasse, & Ephraim partibus.

Jebusæi, ubi postea Populi Philistim, & Tribus Dan, & Simeon.

Amorrhæi, ubi Hesebon, Bosor in solitudine Misor, & Ramoth Galaad in Tribubus Ruben & Gad, trans Jordanem.

Gergesæi, ubi Gerasa sive Gergesa, & Astaroth sive Basan in media Tribu Manasse etiam trans Jordanem.

Hevæi, Aracæi, Sinæi videntur primum totam tenuisse Idumæam : Hevæi inter torrentem Bosor, & Ægyptum.

Aracæi, ubi postea Arac alias Recem, & quæ tandem Petra in Arabia Petræa.

Sinæi, ubi desertum Sin & Mons Sinai.

Aradii, Samaræi, & Amathæi mediterraneas tenuere Tribuum Judæ, Benjamin, Ephraim, Manasse, Issachar, Zabulon, & Nephtalim partes ; Aradi, ubi Eder, alias Hered, sive Arad in Tribu Juda.

Samaræi, ubi mons Semeron, in quo postea urbs Samaria condita est in Tribu Ephraim.

Amathæi, ubi Emath in Tribu Nephtalim, & sub Libano.

Sed Hevæi a populis Caphtorim ab Idumæa ejecti in alias atque alias regiones, partimque ad Libanum secesserunt ; Aradii, qui Israelitas primum vicerant, & qui statim ab Israelitis sub Moyse victi sunt, in Phœniciam effugerunt : Samaræi etiam & Amathæi a circumvicinis suis lacessiti, & in arctum redacti, in eamdem Phœniciam receperunt se ; Aradii, ubi postea Aradus & Antaradus ; Amathæi, ubi postea Amath sive Emath quæ Apamia : & inter utrosque Samaræi, ut diximus in animadversionibus.

Chananæi ergo ipsi terram hanc Chanaan fertilissimam diu & injuste tenuerunt. Sed tandem ab Israelitis Semi posteris devicti pene omnes interierunt ; 'altem ii, qui Chananæorum nomen retinuerant, & Hethęi, Gergesęi, Amorrhęi, Hevęi, Jebusęi, & Pherezęi. Pherezęi ipsi nulli sunt inter filios Chanaan, forteque per eos intelligendi Aracęi, & Sinęi : ubi Pharan, & desertum Phares, ubi Arac urbs & desertum Sin ut dictum est.

Eorum omnium sedes Patriarchis Abrahamo, Isaaco, & Jacobo, eorumque posteris multoties promisit Deus. Abrahamo, Genes. 12. vers. 7. Semini tuo (ait Deus Abrahamo) dabo terram hanc cap. 13. vers. 14. & 15. Dixit Dominus ad Abraham. Leva oculos tuos. & vide a loco in quo nunc es ; ad aquilonem, & meridiem, ad orientem & occidentem : omnem terram quam conspicis, tibi dabo, & Semini tuo usque in sempiternum. Genes. 15. vers. 18. pepigit Dominus fœdus cum Abraham, dicens : Semini tuo dabo terram hanc a fluvio Ægypti usque ad fluvium magnum Euphratem. Et iterum 17. vers. 8. Daboque Semini tuo terram peregrinationis tuę, omnem terram Chanaan, in possessionem ęternam. Eroque Deus eorum. Eamdem promittit Deus Isaaco Genes. 26. vers. 3. Tibi & Semini tuo dabo universas regiones has, complens juramentum, quod spopondi Abraham patri tuo. Tum & Jacobo Genes. 28. vers. 13. 14. Dominus innixus scalæ, per quam Angeli ascendebant, & descendebant, dicit Jacobo : Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui.

tui, & Deus Isaac. Terram in qua dormis, tibi dabo, & Semini tuo. Eritque semen tuum quasi pulvis terrę: dilataberis ad occidentem, & orientem, & septentrionem, & meridiem.

Ex iis omnibus promissionibus Abrahamo, Isaaco, Jacobo a Deo factis, quę antea Terra Chanaan, tunc Terra Promissionis, aut Terra Promissa dicta fuit, non quod ea statim in eorum aut posterorum manus devenerit, nam a prima Abrahamo facta promissione anni 430. effluxere, antequam ejus posteri Israelitę ab Ægypto regressi eam obtinuerint: apud Chananęos interim Regibus fortissimis, & urbibus validissimis constitutis & ędificatis.

Reges ii, quos percussit Josue, & urbes Regiæ, quas Israelitæ obtinuerunt in Terra promissa, fuere ex Josue cap. 12. vers. *9*... 24. Jericho, Hai, Jerusalem, Hebron, Jerimoth. Lachis, Eglon, Gazer, Dabir, Gader, Herma, Hered, Lebna, Odullam, Maceda, Bethel, Taphua, Opher, Aphec, Saron, Madon, Asor, Semeron, Achsaph, Thenac, Mageddo, Cades, Jechanan Carmeli, Dor, Galgal, & Thersa, Urbes, & Reges triginta & unus, ex quibus sunt.

In Tribu Aser, Achsaph alias Acco, Abdon alias Madon.

In Tribu Benjamin Jericho, Hai, Jerusalem, Bethel, Opher.

In Tribu Dan nulla est.

In Tribu Ephraim Taphua, Gazer, & Saron.

In Tribu Gad nulla.

In Tribu Issachar Aphec.

In Tribu Juda Hebron, Jerimoth, Lachis, Eglon, Dabir, Gader, Hered (quæ forte Arad & Eder) Lebna, Odullam, Maceda.

In Tribu Manasse Thenac, Mageddo, Galgal, Dor, & Thersa.

In Tribu Nephtalim Asor sive Arama Asor, & Cedes Nephtalim.

In Tribu Simeon Herma sive Horma.

In Tribu Zabulon Semeron, & Jechanan Carmeli.

Inter eas urbes necdum computantur Sidon, quam magnam vocat Josue 11. vers. *9*. & 19. vers. 28. Tyrus, quam munitissimam vocat eodem cap. vers. *29*. & hæc suum habebat regem Davidis & Salomonis temporibus. Bethsecca alias Besec, in qua erat Adonibezec. Nec Gaza, nec Ascalon, nec Azotus, nec Accaron, nec Geth: quæ singulæ suos habebant Satrapas sive Reges (Reges etenim ii omnes in Terra Chanaan potius Satrapæ, sive Principes dicendi erant quam Reges) neque aliæ quamplures, quæ procul dubio aut Regiæ, aut liberæ, & nullis subditæ Regibus, suis utebantur statutis, & legibus, & aliis urbibus regiis non inferiores erant, ut Gabaon, in cujus ditione sive Republica aut societate erant urbes Caphara, Beroth, & Cariathiarim.

Sed et inter eas omnes urbes, necdum ullæ descriptæ sunt, ex iis quæ trans Jordanem; ut Hesebon Sehon Regis Amorrhæorum sedes; Astaroth quæ et Basan, et Basra, tum et Edrai utraque Og Regis Basan sedes: Gessur, forte et Machati, ubi etiam Salomonis temporibus Reges, ex quibus Tolomai avus maternus Absalomi. Rabba sive Rabaath Ammonitarum regia. Regia etenim ea vocatur Reg. I. cap. 12. vers. *26*. Pugnabat Joab contra Rabbath filiorum Ammon, et expugnabat urbem regiam, et urbe capta Diadema Regis eorum habens pondo auri talentum, et gemmas pretiosissimas impositum est super caput David.

Et Regiæ urbes fuerant Sodoma, Gomorrha, Adama, Seboim, et Segor; eæque celebres et opulentæ antequam propter infandum in omne vitiorum, et libidinum genus perditas, novo Deus, et omnibus sæculis inaudito supplicio damnarit, et igne pluvio consumserit.

Primam ex Chananæis sive Chananæorum Gentibus victoriam Moyses et Israelitæ retulerunt contra Regem Arad, tum et contra Sehon Regem Amorrhæorum, et Og Regem Basan, et Balac Regem Moabitarum, qui Israelitas transeuntes ad fornicationem, et suorum Idolorum cultum induxerant.

Post Moysen, qui Terram Promissam de monte Phasga vidit, et in eam non intravit, Josue in ejus locum a Domino substitutus cum Israelitis ipse Jordanem siccatum pedes transgressus, urbem Jericho cum Arca Domini per dies septem circumdans, sacerdotibus tubas clangentibus, et muris septimo die corruentibus cepit, et funditus delevit. Sic et urbem Hai cujus Regem suspendit. Sed Gabaonitæ a longe venire se mentientes, et cum Josue, et Israelitarum principibus fœdus percutientes ægre salvati, ad perpetuum servitium adstricti sunt.

Quos cum Reges Jerusalem, et Hebron, et Jerimoth, et Lachis, et Eglon expugnare vellent, eos omnes, sole per integrum diem in medio cœli stante, Josue devicit: et de spelunca Maceda extractos, pedibusque calcatos interfecit, et suspendit; eorumque urbes cepit, diruit.

Iis

Iis deletis, Jabin Rex Asor ( Asor antiquitus inter omnia regna hæc principatum tenebat ) misit ad Reges Madon, et Semeron, et Achsaph, aliosque circumvicinos [ viginti quatuor scribit Josephus : ] et cum omnes convenissent in unum ad Aquas Merom, ut pugnarent contra Israel, eos etiam omnes devicit Josue, et ita insecutus est ad usque Sidonem magnam, ut nullas ex eis dimitteret reliquias, Regibus gladio percussis, equis eorum subnervatis, curribus combustis, civitatibus destructis aut igne consumtis, et in alias omnes Terræ Promissæ partes progressus, multo tempore pugnavit Josue, nunc cum his, nunc cum illis; donec unum et triginta Reges occidisset, eorumque urbes, eas etiam quæ extra Regum imperium essent, delevisset.

Tunc Josue Terram Promissam cum vicina trans Jordanem regione, in duodecim sortes, sive Tribus divisit. Rubenitis et Gaditis, et dimidiæ Tribui Manasse partem, quam ipsi expetebant, dedit trans Jordanem. Reliquis decem Tribubus sors data est a Mari magno in Occidentem, ad usque Jordanem fluvium in Orientem et a Libano monte, qui ad septentrionem ad usque torrentem Ægypti qui in meridiem.

Tribus Juda, et Benjamin; Simeon et Dan meridionalem tenuere hujus Terræ Promissæ partem; Tribus Aser et Nephtalim, Zabulon et Issachar septentrionalem: Tribus Manasse et Ephraim, inter has et illas mediam. Ex trans-Jordanis partibus Rubenitæ meridionalem, Gaditæ Mediam, media Manasse septentrionalem obtinuere et insedere partem.

Sed urbium, quas Josue in singulis Tribubus recenset, numerum et nomina operæ pretium est describere, quod in plerisque nonnulli sint scrupuli, et qui non ab aliis sint demonstrati.

In Tribu Aser describuntur ex Josue 19. vers. 24. . . . 29. urbes viginti duæ, quæ nobis videntur Halcath, Chali, Beteh, Axaph, Emelech, Amaad, Messal, Sihor, Labanach, Beth-emec, Nihel, Abran, Rohob, Hamon, Cana, Sidon magna, Horma, Tyrus, Hosa, Acziba, Amma, et Aphec.

In Tribu Benjamin ex Josue 18. vers. 21. . . . 28. sunt urbes viginti sex in partes sive regiones duas distinctæ. In prima sunt duodecim, Iericho, Beth-agla, Vallis Casis, Beth-araba Samarain, Bethel, Avim, Aphara, Ophera, Vallis Emona, Ophin, Gabee; & in altera parte quatuordecim Gabaon, Rama, Beroth, Mesphe, Caphara, Amosa, Recem, Iarephel, Tharela, Sela, Eleph, Jebus quæ & Jerusalem, Gabaath, Cariath, quæ duæ partes simul junctæ urbes viginti sex demonstrant.

In Tribu Dan, non certus datur urbium numerus, quæ tamen ex Josue 19. vers. 40. . . . . 48. colligi possunt octodecim, aut novemdecim. Sara, Esthaol, Hir-semes, i. Civitas Solis, Selebin, Ajalon, Iethela, Elon, Themna, Acron, El-thece, Gebbethon, Baalath, Jud, Bane, Barach, Geth-remmon, Mejarcon, Arecon, & Joppe.

In Tribu Ephraim etiam nullus datur urbium numerus ex Josue 16. toto capite aliquæ colligi possunt, non omnes, Bethel-luza alias Beth-el-luz, Archi-Atharoth, Jephleti, Beth-oron inferior, Gazer, Ataroth-Addar, Beth-oron superior, Mach-methath, Thanath-selo, Janoe, Ataroth, Naaratha, & Taphua, ut plurimum inter urbes censeri possunt: forteque ex iis aliqua sunt locorum in finibus sive terminis hujus Tribus tantum nomina, non urbes; quas omnes procul-dubio in hac Tribu non recensuit Josue.

In Tribu Gad trans Jordanem aliquas etiam recensuit urbes Josue 13. vers. 24. . . . 28. non omnes. Inter eas meminit Jaser, & omnium civitatum Galaad; & dimidiam partem Terræ filiorum Ammon, usque ad Aroer, quæ est contra Rabba: & ab Hesebon usque Ramoth; Maspha & Betonim: & a Manaim usque ad terminos Dabir: in valle quoque Beth-aran, & Beth-nemra, & Socoth, & Saphon, & reliquæ partis regni Sehon regis Hesebon: & hujus finis ( inquit ) Jordanis est usque ad extremam partem Maris Cenereth. Sed Urbium, quæ in omni Galaad, & quæ in dimidia parte Terræ filiorum Ammon, & in aliqua parte regni Sehon regis Hesebon nullus datur numerus.

In Tribu Issachar urbes sunt sexdecim ex Josue 19. vers. 17. . . . 23. quæ omnes exactissime describuntur: nullo imixto finium aut limitum nomine. Eæ sunt Jezrael, Casaloth, Sunem, Hapharaim, Seon, Anaharath, Rabbeth, Cesion, Abes, Rameth, Engannim, Enhadda, Bethpheses, Thabor, Sehesima, & Bethsames, quæ omnes ad numerum sexdecim conveniunt.

Tribus Juda omnium Tribuum maxima, utpote Regia, & ex qua nasciturus esset Christus. Ea etiam a Josue exactissime describitur toto capite 15. In quo demonstratur hæc Tribus divisa fuisse in minores undecim Partes: in quibus singulis

gulis nunc plures, nunc pauciores describuntur urbes: & in universum centum & quindecim: quem numerum aliæ tres, aut quatuor, forteque & quinque majores Tribus simul assumtæ vix adæquare possunt.

In prima parte Tribus Juda, Josue computat urbes viginti novem, easque recenset a vers. 21. ad 32. Cabseel, Eder-jagur, Cina, Dimona, Adada, Cades-Asor, Jethnamziph, Telem, Baloth-asor sive Asor nova, Carioth-Hesron, hæc & Asor, Amamsama, Molada, Aser-gadda, Hassemon, Beth-phelet, Haser-sual, Bersabee quæ & Basiothia, Baala, Iim-Esem, El-tholad, Cesil, Harma, Siceleg, Medemena, Sensenna, Lebaoth, Selim, Aen & Remon.

In secunda parte urbes quatuordecim computat Josue vers. 33. 36. quæ Esthaol, Sarea, Asena, Zanoe, Engannim, Taphua, Enaim, Jerimoth, Adullam Socho Azeca, Saraim, Adithaim, Gedera, & Gederothaim.

In parte tertia sexdecim enumerantur vers. 37. . . . 41. quæ Sanan, Hadassa, Magdalgad, Delean, Masepha, Jechtel, Lachis, Bascath, Eglon, Chebbon, Leheman, Cethlis, Gideroth, Beth-Dagon, Naama, & Maceda.

In quarta parte sunt novem vers. 42. 42. 43. 44. Labana, Ether, Asan, Jephtha, Esna, Nesib, Ceila, Achsib, & Maresa.

Pars quinta Tribus Judæ totam videtur obtinuisse Philistinorum regionem, quamquam ex Satrapiis quinque Philistinorum tres tantum enumeret Josue vers. 45. 46. 47. Accaron, Azotum, & Gazam. Ascalon etenim media est inter Gazam, & Azotum, & ipsa quarta ex Satrapiis Philistinorum; Geth etiam has inter Satrapias quinta, nulla describitur in duodecim Tribuum sortibus nisi eadem sit quæ & Geth-remmon in Tribu Dan, ubi est & Accaron, sed quæ ex Tribu Juda excerptæ in Tribum Dan post translatæ sunt.

Pars sexta undecim continet urbes, quæ sunt vers. 48. 49. 50. 51. Samir, Iether, Socoth, Danna, Cariath-senna hæc est Dabir, Anab, Isthemo, Anim, Gosen, Olon, & Gilo.

Pars septima novem, quæ vers. 52. 53. 54. Anab, Ruma, Esaan, Ianum, Beth-Taphua, Aphera Athmatha, Cariath-Abre, hæc est Hebron, & Sior.

Pars octava decem vers. 55. 56. 77. Maon, Carmel, Ziph, Jota, Jezrael, Jucadam, Zanoe, Accain, Gabaa, & Thamna.

In nona parte sex sunt urbes vers. 58. 59. Halhul, Bessur, Gedor, Mareth, Beth-anoth, & El-thecon.

In decima duæ tantum vers. 60. Canath-Baal, hæc est Cariath-iarim. i. urbs sylvarum & Arebba.

In undecima sex Beth-araba, Meddin, Sach-acha, Nebsan, Civitas Solis, & Engaddi.

Quæ in universum sunt centum & quindecim.

Tribus Manasse in duas divisa est partes omnino a se invicem disjunctas: quarum una, & quæ trans Jordanem, ea a torrente Jeboc ad montem Libanum; & a Jordane, & stagno Cenereth ad montes Hermon, & Samir, & Galaad extenditur. Pars altera, inter reliquas omnes Tribus, quæ Cis Jordanem sunt media, ea a Mari magno ad Jordanem usque excurrit inter Tribum Issachar, quæ a Septentrione, & Tribum Ephraim, quæ a meridie. Nec autem hanc partem, nec illam satis exacte descripsit Josue. Illam cap. 13. vers. 29. 31. ubi dicit se dedisse Tribui Manasse, & filiis ejus a Manaim universam Basan, & cuncta regna Og regis Basan, omnesque vicos Jair, qui sunt in Basan sexaginta oppida: & dimidiam partem Galaad, & Astaroth & Edrai urbes Regni Og in Basan. In quibus nulla mentio est sexaginta oppidorum in Basan, neque aliorum in dimidia parte Galaad.

Alteram Tribus Manasse partem, quæ Cis Jordanem etiam leviter percurrit Josue 17. vers. 11. meminitque tantum Beth-san, Ieblaan, Dor, Endor, Thenac, Mageddo, & tertiæ partis urbis Nopheth. Ubi præter eas urbes aliæ sunt multæ non ignobiliores ut Galgal, Josue ipso teste, regia, & Thersa aliquando Regum Samariæ sedes, & Turris Stratonis in littore, quæ postea inter totius Judææ maximas censita Cæsareæ maritimæ sive Cæsareæ Palæstinæ nomen obtinuit, sic & aliæ quamplures.

Tribus Nephtalim paulo accuratius a Josue describitur 19. vers. 32. . . 39. in quibus civitates computat decem & novem, quæ sunt Heleph, Elon in Saananim, Adami quæ est Neceb, ( legunt alii junctim Adami-Neceb ) Jebnael usque Lecum, Azanoth-thabor, Hucuca, Assedim-Sher, Emath, Reccath, Cenereth, Edema, Arama-Asor, Cedes, Edrai-Enhasor, Iecon, Magdalel-Horem, Beth-anath, & Beth-sames. Sic legendum putavimus, ut in animadversionibus dictum est, ad numerum civitatum novemdecim absolvendum.

nes

Tribus Ruben trans Jordanem descripta est a Josue 13. vers. 15. . . 23. In ea mentio est universæ planitiei, quæ ab Aroer ducit Medaba, tum & Hesebon, Dibon, Bamoth-Baal, Baal-Maon, Jassa, Cedimoth, Mephaat, Cariathaim, Sabama, Sarath-Asar, Asedoth-Phasga, & Beth-Iesimoth. Dedit & huic Tribui omnes urbes campestres, universaque regna Sehon regis Amorrhæi, qui regnavit in Hesebon, quem percussit Moyses cum principibus Madian, & Hevæum, & Recem, & Sur, & Hur, & Rebe duces quinque principes Gentis, & regis Sehon, & Balaam filium Beor. Inter urbes eas campestres, & universa regna Sehon fuere proculdubio Bosor in solitudine Misor, Eleale, aliæque, sed & ii quinque Principes Gentis habuere, ut credere est, suas uniquique sedes, sive Urbes, quæ hic desiderantur.

Tribus Simeon tota excerpta est ex Tribu Juda, peneque ex unica parte prima, sive regione Tribus Judæ. In qua cum Josue jam descripsisset viginti novem urbes: Ex iis resumtas quindecim transtulit in Tribum Simeonis, quam in duas divisit partes & in prima descriptæ sunt urbes tredecim Bersabee quæ & Sabee, Molada, Haserſual, Bala, Asem, El-tholad, Bethul, Harma, Siceleg, Beth-marcaboth, Haser-susa, Beth-lebaoth, & Sarohen. In secunda quatuor Ain, Remmon, Athar, & Asan: quæ in universum sunt septemdecim, quarum ultimæ duæ ex quarta parte, sive regione, reliquæ quindecim omnes ex ultima parte primæ partis sive Regionis Tribus Judæ excerptæ sunt.

Restat nunc Tribus Zabulon, in qua computat Josue urbes duodecim. *19.* v. 10. . . *16.* quæ non nisi difficillime ex ipso colligi possunt; Urbium & limitum nominibus ita confusis, ut vix inter se discerni queant. Urbes autem eæ duodecim, si bene conjecimus, sunt Ieconam, Cheseleth-thabor, Iaphie, Geth-epher, Thacasin, Remmon-Amthar, Noa, Hanathon, Cathed-Naalol, Semeron, Iedala, & Bethlehem, aliis omnibus nominibus puta Sared, Merala, Debbaseth, & Dabbereth ad limitum loca demonstranda non ad Urbium numerum pertinentibus.

In tota ea Tribuum urbiumqua in singulis Tribubus enumeratione, necdum aliqua ratio habita est Tribus Levi, quæ nullam habens ab aliis distinctam sortem, tota dispersa est in omnes alias Tribus, ut facilius Populum Dei legem docerent, & sacra administrarent. Inter urbes quadraginta octo, quæ Sacerdotibus, & Levitis in familias quatuor divisis conceduntur, novem excerptæ sunt ex Tribu Juda, & Tribu Simeon, & quatuor ex singulis aliis decem Tribubus, puta quatuor ex Tribu Aser, quatuor ex Tr. Benjamin, quatuor ex Tr. Dan, quatuor ex Tr. Ephraim, quatuor ex Tr. Gad, quatuor ex Tr. Issachar, quatuor ex duobus Manasse partibus in unum sumtis, quatuor ex Tr. Ruben, & quatuor ex Tr. Zabulon, tres autem tantum e Tribu Nephthalin. Ita ut in universum sint quadraginta octo.

Eas omnes urbes ex ipso Josue, & ex libro Paralipomenon collegimus, & accurate inter se contulimus in nostris animadversionibus; in quibus demonstravimus eas quadraginta octo Leviticas urbes ad majorem numerum nusquam excrevisse, quod scilicet (ut putaverunt aliqui) Levitarum numerus excrevisset, eadem etenim ratione amplificandæ etiam fuissent singularum Tribuum sorte, quod & unaquæque non minus quam Tribus Levi amplificata fuerit.

Inter eas Leviticas urbes, Urbes Refugii sex factæ sunt, Cedes in monte Nephthali, Sichem in monte Ephraim, Cariath-arbe, ipsa est Hebron in monte Juda. Bosor in campestri solitudine Tribus Ruben, Ramoth Galaad in Tribu Gad, Gaulon Basanitidis in dimidia Manasse. Urbes Refugii eas vocant, ad quas quicumque animam percussisset nescius, recipere se posset, & effugere iram illius, qui mortem proximi ulcisci expetiisset.

Post Josue Judas Israelitarum Dux a Deo factus, fratre suo Simone accito, alias etiam plures delevit Chananæorum urbes & Reges: & inter eos Adoni-bezec devicit, qui septuaginta Reges amputatis manuum ac pedum summitatibus sub mensa sua ciborum reliquias colligentes quotidie videbat & irridebat. Pauci ergo ex Chananæis inter Israelitas immixti manserunt, quos tamen omnes omnino delendos cum Deus jussisset, nec Israelitæ mandatis omni ex parte obtemperassent, contentique fuissent non solum ex iis tributa colligere, sed & aliquando etiam cum iis connubia facere, eorumque Idola colere non renuissent. Iratus in Israelitas Deus permisit, ut nunc his, nunc illis ex Chananæorum Gentibus, & vicinis Populis aliquoties Israelitæ servierint.

Servierunt Regi Mesopotamiæ Chusai Rasathaim, per annos octo. Sed eum percussit Othoniel filius Cenez nepos Caleb.

Ser-

Servierunt Eglon Regi Moab per annos octodecim. Eum Aod qui utraque manu pro dextra utebatur, cum sica in cœnaculo suo confodit, & Moabitas percussit.

Servierunt Regi Jabin per viginti annos. Regnabat ille in Asor, habebatque nongentos falcatos currus, & Ducem sui exercitus Sisaram. Quem Debbora Prophetis, accito ad belli munia obeunda Barac Alcinoes filio, vicit, eumque fugientem, & in tentoria Haber Cinæi latitantem, Jahel uxor Haber Cinæi, cum clavo tabernaculi in cerebrum percusso dormientem transfixit.

Servierunt Madianitis per annos septem, donec Gedeon semel, iterumque, tum & tertio a Deo vocatus Madianitarum centum & quinquaginta millia exercitum, cum trecentis tantum viris, iisque cum tubis, lagenis, & lampadibus armatis in fugam vertit; & a Jordanis transitu prohibitos per Aseritas, Nephthalitas, Manassitas, & Ephraimitas percussit; eorumque Reges Oreb in Petra Oreb, & Zeb in torculari Zeb interfecit.

Servierunt Ammonitis per annos octodecim, donec Jephte, Dux Israelitarum factus, eos maxima plaga affecit. Vir laudabilis si non votum temere factum absolvisset, & si non Ephod conflasset.

Servierunt per annos quadraginta Philisthæis, quos Samson filius Manue multoties, & variis modis afflixit. Ascalonitis triginta vestibus & vita spoliatis: segetibus, vinetis, & olivetis eorum incensis, mille fortissimorum in maxilla asini occisis; omnibus Principibus Philistinorum, & tribus hominum millibus secum obrutis.

Servierunt iterum Philisthæis Israelitæ semel atque iterum ab ipsis percussi: & arca Domini capta est, cæsi duo Heli filii, & ipse cadens e sella occubuit. Sed Philisthæi propter arcam Dei inter Idola sua positam alii post alios castigati, eam ad Israelitas cum muneribus remisere: & sub Samuele liberati sunt Israelitæ de manu Philisthim: iis ad locum, qui lapis adjutorii vocatus est, humiliatis.

Samuele senescente, & Samuelis filiis ad avaritiam declinantibus, populus Regem petit, qui a Deo datur Saul filius Cis.

Saul filius Cis Ammonitarum Regem Naas, qui ex civibus Galaad oculum dextrum eruere volebat, in fugam convertit. Sed Samuele non expectato, cum holocaustum ipsemet obtulisset, ut Philisthæis occurreret; & iterum cum jussus esset a Domino ut deleret funditus Amalec, eorum tamen regem Agag, prædamque opimam reservasset, a Domino reprobatus, & David filius Isai fratrum suorum minimus, in regem unctus est.

David inermis Gethæum Goliath gigantem, armatumque, lapide e funda excusso, in terram dejecit, & capite præciso occidit: sed ob eam victoriam mulieribus Davidem plusquam Saul laudantibus, Saul malo in Davidem affectus animo, eum multoties perdere voluit: cujus malevolentiam evitans David, fugit ad Achim filium Mahoh regem Geth; ad Speluncam Odollam, ubi fratres & amici ejus conveniunt: ad Maspha, quæ est Moab; in Ceilam, quam a Philisthæis liberaverat; in desertum Ziph; in collem Hachila, in desertum Bahon; in speluncam Engaddi; penes quam oram chlamydis Saul se persequentis abscidit, iterum in desertum Ziph, in quo Saule ad collem Hachila castrametante, illius hastam & schyphum nullo sentiente David abstulit; iterum ad Achim regem Geth, a quo Siceleg urbem obtinuit, quam se absente statim ab Amalecitis (dum Philisthæi cum Israelitis pugnant) captam, incensam, & direptam reversus David recuperavit, recepta omni præda, & ex æquo inter suos divisa. Saule interim, & Jonatha, & filiis Saul a Philisthæis in monte Gelboe occisis.

Saule mortuo David consuluit Dominum, & ascendit in Hebron: ubi tantum cum tota domo Juda regnat annis septem, & mensibus sex: dum Isboseth Saulis filius super totum Israel dominatur: ipso autem a suis occiso solus regnat David super Juda, & Israel.

David Jebusæorum reliquias ejecit e Jebus, quæ postea Jerusalem, habitavitque in arce, quam vocavit Civitatem David. Philisthæos bis vicit in Baal-Pharasim, & in valle Raphaim, & cum tertio eos vicisset, tulit frænum tributi de manu Philisthim; percussit Moab, qui & factus est Davidi serviens sub tributo; percussit Adarezer filium Rohob regem Soba, & posuit præsidium in Syria Damasci, quæ & facta est Davidi serviens sub tributo. Sic & Amalec, sic & universa Idumæa, iu qua custodes posuit, statuitque præsidium.

Hanon Ammonitarum rex servis David, qui ad eum consolandum de Naas patris sui morte missi essent, mediam bar-

barbam rasit, vestes ad usque medias nates præscidit, eosque sic contumeliose habitos remisit. Statimque ex suis, & ex Syriæ regum in Rohob, in Soba, in Istob, in Macha copiis exercitum armavit, quem Joab Princeps militiæ David semel atque iterum devicit: eosque David severissime puniit. Reliqui pacem cum ipso fecerunt, & ei servierunt.

David circumvicinorum omnium Populorum, Regumque victor, Beth-sabee uxorem Uriæ Hetæi mulierem formosissimam lavantem se vidit, concupivit, cum ipsa adulteratus est, & cum adulterio homicidium Uriæ in obsidione Rabbath superaddidisset, & Beth-sabeem in uxorem accepisset, Dominus per Nathan Prophetam eum monet delicti a se commissi, pœnamque imminentem: gladium scilicet a domo sua non recessurum, uxores suas cum proximo suo dormituras in conspectu omnium, puerum ex adulterio nasciturum, statim moriturum.

Peccatum confitetur David, veniam a Deo petit, pœnaque in familiam translata est. Puer ex Bethsabee natus moritur. Thamar Absolomi soror ab Ammone Davidis ex Achinoe primogenito, incestu violata est. Absalom biennio post Ammonem in prædio suo ad cœnam, in ovium tonsione vocatum, occidit: fugitque ad Regem Gessur, & ibi mansit tribus annis: reversus, & ad Patris faciem ægre admissus, statim populum sibi conciliat, & contra Patrem conjurat in Hebron. Fugit David a facie Absalom, qui Jerusalem ingressus ad concubinas Patris sui coram omni Israel ingressus est. David trans Jordanem fugiens, ab amicis, amicorumque copiis fulcitus, Absalomi se persequentis copias opperitur, quem cum David servare præcepisset, Absalom exercitu fugato etiam in arbore suspensus a Joab occisus est, eumque amare flevit David. Seba alteram movet seditionem in Israel, sed illius capite ex Arbelæ obsessæ muris a muliere ejecto, Populus unus Juda & Israel in Davidis fidem redierunt.

David e domesticis malis emersus, quater pugnavit in Philisthæos. Primum cum Jesbibenob nisus percutere David, ab Abisaj filio Sarviæ interfectus est. Secundo in Gob, cum Saph a Sobochai de Husati percussus est. Tertio iterum in Gob cum Adeodatus Bethlehmites occidit Goliath Gethæum, alium ab altero, qui in valle Terebinthi ab ipso Davide interfectus fuerat. Quarto in Geth, ubi Jonatham filius Sama fratris David alium gigantem senos in manibus, pedibusque singulis digitos habentem percussit. Erant etenim ii omnes e stirpe Arapha in Geth de genere gigantum.

David ab omnibus inimicis suis liberatus Deo gratias agit. Sed & statim, quod populum stulte numerasset, a Propheta Gad corripitur; & in peste triduana, quam e tribus castigationibus elegerat, virorum septuaginta millia periisse ingemuit.

David senio confectus, Adonia jam pene regnum occupante, Salomonem in regem ungi imperat. Fugit ad cornu altaris Adonias, ipsique primum pepercit Salomon, sed quod statim Abisaig in uxorem petiisset, interfectus est, ut & Joab: & Abiathar Sacerdotio privatus, quod ad Adoniam descenderant.

Salomon in regno stabilitus, accepta in uxorem Pharaonis filia, a Deo sapientiam obtinet. Prætereaque & divitias & gloriam. De Meretricum lite nodum solvit, Deo templum si quod aliud in toto orbe fuit, celeberrimum ædificat, tum & regiam domum, & uxoris & Libani domus; omniaque sumtuosissimis suppellectilibus ornat: civitates Palmyram in solitudine, aliasque plures munit. Amorrhæos, Hethæos, Perezæos, Hevæos, & Iebusæos, qui inter Israelitas huc usque remanserant, tributarios omnes fecit: classem in Asiongaber cum servis Hiram Regis Tyri misit in Ophir, unde aurum multum asportatum est: misit & in Tharsis.

Venit Regina Saba, ut Salomonis sapientiam audiret, & magnificentiam videret, tanta enim auri copia percipiebatur ex vectigalibus, ex negotiatoribus, ex muneribus, quæ omnes circumvicini reges offerebant, ex classibus quæ in Tharsis, & quæ in Ophir navigabant, ut argentum nullius hic pretii esset in diebus Salomonis.

Et tandem Salomon multas mulieres alienigenas amans, jam senex, ab ipsis infatuatus est, & ad earum Idola aliquando conversus, recedit a Dei mandatis: qui iratus adversarios Salomoni dedit Adad Idumæum ex semine regio, & cui Pharaon dedit uxorem sororem uxoris suæ germanam Taphnes Reginæ. Razon filium Eliada, qui fugerat ad Adarezer regem Soba dominum suum; & qui constitutus est Rex in Damasco, regnavitque in Syria, & adversarius factus est Israeli cunctis diebus Salomonis. Jeroboam filium Nabath Ephratæum, de Sareda servo Salomonis.

Erat Jeroboam vir fortis & potens, & aliquando constitutus a Salomone præfectus super tributa universæ domui Joseph: cumque huic Ahias Silonites Propheta propter Salomonis peccata, Regnum Israel dividendum, ipsique Tribus decem subjectas fore dixisset, & hoc innotuisset Salomoni, aufugit in Ægyptum, in qua ad usque Salomonis mortem mansit, & Salomone mortuo, filius ejus Roboam consilium juvenum secutus, statim regni divisionem vidit, manumque levavit Jeroboam contra regem suum, & Tribus decem eum in Regem Israel elegerunt. Tribu Juda cum Benjamin sola sub Roboam remanente.

Israelitarum ergo Tribus duodecim, sub Judicum & Regum moderatione aliquandiu in integrum stetere. Post Salomonem, diviso in duas partes Regno, Tribus Juda & Benjamin in fide Roboami filii Salomonis permansere. Reliquæ Tribus decem, secessione facta, alium sibi Regem elegere, & partem suam Regnum Israel, quod major Israelitarum pars in eam se dedidissent, vocavere. Pars alia Regnum Juda dicta fuit, a Tribu Juda, quæ non solum respectu Tribus Benjamin quæ cum ipsa consentiebat, sed & quæ aliarum omnium Tribuum maxima, fortissima, & nobilissima esset.

Abductis in Assyriam primum duobus, posteaque & aliis omnibus Regni Israel Tribubus, Regnum Juda hic unicum remansit, usque ad captivitatem Babylonicam, qua soluta etiam in antiquam Sedem unicum rediit. Peneque tota Israelitarum & Judæorum res in unicum Judææ nomen transiit.

Judæaque ipsa tandem in sex divisa est Partes sive Regiones; in Galilæam, Samariam. & Judæam proprie dictam, quæ cis Jordanem, & ad Mare Mediterraneum: in Trachonitidem, Ituræam sive Peræam, & Idumæam, quæ trans Jordanem, & in mediterraneis positæ sunt. Sub Galilææ nomine Tribus Aser, & Nephthalim, & Zabulon, & Issachar (eæ postremæ duæ in Galilæa inferiori, aliæ in Superiori, sive Galilæa Gentium) censitæ sunt. In Samaria sunt dimidia Tribus Manasse cis Jordanem, & Tribus Ephraim. In Judæa Tribus Juda & Benjamin, sorteque & Tribus Dan & Simeon: eæ etenim cum Samaria non bene conveniunt.

Trachonitis habet dimidiam Tribus Manasse totam, quæ trans Jordanem, sorteque & aliquam Galilææ superioris partem, sub Perææ sive Iturææ nomine sunt Tribus Gad, & Tribus Ruben. Sed Idumæa extra duodecim Tribuum sortes tota ex Arabia Petræa desumta est. Ea tamen sub Judææ lato sumtæ nomine aliquando censita, Judæque Regibus subdita.

Post Reges, solutamque captivitatem Babylonicam Judæa ipsa varios inter casus, nunc sub Sacerdotibus, sub Ducibus, tum & sub Regibus ut plurimum alienigenis, & nunc a circumvicinis lacessita, nunc intestinis suorum odiis agitata, & ægre variis eluctata motibus, tandem in Romanorum manus devenit, qui Regionem omnem Palæstinam vocaverunt, a Populis maritimis, qui Hebræis Philisthini, Græcis Latinisque Palæstini.

Eamque partiti sunt in Provincias tres, in Palæstinam primam, cujus metropolis Cæsarea Palæstinæ, quæ antea Turris Stratonis. Palæstinam secundam, cujus metropolis Samaria; & Palæstinam tertiam sive salutarem, cujus metropolis Jerosolyma, sed & earum trium Provinciarum ordo & limites aliquando immutatæ sunt. Palæstina prima, cujus metropolis Cæsarea, Judææ & Samariæ partes pene omnes obtinuit, & Galilææ inferioris partem aliquam. Palæstina secunda cujus metropolis nunc Beth-san sive Scythopolis, ad superiorem Jordanis partem pene tota præter Galilææ superioris, sive Galilææ gentium partem, Trachonitidem etiam & Peræam sive Ituræam obtinuit. Palæstina tertia ut plurimum extra primos Judææ limites, per Idumæam, sive Arabiam Petræam longe lateque diffusa est.

Sed Palæstinorum nomen nunquam in Judæorum Gentem invaluit. Ipsi primum Hebræi postea que Israelitæ, & tandem Judæi dicti sunt, quod ultimum nomen etiam huc usque remanet.

Hebræi dicti sunt, non ab Heber filio Sale, nec ab Abramo sive Abrahamo nomen Abræi sive Ebræi factum est, ut plurimi ex antiquis scriptoribus dixere, sed quod cum Abrahamus e Chaldæa, transito Euphrate flumine, in Chananæam terram descendisset, Hebræus primum dictus est Genes. 14. vers. 13. quasi ultraneus sive extraneus. Ratio datur ex eo quod Posteri Eber nulli dicti sunt Ebræi sive Hebræi ante Abrahamum, quod in nomine Heber litera prima non conveniat cum ea quæ prima in nomine Hebræus, quod ipsemet Abraham non dictus fuerit Hebræus antequam e Chaldæa Chananæam transiisset, ibique

que domicilium fixiſſet, & cum incolis fœdus pepigiſſet, & nomen illud Heber trans ſive ultra denotat.

Iſraelitarum nomen deductum eſt ab Iſrael, quo nomine Jacob vocatus eſt; ab Angelo Geneſ. 32. verſ. 28. Nequaquam, inquit Angelus, Jacob appellabitur nomen tuum, ſed Iſrael: a Deo Geneſ. 35. verſ. 10. Apparuit Deus Jacob, dicens: Non vocaberis ultra Jacob, ſed Iſrael erit nomen tuum. Et appellavit eum Iſrael. Sic & multoties poſtea. Et ab ipſo nomine Iſrael poſteri ejus dicti ſunt filii Iſrael, viri Iſrael, Domus Iſrael, &c. & Iſraelitæ. Quod nomen ad decem tribus tandem reſtrictum eſt: Judææ & Judæorum nomina primum data ſunt in libris Reg. Judææ mentio eſt 1. Reg. 23. verſ. 3. Judæorum 4. Reg. 16. verſ. 6. &c. Sed Judæa in Bibliis ſacris omnibus pro Regno Juda tantum intelligitur: Judæi pro Regni hujus incolis. Apud Joſephum & alios ſcriptores antiquos Judææ nomen in totam Chananæorum terram, & Judæorum nomen in omnes Abrahami, & Jacobi poſteros diffuſum eſt. Ita ut Iſraelitæ cum Judæis cenſiti fuerint. Ex quo Deus apud Ezech. 37. verſ. 19. dicit. Ego aſſumam lignum Joſeph, quod eſt in manu Ephraim, & tribus Iſrael quæ ſunt ei adjunctæ, & dabo eas pariter cum ligno Juda: & faciam eas in lignum unum. Per lignum Joſeph intelligit Regnum Samariæ, ſive Regnum Iſrael, quod ut plurimum fuit ſub Regibus e Tribu Ephraim. Tribus autem Ephraim erat e ſemine Joſeph. Per lignum Juda intelligit Regnum Juda, in quo Tribus Juda, & Benjamin.

Cæterum Judæa ſive Terra ſancta, non ut a Deo promiſſa eſt, a Mari ſcilicet ad Jordanem tantum, nec ut ab Romanis deſcripta eſt, ſub nomine Palæſtinæ, quæ a Phœnicia ad Ægyptum extenſa, ſed prout ſub ſuis duodecim Tribubus cenſita fuit, terminatur a Septentrione Libano monte, qui eam a Phœnicia dividit; a meridie montibus Seir, qui ab Idumæa, ab Oriente montibus Hermon, Samir, & Galaad, qui ab Arabia dividunt; ab occidente Mari mediterraneo, quod Magnum vocant.

Patet in longitudine, a meridie in Septentrionem ſumta, ad pene ducentos mille Paſſus Geometricos. 1. ad Leucas Gallicas communes octoginta: in latitudine ab occidente in orientem ad ſeptuaginta quinque mille Paſſus Geom. inter Sidonem & Chanath quæ & Nobe; ſive inter Tyrum, & Aſtaroth: ad centum M. P. Geom. inter Cæſaream Palæſtinæ, & Ramoth Galaad. Ad centum & viginti quinque M. P. inter Gazam, & Cariath-aim in Tribu Ruben. Latitudo ergo eſt aliquando triginta, aliquando quadraginta, aliquando etiam quinquaginta leucarum Gallicarum communium. Totuſque regionis circuitus ſexcentorum M. P. ſive ducentarum & quadraginta leucarum Gallicarum 2500. M. P. in ſingulas leucas computatis.

Sed Judæa ſive Terra ſancta non tam propter regionis amplitudinem magni facienda eſt, quam propter infinitas alias dotes, quas a Deo accepit.

In illa etenim ſingularis eſt Soli ubertas, Aeris ſalubritas, & cœli temperies: ita ut frumento, hordeo, vino, oleo, melle, ficubus, malis granatis, & frugibus omnis generis tum & pecoribus, volatilibus, piſcibus abundantiſſima; urbibus, caſtellis, pagis frequentiſſima, hominum multitudine, (ſi qua alia in toto orbe) refertiſſima a Deo ipſomet laudari ſæpe meruerit, eamque vocat Terram ſuam Ezech. 38. verſ. 16. hæreditatem ſuam Pſal. 73. verſ. 2. Jerem. 12. verſ. 7. 8. 9. 14. vineam ſuam ibid. verſ. 10. & Luc. 13. verſ. 6. &c.

Dominus Deus (Populo Iſraelitico antequam Terram promiſſam ingrederetur) introducet te in Terram bonam, Terram rivorum, aquarumque & fontium: in cujus campis, & montibus erumpunt fluviorum abyſſi. Terram frumenti, hordei, & vinearum, in qua ficus, & malogranata, & oliveta naſcuntur. Terram olei ac mellis, ubi abſque ulla penuria comedes panem tuum, & rerum omnium abundantia perfrueris: cujus lapides ferrum ſunt, & de montibus ejus metalla effodiuntur: ut cum comederis, & ſaturatus fueris, benedicas Domino Deo tuo, pro terra optima, quam dedit tibi. Deuter. 8. verſ. 7. 10.

Terra lacte & melle fluens vocatur. Exod. 3. verſ. 8. & verſ. 17. ſic & alibi multoties Terra, quæ eſt egregia inter omnes. Ezech. 20. verſ. 6. præcipua Terra omnium ibid. verſ. 16.

Et inter exploratores Terræ Chanaan, Joſue filius Nun, & Caleb filius Jephone, ad omnem multitudinem filiorum Iſrael dixerunt. Terra, quam circuivimus valde bona eſt, ſi propitius fuerit Dominus, introducet nos in eam, & tradet humum lacte & melle manantem, Numer. 14. verſ. 6. 7. 8. de iiſdem exploratoribus hujus Terræ Moyſes: Venerunt uſque ad Vallem botri, & con-

& conſiderata terra ſumentes de fructibus ejus, ut oſtenderent ubertatem, attulerunt ad nos, atque dixerunt, Bona eſt Terra, quam Dominus Deus noſter daturus eſt nobis. Deut. 1. verſ. 24.

Terra ad quam ingredieris poſſidendam non eſt ſicut Terra Ægypti, de qua exiſti, ubi jacto ſemine in hortorum morem aquæ ducuntur irriguæ: ſed montoſa eſt & campeſtris, de cœlo expectans pluvias, quam Dominus Deus tuus inviſit, & oculi ejus ſemper in ea ſunt, in principio anni uſque ad finem. Deut. 14. verſ. 10. 11. 12.

Sed & in ea Patriarcharum, Prophetarum, Judicum, Regum, Summorum Pontificum apud Hebræos ſive Iſraelitas, ſedes & domus fecit. Sed & Jeſus Chriſtus a Prophetis diu promiſſus in ea homo factus, natus, educatus, & converſatus eſt, in ea pro nobis lacrymas, & Sanguinem effudit, & mortem paſſus eſt. Terraque quæ viventem vidit, mortuum in viſceribus triduo continuit, & a morte ſuſcitatum, & triumphantem reddidit, eundemque omnium Judicem expectat.



JE-




# JESU CHRISTI SALVATORIS NOSTRI VITA

In Epitomen contracta, sed in qua potissimum describuntur illius Patria, Mansiones, Itinera, & Peregrinationes per Galilæam, Samariam & Judæam, &c.

## EX NOVO TESTAMENTO.

*Jesus-Christus in Nazareth civitate Galilææ conceptus est.*

Anno Christi. I.

MISSUS est Angelus Gabriel a Deo, in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth: ad Virginem desponsatam Viro, cui nomen erat Joseph, & nomen Virginis Maria. Et ingressus Angelus ad eam, dixit, Ave gratia plena, benedicta tu in mulieribus: ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus JESUM. Hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur: Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, ideoque & quod nascetur ex te sanctum vocabitur Filius Dei: Dixit Maria, Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Ex Luc. I. vers. 26.... 38.

*Jesu-Christi Mater Virgo Maria visitat cognatam suam Elisabeth.*

II. Exurgens Maria abiit in montana, in civitatem Juda (Hebron) & intravit in domum Zachariæ, & salutavit Elisabeth: & ut audivit salutationem Mariæ Elisabeth, exultavit infans (Joannes) in utero ejus, & repleta est Spiritu sancto. Et dixit, Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui: & unde hoc mihi ut veniat Mater Domini mei ad me: & ait Maria, Magnificat anima mea Dominum, &c. Ex eodem, ibid. vers. 39... 47.

Anno Christi.

*Jesu-Christi Mater Virgo Maria redit in Nazareth, & ne illam dimittat monetur ab Angelo Josephus.*

III. Mansit autem Maria cum Elisabeth quasi mensibus tribus, & reversa est in domum suam (Nazareth.) Ex Luc. I. vers. 56. cumque esset desponsata Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto. Joseph autem cum esset justus, voluit occulte dimittere eam. Hæc eo cogitante Angelus Domini apparuit in somnis ei, dicens: Joseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam, quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est, pariet filium, & vocabis nomen ejus JESUM: ipse

Anno Christi.

ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum: Exurgens Joseph a somno, fecit sicut præcepit ei Angelus Dei. Matth. 1. vers. 18..... 24.

*Jesus-Christus in Bethlehem civitate Juda nascitur.*

IV. Exiit edictum a Cæsare Augusto, ut universus describeretur orbis: Hæc descriptio prima facta est a præside Syriæ Cyrino: & ibant omnes, ut profiterentur singuli in civitatem suam: Ascendit Joseph de civitate Nazareth in Judæam, in Civitatem David, quæ vocatur Bethlehem: eo quod esset de domo & familia David: ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore prægnante: Factum est, cum essent ibi, impleti sunt dies ut pareret: & peperit filium suum primogenitum, & pannis eum involvit, & reclinavit eum in præsepio, quia non erat eis locus in diversorio. Ex Luc. 2. vers. 1....7.

*Jesum-Christum infantem Angelorum monitu Pastores invisunt.*

V. Pastores erant in regione eadem vigilantes, & ecce Angelus Domini stetit juxta illos & dixit illis: Evangelizo vobis gaudium magnum: quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David. Et ut discesserunt ab eis Angeli in cœlum: Pastores loquebantur ad invicem: Transeamus usque Bethlehem, & invenerunt Mariam, & Joseph, & Infantem positum in præsepio: & reversi sunt Pastores glorificantes & laudantes Deum. Luc. 2. vers. 8..... 20.

*J. C. octavo a nativitate die circumciditur.*

VI. Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum est nomen ejus JESUS: ut vocatum est ab Angelo, priusquam in utero (V. Mariæ) conciperetur. Luc. 2. vers. 21.

*J. C. diebus aliquot post circumcisionem a Magis adoratur.*

VII. Cum natus esset JESUS in Bethlehem Juda, ecce Magi ab oriente venerunt Jerosolymam: dicentes, Ubi est, qui natus est Rex Judæorum: vidimus enim Stellam ejus in oriente, & venimus adorare eum: Audiens (hæc) Herodes rex turbatus est. Et congregans principes sacerdotum & scribas populi sciscitabatur ab eis, ubi nasceretur Christus: illi dixerunt in Bethlehem Juda. Tunc Herodes clam vocatis Magis, didicit ab eis tempus stellæ, quæ apparuit eis: & mittens eos in Bethlehem dixit, ite: & cum inveneritis renunciate mihi, ut & ego veniens adorem eum. Qui abierunt: & ecce stella, quam viderant in oriente, antecedebat eos, usque dum staret supra, ubi erat puer. Et intrantes domum invenerunt puerum cum Maria matre ejus, & procidentes adoraverunt eum: & apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera aurum, thus, & myrrham, & responso accepto in somnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in regionem suam. Matth. 2. vers. 1.... 12.

*J. Christi Mater V. Maria quadragesimo a partu die, purificationis legem solvit in Jerusalem.*

VIII. Et postquam impleti sunt dies purgationis ejus (Mariæ) secundum legem Moysi, tulerunt (parentes) Jesum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino, & ut darent hostiam par turturum, aut duos pullos columbarum. Luc. 2. vers. 22. 24.

*J. C. a Simeone Sacerdote, & ab Anna prophetissa supervenientibus agnoscitur.*

IX. Ecce Homo in Jerusalem Simeon justus & timoratus expectans consolationem Israel, responsum acceperat a Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini, Venit in Templum, & accepit puerum in ulnas suas, & benedixit eum, & dixit, Nunc dimittis servum tuum Domine, &c. Multaque prædixit de Puero, & de V. Maria. Et Anna Prophetissa filia Phanuel ipsa hora superveniens confitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemtionem Israel. Luc. 2. vers. 25... 38.

*J. Christi pater Joseph fugit in Ægyptum cum Maria conjuge, & puero Jesu.*

X. Angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens: Surge, & accipe puerum, & matrem ejus; & fuge in Ægyptum, & esto ibi usque dum dicam tibi. Futurum est enim: ut Herodes quæ-

Anno Christi. quærat puerum ad perdendum eum: qui consurgens accepit puerum, & matrem ejus nocte, & secessit in Ægyptum. Matth. 2. vers. 13. 14.

*Dum Jesus fugit in Ægyptum Infantes Bethlehem ab Herode occiduntur.*

XI. Herodes videns, quod illusus esset a Magis, iratus est, & occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, & in finibus ejus, a bimatu & infra, secundum tempus quod exquisierat a Magis. Et impleta est Jeremiæ Prophetia. Vox in Rama audita est, ploratus, & ululatus multus, Rachel plorans filios suos, noluit consolari quia non sunt. Matth. 2. vers. 16.... 18.

*J. C. a Josepho reducitur ab Ægypto in Judæam.*

XII. Defuncto Herode, Angelus Domini apparuit in somnis Joseph in Ægypto, dicens: Surge, & accipe puerum, & matrem ejus, & vade in terram Israel: defuncti sunt, qui quærebant animam pueri. Joseph consurgens venit in terram Israel. Matth. 2. vers. 19... 21.

*J. C. a Judæa reducitur in Galilææ urbem Nazareth.*

XIII. Audiens (Joseph) quod Archelaus regnaret in Judæa pro patre suo, timuit illo ire, & admonitus in somnis secessit in partes Galilææ: & habitavit in civitate Nazareth. Matth. 2. vers. 22. 23. Puer autem crescebat, & confortabatur plenus sapientia, & gratia Dei erat cum illo. Luc. 2. vers. 39. 40.

*J. C. annorum duodecim ducitur in Jerusalem ad Festum Paschæ; & amissus, in templo repertus est.*

XIV. Et ibant parentes ejus per singulos annos in Jerusalem, in die solemni Paschæ: Et cum factus esset annorum duodecim, ascendentibus illis Jerosolymam, secundum consuetudinem diei festi: cum redirent, remansit puer Jesus in Jerusalem, & parentes requirebant eum inter cognatos & notos, & non invenientes regressi sunt in Jerusalem, & post triduum invenerunt eum in Templo sedentem in medio Doctorum, audientem, & interrogantem illos: & dixit Mater, Fili, Ecce Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te. Luc. 2. vers. 41.... 48.

Anno Christi.

*J. C. reducitur in Nazareth.*

XV. Et descendit cum parentibus, & venit Nazareth, & erat subditus illis, & proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum & homines. Luc. 2. vers. 51. 52.

*J. C. annos triginta natus baptizatur a Joanne in Bethabara trans Jordanem.*

XVI. Venit Jesus a Galilæa in Jordanem ad Joannem, ut baptizaretur ab eo: Joannes autem prohibebat eum, dicens, Ego a te debeo baptizari, & tu venis ad me: Respondens Jesus, dixit sine modo, sic oportet nos implere omnem justitiam. Baptizatus Jesus ascendit de aqua. Et ecce aperti sunt cœli, & Spiritus sanctus descendit sicut columba super ipso, & vox de cœlo facta est: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Matth. 3. v. 13.... 17. Marc. 1. vers. 9... 11. Luc. 3. vers. 21. 23.

*J. C. post baptismum secessit in desertum, ubi jejunat, & esuriit, & tentatur a diabolo.*

XVII. Tunc (post baptismum) Jesus ductus est in desertum a Spiritu, ut tentaretur a Diabolo & cum jejunasset quadraginta diebus & quadraginta noctibus, esuriit. Et accedens tentator, dixit ei, Si filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant; qui respondens dixit, Scriptum est, Non in solo pane vivit homo, sed in omni Verbo, quod procedit de ore Dei. Matth. 2. vers. 3. 4. Luc. 4. vers. 3. 4. Assumsit eum diabolus in Sanctam civitatem & statuit eum super pinnaculum Templi, & dixit ei, Si filius Dei es, mitte te deorsum: scriptum est enim, quia Angelis suis mandavit de te, & in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Ait illi Jesus, Rursum scriptum est, Non tentabis Dominum Deum tuum. Matth. 4. vers. 5. 6. 7. Luc. 4. vers. 9. 10. 11. 12. Iterum assumsit eum diabolus in montem excelsum valde, & ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit ei: Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me. Dixit ei Jesus, Vade Satana. Scri-

Anno Christi.

Scriptum est enim, Dominum Deum adorabis, & illi soli servies. Matth. 4. vers. 8. 9. 10. Luc. 4. vers. 5. 6. 7. 8. Tunc reliquit eum diabolus. Et ecce Angeli accesserunt & ministraverunt ei. Matth. 4. vers. 11. Luc. 4. vers. 13. Marc. 1. vers. 13.

*J. C. post tentationem invisit Joannem (Bethabaræ) ubi Joannes testimonium dat de Christo.*

XVIII. Miserunt Judæi ab Jerosolymis Sacerdotes, & Levitas ad Joannem, ut interrogarent eum, Tu quis es. Et confessus est (Joannes) quia non esset ipse Christus, nec Elias, nec Propheta, sed vox clamantis in deserto: Dirigite viam Domini, &c. Et Joan. 1. vers. 19. . . 23. Altera die vidit Joannes Jesum venientem ad se, & ait: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Hic est de quo dixi: Post me venit vir, qui ante me factus est, quia prior me erat. Et ego nesciebam eum, sed ut manifestetur in Israel, propterea veni ego in aqua baptizans. Et testimonium perhibuit Joannes, dicens: quia vidi Spiritum descendentem quasi columbam de cœlo, & mansit super eum: & ego vidi, & testimonium perhibui, quia hic est filius Dei. Joan. 1. vers. 28. . . . 34.

*J. C. primos ad se evocat discipulos Andream, & Joannem.*

XIX. Altera die iterum stabat Joannes, & ex discipulis ejus duo: & respiciens Jesum ambulantem, dicit: Ecce Agnus Dei. Et audierunt eum duo discipuli loquentem, & secuti sunt Jesum: conversus autem Jesus, & videns eos sequentes se, dicit eis quid quæritis? Qui dixerunt ei, Rabbi, ubi habitas? Dicit eis, Venite, & videte. Venerunt, & viderunt ubi maneret, & apud eum manserunt die illo. Joan. c. 35. vers. 35. . . 39.

*J. C. rediens in Galilæam vocat Petrum, & Philippum.*

XX. Erat Andreas frater Simonis, unus ex duobus, qui audierant a Joanne, (de Jesu) & secuti fuerant eum: invenit hic fratrem suum Simonem, & dicit ei. Invenimus Messiam, quod est interpretatum, Christus, & adduxit fratrem ad Jesum. Intuitus eum Jesus, dixit, Tu es Simon filius Jona, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus. In crastinum voluit exire in Galilæam, & invenit Philippum. Et dicit ei Jesus, Sequere me. Erat Philippus e Bethsaida civitate Andreæ, & Petri. Per Philippum etiam Nathanaeli innotescit Jesus, & de eo dixit, Ecce vere Israelita, in quo dolus non est. Joan. 1. vers. 40.... 47.

*J. C. ad nuptias in Cana Galilææ vocatus, aquam in vinum mutat.*

XXI. Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ, & erat mater Jesu ibi, vocatus est & Jesus, & discipuli ejus ad nuptias. Et deficiente vino, dicit ministris Jesus, Implete hydrias aqua, & impleverunt usque ad summum. Et dicit eis Jesus, Haurite nunc, & ferte Architriclino, & tulerunt; ut autem gustavit Architriclinus aquam in vinum optimum factam, & non sciebat unde esset, &c. Hoc fecit initium Signorum Jesus in Cana Galilææ, & manifestavit gloriam suam, & crediderunt in eum discipuli ejus, Joan. 2. vers. 1... 11.

*J. C. a Cana Galilææ descendit Capharnaum.*

XXII. Post hoc descendit Capharnaum ipse, & mater ejus, & fratres ejus, & ibi mansit non multis diebus. Id. ibid. vers. 11.

*J. C. ascendit Jerosolymam.*

XXIII. Et prope erat Pascha Judæorum, & ascendit Jesus Jerosolymam, & invenit in templo vendentes boves, & oves, & columbas, & nummularios sedentes: & cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes ejicit de templo, oves quoque & boves, & nummulariorum effudit æs, & mensas subvertit: & his qui columbas vendebant, dixit: Auferte ista hinc, & nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis, &c. Joan. 2. vers. 13.... 16.

*J. C. Jerosolymis multa signa facit, & Nicodemum occulte docet.*

XXIV. Cum autem esset Jesus Christus Jerosolymis in Pascha, in die festo, multi crediderunt in nomine ejus, videntes signa quæ faciebat. Joan. 2. vers. 23. Ex quibus Nicodemus Pharizæus,

Anno Christi.

rizæus, & ex principibus Judæorum unus, nocte venit ad Jesum: dicitque se scire quia Jesus a Deo venerit magister, neminemque posse hæc signa facere, quæ fecerit, nisi fuerit Deus cum illo. Jesus Nicodemum multa edocet; de necessitate renascendi ex aqua & Spiritu, sive fide; de filio Dei unigenito in mundum emisso, ipsumque ad instar ænei serpentis exaltando, ut salvetur mundus, &c. Joan. 3. vers. 1.... 21.

*J. C. a Jerosolymis egressus, per Judæam peregrinatur, & baptizat.*

XXV Post hæc venit Jesus, & discipuli ejus in terram Judæam, & illic demorabatur cum eis, & baptizabat: erat autem & Joannes baptizans in Ænnon juxta Salim: nondum enim missus fuerat in carcerem: & Joannes, discipulis suis, de Christo quod etiam baptizaret, murmurantibus, Christum laudat, filiumque Dei vocat; ipsique credendum, quod Pater omnia dederit in manu ejus. Joan. 3. vers. 22.... 36.

*J. C. e Judæa per Samariam transit, ubi cum muliere Samaritana loquitur, & se Messiam aperit, multosque Evangelium docet.*

XXVI Cum audisset Jesus, quod Joannes traditus esset. Matth. 4. vers. 12. Marc. v. vers. 14. cognovitque, quia audierunt Pharisæi, quod Jesus plures discipulos facit, & baptizat, quam Joannes; quamquam Jesus non baptizaret, sed discipuli ejus, reliquit Judæam, & abiit in Galilæam: oportebat autem eum transire per Samariam: venit ergo in civitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar; juxta prædium, quod dedit Jacob Joseph filio suo: & erat ibi fons Jacob. Jesus fatigatus ex itinere, sedebat supra fontem. Venit mulier de Samaria haurire aquam; dicit ei Jesus. Da mihi bibere. ( Discipuli abierant in civitatem, ut cibos emerent ) dicit ei mulier Samaritana, &c. Joan. 4. vers. 1.... 9. hic Jesus cum muliere Samaritana loquitur de aqua viva, de adorando Deo in Spiritu, & veritate, & tandem se esse Messiam aperit. Redeuntibus discipulis, & rogantibus ut manducaret: Cibum ( inquit Jesus ) habeo manducare, quem vos nescitis. Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me ( Patris ) ut perficiam opus ( redemtionem & salutem peccatorum ) Multis autem Samaritanis innotescens, ( mulier etenim Samaritana in civitatem abierat, seque cum Propheta sive Messia allocutam fuisse dixerat ) iisque in Jesum credentibus, & Salvatorem mundi confitentibus, mansit ibi per duos dies. Joan. 4. vers. 9. .. 42.

*J. C. redit in Galilæam.*

XXVII Post duos dies exiit e Samaria, & abiit in Galilæam. Et exceperunt eum Galilæi, cum omnia vidissent, quæ fecerat Jerosolymis, in die Festo: Joann. 4. vers. 43. 45.

*J. C. venit in Cana Galilææ, ubi Reguli Filium absentem verbo sanat.*

XXVIII Venit iterum in Cana Galilææ, ubi fecit aquam vinum: & erat quidam Regulus, cujus Filius infirmabatur Capharnaum. Hic cum audisset quod Jesus adveniret a Judæa in Galilæam, abiit ad eum; & rogabat eum, ut descenderet in domum suam, & sanaret filium, incipiebat enim mori. Dicit ei Jesus: Vade, filius tuus vivit. Credidit homo sermoni, quem dixit ei Jesus, & cognovit pater, quia reliquit filium febris, illa hora, in qua dixit ei Jesus, Filius vivit: & credidit ipse, & domus ejus tota. Joan. 4. vers. 46.... 53.

*J. C. in Nazareth male a concivibus acceptus est.*

XXIX Et venit Nazareth, ubi erat nutritus, & intravit secundum consuetudinem suam die Sabbati, in Synagogam, & surrexit legere. Et traditus est illi liber Isaiæ Prophetæ, & ut revolvit librum, invenit locum ubi scriptum erat, Spiritus Domini super me. Eamque Isaiæ Prophetiam de se exponens, oculis & auribus civium primo in eum intendentibus, & postea ira excandescentibus, extra civitatem ejectus est, & ad supercilium montis ductus, ut præcipitaretur, per medios illorum transiit. Luc. 4. vers. 16... 30.

Anno Christi.

*J. C. relicta Nazareth migrat Capharnaum & prædicat pœnitentiam.*

XXX Et relicta civitate Nazareth, venit & habitavit in Capharnaum maritima, in finibus Zabulon & Nephtalim & cæpit Jesus prædicare, & dicere, Pœnitentiam agite: appropinquavit enim regnum cœlorum. Itaque docebat eos Sabbatis, & stupebant in doctrina ejus, quia in potestate erat sermo ipsius, erat enim docens eos, quasi potestatem habens, non sicut Scribæ ex Matth. 4. vers. 13... 17. Marc. 1. vers. 21. 22. Luc. 4. vers. 31. 32.

*J. C. juxta mare Galilææ ambulans, Simonem, & Andream fratrem ejus; tum & Jacobum & Joannem fratrem ejus ad se vocat.*

XXXI Ambulans Jesus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem ejus mittentes rete in mare (erant enim piscatores) Et ait illis, Venite post me, & faciam vos piscatores hominum: at illi continuo relictis retibus secuti sunt eum. Et procedens pusillum vidit Jacobum Zebedæi, & Joannem fratrem ejus, in navi cum Zebedæo patre eorum, reficientes retia sua, & vocavit eos. Illi autem statim relictis retibus, & patre suo Zebedæo in navi cum mercenariis, secuti sunt eum. Matt. 4. vers. 18. 22. Marc. 1. vers. 16... 20.

*J. C. Galilæam omnem perambulans prædicat ubique, & varios curat morbos.*

XXXII Et circuibat Jesus totam Galilæam, docens in Synagogis eorum, & prædicans Evangelium regni, & sanans omnem languorem, & omnem infirmitatem in populo. Et abiit opinio ejus in totam Syriam, & obtulerunt ei omnes male habentes variis languoribus, & tormentis comprehensos: & qui dæmonia habebant, & Lunaticos, & Paraliticos, & curavit eos: & secutæ sunt eum turbæ multæ de Galilæa, & Decapoli, & Jerosolymis, & de Judæa, & de trans-Jordanem. Matth. 4. vers. 23.. 25.

*J. C. nimia confluente ad eum turba navem ascendit, e qua populum edocet.*

XXXIII Factum est autem cum turbæ irruerent in eum, ut audirent Verbum Dei. Et ipse stabat secus stagnum Genesareth, & videns duas naves stantes secus stagnum [ piscatores descenderant, & lavabant retia. ] Ascendens in unam navem quæ erat Simonis. Sedens docebat de navicula turbas. Luc. 5. v. 1. 3.

*J. C. jubet navem in altum duci, & ad ejus nutum, laxato rete miraculosa fit piscium captura.*

XXXIV Ut cessavit loqui (Jesus) dixit ad Simonem: duc in altum, & laxate retia vestra in capturam. Et respondens Simon, dixit illi: Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus, in verbo autem tuo laxabo rete. Et cum hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinem copiosam, & rumpebatur rete eorum: & annuerunt sociis, qui erant in alia navi, ut venirent, & adjuvarent eos: & venerunt, & impleverunt ambas naviculas, ita ut pene mergerentur. Quod cum videret Simon Petrus procidit ad genua Jesu: Stupor enim circumdederat eum, & omnes qui cum illo erant. Similiter Jacobum, & Joannem filios Zebedæi, qui erant socii Simonis, & ait ad Simonem Jesus: Noli timere, ex hoc jam homines eris capiens, & subductis ad terram navibus, relictis omnibus, secuti sunt Jesum. Luc. 5. vers. 3. . . 11.

*J. C. redit in Capharnaum, in qua Spiritum immundum ab homine ejicit.*

XXXV Descendit Jesus in Capharnaum, & Sabbatis ingressus in Synagogam docebat eos. Erat in Synagoga eorum homo in Spiritu immundo, & exclamavit, Quid nobis, & tibi Jesu Nazarene, venisti perdere nos? Scio quis sis, Sanctus Dei: & comminatus est ei Jesus, dicens, obmutesce, & exi de homine: & exiit ab illo, nihilque illum nocuit. Marc. 1. vers. 21. . . . 25. Luc. 4. vers. 31. . . . 36.

J. C.

Anno Christi.

*J. C. egressus e Synagoga domum Simonis ingreditur ( in Bethsaida ) & ejus socrum a febri liberat.*

XXXVI Surgens Jesus e Synagoga intravit in demum Simonis, & Andreæ, cum Jacobo & Joanne. Socrus autem Simonis jacebat, & tenebatur magnis febribus: & rogaverunt Jesum pro ea: & accedens elevavit eam, apprehensa manu ejus. Et continuo dimisit eam febris, & ministrabat eis. Matth. 8. vers. 14. 15. Marc. 1. vers. 29. . . . 30. 31. Luc. 4. vers. 38. 39.

*J. C. e Bethsaida redit Capharnaum, ubi vespere plurimos ægrotos sanat.*

XXXVII Vespere facto, obtulerunt ei multos dæmonia habentes, & ejiciebat spiritus verbo, & omnes male habentes curabat: & erat omnis civitas congregata ad januam; at ille singulis manus imponens, curabat eos. Matth. 8. vers. 16. Marc. 1. vers. 32. Luc. 4. vers. 40.

*J. C. a Capharnao in desertnm abit, ut oraret.*

XXXVIII Et diluculo valde surgens, egressus abiit in desertum locum, ibique orabat. Et prosecutus est eum Simon, & qui cum illo erant, & cum invenissent eum, dixerunt ei, quia omnes quærunt te. Luc. 4. vers. 35. 37.

*J. C. e deserto in circumvicinos locos peregrinatur.*

XXXIX Et ait illis: Eamus in proximos vicos, & civitates, ut & ibi prædicemus: ad hoc enim veni. Et erat prædicans in Synagogis eorum, & in omni Galilæa, & dæmonia ejiciens. Marc. 1. vers. 38. 39. Luc. 4. vers. 43. 44.

*J. C. transfretans stagnum obdormiit, & tempestate orta, & a somno excitatus, eam sedat.*

XL Factum est in una dierum: & ipse ascendit in naviculam, & discipuli ejus, & ait ad illos. Transfretemus trans stagnum, & ascenderunt. Navigantibus illis ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus. Erat ipse in puppi super cervical dormiens. Accesserunt ad eum discipuli ejus, & suscitaverunt, dicentes: Domine, salva nos, perimus: & exurgens comminatus est Vento, & dixit Mari. Tace, obmutesce. Et cessavit ventus, & facta est tranquillitas magna. Matth. 8. vers. 23. . . 27. Marc. 4. vers. 36. . . 40. Luc. 8. vers. 22. . . 25.

*J. C. transit in regionem Gerasenorum, ubi dæmones a duobus hominibus ejiciens, eos in vicinos porcos ire permittit.*

XLI Et cum venisset trans fretum in regionem Gerasenorum, occurrerunt ei de navi ad terram egredienti duo habentes dæmonia de monumentis exeuntes, sævi nimis, ita ut nemo posset transire per viam illam ( unicum dæmoniacum habent Marc. & Luc. ) qui videns Jesum a longe cucurrit, et adoravit eum, et clamans voce magna, dixit: Quid mihi, et tibi Jesu Fili Dei altissimi? interrogavit illum Jesus, dicens: Quod tibi nomen est? at ille dixit, Legio, quia multi sumus: et deprecabatur ne se expelleret extra regionem, et ne imperaret illis, ut in abyssum irent: erat autem non longe ab illis, et circa montem grex multorum porcorum pascens, et dæmones rogabant Jesum, ut permitteret eis in porcos ingredi. Et ecce magno impetu totus grex præcipitatus est in mare, et tota civitas Gerasenorum exiit obviam Jesu, rogavitque, ut discederet a finibus suis. Cumque ascenderet navem, cœpit illum deprecari vir, qui a dæmonio vexatus fuerat, ut esset cum illo ( Jesu. ) Sed ait illi ( Jesus ) redi in domum tuam, & annuntia quanta tibi fecerit Dominus: et abiit per universam civitatem prædicans, quanta sibi fecisset Jesus. Ex Matth. 8. vers. 28. . . . 34. Marc. 5. vers. 1. . . . 20. Luc. 8. vers. 26. . . . 39.

*J. C. redit in Galilæam, in Capharnaum, ubi Paralyticum a peccatis absolvit, & a paralysi liberat.*

XLII Et ascendens in naviculam transfretavit, et venit in civitatem suam; Et auditum est quod in domo esset: et conveniunt multi, ita ut non caperet neque ad januam. Et ecce viri portantes in lecto hominem Paralyticum, quærebant eum inferre, et ponere

Anno Christi.

nere ante Jesum. Et non invenientes qua parte illum inferrent, præ turba, ascenderunt supra tectum, et per tegulas summiserunt eum cum lecto in medio ante Jesum. Qui cum vidisset illorum fidem, dixit Paralytico, Confide tibi, remittuntur tibi peccata tua. Scribis autem et Pharisæis murmurantibus, quod Jesus peccata dimitteret, dixit illis: Quid est facilius dicere Paralytico, dimittuntur tibi peecata, an dicere, Surge, tolle grabatum tuum, et ambula. Ut autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem dimittendi peccata, tunc ait Paralytico. Surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam. Et confestim surgens coram illis, tulit lectum, in quo jacebat, et abiit in domum suam, magnificans Deum. Matth. 9. vers. 1.... 7. Marc. 2. vers. 1.... 12. Luc. 5. 18... 25.

*J. C. regressus ad mare, Matthæum publicanum ad se vocat, & cum illo manducat.*

XLIII Egressus est rursus ad mare, et vidit hominem Publicanum Matthæum nomine, sive Levi Alphæi, sedentem in telonio: et ait illi, Sequere me, et relictis omnibus, surgens secutus est eum: et fecit ei convivium magnum Levi in domo sua, et erat turba multa publicanorum, & peccatorum, qui discumbebant cum Jesu, & discipulis ejus. Ob idque murmurantibus Scribis & Pharisæis, dixit Jesus se venisse, ut peccatores ad pœnitentiam vocaret. Matth. 9. vers. 9.... 13. Marc. 2. vers. 14... 17. Luc. 5. vers. 27... 32.

XLIV Iterumque murmurantibus illis, quod jejunent ipsi, tum & discipuli Joannis, discipuli autem Jesu non jejunent, respondet Jesus, discipulos suos dum in sponsi sui nuptiis essent, nec lugere nec jejunare debere, sponso ablato illos satis jejunaturos, ibidemque differit Jesus de vestimentis veteribus & novis, de utribus & vinis, veteribus & novis. Matth. 9. vers. 14... 17. Marc. 2. vers. 18... 22. Luc. 5. vers. 33... 39.

*J. C. rogatur a Jairo ut in domum veniat, & filiam morientem sanet.*

XLV Et ecce venit Jairus, & ipse princeps Synagogæ, & cecidit ad pedes Jesu, rogans, ut intraret in domum suam, quia unica filia erat ei annorum duodecim, & hæc moriebatur: & deprecabatur multum, ut imponeret manum super eam, ut salva esset, & viveret: & surgens Jesus sequebatur eum, & discipuli ejus. Et sequebatur multa turba, & comprimebant eum. Matth. 9. vers. 18. 19. Marc. 5. vers. 22. 24. Luc. 8. 41. 42.

*J. C. dum ad Jairi domum pergit, in itinere mulierem a profluvio sanguinis sanat.*

XLVI Dum iret (Jesus) ecce mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur a duodecim annis, & quæ in medicos erogaverat omnem substantiam suam, accessit retro, & tetigit fimbriam vestimenti ejus, dicens intra se, si tetigero tantum vestimentum ejus, salva ero. At Jesus conversus videns eam, dixit, Confide filia, fides tua te salvam fecit, & salva facta est mulier ex illa hora. Math. 9. vers. 20. 22. Marc. 5. vers. 25... 34. Luc. 8. vers. 43. 48.

*J. C. Jairi filiam jam mortuam in vitam revocat, viventem manducare jubet.*

XLVII Adhuc illo loquente, veniunt quidam ad principem Synagogæ dicentes, Filia tua mortua est. Jesus autem ait patri puellæ: Crede tantum, & salva erit. Et cum venisset Jesus in domum Jairi, & vidisset turbam tumultuantem, & plorantem, quod puella mortua esset, ejectis omnibus, non permisit intrare secum quemquam, nisi Petrum, & Jacobum, & Joannem: & patrem & matrem puellæ, & ipse tenens manum ejus, clamavit, dicens: Puella, surge, & reversus est spiritus ejus, & surrexit, ambulavit, & manducavit. Matth. 9. vers. 23.... 26. Marc. 5. vers. 35... 43. Luc. 8. vers. 49... 56.

*J. C. e domo Jairi egressus, & in domum suam rediens, duobus cæcis visum reddit, & dæmoniacum mutum curat.*

XLVIII Transeunte inde Jesu, secuti sunt eum duo cæci, clamantes, & dicentes, Miserere nostri fili David. Cum autem venisset domum, accesserunt ad eum cæci, & dixit eis Jesus: Creditis quia hoc possum facere vobis? Dicunt

Anno Christi.

cunt ei Utique Domine. Tunc tetigit oculos eorum, dicens, Secundum fidem vestram fiat vobis, & aperti sunt oculi eorum. Egressis illis obtulerunt ei hominem mutum dæmonium habentem, & ejecto dæmonio locutus est mutus. Matth. 9. vers. 27... 33.

*J. C. ascendit Jerosolymam ad Festum Paschæ, hominemque ab annis triginta octo languidum, & ad piscinam probaticam Angelicum aqua motum frustra exspectantem, sanat.*

XLIX

Post hæc erat dies festus Judæorum, & ascendit Jesus Jerosolymam. Est autem Jerosolymis probatica piscina quinque habens porticus, in his jacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, exspectantium aquæ motum. Angelus enim Domini descendebat secundum tempus in piscinam, & movebatur aqua; & qui prior descendisset in piscinam post motionem aquæ, sanus fiebat, a quacumque detineretur infirmitate. Erat autem quidam homo ibi triginta & octo annos habens in infirmitate sua. Hunc cum vidisset Jesus jacentem; dicit ei. Vis sanus fieri, respondit languidus, Domine, hominem non habeo; ut cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam. Dum venio enim, alius ante me descendit. Dicit ei Jesus: Surge, tolle grabatum tuum, & ambula: & statim sanus factus est homo ille, & sustulit grabatum suum & ambulabat; erat autem Sabbatum, in die illo. Propereaque Judæis id calumniantibus, respondet Jesus se omnia simul cum Deo patre operari, seque in omnes habere potestatem, & vitæ & judicii; & de se Joannem, de se tot & tanta opera sua, de se etiam Patrem, tum & Moysem testimonium perhibere: mirumque quod Judæi in incredulitate permanerent. Ille autem qui sanatus fuit Christum confessus est, Judæis multum indignantibus. Joan. toto capite 5.

*J. C. discipulis, quod Sabbato spicas legissent, & manducassent, excusat.*

L

Abiit Jesus per sata Sabbato, discipuli ejus esurientes vellebant spicas, & confricantes manibus, eas manducabant. Pharisæis dicentibus id non licere Sabbatis, respondit Jesus, necessitatis causa id fieri posse, exemplo Davidis, qui cum ipse, suique esurirent, manducavit panes propositionis; exemplo etiam Sacerdotum, qui Sabbatum in templo violant, ad Sacrificia peragenda, & sine crimine sunt. Ex. Matth. 12. vers. 1. Marc. 2. vers. 22... 26. Luc. 6. vers. 1....4.

Anno Christi.

*J. C. alio Sabbato Jerosolymis Synagogam intrat, & hominis manum dexteram aridam sanat.*

LI

Factum est & in alio Sabbato, ut intraret Jesus in Synagogam, & doceret. Erat ibi homo, cujus manus dextera erat arida, & observabant eum Scribæ & Pharisæi, si in Sabbato curaret, ut invenirent, unde accusarent eum: ipse vero sciens cogitationes eorum, ait homini illi, Surge & sta in medium, & ait ad illos, si licet Sabbatis benefacere? At illi tacebant. Ipse autem dedit illis exemplum Ovis Sabbato in foveam cadentis, quæ illico levanda sit, quanto (inquit) melior est homo ove? itaque licet Sabbatis benefacere. Dicit ergo homini, Extende manum tuam, & extendit, & sanitati restituta est manus ejus, sicut altera. Exeuntes autem Pharisæi cum Herodianis consilium faciebant, quomodo perderent Jesum. Matth. 12. vers. 9.... 15. Marc. 3. vers. 1.... 6. Luc. 6. vers. 6.... 11.

*J. C. cum Discipulis secedit ad Mare Galilææ.*

LII

Jesus autem sciens (eorum consilia (secessit cum discipulis suis ad mare: & multa turba a Galilæa, & Judæa secuta est eum; & ab Jerosolymis, & ab Idumæa, & trans Jordanem: & qui circa Tyrum & Sidonem multitudo magna, audientes quæ faciebat, venerunt ad eum: & dixit discipulis, ut navicula deserviret propter turbam, ne comprimerent, & irruerent in eum, ut illum tangerent, quotquot habebant plagas, & Spiritus immundos, & curabat eos omnes. Matth. 12. vers. 15. 16. Marc. 3. vers. 8.... 23.

*J. C. totam Galilæam peragratur.*

LIII

Et circuibat Jesus totam Galilæam, docens in Synagogis eorum, & prædicans Euangelium regni, & sanans omnem languorem, & omnem infirmitatem in populo. Et abiit opinio ejus in totam Syriam, & obtulerunt ei omnes male habentes, variis languori-

guoribus, & tormentis comprehensos: & qui dæmonia habebant, & lunaticos, & paralyticos, & curavit eos: & secutæ sunt eum turbæ de Galilæa, & Decapoli & de Jerosolymis, & de Judæa, & de trans Jordanem. Matth. 4. vers. 23.... 25.

*J. C. ascendit in montem ad orandum; vocavitque discipulos suos, & ex iis Apostolos elegit duodecim.*

LIV Videns Jesus turbas, ascendit montem orare, & erat pernoctans in oratione. Et cum dies factus esset, vocavit ad se discipulos suos; & elegit ex ipsis duodecim, quos Apostolos nominavit. Quorum nomina sunt hæc. Primus Simon, qui dicitur Petrus, & Andreas frater ejus; Jacobus Zebedæi, & Joannes frater ejus; Philippus, & Bartholomæus; Thomas, & Matthæus Publicanus; Jacobus Alphæi, & Thaddæus; Simon Chananæus, & Judas, qui tradidit ipsum. Matth. 10. vers. 2. 4. Marc. 3. vers. 16... 19. Luc. 6. vers. 14.... 16.

LV Et multa discipulos edocet, eosque vocat Salem terræ, & lucem mundi. Disseritque de Beatitudinibus, de Lege perficienda, de Mansuetudine, & non irascendo fratri, de Adulterio, & continentia, de non Jurando, nec per Deum, nec per quodcumque sit; de Patientia, & de Amicis & Inimicis diligendis, de Eleemosyna, de Oratione, & de Jejunio faciendis in abscondito; thesaurizandum in cœlo, agendum in oculo simplici, non serviendum duobus dominis: vitandæ sollicitudines, non temere judicandum, de cæco cæcum ducente; trabeque ex oculo nostro ejicienda, antequam festucam in oculo fratris demonstremus. Sanctum non dandum canibus, petendum, pulsandumque ad obtinendum; de arcta, & lata via, de falsis Prophetis: Arbor ex fructu noscenda, homines non ex verbis, sed ex bonis operibus compensandi. De homine sapiente, qui ædificat supra petram; de stulto, qui super arenam, Matth. c. 5. 6. 7. Luc. 6. vers. 20. ad ultimum.

*J. C. e monte descendens leprosum mundat, mundatum ad Sacerdotes mittit.*

LVI Cum descendisset de monte, sequutæ sunt eum turbæ multæ. Et Jesus coram tota plebis multitudine, eadem pene quæ in monte, repetit. Et ecce leprosus veniens adorabat eum, dicens: Domine, si vis, potes me mundare. Jesus misertus ejus, extendit manum, & tetigit eum, dicens: Volo, mundare, & statim discessit ab eo lepra, & mundatus est. Et præcepit ei, ut iret, & ostenderet se Sacerdoti, & offerret munus, quod præcepit Moyses in testimonium illis. Matth. 8. vers. 1... 4. Marc. 1. vers. 40. 45. Luc. 5. vers. 12... 14.

*J. C. redit Capharnaum, ubi a Centurione gentili pro servo paralytico rogatus, rogantis fidem laudat, & servum absentem verbo sanat.*

LVII Cum introisset Capharnaum, accessit ad eum Centurio, rogans pro puero suo Paralytico, cumque Jesus ad eum se iturum, puerumque curaturum dixisset, respondit Centurio: Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, & sanabitur puer meus. Quo audito, Jesus miratus est, & conversus sequentibus se turbis dixit: se necdum in Israel tantam fidem invenisse. Et dixit Centurioni, Vade, et sicut credidisti, fiat tibi. Et sanatus est puer in illa hora. Matth. vers. 5.... 13. Luc. 7. vers. 1.... 10.

*J. C. Naim urbem appropinquans, adolescentem viduæ filium mortuum ad vitam revocat.*

LVIII Deinceps ibat in civitatem, quæ vocatur Naim: & ibant cum eo discipuli ejus, & turba copiosa. Cum autem appropinqaret portæ civitatis, ecce defunctus efferebatur ad sepulturam filius unicus matris suæ, & hæc vidua erat, & turba civitatis multa cum illa: quam cum vidisset Dominus, misericordia motus super eam, dixit illi, Noli flere: & accessit, & tetigit loculum ( hi autem qui portabant steterunt ) & ait, Adolescens tibi dico surge. Et resedit, qui erat mortuus, & cæpit loqui, & dedit illum ( Jesus ) matri suæ. Luc. 7. vers. 11.. 15.

Ad

Anno Christi.

*Ad Jesum Christum duo discipuli a Joanne in carcere detento mittuntur, petituri, an ipse esset, qui venturus erat.*

LIX Joannes cum audisset, in vinculis, opera Christi, mittens duos de discipulis suis, ait illi: Tu es qui venturus es, an alium exspectamus? In ipsa autem hora multos curavit ( Jesus ) a languoribus suis, & plagis, & spiritibus malis, & cæcis multis donavit visum. Et respondens dixit illis: Euntes renuntiate Joanni, quæ audistis & vidistis. Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur. Et beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me. Et cum discessissent discipuli Joannis, præclarum dat ( Jesus ) de Joanne testimonium; Judæosque increpat, qui nec Joannis pœnitentiam agentis, & in deserto prædicantis: nec Jesu Christi, inter Publicanos & peccatores ( ut illos ad justitiam revocet ) manducantis, vitam probarent: Judæosque comparat pueris in foro sedentibus, & qui æqualibus dicunt: Cecinimus vobis; & non saltastis, lamentavimus, & non planxistis: & tandem in civitates impœnitentes invehitur. Matth. 11. vers. 2... 24. Luc. 7. vers. 8. 35. &c. 10. vers. 13. 15.

*J. C. a Simone Pharisæo ad cœnam vocatus, dum mensæ accumbit, mulieri peccatrici, & pœnitenti peccata remittit.*

LX Rogabat illum ( Jesum ) quidam ( Simon ) de Pharisæis, ut manducaret cum illo. Et ingressus domum Pharisæi discubuit. Et ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit quod accubuisset in domo Pharisæi, attulit alabastrum unguenti, & stans retro secus pedes ejus, lacrymis cæpit rigare pedes ejus, & capillis suis tergebat, & osculabatur pedes ejus, & unguento ungebat. Simonique Pharisæo, quod peccatrix esset hæc mulier, murmuranti, proponit Jesus parabolam de duobus debitoribus, quibus unde redderent non habentibus, fœnerator omnia sive plus sive minus deberent, condonat, proptereaque dixit Jesus de illa peccatrice: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Dixitque mulieri, Remittuntur tibi peccata; Fides tua te salvam fecit, vade in pace. Luc. 7. vers. 36... 50.

Anno Christi.

*J. C. venit ad domum ( Capharnai ) hominemque dæmonicum cæcum, & mutum, a dæmone liberat, videntemque & loquentem reddit.*

LXI Et veniunt ad domum, & convenit turba; ita ut non possent manducare: & oblatus est ei dæmonium habens, cæcus, & mutus: & curavit eum, ita ut loqueretur, & videret. Scribisque, & Pharisæis dicentibus illum non ejicere dæmones, nisi in Principe dæmoniorum, respondet Jesus; Non a Satana Satanam ejici, Sed inferiorem a fortiori expelli: seque in digito Dei ejicere dæmones, ideoque jam regnum Dei in eos pervenisse. Et iterum cum Scribæ, & Pharisæi signum peterent, non dedit, nisi signum Jonæ Prophetæ; qui ut fuerat in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, sic & aliquando erit filius in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus. Matth. 12. vers. 22....40. Marc, 3. vers. 22.... 27. Luc. 11. vers. 14.... 30.

LXII Jesus postea in Judæos acerrime invehitur, qui in malum bona sua opera interpretarentur, dicerentque ipsum Jesum habere Spiritum immundum. Et id blasphemiam esse, & peccatum in Spiritum sanctum. Quod cum alia omnia peccata remittantur, etiam quæ contra Filium hominis; quæ autem contra Spiritum sanctum ea non remitti neque in hoc sæculo, neque in futuro. Ex Matth. 12. vers. 31. 33. Marc. 3. vers. 28. Luc. 12. vers. 10. ideoque Ninivitas & Reginam Saba insurrecturos die Judicii contra ipsos Judæos, qui nec ad pœnitentiam converti, nec ad Christi doctrinam et legem adduci vellent, Ex Matth. 12. vers. 41. 42. Luc. 11. vers. 31. 32. Factum est autem dum hæc diceret, extollens vocem mulier de turba dixit: Beatus venter, qui te portavit, et ubera quæ suxisti. At ille dixit quinimmo, Beati qui audiunt Verbum Dei, et custodiunt illud. Luc. v. vers. 28. 28.

*J. Christi Mater & Fratres ii sunt qui Verbum Dei audiunt & faciunt.*

LXIII Jesu loquente ad turbas, veniunt Mater ejus & Fratres, qui cum non possent eum adire præ turba, quidam ex circumstantibus dixit: Ecce Mater tua

tua & Fratres tui ſtant foris, & quærunt te. Reſpondit Jeſus, Quæ eſt Mater mea, & qui fratres mei; & extendens manus in diſcipulos, & eis qui in circuitu ſedebant, dixit, Ecce mater mea, & Fratres mei; quicunque audierint, & fecerint voluntatem Patris mei, qui in cœlis eſt, ii ſunt Mater mea, & Fratres mei. Matth. 12. verſ. 46... 50. Marc. 3. verſ. 31. ... 35. Luc. 8. verſ. 19. 20. 21.

*J. C. e domo exiens, egreditur ad Mare Galilææ, & e navicula multitudinem concionatur.*

LXIV Exiens Jeſus de domo, ſedebat ſecus Mare, & congregatæ ſunt ad eum turbæ multæ, ita ut in naviculam aſcendens ſederet, & omnis turba ſtabat in littore, & multa in parabolis docebat eos. Ut de ſeminante, cujus ſemina in viam, in petroſa loca, in ſpinas, & in bonam terram cadant. De Zyzaniis, hoc eſt de inimico homine, qui malum ſemen ſuper bonum in proximi agrum injecerit: de ſemine ultro germinante herbam, ſpicas, frumentum, meſſem: de grano Sinapis, quod initio minimum, in ingentem magnitudinem creſcat, de Fermento, quod etiamſi modicum, immixtum tamen cum aliis ſatis, ea omnia permeat, augetque. Matth. 13. verſ. 1.... 35. Marc. 4. pene toto capite. Luc. 8. verſ. 4. 15.

*J. C. domum regreſſus (Capharnai) Parabolas diſcipulis explicat.*

LXV Tunc dimiſſis turbis venit in domum, & acceſſerunt ad eum diſcipuli ejus, dicentes, Ediſſere nobis parabolam Zizaniorum agri: hujus explicationem dat, aliamque parabolam addidit de Theſauro abſcondito, de pretioſa margarita, de Sagenis; quæ Parabolæ ſunt, de Regno cœlorum, ad quod ejectis reprobis optimi quique eliguntur, Matth. 13. verſ. 36... 52.

*J. C. a Capharnao in Nazareth patriam ſuam venit, ubi iterum a concivibus contemnitur.*

LXVI Cum conſummaſſet Jeſus Parabolas iſtas, tranſiit inde & veniens in patriam ſuam docebat eos in Synagogis eorum, ita ut mirarentur, & dicerent: Unde huic ſapientia hæc, & virtutes? Nonne hic eſt fabri filius? Nonne mater ejus dicitur Maria, & fratres ejus Jacobus & Joſeph, & Simon & Judas, & Sorores ejus. Nonne omnes apud nos ſunt? Unde ergo huic omnia iſta? Et ſcandalizabantur in eo. Jeſus autem dixit eis: Utique dicetis mihi, quanta audivimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua. Amen dico vobis, quia nemo Propheta acceptus eſt in patria ſua. Et non fecit ibi virtutes multas, paucoſque infirmos impoſitis manibus curavit, propter incredulitatem eorum. Matth. 13. verſ. 53.... 58. Marc. 6. verſ. 1... 6.

*J. C. etenim filius Joſeph fabri putabatur, & ipſe faber.*

LXVII Et ipſe Jeſus putabatur filius Joſeph. Luc. 3. verſ. 23. Sic & Judæi dicebant; Nonne hic eſt Jeſus Filius Joſeph, cujus nos novimus patrem & matrem? Joan. 6. verſ. 42. ſic & concives ſui cum Jeſum in Synagoga ſua audiſſent, admirati ejus doctrinam dicebant: Unde huic hæc omnia, & ſapientia hæc, & virtutes quæ per manus ejus efficiuntur? Nonne hic eſt faber & fabri filius? Nonne mater ejus dicitur Maria? Matth. 13. verſ. 54. 55. Marc. 6. verſ. 2. 3.

*J. C. per Galilæam peregrinatur, Evangelium prædicat.*

LXVIII Et deinceps iter faciebat, & circuibat Jeſus omnes civitates, & caſtella, docens in Synagogis eorum, prædicans & Evangelizans Regnum Dei, & curans omnem languorem, & omnem infirmitatem. Matth. 9. verſ. 35. Marc. 6. verſ. 6. Luc. 8. verſ. 1.

*J. C. cum turbæ multæ eum ſequerentur, mittit Apoſtolos prædicare.*

LXIX Videns Jeſus turbas miſertus eſt eis, qui erant vexati, & jacentes ſicut oves; non habentes Paſtorem. Tunc dixit diſcipulis ſuis: Meſſis quidem multa, operarii autem pauci, Rogate ergo dominum meſſis, ut mittat operarios in meſſem ſuam. Matth. 9. verſ. 36. 38. Et convocatis duodecim Apoſtolis, dedit illis poteſtatem, & virtutem ſuper omnes ſpiritus immundos, & cœpit eos mittere binos, ut prædicarent Regnum Dei & ſanarent omnem infirmitatem: Præcepitque quid obſervandum ſit, in itinere, in converſatione, in perſecutione toleranda, etiam morte ferenda, ad Deum coram

Anno Christi.

ram hominibus confitendum, omniaque pro ipso post ponenda. Matth. 10. vers. 15.... 42. Marc. *6.* vers. 7... 13. Luc. *9.* vers. 1.... *6.*

Cum consummasset Jesus, præcipiens duodecim discipulis suis, transiit, ut doceret, & prædicaret in civitatibus eorum. Matth. 11. vers. 1.

Egressi autem (Apostoli) circuibant per castella, & prædicabant, ut pœnitentiam agerent, & dæmonia multa ejiciebant, multos ægros ubique sanabant, & convenientes ad Jesum renunciaverunt ei omnia, quæ egerant, & docuerant, Marc. *6.* vers. 12. 13. 30. Luc. *9.* vers. *6.* 10.

*J. C. & Apostolorum acta, & virtutes ad Herodem deferuntur.*

LXX Audivit Herodes Tetrarcha famam Jesu, hæsitabatque cum suis, an Jesus esset Joannes Baptista, an Elias, an alius ex antiquis Prophetis, qui surrexerit. Joannem (inquit Herodes) ego decollavi: & quis est iste, de quo talia audio, & in quo discipuli sui tot virtutes operantur? & quærebat videre eum. Ex Matth. 14. vers. 12. Marc. *6.* vers. 14. 1*6.* Luc. *9.* vers. *7.* 8. *9.*

*J. C. cum Apostolis fessis & esurientibus in desertum Bethsaidæ secedit.*

LXXI Et ait Apostolis: Venite seorsum in desertum locum, & requiescite pusillum, (erant enim qui veniebant, & redibant multi) nec spatium manducandi habebant, & ascendentes navem, abierunt in desertum Bethsaidæ trans Mare Galilææ, quod est Tiberiadis. Quod cum cognovissent turbæ, secutæ sunt eum pedestres de omnibus civitatibus, quæ videbant signa, quæ faciebat super his qui infirmabantur, & vidit turbam multam Jesus, & misertus est eis: & illos docuit de Regno Dei & eos qui cura indigebant, sanabat. Matth. 11. vers. 13. 14. Marc. *6.* vers. 31. 34. Luc. *9.* vers. 10. 11. & Joan. *6.* vers. 1. 3.

*J. C. sub vesperam, quinque panibus hordeaceis, & duobus piscibus virorum millia quinque saturavit.*

LXXII Vespere facto accesserunt ad Jesum discipuli ejus, dicentes: Desertus est locus hic, & jam hora præteriit. Dimitte illos, ut euntes in proximos vicos, & villas emant sibi escas. Jesus autem dixit eis. Non habent necesse ire, date illis vos manducare. Responderunt ei, Non habemus hic, & ducentorum denariorum panes non sufficient eis. Est autem puer unus hic qui habet quinque panes hordeaceos, & duos pisces: sed hæc quid inter tantos? qui (Jesus) ait, Afferte mihi illos huc. Et cum jussisset omnes discumbere super viride fœnum, per centenos, & quinquagenos; acceptis quinque panibus, & duobus piscibus, aspiciens in cælum, benedixit, & fregit, & dedit discipulis suis, ut ponerent ante illos: duos etiam divisit pisces. Et manducaverunt (ex iis) omnes, & saturati sunt, & sustulerunt reliquias fragmentorum duodecim cophinos plenos. Manducantium autem fuit numerus, quinque millia virorum, exceptis mulieribus, & parvulis. Matth. 4. vers. 15.... 21. Marc. *6.* vers. 35.... 44. Luc. *9.* vers. *9.* vers. 12... 17. Joan. *6.* vers. 5... 13.

*J. C. cum turbæ eum regem facere vellent, jubet discipulos navem ascendere, & præcedere se trans fretum. Ipse montem ascendit ad orandum.*

LXXIII Illi (qui ex panum & piscium multiplicatione saturati erant) cum vidissent quod Jesus fecerat signum, dicebant, Quia hic est vere Propheta, qui venturus est in mundum. Jesus autem cum cognovisset, quia venturi essent, ut raperent eum, & facerent regem. Joan. *6.* vers. 14. 15. Compulit discipulos ascendere in naviculam, & præcedere se trans fretum, donec dimitteret turbas, & dimissa turba, ascendit in montem solus orare. Vespereque facto solus erat ibi. Matth. 14. vers. 22. 23. Marc. *6.* vers. 45. 4*6.* Joan. *6.* vers. 15. 1*6.*

*J. C. discipulos ægre navigantes sequitur ambulans super Mare; Petrumque, ut sequeretur se per aquas petentem; venire jubet, diffidentem servat, & ascensa navi tempestatem sedat.*

LXXIV Ut autem sero factum est, descenderunt discipuli ejus ad Mare, cum ascendissent navem, tenebræ jam factæ erant, & navicula in medio mari, vento contrario flante, magnis jactabatur fluctibus, & circa quartam vigiliam noctis venit Jesus ad eos ambulans super mare, & proximus navi præteribat: illi autem putantes phan-

Anno Christi.

phantasma esse, præ timore clamaverunt. Statimque Jesus dixit, Ego sum. Nolite timere: Respondeus Petrus, dixit: Domine: si tu es, jube me ad te venire super aquas. At ipse dixit, Veni, & descendens Petrus de navicula, ambulabat super aquam, ut veniret ad Jesum. Videns autem ventum validum timuit: & cum cœpisset mergi, clamavit, dicens: Domine, salvum me fac. Jesus extendens manum, apprehendit eum, & ait illi: Modicæ fidei: quare dubitasti, et cum ascendissent in naviculam cessavit ventus. Matth. 14. vers. 24.... 32. Marc. 6. vers. 47... 51. Joan. 6. vers. 16... 20.

*J. C. appulit ad terram Genesareth, & ægrotos undecunque allatos sanat.*

LXXV Et statim cum transfretassent venerunt in terram Genesareth, et applicuerunt, et cum egressi essent de navi, et cognoverunt eum (Jesum) viri loci illius; percurrerunt, et miserunt in universam regionem, et attulerunt in grabatis eos, qui se male habebant, et quocumque ibat, in vicos vel in villas, aut civitates, in plateis ponebant infirmos, et deprecabantur eum, ut vel fimbriam vestimenti ejus tangerent, et quicumque tangebant, salvi fiebant. Matth. 19. vers. 34... 6. Marc. 6. vers. 53... 56.

*J. C. venit Capharnaum, ubi turbas supervenientes edocet de se Pane cœlesti, & de Vita æterna.*

LXXVI Altera die, turba, quæ stabat trans mare, vidit quia navicula alia non erat ibi, et quia non introisset cum discipulis suis Jesus, sed soli discipuli ejus abiissent. Cum ergo vidisset turba, quia Jesus non esset ibi, neque discipuli ejus, ascenderunt in naviculas, et venerunt Capharnaum quærentes Jesum. Et cum invenissent eum trans mare, dixerunt, Rabbi, quando huc venisti? Joan. 6. vers. 22. 25.

Tum eos edocet Christus de Pane cœlesti, sive Pane vitæ, qui sit ipsemet Jesus-Christus, cujus Caro cibus esset, quem oporteat manducare, et cujus Sanguis potus, quem oporteat bibere: ad cujus verbum duriusculum aliqui ex discipulis offensi, ab ipso recedunt, Apostoli in fide permanent, et Petrus ait Verba esse vitæ æternæ. Et nos (inquit) credidimus, et cognovimus, quia tu es Christus Filius Dei. Ibid. a vers. 26. ad 30.

*J. C. dum remanet in Galilæa, Scribæ & Pharisæi queruntur pro variis traditionibus, quas discipuli Jesu negligunt.*

LXXVII Posthæc ambulabat Jesus in Galilæam, non enim volebat in Judæam ambulare, quia quærebant eum Judæi interficere, Joan. 7. vers. 1. Tunc accesserunt ad eum a Jerosolymis quidam Scribæ & Pharisæi: qui cum vidissent quosdam ex discipulis Jesu non lotis manibus manducare Panes, queruntur, id esse contra traditiones Seniorum, respondet Jesus, Pharisæos ipsos hypocritas esse, qui traditiones humanas potius quam Dei mandata observent. Ex Matth. 15. vers. 1... & seq. Marc. 7. vers. 1. seq.

*J. C. Exit in partes Tyri, & Sidonis: ubi Chananææ precibus victus, ejus filiam absentem, & spiritum immundum habentem, verbo sanat.*

LXXVIII Et egressus inde Jesus, secessit in partes Tyri, & Sidonis. Ecce mulier Chananæa a finibus illis egressa, clamavit, dicens ei: Miserere mei Domine, Fili David, Filia mea male a dæmonio vexatur, qui non respondens ei, illa semel, iterumque & tertio submississime eum precata, seque canibus etiam de mensa Domini micas colligentibus comparans, Tunc respondit Jesus: O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis. Et sanata est filia ejus ex illa hora: & cum (mulier Chananæa) abiisset in domum suam, invenit puellam jacentem supra lectum & dæmonium exiisse. Ex Matth. 15. vers. 21. . . 28. Marc. 7. vers. 24. . . 30.

*J. C. redit ad Mare Galilææ, ubi surdum, & mutum curat.*

LXXIX Exiens de finibus Tyri, venit per Sidonem ad mare Galilææ per medios fines Decapoleos: & adducunt ei surdum & mutum, & deprecabantur Jesum, ut imponat illi manum. Et apprehendens eum seorsum misit digitos suos in auriculas ejus, & expuens tetigit linguam ejus. Et statim apertæ sunt aures ejus, & solutum est vinculum linguæ ejus, & loquebatur recte. Marc. 7. vers. 31. . . . 35.

J. C.

Anno Christi.

*J. C. ascendit in montem, plurimos curat, & e panibus septem, & paucis pisciculis quatuor hominum millia saturat.*

LXXX Et ascendens in montem sedebat ibi, & accesserunt ad eum turbæ multæ, & habentes secum mutos, cæcos, claudos, debiles, & alios multos: Et projecerunt eos ad pedes ejus, & curavit eos, ita ut turbæ mirarentur, videntes mutos loquentes, claudos ambulantes, cæcos videntes, & magnificabant Deum Israel: & cum turba multa esset, nec haberent quod manducarent, convocatis discipulis, ait illis: Misereor turbæ, quia triduo jam perseverant mecum, & non habent quod manducent, & si dimisero eos deficient in via. Discipulis autem se habere tantum panes septem, & paucos pisciculos dicentibus, præcepit, ut turbæ discumberent super terram: & accipiens septem panes, & pisces; gratias agens fregit, & dedit Discipulis suis, ut apponerent turbæ; & comederunt omnes, & saturati sunt, & quod superfuit de fragmentis sustulerunt septem sportas plenas. Erant autem qui manducaverant, quasi quatuor millia hominum, & dimisit eos. Matth. 15. vers. 32... 38. Marc. 8. vers. 1. . . . 8.

*J. C. navigat in fines Magedan, & Dalmanutha, ubi Pharisæi iterum signum petunt e cœlo.*

LXXXI Et dimissa turba ascendit in naviculam cum discipulis, & venit in fines Magedan, & Dalmanutha Matth. 15. vers. 39. & accesserunt ad eum Pharisæi & Sadducæi, & rogaverunt eum, ut Signum de cœlo ostenderet eis. Generatio mala, & adultera signum quærit (inquit Jesus) & signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ Prophetæ, & relictis illis abiit. Matth. 16. vers. 1. . . . 4. Marc. 8. vers. 10. 12.

*J. C. transfretat mare Galilææ, monetque discipulis, ut caveant a fermento Pharisæorum & Saducæorum, & Herodis.*

LXXXIII Ascendit iterum navem (Jesus) & abiit trans fretum, & obliti sunt (discipuli) panes sumere, & nisi unum panem non habebant in navi, qui dixit illis: Cavete a fermento Pharisæorum, & Saducæorum, & Herodis. Per fermentum hoc non panem ad manducandum se intelligere dicit Jesus, qui antea ex quinque panibus, & duobus piscibus hominum quinque millia; & qui ex septem aliis panibus, & paucis pisciculis alia quatuor hominum millia saturavit. Sed hypocrisim & perversam doctrinam Pharisæorum & Saducæorum, & Herodis. Matth. 16. vers. 5. 12. Marc. 8. vers. 8. 21.

*J. C. petit Bethsaidam, ubi cæcum illuminat.*

LXXXIV Et veniunt Bethsaidam, & adducunt ei cæcum, & rogabant ut illum tangeret: apprehensa manu cæci, eduxit eum extra vicum, & expuens in oculos ejus, impositis manibus suis interrogavit eum, si quid videret ... iterum imposuit manus super oculos ejus .. & restitutus est ita ut clare videret omnia, & misit illum in domum suam. Marc. 8. vers. 22. 26.

*J. C. venit in partes Cæsareæ, ubi Petro Christum esse Filium Dei confitenti, pollicetur se ei daturum claves regni cœlorum.*

LXXXV Et egressus Jesus, venit & discipuli ejus in partes Cæsareæ Philippi, & in via interrogabat discipulos suos dicens eis, Quem me dicunt esse homines? Illi dixerunt, Alii Joannem Baptistam, alii Eliam, alii unnm ex Prophetis, qui surrexit. Dixit autem Jesus, Vos autem, quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus: Tu es Christus filius Dei vivi. Jesus dixit ei: Beatus es Simon Bar-Jona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est. Tu es Petrus, et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, et tibi dabo claves regni cœlorum. Posteaque discipulis prædicit se mox Jerosolymis passionem et mortem subiturum, et tertio die resurrecturum: quod cum Petrus non probaret, illum corripit Christus, suamque cuique ferendam esse crucem ostendit. Matth. 16. vers. 13. . . 28. Marc. 8. vers. 27. 39. Luc. 9. vers. 18. . . . 27.

*J. C. assumtis Petro, Jacobo, & Joanne ascendit in montem excelsum, ubi transfiguratur.*

LXXXVI Post dies sex (fere octo habet Lucas) assumit Jesus Petrum et Jacobum, &

Anno Christi. et Joannem fratrem ejus, et ducit illos in montem excelsum seorsum, ut oraret. Et transfiguratus est ante eos, et resplenduit facies ejus sicut sol, vestimenta ejus facta sunt alba sicut nix, et apparuerunt illis Moyses, et Elias loquentes cum eo, de passione, morte, et resurrectione Christi. Respondens Petrus dixit ad Jesum: Domine, bonum est nos hic esse. Si vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, et Eliæ unum. Hæc illo loquente, nubes lucida obumbravit eos, et vox facta est de nube, dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, Ipsum audite: et audientes discipuli ceciderunt in faciem suam: et accessit Jesus, dixitque eis, surgite, et nolite timere, et statim circumspicientes neminem amplius viderunt, nisi solum Jesum. Matth. 17. vers. 1. . . 8. Marc. 9. vers. 1. ... 7. Luc. 9. vers. 28. . . 36.

*J. C. descendit de monte, & Lunatici dæmonium mutum, & surdum quod Discipuli expellere non poterant, ejicit.*

LXXXVII Descendentibus illis de monte, occurrit turba multa, et ecce homo genibus provolutus, exclamavit, dicens: Domine, miserere filio meo unico, quia Lunaticus est, et male patitur; sæpe cadit in ignem, crebro in aquam, et obtuli eum Discipulis tuis, et rogavi ut ejicerent illum, et non potuerunt. Respondens Jesus, jussit patri ut adduceret filium: et cum vidisset eum, et scivisset hoc ei accidisse ab infantia, dicit patri, si credere posset, omnia esse possibilia credenti. Illo se credere exclamanti, et petenti ut adjuvaret incredulitatem suam; Tum increpavit Jesus spiritum immundum, dicens illi, Surde, & mute, exi ab eo: & non amplius introeas in eum, & exiit ab eo dæmonium, & curatus est puer, & redditus patri. Discipulis autem postea sciscitantibus, quare ipsi hoc dæmonium non potuissent ejicere, respondit Jesus, Hoc dæmoniorum genus non ejici posse nisi fide, oratione, et jejunio. Matth. 17. vers. 14. . 20. Marc. 9. vers. 16. . 18. Luc. 9. vers. 37. . . 43.

*J. C. ambulans per Galilæam iterum prædicat Discipulis suis imminentem sibi mortem, tum & resurrectionem.*

LXXXVIII Inde profecti prætergrediebantur Galilæam, nec volebat quemquam scire, et docebat Discipulos suos, et dicebat illis: quoniam Filius hominis tradetur in manus hominum, et occident eum, et occisus tertia die resurget. At illi ignorabant verbum istud, et vehementer contristati, timebant eum interrogare de hoc verbo. Luc. 9. vers. 45.

Anno Christi.

*J. C. venit Capharnaum, & exactoribus didragma petentibus, jubet Petro mittere hamum in mare, & statere in ore piscis capti invento solvit.*

LXXXIX Et cum venissent Capharnaum, accesserunt, qui didrachma accipiebant, ad Petrum, et dixerunt ei, Magister vester non solvit didrachma? Ait etiam: et cum intrasset in domum prævenit eum Jesus, dicens: Ut non scandalizemus eos, vade ad mare, et mitte hamum, et piscem, qui primus ascenderit, tolle: et aperto ore ejus, invenies staterem, illum sumens da eis pro me, et pro te. Matth. 17. vers. 23. . . 26.

*J. C. Domi quod discipuli, quisnam maximus esset in regno cœlorum, in via disputassent, pueri humilitatem imitandum dicit.*

XC Qui cum domi esset, vocavit duodecim Discipulos, et interrogabat eos, Quid in via tractabatis? at illi tacebant, si quidem inter se disputaverant, quis major esset in regno cœlorum, et residens ait illis: Si quis vult primus esse (in cœlo) erit hic omnium novissimus, et omnium minister: et accipiens puerum, statuit eum in medio eorum, quem cum complexus esset, ait illis: Amen, dico vobis, nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum: quicumque ergo humiliavit se, sicut parvulus iste, hic erit major in regno cœlorum. Matth. 18. vers. 1. et seq. Marc. 9. vers. 33. . 36. Luc. 9. vers. 46. . . 48.

*J. C. Discipulos reprehendit, quod prohibuissent quemdam, qui ejiciebat dæmonia in nomine Jesu, tum & aliqua dat præcepta.*

XCI Joannes dixit: Magister, vidimus quemdam in nomine tuo ejicientem dæmonia, et prohibuimus eum, quia non sequitur nos, et ait Jesus, Nolite prohibere. Qui enim facit virtutem

Anno Christi.

tem in nomine meo, non est adversum vos, sed pro vobis est. Luc. 9. vers. 57. 46. tum agit de scandalo vitando, fratri pœnitenti semper condonandum: pusillos non contemnendos. Matth. 18. vers. 6.... 17. Marc. 9. vers. 37... 46. Luc. 9... 49. 50. et Luc. 17. vers. 1... 4.

*J. C. suis eum monentibus ut ob festum Tabernaculorum in Judæam transiret, eos præmissos occulte subsequitur.*

XCII Erat autem in proximo dies festus Judæorum, Scenopegia. Dixerunt ad eum fratres ejus: Transi hinc, vade in Judæam, ut & discipuli tui videant opera tua, quæ facis, manifesta te ipsum mundo. Dicit Jesus, Tempus meum nondum venit: vos ascendite ad diem Festum hunc. Hæc cum dixisset, mansit in Galilæa. Ut autem ascenderunt fratres ejus, tunc & ipse ascendit ad diem Festum non manifeste, sed quasi in occulto. Joan. 7. vers. 2.... 10.

*J. C. a Galilæa per mediam Samariam transiens, a Samaritanis non recipitur.*

XCIII Factum est dum complerentur dies Assumtionis ejus, ipse faciem suam firmavit, ut iret in Jerusalem. Misit nuntios ante conspectum suum, & euntes intraverunt in civitatem Samaritanorum, ut pararent illi, non receperunt eum, quia facies ejus erat euntis in Jerusalem, quos cum Discipuli ejus igne cœlesti consumendos vellent, dixit illis, Filium hominis non venisse, ut animas perderet, sed ut salvaret, & abierunt in aliud castellum. Luc. 9. vers. 51.... 56.

*J. C. in itinere, obvios decem leprosos ad Sacerdotes ire jubet; euntes mundat, quorum unus Samaritanus regressus gratias agit.*

XCIV Factum est dum iret in Jerusalem, transibat per mediam Samariam: & cum ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt ei decem leprosi, qui steterunt a longe, & levaverunt vocem dicentes: Jesu præceptor miserere nostri. Quos ut vidit, dixit, Ite ostendite vos Sacerdotibus, & factum est dum irent, mundati sunt. Unus autem ex illis, ut vidit, quia mundatus est, regressus est magnificans Deum & hic erat Samaritanus. Luc. 17. vers. 11... 19.

Anno Christi.

*J. C. ingressus Jerosolymam docet palam in templo, se a Deo missum.*

XCV Jam autem die Festo mediante, ascendit Jesus in Templum, & docebat, & mirabantur Judæi, dicentes: Quomodo hic literas scit, cum non didicerit? Respondit Jesus, & dixit: Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me. Qui a semetipso loquitur, gloriam propriam quærit: qui autem quærit gloriam ejus, qui misit eum, hic verax est, & injustitia in illo non est, &c. Hic varia de Christi doctrina dantur indicia, a Principibus autem & Pharisæis ministri mittuntur ad eum capiendum: ii audita ejus prædicatione, eum laudant, sed & Nicodemus cum ipsum defendere vellet, male a sociis audit. Joan. 7. vers. 14..... 53.

*J. C. ascendit ad montem Oliveti.*

XCVI Jesus autem perrexit ad montem Oliveti. Joan. 8. vers. 1.

*J. C. redit Jerusalem in Templum, ubi mulier adultera non judicatur.*

XCVII Et diluculo iterum venit in Templum, & omnis populus venit ad eum, & sedens docebat eos. Adducunt autem Scribæ & Pharisæi mulierem in adulterio deprehensam, & dixerunt ei, Magister, hæc mulier modo deprehensa est in adulterio. In lege Moysi mandavit nobis hujuscemodi lapidare. Tu ergo quid dicis? dixit eis, Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat. Audientes (hoc) unus post unum exibant, incipientes a senioribus: & remansit solus Jesus, & mulier in medio stans. Jesus dixit ei, Mulier, ubi sunt qui te accusabant? nemo te condemnavit? Nec ego te condemnabo. Vade, & jam amplius noli peccare. Joan. 8. vers. 2..... 11.

Et alia vice dat Jesus testimonium de seipso, qui Christus sit Filius Dei, ipsi autem Judæi a patre diabolo, qui veritatem dicenti, & tot miracula facienti non crederent, sed & eum interficere vellent. Joan. 8. v. 12... 9.

J. C.

Anno Christi.

*J. C. cæcum a nativitate illuminat.*

XCVIII Et præteriens Jesus vidit hominem cæcum a nativitate: & interrogaverunt eum discipuli ejus, Rabbi: quis peccavit, hic aut parentes ejus ut cæcus nasceretur, Respondit Jesus, Neque hic peccavit neque parentes ejus, sed ut manifestentur opera Dei in illo. Hæc cum dixisset, expuit in terram, & fecit lutum ex sputo, & linivit super oculos ejus, & dixit ei, Vade: & lava in natatoria Siloe. Abiit ergo & lavit, & venit videns. Pharisæi autem hujus miraculi cum gloriam Christo detrahere vellent, alium pro cæco suppositum dicentes: Is qui cæcus fuerat, semel atque iterum confitetur Christum sibi oculos aperuisse, ideoque e Synagoga ejicitur; & paulo post a Christo edoctus credidit, & ipsum adoravit, Pharisæis indignantibus. Joan. 8. vers. 1.... 41.

*J. C. Pastorem verum a mercenario distinguit, seque bonum Pastorem esse dicit.*

XCIX Amen, Amen, dico vobis, qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est, & latro: qui autem intrat per ostium, Pastor est ovium. Ego sum Pastor bonus, bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis: mercenarius autem, & qui non est Pastor, cujus non sunt oves propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oves, fugit, & lupus rapit & dispergit oves: mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, non pertinet ad eum de ovibus. Ego sum Pastor bonus, & cognosco oves meas, & cognoscunt me meæ. Sicut novit me Pater, & ego cognosco Patrem, &c. & alias oves (gentes) pasco, quæ non sunt ex hoc ovili, &c. Joan. 10. vers. 1.. 17.

*J. C. elegit septuaginta Discipulos, quos singulos binos emittit prædicatum in omnem locum.*

C Post hæc autem designavit & alios septuaginta duos, & misit illos binos ante faciem suam in omnem civitatem, et locum, quo erat ipse venturus, et dicebat illis, Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate dominum messis, ut mittat operarios in messem suam, Ite, ecce mitto vos sicut agnos inter lupos, etc. Dat præcepta Christus, quæ observanda sunt, cum eis, quibus prædicent.

Anno Christi.

Reversi cum gaudio dicebant in nomine ejus, sibi dæmonia subjecta fuisse, etc. dicit Jesus, Verumtamen in hoc nolite gaudere, quia vobis Spiritus subjiciuntur: gaudete autem, quod nomina vestra scripta sunt in cœlis. Luc. 10. vers. 1... 20.

*J. C. confitetur Patri quod mysteria sua a sapientibus abscondit, & ea parvulis revelavit.*

CI In ipsa hora exultavit Spiritu sancto, et dixit: Confiteor tibi Pater... quod abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis, et sic placuit ante te. Et nemo novit quis sit Filius; nisi Pater: et quis sit Pater nisi Filius: et cui Filius voluerit revelare. Tum ad discipulos conversus eos invitat ut ad se veniant, quod jugum suum suave sit, et onus leve. Matth. ibid. vers. 28. 30. Matth. 11. vers. 25. 26. 27. Luc. 10. vers. 21. 22.

*J. C. Bethaniam intrans a Martha, & Maria excipitur, sed Martha apparando convivio operam dante, & Maria ad Christi pedes verbum illius audiente, Mariam dicit Jesus optimam partem elegisse.*

CII Factum est autem dum irent, & ipse intravit in quoddam castellum, & mulier quædam, Martha nomine, excepit illum in domum suam: & huic erat soror nomine Maria, quæ sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius. Martha autem satagebat circa frequens ministerium: quæ stetit, & ait, Domine, non est tibi curæ, quod soror mea reliquit me solam ministrare? Dic ergo illi, ut me adjuvet. Et respondens dixit illi Dominus: Martha, Martha, sollicita es & turbaris erga plurima. Porro unum est necessarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Luc. 10. vers. 38...... 42.

*J. C. oranti petit unus ex Discipulis brevem orandi formam, quam ipse dat, sed perseverantem in oratione petitionem impetraturum docet.*

CIII Et factum est, cum esset in quodam loco orans, ut cessavit, dixit unus ex Discipulis ad eum: Domine, doce nos orare, sicut docuit & Joannes discipulos

los suos, & ait illis, Cum oratis dicite: Pater noster, qui es in cœlis. Sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tuas sicut in cœlo & in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem: sed libera nos a malo. Amen. Matth. 6. vers. 9..... 13. Luc. 11. vers. 2..... 4. Sed in oratione perseverandum esse ad petitionem impetrandam, exemplo amici ab amico panes nocte petenti, qui repulsus, iterum pulsavit & obtinuit. Et ego dico vobis, petite, & dabitur vobis: quærite, & invenietis, pulsate, & aperietur vobis. Omnis enim, qui petit, accipit: & qui quærit inveniet, & pulsanti aperietur. Matth. 7. vers. 7. 8. Luc. 11. vers. 5.... 16.

*I. C. mulierem ab annis decem & octo infirmam sanat Sabbatho.*

CIV Mulier ab annis decem & octo inclinata erat, & omnino non poterat sursum respicere, eam cum videret Jesus, ait illi: Mulier, dimissa es ab infirmitate tua, & confestim erecta & glorificabat Deum. Archisynagogo indignante, quod Sabbato eam curasset Jesus, dixit ad illum Dominus: Unusquisque vestrum Sabbato non solvit bovem suum, aut asinam a præsepio, & ducit adaquare? Hanc autem filiam Abrahæ, quam alligavit Satanas, non oportuit solvi a vinculo isto die Sabbati? Luc. 13. vers. 11... 16.

*J. C. monitus Herodem eum velle occidere respondet non sibi necem parari, nisi in Jerusalem, quæ statim deserenda erit.*

CV Accesserunt quidam Pharisæorum dicentes illi, Exi, & vade hinc, quia Herodes vult te occidere, & ait illis: Ite & dicite vulpi illi: Ecce ejicio dæmonia, & sanitates perficio hodie, & tertia die consumor, verumtamen oportet me hodie, & cras, & sequenti die ambulare, quia non capit Prophetam perire extra Jerusalem. Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui mittuntur ad te, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum avis nidum suum sub pennis, & noluisti? Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Luc. 13. vers. 3... 45.

*J. C. in domo Principis Pharisæorum cibum sumturus, Hydropicum sanat, multa dat præcepta de ambitione vitanda, pauperibus benefaciendum. Parabola de invitatis ad Cœnam (cœlum) magnam, omnia pro se relinquenda.*

CVI Cum intraret Jesus in domum cujusdam Principis Pharisæorum Sabbato manducare panem, & ipsi observabant eum: & respondens Jesu dixit ad Legisperitos & Pharisæos, Si licet Sabbato curare? at illi tacuerunt. Ipse vero Hydropicum sanavit, ac dimisit eum, & respondens ad illos, dixit: Cujus vestrum Asinus, aut bos in puteum cadet, & non continuo extrahet illum die Sabbati? Luc. 14. vers. 1.... 5. Dixit & invitatis recumbendum semper esse in novissimo loco, ne alius honoratior nobis evocetur ad superiorem locum: omnis enim qui exaltat humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur. Luc. 14. vers. 8. 11. & 18. vers. 14. Matth. 23. vers. 12. Dicebat & ei, qui se invitaverat, convivia paranda esse non amicis, & divitibus ut retribuant, sed pauperibus & infirmis, & retribuetur in resurrectione mortuorum. Luc. 14. vers. 12. 14. & alteri, qui beatum fore dicebat, qui panem manducabit in regno Dei. Jesus dat parabolam de Patre-familias, qui ad cœnam magnam vocaverat multos, & qui cum in hora cœnæ servum misisset, ut invitati venirent, iisque propter alias causas se se excusantibus, iratus Pater-familias pauperes & debiles undique evocatos introducendos voluit, & nemo illorum, qui vocati fuerant, cœnam gustavit. Luc. 19. vers. 14... 24. & conversus ad turbas quæ secum ibant, dixit, qui se (Christum) sequi vellent, omnibus terrenis renunciandum esse, & unicuique crucem suam esse ferendam. Luc. vers. 25. ad finem.

*J. C. in domo cujusdam Pharisæi cœnans illotis manibus, Pharisæoque propterea murmurante, Christus invehitur in Pharisæos & Legisperitos, qui exteriora non interiora curarent, ipsique (Christo) insidiarentur.*

CVII Rogavit illum quidam Pharisæus, ut pranderet apud se, & ingressus recubuit. Pharisæus cœpit intra se reputans dicere, quare non baptizatus est (1. non lavisset manus) ante prandium

dium: & ait Dominus ad illum. Nunc vos Pharisæi quod deforis est calicis, & catini mundatis: quod autem intus est vestrum plenum est rapina & iniquitate. Væ vobis Pharisæis, qui decimatis mentham, & rutam, & omne olus: & præteritis judicium & charitatem Dei. Hæc autem oportuit facere, & illa non omittere. Væ vobis Pharisæis, quia diligitis primas cathedras in Synagoga, & salutationes in foro. Respondens quidem ex Legisperitis, ait: Magister, hæc dicens etiam contumeliam facis nobis. At ille ait: Et vobis Legisperitis væ, quia oneratis homines oneribus, quæ portare non possunt, & ipsi uno digito vestro non tangitis sarcinas. Væ vobis qui ædificatis monumenta Prophetarum, quos Patres vestri occiderunt, & testificamini, quod consentitis operibus Patrum vestrorum, & sanguis omnium Prophetarum, qui effusus est a constitutione mundi, requiretur ab hac generatione. Marc. 11. vers. 47... 51.

Cum hæc ad illos diceret cæperunt Pharisæi, & Legisperiti graviter insistere, & os ejus opprimere de multis insidiantes ei, & quærentes aliquid capere de ore ejus; ut accusarent eum. Luc. 11. vers. 37... 54.

*J. C. de peccatore pœnitentiam agente dicit cœlum lætari.*

CVIII Erant appropinquantes ei (Christi( publicani, & peccatores ut audirent eum. Pharisæis autem, & Scribis murmurantibus, quod Christus cum Publicanis, & peccatoribus sæpius esset, & manducaret. Dedit parabolas de Pastore, qui ovem perditam ad ovile reduxerit. Matth. 18. vers. 12. 13. Luc. 15. vers. 4. 6. de Muliere quæ drachmam amissam invenerit. Luc. ibid. 8. 9. de Patre-familias, qui Filium prodigum ad se redeuntem benigne susceperit. Luc. ibid. vers. 11... 32. qui cum omnes lætati fuerint, quod quæ perierant, receperint: sic & gaudium magnum fore in cœlis supro uno peccatore pœnitentiam agente. Matth. 18. vers. 18. vers. 14. Luc. 15. vers. 10.

*J. C. Discipulis suis dat plures parabolas, & præcepta.*

CIX De villico bona Domini sui dissipante, sed qui debitoribus suis plurimam partem remittens gratiam Domini receperit. Luc. 16. vers. 1... 8. de divite Epulone, & Lazaro mendico, qui mortui, hic in sinum Abrahæ receptus, ille in infernum detrusus sit. Luc. 16. vers. 19. ad finem de scandalis vitandis, de Fratri semper condonando. Luc. 17. vers. 1... 4. de servo qui ab agro domum regressus statim ministrat, ut & nos cum facimus quæ præcepta sunt nobis, nihil facimus quam quæ facere debuimus, & semper servi sumus. Luc. 17. 7.... 10.

*J. C. interrogatus a Pharisæis de adventu judicii sive Regno Dei.*

CX Respondet quod erit ut fulgor coruscans sub cœlo, ut diluvium in diebus Noe, ut perditio Sodomorum in diebus Lot. Nescitur enim hora, qua venturus sit filius hominis. Luc. 17. vers. 20. ad finem. Matth. 24. vers. 15. ad finem. Mar. 13. vers. 14. ad finem, de vidua quæ ob importunitatem a judice iniquo sententiam obtinuit. Luc. 18. vers. 1... 5. de Pharisæi & publicani precibus: sive de iis qui sibi nimis fidentes alios aspernantur, & de aliis qui cum humilitate veniam precantur. Luc. 18. vers. 9. 14.

*J. C. in Festo Encæniorum. 1. Dedicationis Templi a Judæis rogatus an sit Christus, respondet opera sua satis testari se Dei filium, & cum dixisset, se cum Patre unum esse Deum, Judæi lapidare, aut apprehendere eum conantur.*

CXI Facta sunt Encænia in Jerosolymis, & hyems erat, & ambulabat Jesus in templo, in porticu Salomonis, circumdederunt eum Judæi, & dicebant; Quousque animam nostram tollis? si tu es Christus, dic nobis palam? Respondit Jesus: Loquor vobis, & non creditis: opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me, sed vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis. Ego & Pater unum sumus. Sustulerunt lapides Judæi, ut lapidarent eum. Respondit eis Jesus, multa bona opera ostendi vobis ex patre meo; Propter quod eorum opus me lapidatis? si mihi non vultis credere operibus credite, ut cognoscatis & credatis, quia Pater in me est, & ego in Patre: quærebant ergo eum apprehendere, & exivit de manibus eorum. Joan. 10. vers. 22... 39.

J. C.

Anno Christi.

*J. C. abiit trans Jordanem ubi fuerat Joannes.*

CXII Et abiit trans Jordanem, in eum locum, ubi erat Joannes baptizans primum, & mansit illic: & multi venerunt ad eum, & multos curabat ex ipsis: & dicebant, quia Joannes quidem signum fecit nullum. Omnia autem quæ dixit Joannes de hoc (Christo) vera erant; & multi crediderunt in eum. Joan. 10. vers. 40. 42.

*J. C. Pharisæis respondet repudium non esse licitum. Adolescenti, divitias pauperibus erogandas ad thesaurum in cœlo obtinendum, dat & parabolam de operariis in vineam missis.*

CXIII Pharisæis interrogantibus an liceret homini dimittere uxorem suam quacunque ex causa? dicit Jesus, non licitum esse repudium. Moysem permisisse ob duritiem cordis eorum, sed quod Deus semel conjunxit, homo non separet. Matth. 10. vers. 3... 9. Marc. 10. vers. 2... 12. tum virginitatem laudat. Matth. ibid. vers. 10. 12. parvulos benedicit. vers. 13.. 15. Luc. 10. vers. 13... 16. adolescenti diviti qui omnia Dei mandata observare se dicebat, hortatur Christus, ut si perfectus esse vellet, venderet omnia, quæ habebat, & daret pauperibus, thesaurumque se in cœlo habiturum. Sed cum tristis ille recederet, Christus demonstrat, quam difficile esset divitibus intrare in regnum cœlorum. Apostolis autem & iis qui omnia reliquerant, & sequebantur se, promisit in cœlo centuplum & vitam æternam. Ex Matth. 19. vers. 16. ad finem. Matth. 10. vers. 3. Luc. 18. 16. vers. 18. 30. & parabolam dat de operariis in vineam missis, quorum alii a prima diei hora, alii a tertia, alii a sexta, a nona, ab undecima ad laborem vocati, singuli a patre-familias suum denarium pariter acceperint; quod ii una hora aut paucioribus horis tantum fecissent, quantum illi pluribus. Matth. 20. vers. 1... 16.

Anno Christi.

*J. C. Lazarum in Bethania suscitat. Martha, & Maria mittunt ad Christum, qui nuntiet Lazarum fratrem suum ægrotare, & statim eum esse mortuum. Venitque Christus Bethaniam ubi Marthæ & Mariæ precibus motus, flevit & ipse: & Lazarum jam quatriduo sepultum in vitam revocat.*

CXIV Erat languens Lazarus in Bethania, de castello Mariæ & Marthæ sororis ejus. Miserunt sorores Lazari ad Jesum, dicentes: Domine ecce, quem amas, infirmatur. Jesus dixit: Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam. Diligebat Jesus Martham, & sororem ejus Mariam, & Lazarum. Ut audivit quia infirmabatur, mansit in eodem loco, (ubi erat) duobus diebus, & dixit Discipulis: Eamus in Judæam: post hæc dixit, Lazarus amicus noster dormit. Sed vado ut a somno excitem eum. Lazarus mortuus est, & gaudeo propter vos, ut credatis, quoniam non eram ibi. Sed eamus ad eum. Venit itaque Jesus, & invenit eum quatuor dies jam in monumento hærentem, (erat autem Bethania juxta Jerosolymam quasi stadiis quindecim) multi autem ex Judæis venerant ad Martham & Mariam, ut consolarentur eas de fratre suo. Martha ut audivit, quia Jesus venit, occurrit illi, & rediens vocavit Mariam sororem suam. Maria cum venisset, ubi erat Jesus, cecidit ad pedes ejus, & dicit ei: Domine, si fuisses hic, non esset mortuus frater meus. Jesus, dixit, Ubi posuistis eum, dicunt ei: Domine, veni, & vide. Venit ad monumentum, erat enim spelunca, & lapis superpositus erat ei. Ait Jesus: Tollite lapidem, dicit ei Martha, Domine jam fætet, quatriduanus est enim. Dixit ei Jesus, Nonne dixi tibi quoniam si credideris, videbis gloriam Dei. Tulerunt ergo lapidem, & Jesus clamavit, Lazare veni foras, & statim prodiit, qui fuerat mortuus, ligatus pedes, & manus institis, & facies ejus sudario erat ligata. Dixit eis Jesus: Solvite eum, & sinite abire. Multi ergo ex Judæis, qui venerant ad Mariam & Martham, & viderant quæ fecit Jesus, crediderunt in eum. Quidam ex ipsis abierunt ad Pharisæos, & dixerunt eis, quæ fecit Jesus. Joan. 11. vers. 1... 46.

Anno Christi.

*J. C. a Pontificibus, & Pharisæis consilio habito ad necem expetitur. Caipha Pontifice in eam rem prophetiam dante.*

CXV Collegerunt ergo Pontifices & Pharisæi consilium, & dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent nostrum locum, & gentem. Unus autem ex ipsis Caiphas nomine, cum esset Pontifex anni illius, dixit eis: Vos nescitis quidquam, nec cogitatis, quia expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. Hoc autem a semetipso non dixit: sed cum esset Pontifex anni illius, prophetavit: quod Jesus moriturus erat pro gente, & non tantum pro gente, sed ut Filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum. Ab illo ergo die cogitaverunt ut interficerent eum. Joan. 11. vers. 47.... 53.

*J. C. abiit in Ephrem cum Discipulis paulo ante Festum Paschæ.*

CXVI Jesus ergo jam non in palam ambulabat apud Judæos, sed abiit in regionem juxta desertum; in civitatem, quæ dicitur Ephrem: & ibi morabatur cum Discipulis suis. Proximum autem erat Pascha Judæorum, & ascenderunt multi Jerosolymam de regione ante Pascha, ut sanctificarent se ipsos. Quærebant ergo Jesum: & alloquebantur ad invicem in templo stantes: Quid putatis quia non venit ad diem Festum? dederunt autem Pontifices, & Pharisæi mandatum, ut si quis cognosceret ubi sit, indicet, ut apprehendant eum. Joan. 11. vers. 54.... 56.

*J. C. petens Jerosolymam jam tertio prædicat Discipulis suis passionem, & mortem suam.*

CXVII Erant Discipuli in via ascendentes Jerosolymam, & præcedebat illos Jesus, & stupebant, & sequentes timebant. Et assumens iterum & secreto duodecim, cœpit illis dicere quæ essent ei eventura: Quia ecce ascendimus Jerosolymam, & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de Filio hominis. Filius enim hominis tradetur Principibus Sacerdotum, & Scribis & Senioribus, & condemnabunt eum morte, & tradent eum gentibus: & illudent ei, & conspuent eum, & flagellabunt eum, & interficient eum, & tertia die resurget: at ipsi nihil horum intellexerunt. Matth. 20. vers. 17.... 19. Marc. 10. vers. 33. 34. Luc. 18. vers. 31.... 34.

Anno Christi

*J. C. matris filiorum Zebedæi petitionem arguit: humilitatem suis commendat.*

CXVIII Mater filiorum Zebedæi cum filiis suis Jacobo, & Joanne a Christo petit, ut sederent illi, alter ad ejus dextram, alter ad sinistram in regno & gloria sua. Respondit Jesus: Illos nescire quid peterent, easque sedes jam aliis a Patre suo concessas; Discipulisque decem aliis propter hanc petitionem iudignantibus; Christus eos ad se vocat, docetque inter Principes Gentium majoribus primas sedes concedi: sed inter ipsos quicunque voluerit primus esse, hic erit omnium vestrum minister & servus. Sicut & Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare; & dare animam suam redemtionem pro multis. Ex Matth. 20. vers. 20..... 28. Marc. 10. vers. 35.... 45.

*J. C. prope Jericho cæco misericordiam petenti visum verbo reddit.*

CXIX Cum appropinquaret Jericho, cæcus quidam sedebat secus viam, mendicans. Et cum audiret turbam prætereuntem, interrogabat quid hoc esset. Dixerunt ei: quod Jesus Nazarenus transiret; & clamavit dicens: Jesu Fili David miserere mei: & qui præibant, increpabant eum, ut taceret; ipse vero multo magis clamabat: Fili David miserere mei. Stans autem Jesus jussit illum adduci ad se, & cum appropinquasset, interrogavit illum: quid tibi vis faciam? & ille, Domine, ut videam. Et Jesus dixit illi: Respice, fides tua te salvum fecit; & confestim vidit, & sequebatur Jesum, magnificans Deum, & omnis plebs, ut vidit, dedit laudem Deo. Matth. 20. vers. 29..... 39. Marc. 10. vers. 46.... 52. Luc. 18. vers. 35.... 43.

*J. C. perambulans Jericho Zachæum publicanum interpellat, & ad ejus domum divertit.*

CXX Et ingressus perambulabat Jericho, & ecce vir nomine Zachæus, & hic princeps erat Publicanorum, & ipse dives, quærebat videre Jesum, qui esset: & non poterat præ turba, quia sta-

Anno Christi. statura pusillus erat, & præcurrens ascendit in arborem sycomorum, ut videret eum, quia inde erat transiturus: & cum venisset ad locum suspiciens Jesus vidit illum, & dixit ei: Zachæe, festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere. & festinans descendit, & excepit illum gaudens; & cum viderent omnes, murmurabant, dicentes; quod ad hominem peccatorem divertisset. Stans autem Zachæus dixit ad Dominum: Ecce dimidium bonorum meorum Domine do pauperibus, & si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum. Ait Jesus ad eum: Quia hodie salus domui huic facta est, eo quod & ipse sit filius Abrahæ. Venit enim Filius hominis quærere, & salvare, quod perierat. Luc. 19. vers. 1.... 10.

*J. C. in domo Zachæi parabolam dat de decem Minis.*

CXXI Adjecit Jesus parabolam de nobili in regionem longinquam abeunte, ut Regnum acciperet, & e quo quod reversurus esset dat servis suis Minas decem, ut negotiarentur; reversus præmia aut pœnas servis dedit. Cives quod se odisse testati essent, omnes e Regno ejecit. Parabola hæc de Christo, de Discipulis, & de Judæis est. Luc. 19. vers. 11.... 27.

*J. C. egressus e Jericho cæcos duos illuminat.*

CXXII Euntibus illis, (Jesu & Discipulis) de Jericho cum turba multa, ecce duo cæci sedentes secus viam audierunt quia Jesus transiret: & clamaverunt, dicentes: Domine miserere nostri, Fili David. Turba autem increpabat eos, ut tacerent: at illi magis clamabant dicentes: Domine miserere nostri, Fili David: & stetit Jesus, & vocavit eos & ait: Quid vultis ut faciam vobis? Dicunt illi: Domine ut aperiantur oculi nostri. Misertus eorum Jesus, tetigit oculos eorum, & confestim viderunt, & secuti sunt eum. Matth. 20. vers. 29.... 34.

Marcus de unico cæco, qui fuerit Bartimæus Timæi filius hic agit, forteque eadem est cum superiori, antequam Jesus ingrederetur Jericho, Historia, forteque eadem quæ de duobus cæcis habet Matth. forte etiam tertia, & ab utraque superiori diversa.

Anno Christi.

*J. C. Bethaniam venit, cœnatque in domo Marthæ, Mariæ, & Lazari, qui suscitatus a multis Judæis invisitur.*

CXXIII Jesus ante sex dies Paschæ venit Bethaniam, ubi Lazarus fuerat mortuus, quem suscitavit Jesus; fecerunt autem ei cœnam ibi: & Martha ministrabat, Lazarus vero unus erat ex discumbentibus cum eo. Maria ergo accepit libram ungenti nardi pistici pretiosi, & unxit pedes Jesus, & extersit capillis suis, & domus impleta est ex odore unguenti. Dixit unus ex Discipulis ejus Judas Iscariotes, qui erat eum traditurus: Quare hoc unguentum non væniit trecentis denariis, & datum est egenis? Dixit Jesus: Sinite illam, ut in diem sepulturæ meæ servet illud. Pauperes semper habebitis. Cognovit ergo turba multa ex Judæis, quia illic est Jesus: & venerunt non propter Jesum tantum, sed ut Lazarum viderent, quem suscitavit a mortuis. Cogitaverunt autem Principes Sacerdotum, ut & Lazarum interficerent, quia multi propter illum abibant ex Judæis, & credebant in Jesum. Joann. 12. vers. 1.... 11.

*J. C. Jersolymam appropinquans venit Bethphage, ubi asello insidens urbem petit populo acclamante.*

CXXIV In crastinum autem turba multa, quæ venerat ad diem Festum, cum audissent, quia venit Jesus Jerosolymam, acceperunt ramos palmarum, & processerunt obviam ei, & clamabant: Hosanna, Benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Israel. Joan. 12. vers. 12. 13. Et cum appropinquassent Jerosolymis, & venissent Bethphage, ad montem Oliveti, tunc Jesus misit duos Discipulos dicens eis: Ite in castellum, quod contra vos est; & statim invenietis asinam alligatam, & pullum cum ea. Solvite & adducite mihi, & si quis vobis aliquid dixerit, dicite: quia Dominus his opus habet, & confestim dimittet eos. Et adduxerunt asinam, & pullum, & imposuerunt super eum vestimenta sua, & eum desuper sedere fecerunt. Plurima autem turba straverunt vestimenta sua in via, alii autem cædebant ramos de arboribus, & sternebant in via: turbæ autem, quæ præcedebant, & quæ sequebantur, clamabant dicentes: Hosanna filio David: Benedictus qui venit in

Anno Christi. in nomine Domini: Hosanna in altissimis. Pharisæis interim murmurantibus. Matth. 21. vers. 1... 9. Marc. 11. vers. 1... 10. Luc. 19. vers. 29... 40. Joann. 12. vers. 12... 19.

*J. C. appropinquans Jerusalem flet super illam, prædicitque evertendam.*

CXXV Et ut appropinquavit, videns civitatem, flevit super illam, dicens: Quia si cognovisses tu, & quidem in hac die, quæ ad pacem tibi: nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis: quia venient dies in te: & circumdabunt te inimici tui vallo, & coangustabunt te undique, & ad terram prosternent te, & filios tuos, qui in te sunt, & non relinquent lapidem super lapidem, eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ. Luc. 19. vers. 41... 44.

*J. C. Jerusalem intrat, tum & Templum: ex quo vendentes & ementes ejicit: cæcos & claudos sanat, Sacerdotibus & Scribis indignantibus, exitque foras.*

CXXVI Et cum intrasset Jerosolymam, commota est universa civitas dicens: Quis est hic? Populi autem dicebant: Hic est Jesus Propheta a Nazareth Galilææ: & intravit Jesus in Templum Dei: & ejiciebat omnes vendentes & ementes in Templo, & mensas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas vertit, & dicit eis: Nonne scriptum est, quia domus mea domus orationis vocabitur? vos autem fecistis illam speluncam latronum. Et accesserunt ad eum cæci, & claudi in Templo, & sanavit eos. Videntes autem Principes Sacerdotum, & Scribæ mirabilia quæ fecit, & pueros clamantes in Templo, & dicentes: Hosanna Filio David, idignati sunt, sed Jesus dixit eis: Ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem. Matth. 21. vers. 10... 16.

*J. Christum Gentiles videre volunt, dum Judæi in excæcatione manent.*

CXXVII Quidam Gentiles ex his, qui ascenderant (Jerosolymam) ut adorarent in die Festo, petunt ab Apostolis, ut Jesum videre possint. Tum Jesus dicit venisse horam, in qua clarificetur Filius hominis, seque comparat grano frumenti, quod in terra mortuum revivisit, & fructum multum affert. Precatur Patrem pro se, & vox de cœlo venit: Et clarificavi (Filium) & iterum clarificabo. Filius etenim hominis per crucem exaltandus; & cum a terra exaltatus fuerit, omnia ad se trahet. Ex Joann. 12. vers. 20.... 32. Cum autem tanta signa fecisset (Jesus) coram Judæis, non credebant in eum: Ut sermo Isaiæ Prophetæ adimpleretur. Verumtamen ex Principibus multi crediderunt in eum: sed propter Pharisæos non confitebantur, ut e Synagoga non ejicerentur: dilexerunt enim gloriam hominum magis, quam gloriam Dei. ibid. vers. 37.... 43. tum Jesus omnes ad se sequendum, & ad fidem hortatur. vers. 44.... 50.

*J. C. Bethaniam adiens ficui maledicit.*

CXXVIII Cum autem vespera esset hora, exiit in Bethaniam cum duodecim, ibique mansit, & alia die mane cum reverteretur in civitatem, esuriit. Et videns ficum habentem folia, venit ad eam, & nihil inventa in ea, nisi folia tantum, dicit ei: Jam non amplius ex te fructus nascatur, & arefacta est ficus. Matth. 21. vers. 17.... 20. Marc. 11. vers. 11... 20. tum de fide & oratione disserit Christus. Matth. 21. vers. 21. 22. Marc. 11. vers. 23. 24.

*J. C. Jerosolymam redit, & Sacerdotes de sua potestate quæstionem facientes repellit exemplo Baptismi Joannis, quod non improbant.*

CXXIX Et veniunt rursus Jerosolymam, & cum ambularet Jesus in Templo, & populum evangelizaret, convenerunt ad eum Principes Sacerdotum, & Scribæ, & Seniores, & dicunt ei: Quis tibi dedit hanc potestatem, ut ista facias? Jesus respondens, petit ab ipsis: An baptismus Joannis de cœlo esset, an ex hominibus: ipsisque non respondere volentibus, & tandem se nescire dicentibus dixit & ipse: neque ego dico vobis in qua potestate hæc facio. Matth. 21. vers. 23.... 27. Marc. 11. vers. 27..... 33. Luc. 20. vers. 1. 8. . . .

De duobus filiis, quorum alter & qui obedientiam recusarat resipiscens mandatum peregit: alter & qui obedientiam promiserat, facere neglexit, & statim subjungit: quia publicani & meretrices præcedent vos Sacerdotum Prin-

Anno Christi. Principes & Seniores populi in regno Dei. Matth. 21. verſ. 28. 31.

Statimque dat Parabolas de homine filios duos habente, qui diſſimiliter patri obtemperarunt. Matth. 21. verſ. 28. . . . 32. de Patrefamilias, cujus vinitores Judæi alios atque alios ſervos, (Prophetas) tum & filium (Chriſtum) vineæ hæredem occiderunt. Matth. 21. verſ. 33. . . 44. Marc. 12. verſ. 1. . . 9. de Nuptiis quas filio ſuo fecit Rex, in quibus qui ſine veſte nuptiali venerat, ejicitur in tenebras exteriores. Matth. 12. verſ. 1. . . . 24. Luc. 14. verſ. 16. . . . 23.

*J. C. cum Judæi eum perdere vellent, tentatur a Phariſæis: an cenſus dandus ſit Cæſari; A Sadducæis; an mortui reſurrecturi eſſent. A Legiſperitis: quod maximum eſſet totius legis mandatum.*

CXXX Tunc abeuntes Phariſæi conſilium inierunt, ut caperent eum in ſermone: & mittunt ei diſcipulos ſuos cum Herodianis, dicentes: Scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces. Dic ergo nobis quid tibi videtur, licet cenſum dare Cæſari, an non? cognita autem Jeſus nequitia eorum, ait: Oſtendite mihi numiſma cenſus, at illi obtulerunt ei denarium; & ait illis Jeſus: Cujus eſt imago hæc, & ſubſcriptio? dicunt ei: Cæſaris, tunc ait illis: reddite ergo, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo: & audientes mirati ſunt, & relicto eo abierunt. Matth. 22. verſ. 15.. 22. Marc. 12. verſ. 13. . 17. Luc. 20. verſ. 19. . . 26.

In illo die acceſſerunt ad eum Sadducæi, qui dicunt non eſſe reſurrectionem, & interrogaverunt eum de muliere, quæ ſeptem fratres alium poſt alium maritos habuerit, cujus ex illis ſeptem uxor erit in reſurrectione. Reſpondit Jeſus: eos qui reſurrecturi ſunt ſunt neque nubere, neque nubi, æqualeſque fore Angelis, qui in cœlis ſunt. Probat etiam ex Moſe Deum dixiſſe ſe eſſe Deum Abraham, Deum Iſaac, & Deum Jacob; Deum autem non eſſe Deum mortuorum, ſed vivorum. Matth. 22. verſ. 23. . . 33. Marc. 12. verſ. 18. . . . 27. Luc. 20. verſ. 27. . . . 38.

Phariſæi ſilentio Sadducæis impoſito convenerunt in unum, & interrogavit eum unus Legis-doctor tentans eum: Magiſter, quod eſt mandatum magnum in lege? Ait illi Jeſus: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua. Hoc eſt maximum, & primum mandatum. Secundum autem ſimile huic: Diliges proximum tuum, ſicut teipſum, in his duobus mandatis univerſa Lex pendet & Prophetæ. Matth. 22. verſ. 34. . 40. Marc. 12. verſ. 28. . . . 31. & tandem interrogat eos Jeſus, petitque quid putent de Chriſto, & cujus filius ſit, cumque dixiſſent David; probat ipſe ex Davide Davidem non fuiſſe Chriſtum. Matth. 22. verſ. 41. . . 45. Marc. 12. verſ. 35. . . . 37. Luc. 20. verſ. 41. . . . 45. deinde demonſtrat Scribas & Phariſæos audiendos, non imitandos.

*J. C. veſpere egreſſus e templo ſecedit, pernoctatque in monte Oliveti.*

CXXXI Erat autem diebus docens in templo, noctibus vero exiens morabatur in monte Oliveti. Luc. 21. verſ. 37.

*J. C. regreditur templum, ubi paupercula viduæ munus anteponit aliorum omnium muneribus.*

CXXXII Et ſedens Jeſus contra Gazophylacium, aſpiciebat quomodo turba jactaret æs in Gazophylacium: & multi divites jactabant multa: cum veniſſet autem vidua una pauper, miſit duo minuta, quod eſt quadrans, & convocans Diſcipulos ſuos, ait illis: Amen dico vobis, quoniam vidua hæc pauper plus omnibus miſit, qui miſerunt in Gazophylacium. Omnes enim illi, (divites) ex eo quod abundabat illis, miſerunt; hæc vero de penuria ſua totum victum ſuum, quem habuit, miſit. Marc. 12. verſ. 41. . . 44. Luc. 21. verſ. 1. . . 4.

*J. C. egreſſus e templo, Diſcipulis magnificam ejus ſtructuram oſtendentibus, prædicit id funditus deſtructum iri.*

CXXXIII Et cum egrederetur Jeſus e templo, acceſſerunt Diſcipuli ejus, ut oſtenderent illi magnificam templi ſtructuram. Ipſe reſpondens, dixit illis: Videtis hæc omnia? Amen dico vobis, venient dies, in quibus non relinquetur hic lapis ſuper lapidem, qui non deſtruatur. Matth. 24. verſ. 1. 2. Marc. 13. verſ. 1. 2. Luc. 21. verſ. 5.

J. C.

Anno Christi.

*J. C. redit ad montem Oliveti, & multa prædicit.*

CXXXIV In quo sedens prædicit Discipulis varias persecutiones in ipsos eventuras, ipsam urbem obsidendam & evertendam, in loco sancto abominationem fore, & ante ultimum sui adventum multos pseudo-Christos, & pseudo-Prophetas venturos: & signa fore in Sole & Luna, ideoque vigilandum; datque exemplum decem Virginum, quarum aliæ fatuæ, aliæ prudentes: exemplo talentorum pluribus distributorum servis, quorum merita rediens Dominus compensavit, aut puniit: & tandem Jesus subjicit: se post biduum in Paschate crucifigendum. Matth. capitibus. 24. 25. & 26. Marc. 13. vers. 14. Luc. 21. vers. 25.

*In J. Christum conspiratio Sacerdotum.*

CXXXV Appropinquavit dies Festus Azimorum, qui dicitur Pascha, & Jesus dixit Discipulis suis: Scitis, quia post biduum Pascha fiet, & Filius Hominis tradetur, ut crucifigatur. Tunc congregati sunt Principes Sacerdotum, & Seniores populi in atrium Principis Sacerdotum, qui dicebatur Caiphas. Et consilium fecerunt, ut Jesum dolo tenerent, & occiderent: dicebant autem, non in die Festo, ne forte tumultus fieret in populo. Matth. 26. vers. 2-5. Marc. 14. vers. 1. 2. Luc. 2. vers. 2.

*J. C. Bethaniæ cœnans in domo Simonis Leprosi, unguento pretioso a muliere perfunditur.*

CXXXVI Cum Jesus esset in Bethania, in domo Simonis Leprosi, & recumberet; accessit ad eum mulier habens alabastrum unguenti pretiosi, & effudit super caput ipsius recumbentis. Videntes autem Discipuli, indignati sunt intra semetipsos dicentes: Ut quid perditio facta est? Potuit istud venundari plusquam trecentis denariis & dari pauperibus. Sciens autem Jesus, ait illis: Quid molesti estis huic mulieri? mittens enim hæc unguentum in corpus meum, ad sepeliendum me fecit. Matth. 26. vers. 6. . . 13. Marc. 14. vers. 3. . . . 9.

*J. C. venditus a Juda Iscariothe pro triginta argenteis.*

CXXXVII Intravit autem Satanas in Judam, qui cognominabatur Iscariothes, unus de duodecim, & abiit ad Principes Sacerdotum, & dixit illis: Quid vultis mihi dare, & vobis eum tradam? at illi constituerunt ei triginta argenteos & spopondit. Et exinde quærebat opportunitatem, ut traderet eum. Matth. 26. vers. 14. 15. Marc. 14. vers. 10. 11. Luc. 22. vers. 3. . . . 6.

*J. C. primo die Azimorum mittit Petrum & Joannem, & Pascha parari jubet: in cœna aliquem ex duodecim se traditurum dicit.*

CXXXVIII Primo die Azimorum, in quo Pascha immolandum esset, accesserunt ad eum Discipuli, dicentes: Quo vis eamus, & paremus tibi, ut manduces Pascha? & mittit duos ex Discipulis suis in civitatem, & paraverunt Pascha. Vespere facto venit cum duodecim, & discumbentibus eis, & manducantibus (Agnum Paschalem) dixit: Quia unus vestrum me traditurus est. Matth. 26. vers. 17. . . 21. Marc. 14. vers. 12. . . . . 18. Luc. 22. vers. 7. . . 14.

*J. C. surgit e cœna, & Petri, primum renuentis, postea que expetentis, tum & Apostolorum pedes lavat: iterumque proditorem notat.*

CXXXIX Ante diem Festum Paschæ; sciens Jesus, quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, surgit a cœna, & ponit vestimenta sua, & cum accepisset linteum, præcinxit se; deinde mittit aquam in pelvim, & cœpit lavare pedes Discipulorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus. Venit ergo ad Simonem Petrum, & dicit Petrus: Domine tu mihi lavas pedes? Respondit Jesus, si non lavero te, non habebis partem mecum. Dicit ei Petrus, Domine non tantum pedes meos, sed & manus, & caput. Dicit ei Jesus: Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet: & vos mundi estis, sed non omnes. Sciebat enim, quisnam esset, qui traderet eum. Postquam ergo lavit pedes eorum, cum recubuisset iterum, eos hortatur, ut sibi invicem idem faciant: scilicet, ut qui magister, & major esset, is aliis quasi minister inserviret. Tum & prodito-

Anno Christi. ditorem notat. Joan. 13. vers. 1. . . . 30. qui statim egreditur.

*J. C. Eucharistiæ Sacramentum instituit.*

CXL Cœnantibus eis, accepit panem, & gratias agens, benedixit ac fregit, deditque Discipulis suis, dicens: Accipite & comedite: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: Hoc facite in meam commemorationem. Et accipiens calicem gratias egit, & dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes: Hic est enim sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Matth. 26. vers. 26. 28. Marc. 14. vers. 22. 24. Luc. 22. vers. 19. 20.

*J. C. Exit in montem Oliveti cum Discipulis.*

CXLI Et hymno dicto, exierunt (Jesus & Discipuli) in montem Oliveti Matth. 26. vers. 30. Marc. 14. vers. 26. Ubi Jesus eos omnes ea nocte, se relicto fugituros, Petrumque (id se non facturum præsumentem) ter se negaturum, priusquam ter Gallus cantet, prædicit. Tum consolatur Apostolos, quod eos relinquens statim ad Patrem iturus esset, docet ut se Christum diligant, ut mandata sua servent, Paracletum Spiritum Sanctum promittit: comparat se Viti, Discipulos Palmitibus: eos hortatur, ut sese mutuo diligant, Persecutiones fortiter sustineant, quia mundus pios odit; promittit gaudium, quod non tolletur ab ipsis, & beneficia, quæ a Patre petierint in nomine suo: orat Patrem pro cognitione sui, pro Apostolis, & pro salute omnium electorum. Joan. cap. 13. 14. 15. 16. 17.

*J. C. egreditur trans torrentem Cedron, ubi erat Hortus Gethsemani, in quo orat: & semel, iterum, & tertio hortatur Discipulos, ut orent.*

CXLII Tunc venit Jesus cum Discipulis in villam, quæ dicitur Gethsemani, trans torrentem Cedron, ubi erat Hortus, in quem introivit ipse & Discipuli ejus. Sciebat & Judas, qui tradebat eum, locum; quia frequenter Jesus convenerat illuc. Jesus autem dixit Discipulis: Orate ne intretis in tentationem: & avulsus ab eis quantum est jactus lapidis, cœpit contristari, & mœstus esse. Et ait illis: Tristis est anima mea usque ad mortem: Sustinete hic, & vigilate mecum. Et orabat Patrem, ut transiret a se calix iste, quod cum secundum fecisset, apparuit Angelus de Cœlo confortans eum, & in agonia prolixius orans, factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. Et ab oratione surrectus, tertio veniens ad Discipulos suos invenit eos dormientes præ tristitia. Et ait: surgite eamus, ecce appropinquavit qui me tradet. Matth. 26. vers. 36. . . . 46. Marc. 14. vers. 32. . . 42. Luc. 22. vers. 34. . . 46. Joan. 8. vers. 1. 2. Anno Christi.

*J. C. hostibus obviam ultro procedit, & a Juda proditus, capitur.*

CXLIII Judas cum accepisset cohortem, & a Pontificibus & Pharisæis ministros, venit illuc cum lanternis, & facibus, & armis. Jesus autem sciens omnia, quæ ventura erant, processit, & dixit eis: Quem quæritis? Responderunt ei, Jesum Nazarenum. Dicit eis Jesus. Ego sum. Judas autem, qui antecedebat eos, accedens ad Jesum, osculatus est eum. Ut ergo dixit eis Jesus: Ego sum, abierunt retrorsum. Iterum interrogavit eos: Quem quæritis? illi dixerunt Jesum Nazarenum. Respondit Jesus: Dixi vobis quia Ego sum. Cohors ergo, Tribunus, & Ministri Judæorum manus injecerunt in Jesum, & ligaverunt eum. Joann. 18. vers. 3...12.

*J. C. auriculam Malchi, a Petro amputatam, sanat.*

CXLIV Simon Petrus unus ex his, qui erant cum Jesu, eduxit gladium, & percutiens Malchum servum Principis Sacerdotum, amputavit auriculam ejus dexteram: quam cum tetigisset Jesus, sanavit; dixitque Petro: Mitte gladium in vaginam; qui acceperint gladium gladio peribunt: calicem, quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum? & conversus ad Judæos, queritur quod ad capiendum se, qui quotidie inter ipsos fuerit, eosque docuerit, nunc venerint tanquam ad Latronem. Matth. 26. vers. 51. 52. Marc. 14. vers. 47.... 49. Luc. 22. vers. 50.... 53. Joann. 18. vers. 10. 11.

*J. C. a Discipulis relinquitur, Joannes captus effugit.*

CXLV Tunc Discipuli ejus relinquentes eum, om-

Anno Christi.

omnes fugerunt. Matth. 26. vers. 56. Adolescens autem (Joannes) qui sequebatur Jesum, amictus sindone super nudo comprehensus fuit, at ille rejecto sindone, nudus profugit ab eis. Marc. 14. vers. 50. 52.

*J. C. comprehensus ducitur Jerosolymam, primo ad Annam Caiphæ socerum, ad cujus ostium Petrus Christum negavit, sed & Christus a ministro alapa cæditur.*

CXLVI Et adduxerunt eum ad Annam primum, socerum Caiphæ, qui erat Pontifex anni illius. Erat autem Caiphas, qui consilium dederat Judæis: Quia expedit unum hominem mori pro populo. Sequebatur Jesum Simon Petrus, & alius Discipulus notus Pontifici. Petrus autem stabat ad ostium foris, & Discipulus alius, qui erat notus Pontifici, dixit ostiariæ, & introduxit Petrum, & dixit Petro ancilla ostiaria: Numquid & tu ex Discipulis es hominis istius? Dicit ille: Non sum. Pontifex ergo interrogavit Jesum de Discipulis suis & de doctrina ejus. Respondit ei Jesus: Ego palam locutus sum mundo. Ego semper docui in Synagoga, & in Templo, quo omnes Judæi conveniunt, & in occulto locutus sum nihil. Quid me interrogas? interroga eos, qui audierunt quid locutus sum ipsis; ecce hi sciunt, quæ dixerim ego. Hæc cum dixisset, unus assistens ministrorum dedit alapam Jesu, dicens: Sic respondes Pontifici? Respondit ei Jesus: si male locutus sum, testimonium perhibe de malo; si bene, quid me cædis? & misit eum Annas ligatum ad Caipham. Joan. 18. vers. 13..... 24.

*J. C. ab Anna ad Caipham ducitur, ubi quod se Christum Dei Filium confessus esset, reus mortis judicatur.*

CXLVII At illi tenentes Jesum, duxerunt ad Caipham Principem Sacerdotum: ubi Scribæ & Seniores convenerant. Petrus autem sequebatur a longe usque in atrium Principis Sacerdotum, & ingressus intro sedebat cum ministris ad ignem, ut videret finem: Principes autem Sacerdotum, & omne consilium quærebant falsum testimonium contra Jesum, ut eum morti traderent, & non invenerunt. Princeps Sacerdotum ait illi: Adjuro te per Deum vivum, ut dicas si tu es Christus Filius Dei. Dicit illi Jesus: Tu dixisti, ego sum. Tunc Princeps Sacerdotum scidit vestimenta sua dicens: Blasphemavit, quid adhuc egemus testibus? ecce nunc audistis blasphemiam: quid vobis videtur? at illi dixerunt: Reus est mortis. Tunc expuerunt in faciem ejus, & colaphis eum cæciderunt: alii palmas in faciem ejus velatam dederunt, dicentes: Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit. Matth. 26. vers. 57.... 68. Marc. 14. vers. 53.... 65. Luc. 22. vers. 63.. 71.

*J. C. secundo, tum & tertio negatur a Petro.*

CXLVIII Petrus sedebat foris in atrio, & accessit ad eum una ancilla, & ait eis, qui erant ibi: Et hic erat cum Jesu Nazareno, & iterum negavit cum juramento; quia non novi hominem. Et post pusillum accesserunt qui stabant, & dixerunt Petro: Vere & tu ex illis es; nam loquela tua manifestum te facit. Tunc cœpit detestari, & jurare, quia non novisset hominem: & continuo Gallus cantavit, & recordatus est Petrus verbi Jesu, quod dixerat: Prius quam Gallus bis cantet, ter me negabis, & egressus foras flevit amare. Matth. 26. vers. 69.... 75. Marc. 14. vers. 66... 72. Luc. 22. vers. 54... Joann. 18. vers. 25... 27.

*J. C. a Caipha ad Pilatum adducitur.*

CXLIX Mane facto, concilium inierunt omnes Principes Sacerdotum & Seniores populi, & Scribæ adversus Jesum; ut eum morti traderent. A Caipha vinctum adducunt eum in prætorium, & tradiderunt Pontio Pilato Præsidi. Exivit ergo Pilatus ad eos foras, & dixit: Quam accusationem affertis adversus hominem hunc? Responderunt, & dixerunt ei: Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus. Dixit ergo Pilatus: Accipite eum vos, & secundum legem vestram judicate eum. Dixerunt Judæi: Nobis non licet interficere quemquam. Introivit ergo iterum in prætorium Pilatus, et vocavit Jesum, et dixit ei: Tu es Rex Judæorum? Respondit Jesus: A temetipso hoc dicis, an alii dixerunt tibi de me? Iterum exivit (Pilatus) ad Judæos, et dicit eis: Nullam invenio in eo causam. At illi invalescebant, dicentes: Commovet populum, docens per universam Judæam, incipiens

Anno Christi.

piens a Galilæa usque huc. Pilatus Galilæam audiens interrogavit, si homo Galilæus esset.

Judas interim videns quod ad mortis condemnationem Jesus duceretur, retulit triginta argenteos Principibus Sacerdotum, et abiens laqueo se suspendit. Ex Matth. 27. vers. 3. 5.

*J. C. a Pilato ad Herodem mittitur.*

CL Et ut cognovit ( Pilatus ) quod de Herodis potestate esset, remisit ad Herodem, qui et ipse Jerosolymis erat illis diebus. Herodes viso Jesu gavisus est valde, erat cupiens ex multo tempore videre eum, eo quod audierat multa de eo, et sperabat signum aliquod videre ab eo fieri, Interrogabat eum multis sermonibus, at ipse nihil illi respondebat. Stabant autem Principes Sacerdotum, et Scribæ constanter accusantes eum. Sprevit autem illum Herodes cum exercitu suo, et illusit indutum veste alba. Luc. 23. vers.... 12.

*J. C. ab Herode ad Pilatum remittitur.*

CLI Et remisit ( Herodes ) ad Pilatum: & facti sunt amici Herodes & Pilatus in ipsa die, nam antea inimici erant ad invicem. Pilatus convocatis Principibus Sacerdotum, & Magistratibus, & plebe, dixit ad illos: Obtulistis mihi hunc hominem quasi avertentem populum: & ecce ego coram vobis interrogans nullam causam invenio in homine isto, ex his, quibus eum accusatis, sed neque Herodes: nam remisi vos ad illum, & ecce nihil dignum morte actum est. Emendatum ergo illum dimittam. Luc. 23. vers. 11... 16.

*J. C. a Judæis Barrabæ Latroni & homicidæ postponitur.*

CLII Per diem festum solemnem ( Præses ) consueverat dimittere unum hominem, quem voluissent: exclamavit autem simul universa turba dicens: Tolle hunc, & dimitte nobis Barrabam, qui erat propter seditionem factam in civitate & homicidium missus in carcerem. Iterum Pilatus locutus est ad eos volens dimittere Jesum ( miserat ad eum uxor ejus, dicens: Nihil tibi & justo illi: multa enim passa sum hodie per visum propter eum ) ex Matth. 27. vers. 19. At illi succlamabant dicentes: Crucifige, crucifige eum. Videns Pilatus, quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret, accepta aqua lavit manus coram populo, dicens: Innocens ego sum a sanguine justi hujus, vos videritis: & respondens universus populus dixit: Sanguis ejus super nos, & super filios nostros. Ille autem tertio dixit ad illos: Quid enim mali fecit iste? nullam causam mortis invenio in eo, corripiam ergo illum, & dimittam: at illi instabant vocibus magnis postulantes, ut crucifigeretur, & invalescebant voces eorum, & dimisit Barrabam. Luc. 23. vers. 17...25.

*J. C. a Pilato flagellatus, & spinis coronatus, purpurea veste circumdatus, ad populum adducitur, & dixit Pilatus: Ecce homo, ut vel sic satiatus populus non amplius Jesum ad mortem expeteret.*

*J. C. flagellatus ad crucifigendum emittitur.*

CLIII Tunc milites Præsidis suscipientes Jesum in prætorium, congregaverunt ad eum universam cohortem, & exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei, & plectentes coronam de spinis posuerunt super caput ejus; & arundinem in dextra ejus, & genuflexo illudebant ei, dicentes: Ave Rex Judæorum, & expuentes in eum acceperunt arundinem, & percutiebant caput ejus, & postquam illuserunt ei, exuerunt eum chlamyde, & induerunt eum vestimentis ejus, & duxerunt eum, ut crucifigerent. Matth. 27. vers. 27... 31. Marc. 15. vers. 16... 20. Joan. 19. vers. 16.

*J. C. ducitur extra civitatem ad crucifigendum. Simon Cyrenæus cum Jesu crucem sustinet.*

CLIV Susceperunt Jesum, & eduxerunt ( e civitate ) bajulantem sibi crucem. Exeuntes autem invenerunt hominem Cyrenæum, nomine Simonem, patrem Alexandri & Rufi: hunc venientem de villa angariaverunt, ut tolleret crucem post Jesum, & perducunt in locum, qui dicitur Golgotha, id est, Calvariæ locus. Ex Matth. 27. vers. 32. 33. Marc. 15. vers. 20. 21. 22. Luc. 23. vers. 26. Joan. 19. vers. 16. 17.

Mulieribus autem & turbis, quæ sequebantur, & eum plangebant, dixit. Nolite flere super me, sed super vos etc. ex Luc. 23. vers. 27... 31.

Anno Christi.

*J. C. in monte Golgotha crucifigitur. Patrem pro inimicis orat.*

CLV Et postquam venerunt in locum, qui vocatur Calvariæ, ibi crucifixerunt eum, & latrones (duos) unum a dextris, alterum a sinistris, medium autem Jesum. Jesus autem dicebat: Pater dimitte illis, nesciunt enim quid faciunt. Milites autem, qui crucifixerunt eum, in vestimenta ejus miserunt sortem, eaque inter se sortiti sunt. Scripsit & titulum Pilatus: JESUS NAZARENUS REX JUDÆORUM & hunc multi Judæorum legerunt, quia prope civitatem erat locus, ubi crucifixus est Jesus: & erat Scriptum Hebraice, Græce, & Latine. Dicebant autem Pilato Pontifices Judæorum: Noli scribere *Rex Judæorum*; sed quia dixit: *Rex sum Judæorum*. Respondit Pilatus. Quod scripsi scripsi. Ex Matth. 27. vers. 33... 57. ex Marc. 15. vers. 22.... 26. Luc. 23. vers. 33..... 34. Joan. 19. vers. 17... 24.

*J. C. in cruce pendens deridetur.*

CLVI Prætereuntes blasphemabant eum, moventes capita sua, dicentes: Vah! qui destruis Templum Dei, & triduo reædificas illud, salva temetipsum. Si Filius Dei es, descende de cruce. Similiter & Principes Sacerdotum illudentes cum Scribis, & Senioribus dicebant: Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere: Si Rex Israel est, descendat de cruce, credimus ei, confidit in Deo, liberet nunc eum. Dixit enim: quia Filius Dei sum. Et stabat populus spectans, & deridebat eum. Illudebant ei & milites accedentes, & acetum ei offerentes, & dicentes: Si tu es Rex Judæorum, salvum te fac. Matth. 27. vers. 39.... 43. Marc. 15. vers. 29.. 32. Luc. 23. vers. 35.. 37.

*J. C. ab uno latronum blasphematur, ab altero justus confitetur.*

CLVII Unus autem de his, qui pendebant latronibus, blasphemabat eum, dicens: Si tu es Christus, salvum fac temetipsum, & nos. Respondens alter increpabat eum, dicens: Neque tu times Deum, quod in eadem damnatione es; & nos quidem juste, nam digna factis recipimus, hic vero nihil mali gessit: & dicebat ad Jesum: Domine memento mei cum veneris in regnum tuum; dixit illi Jesus: Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso. Luc. 23. vers. 39.... 43.

Anno Christi.

*J. C. Matrem commendat Joanni, Joannem Matri.*

CLVIII Stabant juxta crucem Jesu mater ejus, & soror matris ejus, Maria Cleophæ, & Maria Magdalenæ. Cum vidisset ergo Jesus Matrem, & Discipulum stantem, quem diligebat, dicit Matri suæ: Mulier ecce Filius tuus; deinde dicit Discipulo: Ecce Mater tua. Et ex illa hora accepit eam Discipulus in suam. Joann. 19. vers. 25. ... 27.

*J. C. moritur.*

CLIX Erat autem hora fere sexta, & tenebræ factæ sunt in universam terram, usque in horam nonam: & obscuratus est Sol, & hora nona exclamavit Jesus dicens: ELOI ELOI LAMMASABATHANI, hoc est, *Deus meus, Deus meus ut quid dereliquisti me?* quidam de circumstantibus dicebant: Ecce Eliam vocat, videamus an veniat Elias liberans eum. Postea sciens Jesus, quia omnia consummata sunt, dicit: Sitio. Currens autem unus ex eis acceptam spongiam implevit aceto, & hyssopo circumponens imposuit arundini, & obtulit ori ejus; cum accepisset Jesus acetum dixit: Consummatum est. Et iterum clamans voce magna, ait: Pater in manus tuas commendo spiritum meum, & inclinato capite tradidit spiritum. Ex Matth. 27. vers. 45.... 50. Marc. 15. vers. 33.... 37. Luc. 23. vers. 44.... 46. Joann. 19. vers. 28.... 30.

*J. C. mortuo, signa & prodigia multa fiunt.*

CLX Et ecce velum Templi scissum est in duas partes a summo usque deorsum, & terra mota est, & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt, & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt, & exeuntes de monumentis post resurrectionem ejus venerunt in civitatem, & apparuerunt multis. Centurio autem, & qui cum eo erant custodientes Jesum, viso terræ motu, & his quæ fiebant, timuerunt valde, dicentes: Vere hic Filius Dei erat. Et omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant quæ fiebant, percutientes pe-

Anno Christi. pectora sua, revertebantur. Erant autem a longe aspicientes mulieres multæ, quæ secutæ erant Jesum e Galilæa ministrantes ei, inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Jacobi & Joseph mater, & Salome mater filiorum Zebedæi, & aliæ multæ, quæ cum eo ascenderant Jerosolymam. Matth. 27. vers. 51. . . 56. Marc. 15. vers. 38. . . . 41. Luc. 23. vers. 47. . . 49.

*J. C. tollitur e cruce, & latus ejus lancea apertum est.*

CLXI Judæi autem [ quoniam Parasceve erat ] ut non remanerent in cruce corpora Sabbato ( erat enim magnus dies ille Sabbati ) rogaverunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura & tollerentur. Venerunt ergo milites, & primi quidem fregerunt crura, & alterius, qui crucifixus est cum eo. Ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura, sed unus militum lancea latus ejus aperuit, & continuo exivit sanguis & aqua. Joan. 19. vers. 31. . . 34.

Post hæc cum sero factum esset, venit ab Arimathia civitate Judæa homo dives nomine Joseph, qui Discipulus erat Jesu, & expectabat ipse regnum Dei: hic introivit ad Pilatum, & petiit ut tolleret Corpus Jesu. Pilatus autem mirabatur si jam obiisset, & cum ( obiisse ) cognovisset a Centurione, permisit ut tolleret Corpus Jesu. Matth. 27. vers. 57. 58. Marc. 15. vers. 42. . . . 45. Luc. 23. vers. 52. . . . 56. Joan. 19. vers. 38.

*J. C. sepelitur in monumento novo, & sepulcrum custoditur.*

CLXII Venit Joseph & tulit de cruce Corpus Jesu, & involvit sindone munda. Venit Nicodemus ferens mixturam mirrhæ, & aloes, quasi libras centum. Acceperunt ergo Corpus Jesu, & ligaverunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Judæis sepelire, & posuit Joseph in horto, ubi erat monumentum suum novum, quod exciderat de petra, & in quo nondum quisquam positus fuerat, & advolvit saxum magnum ad ostium monumenti, & abiit. Matth. 27. vers. 59. 60. Marc. 15. vers. 46. Luc. 23. vers. 53. Joan. 19. vers. 39. . . 41.

Maria autem Magdalene, & Maria Joseph sedentes contra sepulcrum aspiciebant ubi poneretur ( Corpus Jesu: ) subsecutæ etiam mulieres, quæ cum eo venerant de Galilæa, viderunt monumentum, & quemadmodum positum erat Corpus Jesu, & revertentes paraverunt aromata & unguenta, & Sabbato quidem siluerunt secundum mandatum. Ex Matth. 27. vers. 61. Marc. 15. vers. 47. Luc. 23. vers. 55. 56.

Altera autem die, quæ post Parasceven, convenerunt Principes Sacerdotum, & Pharisæi ad Pilatum, dicentes: Domine, recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc vivens: Post tres dies resurgam. Jube ergo custodiri sepulcrum usque in diem tertium, ne forte veniant Discipuli ejus & furentur eum, & dicant plebi: Surrexit a mortuis, & erit novissimus error pejor priore. Ait illis Pilatus: Habetis custodiam, ite, custodite sicut scitis. Illi abeuntes, munierunt sepulcrum, signantes lapidem, cum custodibus. Matth. 27. vers. 62. . . 66.

## RESURRECTIO CHRISTI.

*J. D. resurgit a mortuis.*

CLXIII Et ecce terræ motus factus est magnus. Angelus Domini descendit de cœlo, & accedens revolvit lapidem, & sedebat super eum: erat aspectus ejus sicut fulgur, & vestimentum ejus sicut nix. Præ timore exterriti custodes, facti sunt velut mortui, & venerunt in civitatem, & nuntiaverunt Principibus Sacerdotum omnia, quæ facta fuerant: & congregati illi cum Senioribus, consilio accepto, copiosam pecuniam dederunt militibus, dicentes: Dicite quia Discipuli ejus nocte venerunt, & furati sunt eum, nobis dormientibus. Matth. 28. vers. 2. . . . 4. & vers. 11. 12. 13.

*Ad Jesu Christi monumentum veniunt mulieres.*

CLXIV Et cum transisset Sabbatum, Maria Magdalene, & Jacobi, & Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent Jesum, & valde mane una Sabbatorum veniunt ad monumentum orto jam Sole, & dicebant ad invicem: Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti? & aspicientes viderunt revolutum lapidem, erat quippe magne valde, & introeuntes in monumentum, Marc. 16. vers. 1. . . 5. non invenerunt Corpus Domini. Cucurrit ergo Maria Magdalene, & venit ad Simonem Petrum, & ad alium Discipulum, quem amabat Jesus, & dicit illis:

Anno Christi.

illis: Tulerunt Dominum de monumento, & nescimus ubi posuerunt eum. Joan. 20. vers. 2.

*Ad Jesu Christi monumentum veniunt Petrus & Joannes.*

CLXV Exiit ergo Petrus, & ille alius Discipulus, ( Joannes ) & venerunt ad monumentum: currebant autem duo simul, & ille alius Discipulus præcurrit citius Petro, & venit primus ad monumentum, & cum se inclinasset, vidit posita linteamenta, non tamen introivit. Venit Simon Petrus sequens eum, & introivit in monumentum & vidit linteamenta posita, & sudorium, quod fuerat super caput ejus, non cum linteaminibus positum, sed separatim involutum in unum locum. Tunc introivit & ille Discipulus, qui venerat primus ad monumentum, & vidit, & credidit (sublatum) nondum enim sciebant Scripturam, quia oportebat eum a mortuis resurgere. Abierunt ergo iterum Discipuli ad semetipsos. Joan. 20. vers. 3. . . 10.

*J. C. apparitio Mariæ Magdalenæ sub specie hortulani.*

CLXVI Maria autem ( quæ jam redierat ) stabat ad monumentum foris plorans, & dum fleret, inclinavit se, & prospexit ad monumentum, & vidit duos Angelos in albis sedentes: unum ad caput, & unum ad pedes, ubi positum fuerat Corpus Jesu. Dicunt ei illi: Mulier quid ploras? Dicit eis; quia tulerunt Dominum meum, & nescio ubi posuerunt eum. Hæc cum dixisset, conversa retrorsum vidit Jesum stantem, & non sciebat quia Jesus esset. Dicit ei Jesus: Mulier quid ploras? quem quæris? illa existimans quia hortulanus esset, dicit: Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi, ubi posuisti, & ego eum tollam. Dicit ei Jesus: Maria. Conversa illa dicit Rabboni? i. Magister. Dicit ei Jesus: Noli me tangere, vade autem ad fratres meos - & dic eis: Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrum. Venit Maria Magdalene annuntians Discipulis, quia vidi Dominum, & hæc dixit mihi. Joan. 20. vers. 11. . . 18.

*J. C. apparitio Mulieribus.*

CLXVII Respondens Angelus dixit Mulieribus: Nolite timere vos; scio quod Jesum Nazarenum, qui crucifixus est, quæritis; non est hic, surrexit sicut dixit; venite & videte locum, ubi positus erat Dominus, sed ite, & dicite Discipulis ejus, & Petro, quia surrexit, & ecce præcedet vos in Galilæam, ibi eum videbitis, sicut prædixit vobis. Matth. 28. vers. 1. . . 7. & exierunt cito de monumento cum timore & gaudio magno, currentes nuntiare Discipulis ejus: & ecce Jesus occurrit illis, dicens: Avete. Illæ accesserunt, & tenuerunt pedes ejus, & adoraverunt eum. Tunc ait illis: Nolite timere, ite, nuntiate fratribus meis, ut eant in Galilæam, ibi me videbunt. Matth. 28. vers. 8. 9. 10.

Anno Christi.

*J. C. apparitio duobus Discipulis euntibus Emauntem.*

CLXVIII Duo ex Discipulis ibant ipsa die in castellum, quod erat in spatio stadiorum sexaginta ab Jerusalem nomine Emaus, & ipsi loquebantur de his omnibus, quæ acciderant ( de morte Christi, ) & dum fabularentur, Jesus appropiuquans ibat cum illis; oculi autem eorum tenebantur, ne eum agnoscerent, & ait Jesus: Qui sunt hi sermones, quos confertis ad invicem? Respondens Cleophas dixit: Tu solus peregrinus es in Jerusalem, & non cognovisti quæ facta sunt in illa de Jesu Nazareno? qui fuit Propheta potens in opere, & sermone coram Deo, & omni populo, & quomodo eum tradiderunt Summi Sacerdotes, & Principes nostri in damnationem mortis, & crucifixerunt eum. Nos autem sperabamus, quia ipse esset redemturus Israel; & nunc tertia dies est hodie, quod hæc facta sunt. Et ipse ( Jesus) dixit ad eos: O stulti, & tardi ad credendum in omnibus, quæ locuti sunt Prophetæ. Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? & incipiens a Moyse, & omnibus Prophetis, interpretabatur in omnibus Scripturis, quæ de ipso erant: & appropinquaverunt castello, quo ibant, & ipse se finxit longius ire: & coegerunt eum dicentes: Mane nobiscum, quoniam advesperascit, & intravit cum illis: & dum recumberet, accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis, & aperti sunt oculi eorum, & cognoverunt eum, & ipse evanuit ex oculis eorum. Luc. 24. vers. 13... 31.

J. Chri-

Anno Christi.

*J. Christi apparitio Petro soli.*

CLXIX Et surgentes regressi sunt in Jerusalem, & invenerunt congregatos undecim, & eos, qui cum illis erant, dicentes: quod surrexit Dominus vere, & apparuit Simoni. Luc. ibid. vers. 33. 34. sic & Paulus. 1. ad Corinth. 15. ves. 5. quia visus est Cephæ ( Simoni Petro, ) & post hoc undecim.

*Jesu Christi apparitio Apostolis, absente Thoma.*

CLXX Novissime cum sero esset die una Sabbatorum, & fores essent clausæ, ubi erant Apostoli undecim congregati, propter metum Judæorum, stetit in medio eorum, & dixit: Pax vobis; Ego sum: & exprobravit incredulitatem & duritiam cordis eorum, quia iis qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt, & ostendit eis manus & pedes, & manducavit partem piscis assi, & favum mellis. Marc. 16. vers. 14. Luc. 24. vers. 36... 42. Joan. 20. vers. 19. 20.

*J. Christi apparitio Apostolis præsente Thoma.*

CLXXI Et post dies octo iterum erant Discipuli ejus intus: & Thomas cum eis. Venit Jesus januis clausis, & stetit in medio, & dixit: Pàx vobis. Deinde dicit Thomæ: Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis. Joan. 20. vers. 26. 27.

*J. Christi apparitio quibusdam Apostolis & Nathanaeli ad Mare Tiberiadis.*

CLXXII Postea manifestavit se iterum Jesus Discipulis ad Mare Tiberiadis. Erant simul Simon Petrus, & Thomas qui dicitur Didimus, & Nathanael, qui erat a Cana Galilææ, & filii Zebedæi, & alii ex Discipulis duo, & ascenderunt in navim ( ut piscarentur ) & illa nocte nihil prehenderunt. Mane facto Jesus stetit in litore, non tamen cognoverunt ( eum ) Discipuli. Dixit eis Jesus: Numquid pulmentarium habetis? responderunt non. Dicit eis: Mittite in dextram navigii rete, & invenietis. Miserunt, & jam non valebant illud trahere, præ multitudine piscium. Dixit Discipulus ille, quem diligebat Jesus. Petro: Dominus est. Simon Petrus cum audisset, quia Dominus est, misit se in mare. Alii Discipuli navigio venerunt trahentes rete piscium, quod Petrus traxit in terram plenum magnis piscibus centum quinquaginta tribus, & cum tanti essent non est scissum rete. Joann. 21. ves. 1... 11.

Anno Christi.

*Jesu Christi apparitio undecim Apostolis in monte Galilææ.*

CLXXIII Undecim autem Discipuli abierunt in Galilæam, in montem, ubi constituerat illis Jesus, & videntes eum adoraverunt, & accedens Jesus locutus est eis, dicens: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Euntes ergo docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis, signa sequentur credentes, ecce vobiscum sum ad consummationem sæculi. Matth. 28. vers. 16... 20.

*J. Christi apparitio Discipulis.*

CLXXIV Deinde visus est plus quam quingentis fratribus simul, ex quibus multi manent usque adhuc, quidam autem dormierunt. Paul. 1. ad Cor. 15. vers. 6.

*J. Christi apparitio Jacobo soli.*

CLXXV Deinde visus est Jacobo. Paul. 1. ad Corinth. 15. vers. 7.

*J. Christi apparitio Apostolis, & ejus Ascensio in Cœlum.*

CLXXVI Deinde Apostolis omnibus, Paul. ibid. in Bethania scilicet. Apostolis enim præbuit seipsum vivum post Resurrectionem suam per dies quadraginta: eos docens de regno Dei, præcepitque ne ab Jerosolymis discederent, accepturi Virtutem Spiritus Sancti, ut sui essent testes in Jerusalem, & omni Judæa & Samaria, usque ad ultimum terræ. Quia oportuit Christum pati & resurgere a mortuis, & prædicare Sapientiam & remissionem peccatorum: & cum collegisset eos omnes in Jerusalem; iisque sensum aperuisset ut intelligerent Scripturas, eduxit eos foras in Bethaniam & e Bethania in montem Oliveti: Discipulisque eum interrogantibus, an in tempore illo restitueret regnum Israel, respondit, non esse

Anno Christi. esse illorum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate. Et cum hæc dixisset, elevatis manibus benedixit eis: & videntibus illis elevatus est, & nubes suscepit eum; cumque intuerentur euntem in Cœlum, duo viri astiterunt in vestibus albis dicentes: Viri Galilæi, quid statis inspicientes in cœlum: Hic Jesus assumtus est a vobis in cœlum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum. Ex Marc. 16. vers. 19. Luc. 24. vers. 50. 51. ex Act. Apost. 1. vers. 2... 11.

*J. Christi apparitio Stephano.*

CLXXVII Cum esset Stephanus plenus Spiritu Sancto, intendens in cœlum vidit gloriam Dei, & Jesum stantem a dextris Dei; & ait: Ecce video cœlos apertos, & Filium hominis stantem a dextris Dei. Act. 7. vers. 55. Stephanus ipsemet cum fidei suæ coram Judæis rationem reddit, ipsique stridentes dentibus in eum fecerunt impetum, & ejecerunt extra civitatem, ut lapidarent. vers. 56. 57.

*J. Christi apparitio Paulo penes Damascum.*

CLXXVIII Paulus apparitiones Christi breviter recensens, novissime inquit omnium tanquam abortivo visus est mihi. Ego enim sum minimus Apostolorum, & qui non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei. 1. ad Corinth. 15. vers. 8. 9. Sed Paulo semel atque iterum apparuit Christus; primo prope Damascum, cum ad conversionem vocatus est. Secundo cum in cœlum raptus est.

*J. Christi apparitio sive visio Paulo in tertio cœlo.*

CLXXIX De qua ultima visione sic ipsemet Paulus: Si gloriari oportet (non expedit quidem) veniam ad visiones, & revelationes Domini: scio hominem in Christo ante annos quatuordecim sive in corpore, nescio, sive extra corpus, nescio, Deus scit, raptum hujusmodi usque ad tertium Cœlum 1. Paradisum, & audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui. 2. ad Corinth. 12. vers. 1.... 4.

Anno Christi.

*J. Christi apparitio Joanni in insula Pathmo.*

CLXXX Ego Joannes frater vester, & particeps in tribulatione, fui in insula, quæ appellatur Pathmos, fui in spiritu, in Dominica die, & audivi post me vocem magnam tanquam tubæ, & conversus ut viderem vocem, vidi septem candelabra aurea, & in medio septem candelabrorum similem Filio hominis vestitum podere, & præcinctum ad mammillas zona aurea: & cecidi ad pedes ejus tanquam mortuus, & posuit dexteram suam super me dicens: noli timere. Ego sum primus & novissimus, & vivus, & fui mortuus, & ecce sum vivens in sæcula sæculorum, & habeo claves mortis & inferni &c. Quæ omnia de Christo dicta sunt, ut & plurima alia in tota Apocalypsi.


Quinquies ergo apparuit Christus uno eoque ipso resurrectionis die. 1. Mariæ Magdalenæ, prope sepulcrum. 2. Mulieribus e monumento Jerusalem redeuntibus. 3. Simoni Petro. 4. Duobus Discipulis in Emaunte. 5. Undecim Discipulis in Jerusalem congregatis, Thoma absente.

Quinquies etiam inter Resurrectionis & Ascensionis diem. 1. Undecim Apostolis præsente Thoma. 2. Apostolis sex & Nathanaeli ad mare Tiberiadis. 3. Undecim Apostolis in Galilææ monte. 4. Plusquam quingentis fratribus etiam in Galilæa. 5. Jacobo. Et quinquies in ipso Ascensionis die, aut paulo post Ascensionem. 1. Apostolis cum in cœlum ascendit. 2. Stephano antequam lapidaretur. 3. Paulo penes Damascum. 4. Iterum Paulo in tertium cœlum rapto. 5. Joanni in Pathmo insula Apocalypsim scribenti.

Cæterum dum I. C. Salvator noster ut homo, inter homines vitam agit, ab Evangelistis pluribus nominibus, quæ ad diversas illius proprietates spectent, appellatur, ut: Homo, Propheta, Sacerdos & Pontifex, Legislator, Rex, Mediator, Redemtor, Salvator, Messias, Filius Dei, Deus Judex omnium, &c.

*Jesus Deus Homo factus est, qui sine peccato.*

CLXXXI In principio erat Verbum (Filius) & Verbum erat apud Deum (Patrem) & Deus erat Verbum. Joann. 1. Et Verbum (Filius) caro (homo)


DOMINI NOSTRI
JESU CHRISTI
ITINERA PER
JUDAEAM, SAMARIAM,
AC GALILAEAM.
AQUILO.
AUSTER.
OCCIDENS.
ORIENS.
SYRIA.
ABILINA.
TRACHO
Deca.
DIMIDIA TRIBUS
GALI
Gentium
NEPHTALIM.
LÆ.
TRIBUS
ZABULON.
SAMA
TRIBUS MANASSE
RIA
EPHRAIM
BENIA MIN
TRIBUS
DAN.
TRIBUS SIMEON
IUDÆA
IUDA
RUBEN
GAD.
ARABIA
IDU MÆA
GYPTUS
Mare Galilææ &c.
Ierusalem
Bethania
Bethlehem
Sodoma
Gomorra
Scala
Mille Passus
Stadia

Anno Christi. mo ) factum est, & habitavit in nobis. vers. 14. qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. 1. Petr. 2. vers. 22. Et scitis, quia ille apparuit ut peccata nostra tolleret, & peccatum in eo non est. 1. Joann. Apost. 3. vers. 5. Talis enim decebat ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, & excelsior cœlis factus. Heb. 7. vers. 26.

*J. C. Propheta.*

CLXXXII Cum Samaritana mulier Jesum alloquitur: Domine video, quia Propheta es tu. Joan. 4. vers. 19. Illi qui sequebantur Jesum cum vidissent, quod Jesus fecerat signum ( in panum multiplicatione ) dicebant, quia hic est vere Propheta, qui venturus est in mundum. Joan. 6. vers. 4. Dicunt ( Pharisæi cæco : ) Tu quid dicis de illo, qui aperuit oculos tuos? ille dixit; quia Propheta est. Joann. 9. vers. 17. Hinc populi cum Jesus intrat Jerusalem, dicebant: Hic est Jesus Propheta a Nazareth Galilææ. Matth. 21. vers. 11. & Moyses dixerat filiis Israel : Prophetam suscitabit vobis Dominus Deus vester de fratribus vestris, tanquam me, ipsum audietis, juxta omnia, quæcumque locutus fuerit. Act. Apost. 3. vers. 22. & 7. vers. 37. & Deuter. 18. vers. 15.... 18.

*J. C. Sacerdos & Pontifex.*

CLXXXIII Considerate Apostolum, & Pontificem confessionis nostræ Jesum, Paul. ad Hebr. 3. vers. 1. Habentes ergo Pontificem magnum, qui penetravit cœlos, Jesum Filium Dei. c. 4. vers. 14. Christus non semetipsum clarificavit ut Pontifex fieret: sed qui locutus est ad eum : Filius meus es tu, ego hodie genui te. c. 5. vers. 5. & qui in alio loco : Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec. vers. 6. Præcursor pro nobis introivit Jesus, secundum ordinem Melchisedec: Pontifex factus in æternum. vers. 20. & qui manens in æternum, sempiternum habet Sacerdotium. cap. 7. vers. 24.

*J. C. Legislator.*

CLXXXIV Constitue Domine Legislatorem super eos : ut sciant Gentes quoniam homines sunt. Psalm. 9. vers. 21. Benedictionem dabit Legislator, ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion. Psal. 83. vers. 8. Unus est Legislator, & Judex, qui potest perdere, & liberare. Ep. Jacob. 4. vers. 12. Anno Christi.

*J. C. Rex & Rex Regum, & Dominus Dominantium.*

CLXXXV Ecce Rex tuus veniet tibi justus, & Salvator: ipse pauper, & ascendens super asinam & super pullum asinæ. Zach. 9. vers. 9. unde : Dicite Filie Sion : Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam, & pullum filium sibi subjugalis. Matth. 21. vers. 5. Sic & multoties apud Evangelistas: Ubi est qui natus est Rex Judæorum id. 2. vers. 2. &c. Dominus Dominorum est, & Rex Regum. Apoc. 17. vers. 14. & habet in vestimento, & in femore suo scriptum Rex Regum, & Dominus Dominantium. Id. 19. vers. 16.

*J. C. Mediator.*

CLXXXVI Unus Deus, unus Mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus. 1. Timoth. 2. vers. 5. Christus Jesus qui mortuus est, immo qui et resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis, ad Rom. 8. vers. 34. salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum. Semper vivens ad interpellandum pro nobis. ad Heb. 7. vers. 25. Si quis peccaverit advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum : et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi. 1. Joan. Epist. cap. 2. vers. 1. 2.

*J. C. Redemtor noster.*

CLXXXVII Omnes peccaverunt, et egent gloria Dei. Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemtionem, quæ est in Christo Jesu, etc. Rom. 3. vers. 24. et seq. qui dedit redemtionem semetipsum pro omnibus. 1. ad Timoth. 2. vers. 6.

*J. C. Salvator noster.*

CLXXXVIII Tito dilecto filio secundum communem fidem; gratia et pax a Deo Patre, et Christo Jesu Salvatore nostro. Paul. ad Titum. 1. vers. 4. Speramus in Deum vivum, qui est Salvator omnium hominum, maxime fidelium. 1. ad Timoth. c. 4. vers. 10. Sic aliquo-

Anno Christi.

quoties in Psalmis, in Sapient. in Eccl. sæpissimeque in Isaia, & nomen Jesus idem est atque Salvator. Unde Angelus dixit Josepho: Pariet (Maria) filium & vocabis nomen ejus Jesum; ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. Matth. 1. vers. 21. & non est in alio aliquo salus, nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. Act. Ap. 4. vers. 12.

*J. C. Messias.*

CLXXXIX Andreas Simoni fratri suo dicit, se invenisse Messiam (quod est interpretatum Christus.) Joann. 1. vers. 41. & mulier Samaritana Christum allocuta, scio (inquit illa) quia Messias venit, (qui dicitur Christus) cum ergo venerit ille, nobis annunciabit omnia. Dicit ei Jesus: Ego sum (Messias) qui loquor tecum Joann. 4. vers. 25. 26.

Messias autem Chaldaice, Christus Græce. Unctus Latine idem est.

*J. C. Filius Dei, & Filius Altissimi.*

CXC In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum. 1. Joan: 4. vers. 9. & ibid. Et nos vidimus, & testificamur, quoniam Pater misit Filium suum Salvatorem mundi. vers. 14. & quisquis confessus fuerit, quoniam Jesus est Filius Dei, Deus in eo manet, & ipse in Deo. vers. 15. Paries Filium (Angelus Gabriel Mariæ,) et vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in æternum, et Regni ejus non erit finis. Luc. 1. vers. 31. 32. 33.

*J. C. cum Patre Deus.*

CXCI In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. i. In principio erat Filius, et Filius erat apud Deum, et Deus erat Filius. Joann. 1. vers. 1. Ego et Pater unum sumus; Jesus de se. Joann. 10. vers. 30. hinc Psalm. 96. vers. 7. Adorate eum omnes Angeli ejus. Et in Ep. ad Heb. 1. dicit Pater de Filio: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Et rursum: Ego ero illi in Patrem, et ipse erit mihi in Filium. Et cum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: et adorent eum omnes Angeli Dei. vers. 5. 6. Dicitque ad Filium: Thronus tuus Deus in sæculum sæculi. vers. 8. et Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis. Psal. 109. vers. 1. et ad Hebr. 1. vers. 13.

Anno Christi.


*J. C. Judex omnium.*

CXCII Hic Jesus qui assumtus est a vobis (Apostolis et Discipulis) in cœlum, sic veniet (in die judicii.) Act. 1. vers. 1. Omnes enim manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit sive bonum sive malum. 2. Cor. 5. vers. 10. Qui reddent rationem ei (Christo) qui paratus est judicare vivos et mortuos. 1. Petr. 4. vers. 5. Et procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, qui vero mala egerunt, in resurrectionem Judicii. Joann. 5. vers. 29. Christus etenim semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata; secundo sine peccato apparebit expectantibus se, in salutem. Heb. 9. vers. 28. Plura de ultimo Jesu Christi adventu, sive de die judicii, apud Matth. 16. vers. 27. et 24. vers. 27... 31. et 25. vers. 31... 34. Marc. 13. vers. 24... 27. Luc. 17. vers. 24... et 21. vers. 25. 26. 27. Joann. 5. vers. 25... 29. et multoties alibi.

Vocatur et Filius Hominis, sub quo nomine tota pene ejus vita colligi et describi posset; Agnus Dei, Lux Mundi, Lux Gentium, Verus Pastor, etc. Emanuel, etc.

Sed Jesu Christi Salvatoris nostri Nomina, Virtutes, Sapientiam, Præcepta, etc. quis enarrabit? Ex infinitis signorum et miraculorum generibus, quæ dum inter Judæos esset, peregit, vix Evangelistæ millesimam partem descripsere; contenti pene ubique dixisse Jesum ex hominibus Dæmonia ejecisse, cæcos illuminasse, claudos et incurvos direxisse, languidos et ægrotos sanasse, leprosos mundasse, morientibus sanitatem, mortuis vitam reddidisse, & paraliticos &c. Ex infinitis Sacræ Scripturæ locis quæ suis aperuit & explicavit, & ex mandatis & præceptis quæ dedit, vix argumenta demonstravere, quæ paucissima collegimus: ea sunt ut plurimum ad illius mansiones, itinera, & peregrinationes demonstrandas; reliqua doctioribus, & Scriptoribus sacris describenda relinquimus, & Jesum Christum humillime precamur, ut labor noster sibi acceptus, suis omnibus inserviat.

PE-



# PETRI APOSTOLI VITA,

## IN QUA POTISSIMUM

Describuntur ejus Patria, Mansiones, Itinera, & Peregrinationes

*E X*

## NOVO TESTAMENTO.

*Petrus e Galilæa oriundus.*

Anno Christi. I



UM Jesus in atrio Summi Pontificis multis injuriis afficitur, Petrus ab ancilla ostiaria, & a servis Ministris calefacientibus se aliquoties interrogatus numquid fuerit in horto cum Jesu Nazareno, & ex Discipulis ejus esset. Vere (inquiunt illi) & tu cum illo eras, nam & Galilæus es, & loquela tua manifestum te facit. Ex Matth. *26.* vers. *69.* Marc. 14. vers. *70.* Luc. 22. vers. *59.*

*Petrus e civitate Bethsaida.*

II Philippus quem Jesus obvium habuerat, & cui dixerat sequere me, erat a Bethsaida civitate Andreæ & Petri. Joann. 1. vers. 43. 44.

*Petrus innotuit Christo per fratrem suum Andream.*

Anno Christi. III

Cum semel, atque iterum Joannes Baptista Christum vidisset, & Agnum Dei, qui tolleret peccata mundi, vocasset, eumque esse Filium Dei testatus esset: duo ejus Discipuli (Andreas & Joannes Evangelista) Jesum sequuti sunt, & apud eum die illo manserunt, Joan. 1. vers. *29... 39.* erat autem Andreas frater Simonis, unus ex duobus, qui audierant a Joanne, & sequuti fuerant Christum. Invenit hic fratrem suum Simonem, & dicit ei: Invenimus Messiam i. Christum, et adduxit eum ad Jesum: Intuitus autem eum Jesus, dixit: Tu es Simon filius Jona, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus (sive Petra.) Joan. 1. vers. 41. 42.

*Petrus piscator fuit ut & Andreas.*

IV Ambulans Jesus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres; Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem ejus, mittentes retia in mare, erant enim piscatores. Matth. 4. vers. 18. Marc. 1. vers. *16.*

Anno Christi.

*Petrus Homo sine literis, & Idiota.*

V Videntes (Principes Sacerdotum, & Seniores, & Scribæ) Petri (Christum palam prædicantis) constantiam, & Joannis: comperto, quod homines essent sine literis, & Idiotæ, admirabantur & cognoscebant eos, quoniam cum Jesu fuerant. Act. 4. vers. 13.

*Petrus a Christo (ad audiendum se) vocatus est, ut & Andreas.*

Et ait illis: (Petro & Andreæ Jesus) Venite post me, & faciam vos piscatores hominum. At illi relictis retibus sequuti sunt Jesum. Matth. 4. vers. 19. 20. Marc. 1. vers. 17. 18.

*Petrus iterum vocatus est, post mirabilem piscium capturam.*

VI Jesus e navicula Simonis turbas edocuerat, & postea jusserat, ut Simon laxaret retia in altum: ille qui per totam noctem laborans nihil ceperat, in verbo Christi laxavit rete, & tantam cepit piscium multitudinem, ut Jacobo & Joanne Zebedæi filiis, ex alia navi evocatis, ut adjuvarent se, ita impleverunt ambas naviculas, ut pene mergerentur: quod cum videret Simon Petrus procedit ad genua Jesu, dicens: Exi a me, quia homo peccator sum, Domine. Stupor enim circumdederat eum, & omnes, qui cum illo erant in captura piscium. Similiter autem Jacobum & Joannem filios Zebedæi, qui erant socii Simonis. Et ait ad Simonem Jesus: Noli timere, ex hoc jam homines eris capiens, & subductis in terram navibus relictis omnibus, secuti sunt Jesum. Luc. 5. vers. 3... 13.

*Petri socrus, in domo sua, Bethsaidæ a Christo febri curatur.*

VII Christus egressus e Synagoga Capharnai, in qua hominem a spiritu immundo liberaverat, venit in domum Simonis, & Andreæ, cum Jacobo & Joanne: socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus, & rogaverunt illum pro ea. Jesus accedens elevavit eam, apprehensa manu, & dimisit eam febris; & surrexit, & ministravit eis. Ex Matth. 8. vers. 14. 15. Marc. 1. vers. 29. 30. 31. Luc. 4. vers. 38. 39.

*Petrus a Christo in Apostolum electus, ptimus inter duodecim nominatur.*

VIII Christus ascendens in montem, vocavit ad se quos voluit ipse, & erat pernoctans in oratione Dei: & cum dies factus esset, vocavit Discipulos suos, & elegit duodecim ex ipsis, quos Apostolos nominavit, quorum nomina sunt hæc: Primus Simon qui dicitur Petrus, & Andreas frater ejus; Jacobus Zebedæi; & Joannes frater ejus; Philippus, & Bartholomæus; Thomas, & Mathæus publicanus; Jacobus Alphæi & Thaddæus; Simon Chananæus, & Judas Iscariotes; qui illum tradidit.

Et dedit illis potestatem curandi omnem languorem, & omnem infirmitatem, & ejiciendi spiritus immundos. Ey Marc. 3. vers. 13.... 19. Luc. 16. vers. 12... 16.

*Petrum Christus assumsit secum, cum Iairi filiam suscitavit.*

IX Christus a Iairo rogatus, ut in domum suam veniret, & filiam suam unicam & duodennem a morbo liberaret. Statim illa mortua Christus ejectis omnibus qui illam mortuam flebant, & ejulabant; non permisit intrare quemquam, nisi Petrum, & Jacobum, & Joannem: & patrem & matrem puellæ, cum eam sucitavit. Vide Vitam Christi Sect. 45. & Sect. 47.

*Petrus a Christo etiam assumtus est, cum ejus transfiguratio facta est in monte (Thabor.)*

X Assumsit Jesus Petrum, & Jacobum, & Joannem fratrem ejus, & duxit illos in montem excelsum, & dum oraret transfiguratus est ante eos, & resplenduit facies ejus sicut Sol, & vestimenta ejus facta sunt sicut nix. Ex Matth. 17. vers. 1. 2. Marc. 9. vers. 2. Luc. 9. vers. 28. 29. Vide Vitam Christi Sect. 85.

*Petrus super mare ambulat, ut ad Jesum iret, sed timens a Jesu sustinetur.*

XI Jesu ambulante super mare Discipulisque e navi phantasma esse timentibus, ipso se esse dicente; Respondet Petrus: Domine si tu es, jube me ad te venire super aquas. At ipse (Jesus)

Anno Christi.

sus ) ait: Veni. Et descendens Petrus de navicula ambulabat super aquam, ut veniret ad Jesum. Videns vero ventum validum, timuit, & cum cœpisset mergi, clamavit dicens: Domine salvum me fac. Jesus extendens manum apprehendit eum: Et ait illi: Modicæ fidei, quare dubitasti. Matth. 14. vers. 25.... 31.

*Petri præclara confessio, & fides de Christo Filio Dei.*

XII Christus cum de pane cœlesti ageret, diceretque carnem suam manducandam esse, & sanguinem suum bibendum; si quis vitam æternam possidere vellet. Multis Discipulorum id non intelligentibus, & ab ipso abeuntibus; dixit Jesus ad duodecim ( Apostolos ): Numquid & vos vultis abire? Respondit ei Simon Petrus: Domine ad quem ibimus, verba vitæ æternæ habes, & nos credidimus, & cognovimus; quia tu es Christus Filius Dei. Joan. 6. vers. 48.... 70.

*Petri confessio altera de Christo Filio Dei, ex qua primatus ei datus.*

XIII Jesus erat in partibus Cæsareæ Philippi, & interrogabat Discipulos suos, quem se esse dicerent homines: Respondentibus illis; alios dicere Joannem Baptistam, alios Eliam, alios Jeremiam; alios Prophetam aliquem surrexisse. Tunc dicit illis: Vos vero quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus Filius Dei vivi. Respondens Jesus dixit ei: Beatus es Simon Barjona ( i. Filius Joannis ) quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed pater meus, qui in cœlis est. Et ego dico tibi: Quia tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam: & portæ inferi non prævalebunt adversus eam, & tibi dabo claves regni cœlorum, & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cœlis. Ex Matth. 16. vers. 13... 19. Marc. 8. vers. 27.... 19. Luc. 9. vers. 18. 19. 20.

*Petrus a morte Christum avertere tentans severe reprehenditur.*

XIV Christus Discipulis dicebat se iturum Jerosolymam, ibique oportere se multa pati, & a Summis Sacerdotibus, & Scribis occidi, & post dies tres resurgere. Apprehendens eum Petrus cœpit increpare, dicens: Absit a te Domine, non erit tibi hoc. Jesus conversus & videns Discipulos suos comminatus est Petro, dicens: Vade retro Satana; quia non sapis ea, quæ Dei sunt, sed quæ sunt hominum. Matth. 16. vers. 22. 23. Marc. 8. vers. 32. 33.

*Petrus Capharnai piscem capit, & didrachma pro Jesu & pro se solvit.*

XV Et cum venissent ( Jesus & Discipuli ) Capharnaum, accesserunt qui didrachma accipiebant, ad Petrum; et dixerunt ei: Magister vester non solvit didrachma? ait Petrus: Etiam. Et cum intrasset in domum, prævenit eum Jesus, dicens: Ut non scandalizemus eos, vade ad mare, et mitte hamum: et eum piscem, qui primus ascendet, tolle: et aperto ore ejus, invenies staterem; illum sume, da eis pro me, et pro te. Matth. 17. vers. 23... 26.

*Petrus, & alii Discipuli Christum interrogant de tempore eversionis Templi, & urbis Jerusalem.*

XVI Egressus Jesus de Templo unus ex Discipulis Templi Salomonis structuram, et magnitudinem miratus, illud brevi destructum iri dicit Christus. Et cum sederet in monte Oliveti, accesserunt ad eum Discipuli; Petrus, et Jacobus, et Joannes, et Andreas; et interrogaverunt eum, quando hæc eventura essent; et signum petunt sui adventus, et consummationis sæculi. Multa hic prædicit Christus, de persecutionibus, quas ipsi sustinerent, de obsidenda et evertenda urbe Jerusalem. Ex Vit. Christi. Sect. 134.

*Petrum & Joannem mittit Jesus in Jerusalem, ut parent Pascha.*

XVII Prima die Azymorum, cum Discipuli petiissent a Christo ubi vellet manducare Pascha, misit duos ex Discipulis suis Petrum et Joannem, et dicit eis: Ecce introeuntibus vobis in civitatem, occurret homo amphoram aquæ portans, sequimini eum, in domum in quam intrat; et dicetis patrifamilias domus: Dicit tibi magister: apud te facio Pascha cum Discipulis meis, etc. Matth. 26. vers. 17. 18.

Anno Christi.

*Christus Petri & aliorum Apostolorum pedes lavat.*

XVIII Surgit ( Christus ) a Cœna ( Paschali ) & ponit vestimenta sua, & cum accepisset linteum præcinxit se. Deinde mittit aquam in pelvim, & cœpit lavare pedes Discipulorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus. Venit ergo ad Simonem Petrum, & dicit ei Petrus: Domine tu mihi lavas pedes? respondit Jesus, & dicit ei: Quod ego facio tu nescis modo, scies autem postea. Dicit ei Petrus: Non lavabis mihi pedes in æternum. Respondit Jesus: Si non lavavero te, non habebis partem mecum. Dixit ei Simon Petrus: Domine non tantum pedes meos, sed & manus & caput. Joann. 13. vers. 4... 9.

*Petrus, Christo de proditore suo loquente, precatur Joannem, ut sciat, quis esset.*

XIX Post alteram Cœnam, in qua Christus Eucharistiæ Sacramentum instituit, dicit Jesus: Amen, Amen, dico vobis, quia unus ex vobis tradet me. Aspiciebant ergo ad invicem Discipuli hæsitantes de quo diceret, & contristati valde cœperunt quærere, quis ex eis hoc facturus esset. Erat recumbens unus ex Discipulis in sinu Jesu, quem diligebat. Innuit huic Simon Petrus, & dixit ei: Quis est de quo dicit? Itaque cum recubuisset ille supra pectus Jesu, dicit ei: Domine quis est? respondit Jesus: Ille est cui intinctum panem porrexero. Et cum intinxisset panem, dedit Judæ Simonis Iscariotæ. Matth. 26. vers. 21. 22.23. Marc. 14. vers. 18. 19. 20. Joann. 13. vers. 21... 26.

*Pro Petro orat Christus, ut a fide non deficiat.*

XX Ait Dominus: Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum: ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando conversus, confirma fratres tuos. Luc. 22. vers. 31. 32.

*Petri præsumtio, qui, se posse ubique Christum sequi, credit.*

XXI Christus dicit adhuc se modicum cum Discipulis fore, & vadere, quo ipsi non possent venire modo. Dicit ei Simon Petrus: Domine quo vadis? Respondit Jesus: Quo ego vado, non potes me modo sequi: sequeris postea: Dicit ei Petrus, quare non possum te sequi modo? Dicit Discipulis Jesus; omnes vos scandalum patiemini in ista nocte: Respondens Petrus, ait: etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego numquam scandalizabor. Matth. 26. vers. 31. 32. 33. Joann. 13. ves. 33... 36.

*Petrum ter se negaturum antequam Gallus bis cantet, prædicit Christus.*

XXII Respondit Jesus: Animam tuam pro me pones? Amen, Amen dico tibi: quia in hac nocte antequam Gallus bis cantet, ter me negabis. At ille amplius loquebatur: Et si oportuerit me mori tecum, non te negabo. Similiter & omnes Discipuli dicebant. Joan. 13. vers. 38. Matth. 26. vers. 34. 35. Marc. 14. vers. 30. 31. Luc. 22.vers. 33. 34.

*Petrus Christum sequitur ad hortum Gethsemani.*

XXIII Venit Jesus cum Discipulis in villam Gethsemani, ubi erat hortus: & assumit Petrum, & Jacobum, & Joannem, & dicit eis: Tristis est anima mea usque ad mortem: Sustinete hic, & vigilate mecum: & avulsus ab eis pusillum, orabat, & cum surrexisset, & venisset ad Discipulos, invenit eos dormientes, & ait Petro: Simon dormis? Vigilate, & orate ne intretis in tentationem: & iterum abiens oravit, & reversus denuo invenit eos dormientes: & relictis illis iterum abiit, & oravit tertio, & venit tertio ad Discipulos suos, & ait: Dormite jam, & requiescite; ecce appropinquavit hora & Filius hominis tradetur in manus peccatorum. Surgite, eamus: ecce qui me tradet, prope est. Matth. 26. vers. 36.... 46. Marc. 14. vers. 32.... 42. Luc. 22. vers. 39.... 46.

*Petrus auriculam amputat Malcho Summi Sacerdotis servo.*

XXIV Christus Judæ osculo traditus, & a cohorte militum, & Pontificum, & Pharisæorum Ministris captus. Simon Petrus unus ex his, qui erant cum Jesu, extendens manum, exemit gladium suum, & percutiens servum Principis Sacerdotum amputavit auriculam ejus dexteram. Erat autem nomen ser-

Anno Christi. servo Malchus. Dixit Jesus Petro: Mitte gladium tuum in vaginam: omnes enim qui acceperunt gladium, gladio peribunt. Tunc Discipuli omnes relicto eo (Jesu) fugerunt. Matth. 26. vers. 51... 56. Marc. 14. vers. 50.

*Petrus Christum a longe sequitur, & tandem intrat in atrium Pontificis, ut videret finem.*

XXV Sequebatur autem Jesum a longe Simon Petrus, & alius Discipulus, qui notus Pontifici, introivit cum Jesu in atrium Pontificis. Petrus autem stabat ad ostium foris. Exivit ergo Discipulus alius, qui erat notus Pontifici, & dixit ostiariæ, & introduxit Petrum, usque in atrium Principis Sacerdotum, accensoque igne in medio atrii, & circumsidentibus ministris, erat Petrus in medio eorum sedens, & calefaciens se, ut videret finem: Matth. 26. vers. 58. & vers. 69. Marc. 14. vers. 54. Joann. 18. vers. 15.

*Petrus Christum se novisse, semel, iterumque, & tertio negat.*

XXVI Cum esset Petrus foris in atrio, accessit ad eum una ex ancillis Summi Sacerdotis; & aspiciens eum, ait: Numquid & tu ex Discipulis es hominis istius? ille negavit coram omnibus, dicens: Non novi illum. Et exiit foras ante atrium, & gallus cantavit. Exeunte autem illo januam, vidit eum alia ancilla, & ait illis, qui erant ibi: Et hic erat cum Jesu Nazareno; at ille iterum negavit cum juramento, quia non novi hominem: & intervallo facto quasi horæ unius, unus ex servis Pontificis, cognatus ejus, cujus abscidit Petrus auriculam: Nonne ego te vidi in horto cum illo? Nam & Galilæus es, & loquela tua manifestum te facit? iterum ergo negavit Petrus, & cœpit detestari & anathematizare, quia non novisset hominem illum, & adhuc illo loquente Gallus iterum cantavit.

*Petrus resipiscens, egreditur foras, & peccatum flevit.*

XXVII Et conversus Dominus respexit Petrum, & recordatus est Petrus verbi, quod dixerat Jesus: Priusquam Gallus cantet bis, ter me negabis, & egressus foras flevit amare. Matth. 26. vers. 69. . . . 75. Marc. 14. vers. 66. . . . 72. Luc. 22. vers. 55. . . 62. Joan. 18. vers. 25. 26. 27. Anno Christi.

*De Petro, qui Jesum (si quis alius Discipulus) semper & ubique secutus fuerat, in reliqua Jesu Christi Passione, & in morte, & in sepultura, nulla amplius est mentio.*

## POST CHRISTI RESURRECTIONEM.

*Petrus cum alio Discipulo (Joanne) currit ad monumentum.*

XXVIII Cum Maria Magdalene a monumento cucurrisset ad Discipulos, primosque offendisset Simonem Petrum, & alium Apostolum (Joannem,) eos monuit Christi corpus sublatum fuisse. Petrus & ille alius Discipulus venerunt ad monumentum: currebant autem duo simul; at ille alius Discipulus præcurrit citius Petro, & venit primus ad monumentum, non tamen introivit. Venit Simon Petrus sequens eum, & introivit (primus) ad monumentum. Vide Vitam Christi. Sect. 165.

*Petro apparuit Christus statim a resurrectione.*

XXIX Discipuli duo redeuntes ab Emaunte in Jerusalem, invenerunt congregatos undecim, & eos qui cum illis erant, dicentes: quod surrexit Dominus vere, & apparuit Simoni. In Vita Christi. Sect. 169.

*Petrus ad mare Tiberiadis secundo ambulavit super aquas ut ad Christum accederet.*

XXX Piscantibus Apostolis, & Discipulis ad mare Tiberiadis, ut Petrus Dominum agnovit, tunica succinxit se, (erat enim nudus) & misit se in mare, (ut ad Jesum accederet.) In Vita Christi. Sect. 178.

## POST CHRISTI ASCENSIONEM.

*Petrus & Apostoli & Discipuli Jesu redeunt Jerosolymam, ubi Petrus coram omnibus orat pro altero Apostolo in locum Judæ proditoris eligendo, præmissis precibus, sorte datur Mathias.*

XXXI Tunc (ab Ascensione Domini) reversi sunt Jerosolymam, a monte qui vo-

Anno Christi.

vocatur Oliveti, qui est juxta Jerusalem, septem stadia habens iter. Et cum introiissent in cœnaculum, ascenderunt ubi manebant Petrus & Joannes, Jacobus, & Andreas, Philippus & Thomas, Bartholomæus & Matthæus, Jacobus Alphei & Simon Zelotes, & Judas Jacobi. Hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria Matre Jesu, & fratribus ejus. In diebus illis exurgens Petrus in medio fratrum dixit: (erat turba hominum simul fere centum viginti) Viri fratres, oportet impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus Sanctus per os David de Juda, qui fuit dux eorum qui comprehenderunt Jesum, qui connumeratus erat in nobis, & sortitus est sortem ministerii hujus; & hic quidem possedit agrum de mercede iniquitatis, & suspensus crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera ejus . . . oportet ergo ex his viris qui nobiscum sunt congregati in omni tempore quo intravit, & exivit inter nos Dominus Jesus, incipiens a baptismate Joannis usque in diem, qua assumtus est a nobis, testem Resurrectionis ejus nobiscum fieri unum ex istis: & statuerunt duos Joseph sive Barsabam, qui cognominatus est Justus, & Mathiam, & orantes dixerunt: Tu Domine, qui corda nosti omnium, ostende, quem elegeris ex his duobus unum accipere locum ministerii hujus & Apostolatus, de quo prævaricatus est Judas, ut abiret in locum suum: & dederunt sortes eis, & cecidit sors super Mathiam, & annumeratus est cum undecim Discipulis. Act. Apost. I. vers. 22. . . . . 26.

*Petrus post acceptum Spiritum Sanctum palam prædicat, & multos ad Christi fidem convertit.*

XXXII Post effusum super Apostolos & Discipulos Jesu Spiritum Sanctum, Petrus palam prædicat, ut & alii, Domino cooperante, omnibusque mirantibus, quod variis loquerentur linguis, & ab advenis quampluribus sua quibusque lingua intelligerentur, Judæi eos musto plenos conviciantibus, & irridentibus Petrus respondet, & Joelis testimonio probat id ab accepto Spiritu Sancto fieri. Concione ad populum habita tria circiter virorum millia ad Christi fidem convertuntur, & multis prodigiis, & signis per Apostolos in Jerusalem factis, omnes bona omnia sua inter se communia fecere. Ex Act. 2.

Anno Christi.

*Petrus in nomine Jesu Christi claudum sanat.*

XXXIII A Petro & Joanne ascendentibus in Templum ad horam orationis nonam, vir quadragenarius claudus ab utero matris, & mendicans, eleemosynam petit. Petrus illum in Nomine Jesu Christi Nazareni sanavit, & apprehensa ejus manu dextera allevavit, ita ut ipse intraret cum illis in Templum ambulans, & laudans Deum: populoque ad rei novitatem concurrenti Petrus id in Jesu Christi nomine factum esse asserit: Christumque eum esse Messiam, quem Moyses & Prophetæ promiserant. Ex Act. Apost. c. 3.

*Petrus & Joannes quod Jesum Christum prædicarent, in custodiam conjiciuntur; deindeque liberi dimittuntur.*

XXXIV In Petrum & Joannem Sacerdotes, & Magistratus Templi, & Sadducæi manus injecerunt, cumque postero die interrogarent eos, in qua virtute hæc facerent, Petrus repletus Spiritu Sancto, hæc facere se dixit in Nomine Domini nostri Jesu Christi Nazareni, quem illi crucifixerant, & quem Deus suscitaverat a mortuis: & in hoc nomine claudum coram ipsis stare sanum, idque omnibus ipsis, & toti plebi Israel notissimum esse. Illi ergo videntes Petri & Joannis constantiam, liberos eos dimisere, contenti prohibuisse ne amplius docerent, aut loquerentur in Nomine Jesu. Petrus & Joannes ad suos redeuntes, cum majori fiducia testimonium dabant de Christi Resurrectione, & ad ejus gratiam prædicandam firmati sunt. Ex Act. Ap. 4.

*Petrus Ananiam & Saphiram anathemate ferit.*

XXXV Petrus Ananiam & uxorem ejus, qui de agro divendito partem fraudaverant, anathemate feriit, ut qui non hominibus, sed Deo mentiti essent. Ex cap. 5. Act. Apost. vers. I. . . . II.

*Petrus signa multa facit, etiam in eos, quos ejus umbra tangebat.*

XXXVI Per manus Apostolorum fiebant signa & prodigia multa in plebe, ita ut per plateas infirmi in lectulis & grabatis suis deponerentur, ut veniente Petro, saltem umbra ejus obumbraret

Anno Christi.

ret eos, & liberaret ab infirmitatibus suis. Concurrebat etiam multitudo vicinarum civitatum afferentes ægros, & vexatos a spiritibus immundis, qui curabantur omnes. Ex Act. Apost. 5. vers. 12. . . . 16.

*Petrus & Apostoli in custodia publica deponuntur, cæsique virgis dimittuntur.*

XXXVII In Petrum, & Apostolos iterum Principes Sacerdotum, & Sadducæi injecerunt manus, & posuerunt eos in custodia publica. Sed Angelo Domini per noctem portas carceris aperiente, & eos educente, in Templum postridie redierunt, populumque Christi gratiam docuerunt ... Eos autem iterum Magistratus in consilium suum reduxerunt, questi quod præter inhibitionem, quam andierant, iterum plebem docerent. Petrus & Apostoli respondent, oportere se Deo obedire non hominibus . . . . Hæc cum audissent (Magistratus) dissecabantur, & cogitabant interficere illos. Sed Gamalielis consilio ad humaniorem sententiam revocati, Apostolos virgis cæsos dimiserunt, & ne omnino loquerentur in Nomine Jesu denuntiaverunt. At illi læti a conspectu concilii abierunt, quod digni habiti fuissent pro Nomine Jesu contumeliam pati, & omni die non cessabant in Templo, & circa domos docere, & evangelizare Christum Jesum. Ex Act. Apost. 5. vers. 17. . . . 42.

*Petrus & Joannes in Samariam mittuntur.*

XXXVIII A. C. 34. Post Stephani martyrium, facta est persecutio magna in Ecclesia quæ erat Jerosolymis; & omnes Discipuli dispersi sunt per regiones Judææ, & Samariæ præter Apostolos. Philippus (Diaconus) descendens in civitatem Samariæ prædicabat illis Christum: & tanta signa faciebat in spiritibus immundis ejiciendis, & infirmitatibus curandis, ut plures ex Samaritanis, & inter eos Simon Magus, in Christo crediderint. Cum autem audissent Apostoli, qui erant Jerosolymis, quod recepisset Samaria Verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Joannem, qui cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum (tantum enim erant baptizati in Nomine Domini Jesu) & imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum. Quod cum vidisset Simon Magus, petiit & ipse pecuniam obtulit, ut sibi potestas concederetur dandi Spiritum Sanctum: Sed a Petro acriter reprehensus & monitus est, ut ob id pœnitentiam ageret. Ex Act. Apost. 8. vers. 1. . . 24.

*Petrus Lyddæ Æneam paralyticum curat.*

XXXIX Saulo (qui postea Paulus) ex persecutore ad Christum converso, Ecclesia per totam Judæam, Galilæam, & Samariam habebat pacem & ædificabatur ambulans in timore Domini, & factum est dum Petrus pertransiret universos, deveniret ad Sanctos, qui habitant Lyddæ: & invenit ibi hominem nomine Æneam paralyticum ab annis octo jacentem in grabato, & ait illi Petrus: Ænea, sanat te Dominus Jesus Christus: Surge & sterne tibi, & continuo surrexit, & viderunt eum (Æneam) omnes, qui habitant Lyddæ, & Saronæ, qui conversi sunt ad Dominum. Ex Act. 9. vers. ... 35.

*Petrus in Joppe Tabitham a mortuis suscitat, ibique moratur aliquandiu apud Simonem coriarium.*

XL A. C. 38. In Joppe discipula nomine Tabitha sive Dorcas plena operibus bonis, & eleemosynis, in diebus illis infirma moritur. Eam cum lavissent, posuissentque in cœnaculo Discipuli, audientes quia Petrus esset Lyddæ, quæ prope Joppen, miserunt ad eum, rogaveruntque, ut ad seveniret. Venit Petrus, & in cœnaculum, ubi Tabithæ mortuæ corpus, ductus, circumstantibus, & flentibus viduis, & ostendentibus vestes, quas illis fecerat Dorcas, emissis foras omnibus, Petrus ponens genua oravit, & conversus ad corpus, dixit: Tabitha surge. At illa aperuit oculos, & viso Petro resedit Petrus dans illi manum erexit eam, & cum vocasset sanctos, & viduas, assignavit eam vivam. Notumque id factum est per universam Joppen: & crediderunt multi in Domino, & Petrus moratus est per multos dies in Joppe apud Simonem coriarium. Ex Act. c. 9. vers. 36...43.

Pe-

Anno Christi.

*Petrus a Joppe Cæsaream venit, & Cornelium Centurionem, aliosque Gentiles baptizat.*

XLI Petrus Cæsaream a Cornelio Centurione accersitus, & jam ipse linteo ab cœlis demisso, & omni animantum genere referto monitus, ut Gentes ad Evangelii doctrinam admitteret, a Joppe Cæsaream venit, & Cornelium Centurionem, & Gentiles alios qui verbum audierant, Christi Evangelium docuit: & ipsi accepto Spiritu Sancto baptizati sunt in nomine Domini Jesu Christi, et mansit apud eos Petrus aliquot diebus. Act. Ap. toto cap. 10.

*Petrus repetit Jerosoymam rationemque reddit, cur Gentes Christi fidem docuisset.*

XLII Petrus ascendit Jerosolymam, rationemque exponit, quare ad Gentes accessisset, quod scilicet Cornelius Centurio, ab Angelo monitus fuerat, ut Petrum e Joppe ad se evocaret, ut se suosque edoceret: Ipse Petrus etiam a Spiritu monitus fuerat, ut ad Cornelium Centurionem nihil hæsitans iret, eumque instrueret, et Evangelii gratiam edoceret: His auditis, tacuerunt; et glorificaverunt Deum; dicentes: Ergo et Gentibus pœnitentiam dedit Deus ad Vitam. Ex Act. Ap. c. 11. vers. 1... 18.

*Petrum, in carcerem conjectum ab Herode, Angelus liberat.*

XLIII A. C. 41. Petrus ab Herode (Agrippa) qui Jacobum jam occiderat, in carcerem conjicitur, ut post Pascha populo occidendus produceretur; ideoque et inter milites catenis vinctus sollicite custodiebatur. Sed Ecclesia pro ipso orante, ab Angelo dormiens excitatur, et catenis solutus, custodibus nihil sentientibus, e carcere educitur, et ad domum, ubi fratres erant, egressus aliquoties januam pulsavit, quod ipsum esse ancilla Rhode, aliique vix crederent; tandemque introductus narravit, quomodo Deus eum eduxisset de carcere. Milites autem ipsos, e quorum custodia solutus erat Petrus, Herodes ad supplicium duci jussit. Ex Act. c. 12. vers. 1.... 19.

Anno Christi.

*Petrus dum esset Jerosolymis visitatur a Paulo.*

XLIV A. C. 50. Paulus in Epistola ad Galatas c. 1. vers. 17. 18. 19. ait se a conversione statim in Arabiam abiisse, & inde reversum se esse Damascum: & post annos tres venisse Jerosolymam videre Petrum, & mansisse apud eum diebus quindecim: aliumque ex Apostolis vidisse neminem, nisi Jacobum fratrem Joannis.

*Petrus a Paulo reprehenditur in Antiochia, quod Gentes ad Moysis legem observandam cogere volebat.*

XLV Cum autem venisset Cephas (Petrus) Antiochiam, in faciem ei restitit Paulus, eumque reprehensibilem putavit: quod aliter cum Judæis, aliter cum Gentibus ageret, & ait qui (Deus) operatus est Petro in Apostolatum Circumcisionis, operatus est & mihi inter Gentes; & cum cognovissent gratiam quæ data est mihi, Jacobus & Cephas, & Joanues, qui videbantur columnæ in Ecclesia esse, dextras dederunt mihi & Barnabæ societatis, ut nos in Gentes, ipsi autem in Circumcisionem: scientes quod non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi: & nos in Jesu Christo credimus, ut justificemur ex fide Christi, & non ex operibus legis. Gal. c. 2. vers. 8...16.

*Petri mors & martyrium a Christo prædictum fuit.*

XLVI Christus cum semel, atque iterum, tum & tertio petiisset a Petro an diligeret se, eique semper oves suas pascendas commendasset? Amen (inquit) Amen dico tibi (Petro) cum esses junior, cingebas te, & ambulabas ubi volebas: cum autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quo tu non vis. Hoc autem dixit (Jesus) significans qua morte (Petrus) clarificaturus esset Deum, & cum hoc dixisset, dixit ei: Sequere me. Joan. c. 21. vers. 15....19.

*Petrus eadem hora frustra a Christo petit, an etiam Joannes moreretur.*

XLVII Conversus Petrus vidit illum Discipulum, quem diligebat Jesus, sequentem,

Anno Christi.

tem: & dixit Jesu, Domine, hic autem quid? Dicit ei Jesus: Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? tu me sequere. Joann. cap. 21. vers. 21. 22.

*Petrus Romam petit, Romanamque fundat Ecclesiam circa annum. 42.*

XLIX

Petrum Romæ fuisse, argumentum est prima ipsius Epistola. Sub Babylonis etenim nomine Romam intellexisse nemo non videt. Romam vero appellavit Babylonem non tantum propter antiquam utriusque urbis & imperii gloriam, & amplitudinem, sed maxime etiam propter omnium Gentium, omniumque vitiorum, præsertim vero & Idololatriæ incredibilem, quæ in utraque fuit, colluviem. Videturque accommodate Romæ nomen in Babylonis nomen immutasse, ut si Epistola sua in Gentium manus incideret, Ecclesia Christi Romæ nascens non periclitaretur.

*Petrus Romæ crucifigitur.*

L

A. C. 36.

Hactenus Petri Apostoli Vita ex Evangelistis & ex Novo Testamento exscripta est, sed reliqua, & quæ maxima est illius Vitæ & Actorum pars, ea non nisi ex antiquis, iisque Scriptoribus Ecclesiasticis, qui proxime Petri ætatem secuti sunt, expetenda. Petrus etenim e carcere, in quem eum Herodes conjecerat, liberatus ab Angelo, statim peragravit Syriam, & in Antiochia sedem Pontificiam instituit; tum & Cappadociam, Pontum, Galatiam, Bithyniam, & Asiam, *perlustravit, & ubique* Evangelium prædicavit. Romam etiam pervenit, ibique Cathedram erexit. Marcum Evangelistam ad Ecclesiam Alexandrinam suscipiendam misit, & in reliquas Occidentis partes Discipulos amandavit, scilicet Italiam, Gallias, Hispanias, Africam, & insulas circumjacentes. *Pulsis e Roma Judæis* edicto Claudii Cæsaris, Petrus Jerosolymam redit, ubi Concilium primum habitum est, tandemque Romæ iterum redditus, una cum Paulo ut Ecclesiam Christianam sub Nerone dirissime vexatam peneque deficientem sustinerent, cum Simonem Magum, Deum se esse mentientem, & in aera volantem, precibus suis præcipitem egissent, & ex lapsu membra dissolvissent, a Nerone in vincula conjecti, primumque precibus Christianorum moti, ut fugam capesserent, seque suis servarent, apparitione Domini revocati ad carcerem, & martyrium, virgis cæsi, Petrus cruci affixus capite inverso, Paulus capite truncatus est.

A. C. 42.

A. C. 43.

G. F.



# PAULI APOSTOLI VITA,

## IN QUA POTISSIMUM

Deſcribuntur ejus Patria, Manſiones, Itinera, Peregrinationes, & Navigationes per Aſiam & Europam, & a Hieroſolyma Romam uſque.

*E* X

# NOVO TESTAMENTO.

*Saulus e Judæorum gente ortus.*

Anno Chriſti. I

EGo Iſraelita ſum, ex ſemine Abraham, de Tribu Benjamin Paul. de ſe in Ep. ad Rom. c. 11. verſ. 1. Circumciſus octavo die, ex genere Iſrael, de Tribu Benjamin, Hebræus ex Hebræis: idem ad Philip. c. 3. verſ. 5.

*Saulus in Tarſo Ciliciæ natus eſt.*

II

Ego ſum vir Judæus, natus in Tarſo Ciliciæ. Paul. de ſe Act. Ap. c. 22. verſ. 3. & dixerat paulo ante: Ego homo quidem ſum Judæus, e Tarſo Ciliciæ, non ignotæ civitatis municeps. Act. Ap. c. 21. verſ. 39.

*Saulus civis Romanus.*

III

Saulus a Tribuno ( Lyſia ) juſſus cædi, & torqueri: petiit an liceret civem Romanum indemnatum flagellare: cum ergo Paulum civem Romanum eſſe audiiſſet Tribunus, dixit Paulo: Hanc civitatem multa ſumma ſe conſecutum fuiſſe, ſed Paulus dicit ſe natum eſſe. Act. cap. 22. verſ. 24. . . 28.

Anno Chriſti.

*Paulus Jeroſolymis ſtuduit ſub Gamaliele.*

IV

Nutritus in iſta civitate ( Jeruſalem ) ſecus pedes Gamaliel, eruditus juxta veritatem paternæ legis: æmulator legis, ſicut & vos omnes eſtis hodie. Act. c. 22. verſ. 3. ſecundum legem Phariſæus, ſecundum æmulationem perſequens Eccleſias Dei, ſecundum juſtitiam, quæ in lege eſt, converſatus ſine querela. Paul. ad Philip. c. 3. verſ. 5. 6.

*Saulus erat cum Judæis in lapidatione Stephani.*

V

Cum Judæi impetum facerent unanimiter in Stephanum, & ejicerent eum extra civitatem; teſtes depoſuerunt veſtimenta ſua, ſecus pedes Sauli: & lapidabant Stephanum invocantem,

Anno Christi.

tem, & dicentem: Domine Jesu suscipe spiritum meum, & positis genibus clamantem: Domine ne statuas illis hoc peccatum: & cum hoc dixisset obdormivit in Domino. Saulus autem erat consentiens neci ejus. Act. c. 7. vers. 56.... 59. Et ipsemet de se Paulus: Et cum funderetur sanguis Stephani, ego astabam, & consentiebam, & custodiebam vestimenta interficientium eum. Act. c. 22. vers. 20.

*Post martyrium Stephani Discipulos Christi persequitur.*

VI A. C. 34. Qui hanc viam (Christi Evangelium) persecutus sum, usque ad mortem: alligans, & tradens in custodias viros & mulieres; sicut Princeps Sacerdotum mihi testimonium reddit, & omnes majores natu: a quibus Epistolas accipiens, Damascum pergebam, ut adducerem inde vinctos in Jerusalem. Paulus de se Act. c. 22. vers. 4. 5. Dictum erat antea: Saulus devastabat Ecclesiam, per domos intrans; & trahens viros, ac mulieres, tradebat in custodiam. Act. c.8. v.3.

*Damascum dum pergeret, mirabiliter conversus est.*

VII Circa Annum Chr.34.aut35. Saulus adhuc spirans minarum, & cædis in Discipulos Domini: accessit ad Principem Sacerdotum: & petiit ab ipso Epistolas in Damascum, & Synagogas, ut si quos invenisset hujus viæ viros, & mulieres, vinctos perduceret in Jerusalem. Et cum iter faceret, & appropinquaret Damasco; media die circumfulsit eum copiosa lux de cœlo; & cadens in terram, audivit vocem dicentem: Saule, Saule, quid me persequeris? Ego sum Jesus Nazarenus, quem tu persequeris. Paulus tremens dixit: Domine, quid me vis facere? Dominus dixit: Surge, & ingredere Damascum, & ibi dicetur tibi de omnibus, quæ te oporteat facere. Surrexit Paulus de terra, & cum non videret, præ claritate luminis illius, ad manum deductus a comitibus venit Damascum, & erat ibi tribus diebus non videns, nec manducans, nec bibens. Ananias autem (cui Dominus apparuerat, dixeratque Saulum ex persecutore vas electionis fore) venit in domum, in qua erat Saulus: & imponens ei manus, dixit: Saule frater, Dominus misit me Jesus, qui apparuit tibi in via, qua veniebas, ut videas, & implearis Spiritu Sancto. Deus Patrum nostrorum præordinavit te, ut cognosceres voluntatem ejus, & videres Justum, & audires vocem ex ore ejus: quia eris testis illius ad omnes homines, eorum quæ vidisti, & audisti. Et nunc quid moraris? Exurge, & baptizare. Et confestim ceciderunt ab oculis ejus tamquam squammæ, & visum recepit, inspexitque in Ananiam: & surgens baptizatus est, & cum accepisset cibum confortatus est. Fuitque cum Discipulis, qui erant Damasci, per dies aliquot, & continuo in Synagogis prædicabat Jesum, quoniam hic est Filius Dei. Ex Act. c. 9. vers. 1... 20. & c. 22. vers. 6. . . 16.

*Saulus statim a conversione videtur in Jerusalem rediisse, & continuo exiisse.*

VIII Factum est autem revertenti mihi in Jerusalem, & oranti in Templo fieri me in stupore mentis, & videre illum (Deum) dicentem mihi: Festina, & exi velociter ex Jerusalem: quoniam non recipient testimonium tuum de me: Vade, quoniam ego in nationes longe mittam te. Act. c. 22. vers. 17... 21.

*Saulus abiit in Arabiam.*

IX Cum autem placuit ei, qui me segregavit ab utero matris meæ, & vocavit per gratiam suam, ut revelaret Filium suum in me, ut Evangelizarem illum in gentibus; continuo non acquievi carni, & sanguini, neque veni Jerosolymam ad antecessores meos Apostolos. i. (neque mansi in Jerusalem &c.) sed abii in Arabiam. Epist. ad Gal. c. 1. vers. 15... 17. Ubi non ab homine, sed per revelationem Jesu Christi notum mihi factum est Evangelium. ad Gal. c. 1. vers. 12. & ad Ephes. c. 3. vers. 3.

*Ex Arabia Damascum redit, Christumque prædicat.*

X Et iterum reversus est Damascum. ad Gal. 1. vers. 17. Et continuo in Synagogis prædicabat Jesum: quoniam hic est Filius Dei. Stupebant omnes, qui audiebant, & dicebant: Nonne hic est, qui expugnabat in Jerusalem eos, qui invocabant nomen istud; & huc ad nos venit, ut vinctos illos duceret ad Principes Sacerdotum. Saulus autem multo magis convalescebat, & con-

Anno Christi.

confundebat Judæos, qui habitabant Damasci; affirmans quod jam hic est Christus. Cum autem complerentur dies multi, consilium fecerunt in unum Judæi, ut eum interficerent. Et notæ factæ sunt Saulo insidiæ eorum: custodiebant enim portas die ac nocte, ut eum interficerent: accipientes eum Discipuli nocte per murum dimiserunt eum, submittentes in sporta. Act. c. 9. vers. 20... 25.

*A Damasco ascendit in Jerusalem, & mansit cum Petro diebus quindecim.*

XI
A. C. 37.

Deinde post annos tres (a conversione) veni Jerosolymam videre Petrum, & mansi apud eum diebus quindecim: alium autem Apostolorum vidi neminem, nisi Jacobum fratrem Domini. ad Gal. cap. 1. vers. 18. 19. Cum venisset in Jerusalem, tentabat se jungere Discipulis, & omnes timebant eum, non credentes, quod esset Discipulus: Barnabas autem illum duxit ad Apostolos: & narravit, quomodo in via vidisset Dominum, & quia locutus est ei: & quomodo in Damasco fiducialiter egerit in Nomine Jesu. Et erat cum illis intrans, & exiens in Jerusalem, & fiducialiter agens in Nomine Domini; loquebatur quoque Gentibus, & disputabat cum Græcis: illi autem quærebant occidere eum, quod cum cognovissent fratres, deduxerunt eum Cæsaream, & dimiserunt Tarsum. Act. c. 9. vers. 26... 30.

*Venit in partes Syriæ & Ciliciæ.*

XII

Deinde veni in partes Syriæ & Ciliciæ, eram autem ignotus facie Ecclesiis Judææ, quæ erant in Christo: tantum autem auditum habebant, quoniam qui persequebatur nos aliquando, nunc Evangelizat fidem, quam expugnabat; & in me glorificabant Deum. Paulus de se, ad Galat. c. 1. vers. 21. 24.

*Deducitur Antiochiam Syriæ ad Barnabam.*

XIII
A. C. 43.

Profectus est Barnabas Tarsum, ut quæreret Saulum, quem cum invenisset, perduxit Antiochiam; & annum totum conversati sunt in Ecclesia, & docuerunt turbam multam, ita ut cognominarentur primum Antiochiæ Discipuli, Christiani. Act. c. 11. vers. 25. 26.

*Ab Antiochia in Judæam mittitur ad eleemosynam fratribus ministrandam.*

XIV
A. C. 44.

In his diebus supervenerunt ab Jerosolymis Prophetæ Antiochiam, & surgens unus ex iis nomine Agabus, significabat per Spiritum famem magnam futuram in universo orbe terrarum, quæ facta est sub Claudio. Discipuli autem prout quis habebat, proposuerunt singuli in ministerium mittere habitantibus in Judæa fratribus, quod & fecerunt: mittentes ad Seniores per manus Barnabæ, & Sauli. Act. c. 11. vers. 27.... 30.

*Ab Jerosolymis redit iterum Antiochiam.*

XV

Barnabas autem, & Saulus reversi sunt (Antiochiam) ab Jerosolymis, expleto ministerio: assumto Joanne, qui cognominatus est Marcus. Act. c. 32. vers. 25.

*Saulus, & Barnabas jussi sunt a Spiritu Sancto ad Gentes proficisci, ut illis prædicarent Evangelium.*

XVI

Erant in Ecclesia Antiochiæ Prophetæ, & Doctores: in quibus Barnabas, & Simon, qui vocabatur Niger, & Lucius Cyrenensis, & Manahen Herodis Tetrarchæ collectaneus, & Saulus. Ministrantibus illis Domino, & jejunantibus, dixit illis Spiritus Sanctus: Segregate mihi Saulum, & Barnabam in opus, ad quod assumsi eos. Tunc jejunantes, orantes: imponentesque eis manus, dimiserunt illos. Act. c. 13. vers. 1... 3.

*Saulus, & Barnabas abierunt Seleuciam (Siriæ) indeque Cyprum.*

XVII

Et ipsi missi a Spiritu Sancto abierunt Seleuciam, & inde navigaverunt Cyprum. Act. c. 13. vers. 4.

Et cum venissent Salaminam, prædicabant Verbum Dei in Synagogis Judæorum: habebant autem Joannem, (qui cognominatus est Marcus) in ministerio. vers. 5.

Et cum perambulassent universam insulam usque.

Paphum, invenerunt quemdam Magum pseudo-Prophetam, Judæum, nomine Bar-Jesu, vers. 6. qui erat cum Proconsule Sergio Paulo viro prudente. Hic accersitis Barnaba, & Saulo de-

Anno Christi.

desiderabat audire Verbum Dei. vers. 7. Resistebat illi Elymas Magus (sic enim interpretabatur nomen ejus) quærens avertere Proconsulem a fide. v.8.

*Saulus in Papho Magum Elymam excæcat, & Paulum Sergium Proconsulem ad fidem Christi convertit.*

XVIII Saulus, (qui nunc Paulus) repletus Spiritu Sancto, intuens in Elymam dixit: O plene omni dolo, & omni fallacia; fili Diaboli, inimice omnis justitiæ, non desinis subvertere vias Domini rectas. Ecce manus Domini super te, & eris cæcus non videns Solem, & confestim cecidit in eum caligo, & tenebræ: & circuiens quærebat, qui ei manum daret. Tunc Proconsul cum vidisset, credidit, admirans super doctrina Domini. Act. c. 13. vers. 9...12.

A. C. 45.

*Paulus a Papho navigat in Pamphyliam, venitque Pergen.*

XIX Et cum a Papho navigasset Paulus, & qui cum eo erant, venerunt Pergen Pamphyliæ. Joannes autem discedens ab eis reversus est Jerosolymam. Act. c. 13. vers. 13.

*Paulus petit Antiochiam (Pisidiæ) in cujus Synagoga concionatur.*

XX Illi vero (Paulus & Barnabas) pertranseuntes Pergen, venerunt Pisidiam, & ingressi Synagogam die Sabbatorum sederunt. Et post lectionem Legis, & Prophetarum, miserunt Principes Synagogæ ad eos, dicentes: Viri fratres, si quis est in vobis sermo exhortationis ad plebem, dicite. Surgens Paulus, semel atque iterum de Lege veteri, & de nova concionatur, non tantum Judæis, sed & Gentibus advenis. Judæis autem in novam sive legem Christi contradicentibus, & blasphemantibus, & persecutionem in eos concitantibus, ejecerunt eos de finibus suis. At ipsi Paulus & Barnabas conversi sunt ad Gentes, ex quibus plures crediderunt. Act. c. 13. v. 14...50.

*Paulus, & Barnabas Iconium petunt.*

XXI At illi venerunt Iconium. Act. c. 13. vers. 51. Et factum est Iconii, ut simul intrarent in Synagogam Judæorum, & loquerentur; ita ut crederet Judæorum, & Græcorum copiosa multitudo. Multo igitur tempore demorati sunt fiducialiter agentes in Domino: testimonium perhibente verbo gratiæ suæ dante signa, & prodigia fieri per manus eorum: qui vero increduli fuerunt Judæi, suscitaverunt, & ad iracundiam concitaverunt animas Gentium adversus fratres. Et divisa est multitudo civitatis: & quidam erant cum Judæis, quidam cum Apostolis: & factus est impetus Gentilium, & Judæorum cum Principibus suis, ut contumeliis afficerent, & lapidarent eos. Act. c. 14. vers. 1....5.

Anno Christi.

*Paulus, & Barnabas Lystra veniunt, ubi cum claudum a matris utero curasset Paulus, lapidibus a populo opperitur.*

XXII Intelligentes seditionem P. & B. confugerunt ad civitates Lycaoniæ Lystra & Derben, & universam in circuitu regionem, & ibi Evangelizantes erant. Vir autem Lystris infirmus pedibus sedebat claudus ab utero matris, qui numquam ambulaverat. Hunc intuitus Paulus, videns quia fidem haberet, dixit magna voce: Surge super pedes tuos rectus. Et exilivit & ambulabat. Turbæ autem cum vidissent, quod fecerat Paulus, dicebant: Dii similes hominibus descenderunt ad nos: & vocabant Barnabam, Jovem; Paulum vero, Mercurium. Et sacerdos Jovis volebat iis sacrificare. Quod ubi audierunt Apostoli, concisis tunicis suis, exierunt in turbas dicentes: quid hæc facitis? Et nos mortales sumus similes vobis homines, annuntiantes ab his vanis converti ad Deum vivum: & vix sedaverunt turbas ne sibi immolarent. Supervenerunt autem quidam ab Antiochia (Pisidiæ) & Iconio Judæi; & persuasis turbis lapidantesque Paulum traxerunt extra civitatem, existimantes eum mortuum esse: circumdantibus autem eum Discipulis, surgens introivit in civitatem. Act. c. 14. vers. 6....19.

*Paulus & Barnabas in Derben proficiscuntur.*

XXIII Et postera die profectus est (Paulus) cum Barnaba in Derben, cumque Evangelizassent civitati illi, & docuissent multos, reversi sunt Lystra, &

Iconium, &

Antiochiam (Pisidiæ) confirmantes animas Discipulorum, exhortantesque,

Anno Christi.

que, ut permanerent in fide: & constitutis per singulas Ecclesias Ptesbyteris, commendaverunt eos Domino. Act. c. 14. vers. 19. ... 22.

*Paulus & Barnabas redeunt Antiochiam Syriæ.*

XXIV Transeuntesque Pisidiam venerunt in Pamphyliam, & loquentes Verbum Domini in Perge; descenderunt in Attaliam, & inde navigaverunt Antiochiam (Syriæ) unde erant traditi gratiæ Dei in opus, quod compleverunt: & cum congregassent Ecclesiam, retulerunt quanta fecisset Deus cum illis; & quia aperuisset Gentibus ostium fidei: & morati sunt tempus non modicum cum Discipulis. Act. c. 14. vers. 23. . . 27.

*Paulus & Barnabas ab Antiochia (Syriæ) mittuntur in Jerusalem.*

XXV Fratribus quibusdam e Judæa (Antiochiam) descendentibus, & sine circumcisione secundum legem Moysis, Gentes non posse salvari, contendentibus, seditione ob id orta Paulus, & Barnabas ascenderunt ad Apostolos in Jerusalem. Act. c. 15. vers. 1. 2.

*Paulus & Barnabas transeunt per Phœnicem, & Samariam.*

XXVI Illi ergo deducti ab Ecclesia (Antiochena) pertransibant Phœnicem, & Samariam: narrantes conversionem Gentium, & faciebant gaudium magnum omnibus fratribus. Act. cap. 15. vers. 3.

*Paulus & Barnabas veniunt Jerosolymam, in qua concilium habetur.*

XXVII Cum venissent Jerosolymam, suscepti sunt ab Ecclesia, & ab Apostolis,

A. C. 50. & Senioribus, annuntiantes quanta Deus fecisset cum illis. Surrexerunt autem quidam de hæresi Pharisæorum, dicentes: quia oportet circumcidi Gentes, præcipere quoque servare legem Moysi. Convenerunt Apostoli, & Seniores videre de verbo hoc: Et cum magna inquisitio fieret, Petrus oravit pro Gentibus, auditi etiam Barnabas, & Paulus, tum & Jacobus. Statutumque non inquietari debere eos, qui ex Gentibus convertuntur ad Dominum. Tunc placuit Apostolis, et Senioribus cum omni Ecclesia eligere viros ex eis, et mittere Antiochiam, cum Paulo et Barnaba, Judam, qui cognominatur Barsabas, & Silam, viros primos in fratribus: Scribentes Apostoli, & Seniores Fratres his, qui sunt Antiochiæ, & Syriæ, & Ciliciæ fratribus ex Gentibus salutem. Quoniam audivimus, quia quidam ex nobis exeuntes turbaverunt vos verbis, evertentes animas vestras, quibus non mandavimus: Placuit nobis collectis in unum, eligere viros, & mittere ad vos, cum charissimis nostris Barnaba, & Paulo... Visum est enim Spiritui Sancto, & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc necessaria: ut abstineatis ab immolatis simulachrorum, & sanguine, & suffocato & fornicatione; a quibus custodientes vos bene agetis. Valete. Act. c. 15. vers. 9... 29.

*Paulus & Barnabas redeunt Antiochiam.*

XXVIII Illi ergo (P. & B. & Judas qui cognominatur Barsabas, & Silas) dimissi descenderunt Antiochiam, & congregata multitudine tradiderunt Epistolam: quam cum legissent gavisi sunt super consolatione ... Paulus, & Barnabas demorabantur Antiochiæ docentes, & Evangelizantes Verbum Domini. Act. c. 15. vers. 30... 35.

*Paulus, & Silas relicta Antiochia perambulant Syriam, & Ciliciam.*

XXIX Post aliquot dies dixit ad Barnabam Paulus: revertentes, visitemus

A. C. 51. fratres per universas civitates, in quibus prædicavimus Verbum Domini, quomodo se habeant: Barnabas autem volebat secum assumere Joannem, qui cognominatur Marcus. Paulus autem rogabat eum, ut qui discessisset ab eis de Pamphylia, & non isset cum eis in opus, non debere recipi: factaque est dissensio, ita ut discederent ab invicem: & Barnabas assumto Marco navigaret Cyprum: Paulus vero electo Sila profectus est, traditus gratiæ Dei a fratribus perambulabat Syriam & Ciliciam confirmans Ecclesias, præcipiens custodire præcepta Apostolorum, & Seniorum. Act. c. 15. vers. 36. . . 41.

Pau-

Anno Christi

*Paulus cum Sila redit Derben, & Lystra.*

XXX Pervenit ( Paulus ) Derben, & Lystra. Et ecce Discipulus erat ibi nomine Timotheus, filius mulieris Judææ, fidelis, patre gentili, huic testimonium bonum reddebant qui in Lystris erant, & Iconio fratres. Hunc voluit Paulus secum proficisci: & assumens circumcidit eum propter Judæos, qui erant illis in locis. Sciebant enim omnes, quod pater ejus esset Gentilis. Cum autem pertransirent civitates, tradebant eis custodire dogmata, quæ erant decreta ab Apostolis & Senioribus, qui erant Jerosolymis. Et Ecclesiæ confirmabantur in fide, & abundabant numero quotidie. Act. c. *16.* vers. 1... 5.

*Transit per Phrygiam, & Galatiam, & Mysiam, & descendit Troadem.*

XXXI Transeuntes ( Paulus & Silas ) ... Phrygiam, & Galatiæ regionem, vetati sunt a Spiritu Sancto loqui Verbum Dei in Asia, & cum venissent in Mysiam, tentabant ire in Bithyniam, & non permisit eos Spiritus Jesu, cum autem pertransissent Mysiam descenderunt Troadem, & visio per noctem Paulo ostensa est: Vir Macedo stans, & deprecans eum, dicens: Transiens in Macedoniam adjuva nos. Et .. statim quæsivimus proficisci in Macedoniam, certi facti, quod vocasset nos Deus Evangelizare eis. Act. cap. *16.* vers. 8. *9.*

*A Troade navigat in Macedoniam, & Philippis in vincula conjicitur, & liberatur.*

XXXII Navigantes a Troade, recto cursu venimus Samothraciam, & sequenti die Neapolim, & inde Philippos, quæ est primæ partis Macedoniæ civitas, colonia: Eramns autem in hac urbe dies aliquot, conferentes: die autem Sabbatorum egressi sumus foras portam juxta flumen: ubi videbatur oratio esse. Et sedentes loquebamur mulieribus, quæ convenerant. Mulier autem nomine Lydia, purpuraria civitatis Thyatirenorum colens Deum, & cujus Dominus aperuit cor intendere his, quæ dicebantur a Paulo. Cum baptizata esset, & domus ejus, deprecata est dicens: si judicastis me fidelem Domino, introite in domum meam, & manete, & coegit nos.

Anno Christi.

XXXIII Euntibus nobis ad orationem, Puella Spiritum habens Pythonem, obvia fit; & subsecuta nos clamabat: Isti homines servi Dei sunt, & annutiant vobis viam salutis. Paulus Spiritui præcipit, ut in Nomine Jesu Christi exiret ab ea, & exiit eadem hora. Domini autem puellæ, qui ex ea multum lucrabantur, apprehendentes Paulum & Silam perduxerunt in forum ad Magistratus; Et eos civitatem conturbare dixerunt.

Cucurrit plebs adversus eos, & Magistratus scissis tunicis eorum jusserunt eos virgis cædi, & cum multas plagas eis imposuissent, miserunt eos in carcerem. Media autem nocte Paulo & Sila orantibus, & laudantibus Deum, subito terræ motus factus est magnus; mota sunt fundamenta carceris, aperta sunt ostia, & omnium vincula soluta sunt. Expergefactus custos cum se interficere vellet, vinctos fugisse putans, clamavit Paulus universos adesse. Ille petito lumine introgressus procidit Paulo, & Silæ ad pedes, & producens eum foras ait: Domini, quid me oportet facere, ut salvus fiam? illi dixerunt: Crede in Dominum Jesum, & salvus eris tu, & domus tua. Et locuti sunt ei Verbum Domini, cum omnibus qui erant in domo ejus.... & lavit plagas eorum, & baptizatus est ipse, & omnis domus; & apposuit eis mensam, & lætatus est cum omni domo sua, credens Deo. Die autem facto, miserunt Magistratus lictores, dicentes ( custodi: ) dimitte homines illos... Sed Paulus se Romanum civem professus questus est, quod cæsi publice, indemnati, occulte ejicerentur: timueruntque Magistratus, & deprecati sunt ut educti de carcere, egrederentur de urbe. Illi exeuntes introjerunt ad domum Lydiæ, & visis fratribus, consolatisque profecti sunt. Act. c. *16.* vers. 11.. 40.

*Paulus, & Silas per Amphipolim, & Appolloniam veniunt Thessalonicam.*

XXXIII Cum autem perambulassent Amphipolim, & Apolloniam, venerunt Thessalonicam, ubi erat Synagoga Judæorum. Et secundum consuetudinem Paulus introivit ad eos: & per Sabbata

Anno Christi. bata tria disserebat eis de Scripturis; adaperiens & insinuans, quia Christum oportuit pati, & resurgere a mortuis; & quia hic est Jesus Christus, quem annuntio vobis. Et quidam ex eis crediderunt. Et adjuncti sunt Paulo & Silæ, & de colentibus, Gentilibusque multitudo magna, et mulieres nobiles non paucæ. Zelantes autem Judæi assumentesque viros malos, concitaverunt civitatem, et assistentes domui Jasonis in qua manebant Paulus et Silas, quærebant eos producere in populum. Act. cap. 17. vers. 1... 10.

*Paulus & Silas a Thessalonica veniunt Berœam.*

XXXIV Fratres vero (in Thessalonica) per noctem dimiserunt Paulum, & Silam in Berœam: qui cum venissent, in Synagogam Judæorum introierunt. Hi autem erant nobiliores eorum, qui sunt Thessalonicæ, qui susceperunt Verbum... cum autem cognovissent in Thessalonica Judæi, quia Berœæ prædicatum est a Paulo Verbum Dei: venerunt illuc, & commoverunt multitudinem. Act. c. 17. vers. 10...13.

*Venit Athenas, ubi Dionysius Areopagita, & alii ad fidem convertuntur.*

XXXV Statimque Paulum dimiserunt fratres, ut iret usque ad Mare. Silas autem, & Timotheus remanserunt ibi (Berœæ) qui autem deducebant Paulum, perduxerunt usque Athenas, & accepto mandato ad Silam, & Timotheum; ut quam celeriter venirent, profecti sunt. Paulus dum Athenis eos expectat, videns Idololatriæ deditam civitatem, disputabat in Synagoga cum Judæis, & colentibus, & in foro.... quidam autem Epicurei, & Stoici Philosophi disserebant cum eo: alii irridebant ipsum, Seminiverbiumque vocaverunt, & novorum dæmoniorum annuntiatorem, & apprehensum ad Areopagum duxerunt dicentes: Possumus scire a te, quæ est hæc nova doctrina? (Athenienses enim omnes, & advenæ hospites, ad nihil aliud vacabant, quam aut dicere aut audire aliquid novi.) Stans ergo Paulus in medio Areopagi, de Ara, quæ apud eos esset ignoto Deo dicata, disserit: Deum esse, qui fecerit mundum, & omnia quæ in eo sunt: eumque cum cœli & terræ sit Dominus, non in manufactis Templis habitare: & nos non debere æstimare auro aut argento, aut lapidi sculpturæ artis, & cogitationis hominis Divinum esse simile.... Quidam adhærentes Paulo crediderunt, in quibus Dionysius Areopagita, & mulier nomine Damaris, & alii cum eis. Act. c. 17. vers. 14... 34.

*Corinthum venit.*

XXXVI Posthæc (Paulus) egressus Athenis, venit Corinthum, & inveniens Aquilam Judæum, Ponticum genere, & Priscillam uxorem ejus, qui Claudio imperante a Roma discesserant, accessit, & mansit apud eos, scenofactoriam exercens: & disputabat in Synagoga per omne Sabbatum, interponens Nomen Domini Jesu. Redeuntibus autem de Macedonia, Sila, & Timotheo: instabat Paulus Judæis testificans esse Christum Jesum, contradicentibus autem eis, & blasphemantibus, dixit ad eos: Ex hoc ad Gentes vadam. Migrans inde introivit in domum Titi justi colentis Deum, cujus domus erat conjuncta Synagogæ.... Et Crispus Archisynagogus credidit Domino, cum omni domo sua: & multi Corinthiorum audientes credebant, & baptizabantur.... Et dixit Dominus noster per visionem Paulo: Ne timeret, sed loqueretur; quoniam sibi populus esset multus in hac civitate; & sedit ibi annum, & sex menses, docens apud eos Verbum Dei. Gallione autem Proconsule Achaiæ, insurrexerunt uno animo Judæi in Paulum, & adduxerunt eum ad tribunal. Sed cum Gallio Proconsul harum rerum Judex esse nollet, minassetque Judæos e tribunali, Paulus adhuc sustinuit (Corinthi) dies multos. Act. c. 18. vers. 1... 18.

*Paulus & Silas e Cenchris navigant in Syriam.*

XXXVII Fratribus (qui Corinthi essent) valedicens Paulus navigavit in Syriam (& cum eo Priscilla & Aquila) qui sibi totonderat in Cenchris caput, habebat enim votum: devenitque

Ephesum, & ibi illos reliquit: ipse vero ingressus Synagogam disputabat cum Judæis, rogantibusque ut apud se aliquantum maneret, se rediturum promisit.... Profectus ab Epheso descendit

Cæsaream (Palestinæ) & salutavit Ecclesiam (Jerosolymitanam); & descendit

An-

Anno Christi.

Antiochiam ( Syriæ , & facto ibi aliquanto tempore , profectus est, perambulans ex ordine

Galaticam regionem , &

Phrygiam , confirmans omnes Discipulos. Act. c. 18. verf. 18.... 23.

*Redit Ephesum , & per biennium in Asia prædicat.*

XXXVIII A. C. 54.

Paulus peragratis superioribus partibus ( Galatiæ , Phrygiæ , &c. ) venit Ephesum : & invenit quosdam Discipulos in Joannis baptismate tantum baptizatos : & qui si Spiritus Sanctus esset nec dum audierant.... hos ergo baptizari jussit in Nomine Jesu , & cum illis imposuisset manus , venit Spiritus Sanctus super eos . Et introgressus Synagogam cum fiducia , loquebatur per tres menses quotidie disputans in schola Tyranni cujusdam , & suadens de regno Dei . Hoc autem factum est per biennium : ita ut omnes , qui habitabant in Asia , audirent Verbum Dei , Judæi atque Gentiles , virtutesque faciebat Deus per manum Pauli : ita ut etiam super languidos deferrentur a corpore ejus sudaria , & semicinctia : & recedebant ab eis languores , & spiritus nequam egrediebantur.... Demetrius autem quidam argentarius , faciens ædes argenteas Dianæ , præstabat artificibus non modicum quæstum ; illos hic ( quod Paulus omnes averteret a Diis manibus hominum factis ) artifices in Paulum concitavit , sed quem , in populum intrare volentem , non permiserunt Discipuli : eorumque seditionem Alexander , qui ex primoribus civitatis erat , vix sedavit . Act. 19. toto capite.

*Paulus proficiscitur in Macedoniam & Græciam.*

XXXIX

Postquam cessavit tumultus , Paulus, vocatis Discipulis , exhortatus eos , valedixit & profectus est , ut iret in Macedoniam : & cum perambulasset partes illas , & exhortatus illas fuisset.... venit in Græciam , ubi cum fecisset menses tres , factæ sunt illi insidiæ a Judæis navigaturo in Syriam : habuitque consilium ut reverteretur per Macedoniam . Act. c. 20. verf. 1. . . 3. & comitatus est eum Sopater Pyrrhi Berœensis , Thessalonicensium vero Aristarchus , & Secundus , & Gajus Derbeus , & Timotheus ; Asiani vero Tichycus , & Trophimus . Hi cum præcessissent sustinuerunt nos Troade . Nos vero ( Paulus & Lucas ) navigavimus post dies Azymorum , a

Anno Chstiri.

Philippis , & venimus ad eos

Troadem in diebus quinque , ubi morati sumus diebus septem.... verf.4. 5. 6. Una autem Sabbati , cum Paulus profecturus in crastinum , protraxisset sermonem usque in mediam noctem . Eutychius adolescens sedens super fenestram , somno mersus , cecidit de tertio cœnaculo deorsum , & sublatus est mortuus . Ad quem cum descendisset Paulus , incubuit super eum , & complexus dixit : Nolite timere , anima enim in ipso est , & adduxerunt puerum viventem , & consolati sunt . Nos autem ascendentes navem navigavimus in Asson , inde suscepturi Paulum : sic enim disposuerat ipse per terram iter facturus. Act. c. 20. verf. 7... 13. Cum autem convenisset nos in

Asson , assumto eo , venimus

Mitilenem , & inde navigantes , sequenti die venimus contra

Chium , & alia die applicuimus

Samum , & sequenti die venimus

XLI

Miletum ; proposuerat enim Paulus transnavigare Ephesum , ne qua mora illi fieret in Asia.... festinabat enim, si possibile esset , ut diem Pentecostes faceret Jerosoymis . A Mileto mittens Ephesum , vocavit majores natu Ecclesiæ , eosque hortatur , ut vigilarent ad Ecclesiam regendam ; prædicitque sibi vincula , & tribulationes parari Jerosolymis : eosque non amplius visuros se . Act. c. 20. verf. 14.... 38. Cum autem factum esset , ut navigaremus, recto cursu venimus

Coum , & sequenti die

Rhodum , & inde

Patara : & cum invenissemus navem transfretantem in Phœnicem , ascendentes navigavimus , cum apparuissemus Cypro , relinquentes eam ad sinistram , navigavimus in Syriam , & venimus

Tyrum : ibi enim navis expositura erat onus , & inventis Discipulis , mansimus ibi diebus septem . A Tyro descendimus

XLII

Ptolemaidem : & salutatis fratribus, mansimus die una apud illos : & alia die profecti venimus

Cæsaream , & intrantes domum Philippi Evangelistæ , qui erat unus de septem , mansimus apud eum : huic erant quatuor filiæ virgines prophetantes . Act. c. 21. verf. 1..9. & cum moraremur per dies aliquot , supervenit a Ju-

Anno Christi.

a Judæa Agabus Propheta, is cum venisset ad nos, tulit zonam Pauli: & alligans sibi pedes, & manus, dixit: hæc dicit Spiritus Sanctus: Virum, cujus est zona hæc, sic alligabunt in Jerusalem Judæi, & tradent in manus Gentium. Quod cum audissemus, rogabamus Paulum ne ascenderet Jerosolymam. Respondit Paulus se paratum esse, non solum alligari, sed & mori, propter Nomen Domini Jesu. Quievimus dicentes: Domini voluntas fiat. Act. c. 21. vers. 10... 14. ascendimus ergo

A. C. 58.

Jerosolymam: ubi libenter exceperunt nos fratres, & sequenti die introibat Paulus nobiscum ad Jacobum; omnesque collecti sunt Seniores: quos cum salutasset, narrabat quæ Deus fecisset in Gentibus; & ipsi vicissim de iis, qui inter Judæos crediderunt .... persuadentque ipsi, ut cum quatuor aliis votum habentibus se sanctificet. Quod cum perageret, Act. c. 21. vers. 17..... 27. Judæi concitaverunt omnem populum, & injecerunt ei manus, clamantes quod Gentiles introducens in Templum violasset sanctum locum, & trahentes eum extra Templum, quærebant eum occidere. Superveniente autem Tribuno cohortis cum militibus, Judæi cessaverunt percutere Paulum: & accedens Tribunus apprehendit eum, & jussit duci in castra. Sequebatur multitudo populi clamans: tolle eum. Paulus, a Tribuno data ad populum loquendi facultate, suæ conversionis ordinem enarrat: sed Judæi clamant; ut tolleretur de terra, non fas esse eum vivere. Jussit Tribunus induci in castra, & flagellis cædi, & torqueri eum: & cum astrinxisset eum loris, dicit astanti Centurioni Paulus: Si hominem Romanum, & indemnatum licet vobis flagellare? .... protinus discesserunt ab illo, qui eum torturi erant. Tribunus quoque timuit, & postera die solvit eum, & jussit Sacerdotes convenire, & omne concilium, & producens Paulum, statuit inter illos. Act. c. 21. vers. 28.... 40. & c. 22. vers. 24.... 30.

Paulus coram Sacerdotibus & toto concilio se defendens, ab Anania Sacerdotum Principe jussus est in os percuti, & paulo post Paulus se Pharisæum dicens, quod inter astantes erant Pharisæi, & Sadducæi, orta inter utrosque dissensione. Tribunus, ne Paulus a multitudine discerperetur, eum eripit de medio eorum, & deducit in castra. Sequenti nocte assistens ei Dominus, ait: Constans esto; sicut testificatus es de me in Jerusalem, sic te oportet & Romæ testificari. Facta die, quadraginta viri ex Judæis devoverunt se neque manducaturos, neque bibituros donec occiderent Paulum: quod cum audisset adolescens filius sororis Pauli, intravit in castra, nuntiavitque Paulo ... Paulus Centurioni, qui adolescentem ad Tribunum perducit. Tribunus, detecta conjuratione, Paulum cum militibus equitibusque mittit Cæsaream, & scripsit ad Felicem Præsidem. Milites ergo secundum præceptum sibi assumentes Paulum duxerunt per noctem.

Antipatridem, & postera die, dimissis equitibus cum venissent.

Cæsaream, & tradidissent Epistolam Præsidi, statuerunt ante illum Paulum. Cum legisset Felix Epistolam, & interrogasset de qua Provincia esset, cognoscensque de Cilicia. Audiam te, inquit, cum accusatores tui venerint. Jussitque in prætorio Herodis custodiri eum. Act. 23. toto capite.

XLIII

Paulus coram Felice Præside accusatur a Judæis, Tertullo pro ipsis orante, cui Paulus respondet, & diluit objecta crimina. Felix, dimissis illis, dicit: Cum Tribunus Lysias venerit, se eos auditurum. Et post aliquot dies Felix & Drusilla uxor ejus Judæa vocaverunt Paulum, audieruntque ab eo fidem, quæ est in Christum Jesum. Sic & frequenter accersitus est a Felice, qui sperabat pecuniam sibi dari a Paulo, sed biennio expleto, Felici successor datus est Portius Festus; ideoque Paulus in vinculis relictus est. Act. 24. toto capite.

A. C. 60.

Ut Paulus Jerosolymam duceretur Judæi petunt, sed Festus Cæsareæ illius accusatores audit, & responsionem Pauli: Qui a Festo, an vellet de his judicari Jerosolymis, requisitus, appellat Cæsarem. Interim Festus Pauli causam indicat Agrippæ Regi, & Berenici, qui ipsum audire cupiunt. Act. 25. toto capite.

XLIV

Paulus coram Agrippa suam causam defendit, exponitque suæ ad Christum conversionis ordinem: ideoque se Judæis ac Gentibus sub divina protectione prædicasse ostendit. Festo autem ex nimia scientia, ipsum insanire dicenti sobrie & humiliter respondet. Agrippæ etiam ad Christi fidem propendenti bene precatur. Et ipse Agrippa dicit Paulum potuisse dimitti, nisi appellasset Cæsarem. Act. 26. toto capite.

Pau-

Anno Christi.

*Paulus Romam ducitur a Centurione Julio.*

XLV Ut judicatum est navigare Paulum in Italiam, & tradi eum Julio Centurioni cohortis Augustæ, ascendentes navem Adrumetinam, incipientes navigare circa Asiæ loca . . . . sequenti die devenimus.

Sidonem, & humane Julius tractans Paulum, permisit ad amicos ire, & curam sui agere, & cum sustulissemus, subnavigavimus.

Cyprum, quod venti essent contrarii, &

Pelagum Ciliciæ, & Pamphyliæ navigantes venimus.

Lystra ( Patara legendum est ) quæ est Lyciæ : & ibi inveniens Centurio navem Alexandrinam navigantem in Italiam, transposuit nos in eam. Et cum multis diebus tarde navigaremus, & vix devenissemus contra

Gnidum, prohibente nos vento, adnavigavimus.

Cretæ, juxta Salmonem. Et vix juxta navigantes, venimus in Boniportum, locum, cui juxta erat civitas Thalassa ( Lasæa. ) Multo tempore peracto, cum jam non esset tuta navigatio, consolabatur eos Paulus, non sine injuria, & damno, tum oneris, tum navis, tum & hominum navigationem futuram. Centurio nihilominus gubernatori, & nauclero credens, quod portus ille non esset aptus ad hyemandum, consilium statuerunt navigare inde, & si possent devenientes.

Phœnicem hyemare, portum Cretæ respicientem ad Africum, & Corum: Aspirante autem Austro, æstimantes propositum se tenere, cum sustulissent de Asson ( Thalassa aut Lasæa ) legebant Cretam, & statim immisit se contra navem ventus Typhonicus sive Euro-Aquilo. Et arrepta navis non potuit conari in ventum, & data nave flatibus, ferebamur in insulam decurrentes, quæ vocatur.

Cauda, ubi potuimus vix obtinere scapham : qua sublata adjutoriis utebantur, accingentes navem, timentes ne in Syrtim inciderent, summisso vase sic ferebantur. Valida autem nobis tempestate jactatis, sequenti die jactum fecerunt, & tertia die armamenta navis projecerunt, & neque Sole, neque sideribus apparentibus per plures dies. Jam ablata erat spes omnis salutis nostræ ... & cum multa jejunatio fuisset, Paulus stans in medio eorum dixit: Oportebat, audito me, non tollere a Creta, lucrique facere injuriam hanc, & jacturam, & nunc suadeo vobis bono animo esse; amissio enim nullius animæ erit vobis, præterquam navis: Astitit enim mihi hac nocte Angelus Dei, cui deservio; dixitque me oportere Cæsari assistere, & Deum mihi donasse omnes, qui mecum navigant. Et posteaquam quartadecima nox supervenit, navigantibus nobis in

Adria ( Adriatici maris pars inter Siciliam, & Peloponnesum ) circa mediam noctem, suspicati sunt nautæ apparere aliquam regionem: & semel atque iterum submittentes bolidem, timentes ne in aspera loca incideremus. Quærebant nautæ fugere e navi, sed funibus abscissis, Centurioneque & militibus impedientibus, hortatur omnes Paulus, ut cibum sumerent. Nullumque periturum dicit. Cum autem dies factus esset, sublatis anchoris inciderunt in locum dithalassum, & impegerunt navim; & prora quidem fixa manebat immobilis, puppis vero solvebatur a vi maris. Militumque consilium fuit, ut custodias occiderent. Centurio autem volens servare Paulum, jussit, ut qui natare possent, emitterent se primi, & ad terram exirent: alii in tabulis ferebantur, alii super iis quæ de navi erant: & sic factum est ut omnes animæ evaderent ad terram. Act. 27. toto capite.

*Paulus naufragium passus ad Melitam insulam evadit.*

XLVI Et cum evasissemus in terram, cognovimus quia Melita insula vocabatur, ubi Paulus sarmenta ad ignem colligens a vipera mordetur. Barbari, qui eum statim moriturum credebant, pessimum esse hominem, posteaque Deum esse suspicati sunt. In locis autem illis erant prædia insulæ Principis nomine Publii, qui nos suscipiens triduo benigne exhibuit. Pater autem Publii febribus, & dyssenteria vexatus jacebat, ad quem Paulus introivit, & cum orasset, & imposuisset ei manus, salvavit eum. Quo facto, omnes qui in insula habebant infirmitates, accedebant, & curabantur; & ipsi multis honoribus, & necessariis honoraverunt nos. Post tres menses navigavimus in navi Alexandrina, quæ in insula hyemaverat, & cui erat insigne Castorum, & cum venissemus

Syracusam, mansimus ibi triduo, inde circumlegentes devenimus



Rhe-

Anno Christi.

Rhegium: & post unum diem flante Austro secunda die venimus

Puteolos, ubi inventis fratribus rogati sumus manere apud eos dies septem; & inde cum audissent fratres e Roma occurrerunt nobis usque ad

Appii Forum; ac

Tres Tabernas: quos cum vidisset Paulus, gratias agens Deo, accepit fiduciam. Cum autem venissemus

XLVII A. C. 61.

Romam, permissum est Paulo manere sibimet cum custodiente se milite. Post tertium diem convocavit primos Judæorum, iisque exponit cur Cæsarem appellaverit, dieque ab ipsis constituto prædicat de Christo, & alii crediderunt. Dixitque, ipsis Gentibus etiam missum esse hoc salutare. Et mansit toto biennio in suo conducto, & suscipiebat omnes, qui ingrediebantur ad eum. Prædicans regnum Dei: & docens quæ sunt de Domino Jesu Christo, cum omni fiducia, sine perturbatione. Act. 28. toto capite.

XLVIII

Paulus inter biennium illud & suum martyrium, quod annis sex postea consummatum est, varias videtur peragrasse Occidentis forsitan & Orientis Provincias, in quibus Evangelium prædicavit. Paulus ipsemet in Epistola ad Romanos, in Hispaniam se iturum promittit: *Cum in Hispaniam* (inquit) *proficisci cœpero, spero quod præteriens videam vos* (Romanos) *& a vobis deducar illuc, si vobis primum ex parte fruitus fuero*. c. 15. vrs. 24. *Nunc autem proficiscar in Jerusalem ministrare sanctis*. vers. 25. *Hoc cum consummavero ... per vos*. (Romanos) *proficiscar in Hispaniam*. vers. 28. Paulum aliquando in Hispaniam abiisse, & ibi Evangelium prædicasse Hispani pene omnes Ecclesiastici Scriptores, aliique pro certo tenent. Sed & in Orientem etiam Paulum rediisse demonstratur ex Epistola ad Philippenses, cum Epaphroditum (quem Philippenses Romam miserant, ut Paulum in vinculis visitaret, & necessaria ei subministraret) ab ægritudine maxima convalescentem Paulus postea ad Philippenses remisit, promittens se ad eos brevi venturum. *Hunc* [Epaphroditum] *spero* (inquit Paulus) *me mittere ad vos, mox ut videro, quæ circa me sunt*. c. 2. vers. 23. *Confido autem in Domino, quoniam & ipse veniam ad vos cito*. vers. 24. Et in Epistola ad Philemonem, (qui Colossis erat) ab ipso petit, ut paret sibi hospitium. *Nam spero* (inquit) *per orationes vestras me donari vobis*. vers. 22.

Etiam in Creta insula prædicavit. Et in ea Titum reliquit, ut ea quæ non potuerat exequi, Titus ipse absolveret. *Hujus rei gratia* (inquit Paulus) *reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt corrigas, & constituas per civitates Presbyteros, sicut & ego disposui tibi*. Ad Tit. c. 1. vers. 5.


Etiam Ephesi Timotheum reliquit, ut eam Ecclesiam administraret, dum in Macedoniam proficiscitur. *Rogavi te* (inquit) *ut remaneres Ephesi, cum irem in Macedoniam*. 1. Epist. ad Timotheum c. 1. vers. 3. *& hæc tibi scribo sperans me ad te venire*. cap. 3. vers. 14.

In Macedonia Philippis etiam fuit; ex quo: *Coarctor* (inquit) *e duobus: desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo, multo magis melius. Permanere autem in carne necessarium propter vos. Et hoc confidens scio, quia manebo, & permanebo omnibus vobis ad profectum vestrum, & gaudium fidei: ut gratulatio vestra abundet in Christo Jesu in me, per meum adventum iterum ad vos*. Epist. ad Philip. c. 1. vers. 23. 26.


Aliquando etiam Nicopoli. *Cum misero* (inquit) *ad te Artemam, aut Tichycum, festina ad me venire Nicopolim, ibi enim statui hyemare*. ad Tit. c. 3. vers. 12. Sed & tandem cum Romam rediisset, & iterum in vincula conjectus esset; Paulus scribit in 2. Ep. ad Timotheum. *Se jam delibari, & tempus resolutionis suæ instare*: cap. 4. vers. 6. ideoque: *Festina* (inquit) *ad me venire. Demas enim me reliquit, & abiit Thessalonicam, Crescens in Galatiam, Titus in Dalmatiam, Lucas est mecum solus. Tichycum misi Ephesum; penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum, & libros, maxime autem membranas*. vers. 8.-- 13. *Erastus remansit Corinthi, Trophimum autem reliqui infirmum Mileti. Festina ante hyemem venire*. vers. 20. 21.

Quæcumque etenim iis omnibus in locis habet Paulus, scilicet de Philippis, Colossis, Creta insula, Epheso, Nicopoli &c. ea cum peregrinationibus, & navigationibus, quas peregit antequam Romæ primum fuerit, nullo modo convenire possunt. Ideoque credere est Paulum & in Occidentem Hispaniam versus, forte & Italiam & Galliam & in Orientem ad eas, quas jam olim peragraverat Provincias, iterum rediisse, antequam Romæ ultima vice in vincula conjectus sit.

Cæ-




APOSTOLORUM
PETRI et PAULI
MANSIONES ITINERA PEREGRINATIONES
per GALILÆAM, SAMARIAM, JUDÆAM,
et per ÆGYPTUM, ASIAM, EUROPAM.
Adjecta sunt omnia Regionum et Locorum nomina
nec plura nec pauciora hic data sunt
quæ ad NOVUM TESTAMENTUM Pertinent
PETRI APOSTOLI
Itinera, et Peregrinationes notantur
PAULI APOSTOLI
Itinera, Peregrinationes Navigationes notantur
AQUILO.
AUSTER.
OCCIDENS.
ORIENS.
ITALIA
Roma
HADRIA sive ADRIA MARE.
DALMATIA
MACE DONIA
GRÆCIA
ACHAIA
CRETA INS.
BITHYNIA
GALATIA
PONTUS
MYSIA
TROAS
PHRYGIA
ASIA
LYCAONIA
PISIDIA
PAMPHILIA
CILICIA
CAPPADOCIA
Pamphyliæ et Ciliciæ Pelagus
SYRIA
Antiochia
CYPRUS INS.
PHŒNICE
ABILINA
Damascus
ARABIA
IDUMÆA
ÆGYPTUS
MARE RUBRUM
HIERUSALEM
Occidens
Meridies
Septentrio
Oriens
NOTÆ
IN URBE
EXTRA URBEM
Mille Passuum


Urbs. HIEROSOLYMA
ex Descriptione
JOAN. LIGHTFOOTII.
SEPTENTRIO.
MERIDIES.
OCCIDENS.
ORIENS.
Civitas
DAVIDIS.
Mons Zephim
Herodis Monumentum
Domus Libani
Regia
Turris Exterior
Armamentarium
Piscina Amygdalo
Monumenta Davidis
Gradus ad Civitatem Davidis
Porta Fontis
Porta Stercoris
SION SIVE CIVITAS SUPERIOR
BEZETHA
Piscina famosa
MILLO.
Porta Regis
Templum
Porta Aquæ
Platea Templi
Ophel
Porta Equorum
Tyropœon sive Vallis et Platea Casearia
ACRA VEL
HIEROSOLYMA ET INFERIOR CIVITAS.
Turris Siloam
Piscina Siloam vel Bethesda
Porta Vallis
Turris Fornacaria
Porta Ephraim
Porta Vetus
Porta Piscium
Turris Hananeel
Turris Meah
Porta Miphkad
Porta Orien
AQUÆ SILOAM
AQUÆ
Ager Fullonis
Migdal Eder
TORRENS
Vallis Kidron
CEDRON
Vallis Kidron
TORRENS
CEDRON
Vallis Hinnom sive Tophet
Gethsemane
Combustio Vaccæ rufæ
Bethania
Tentoria Assyriorum
Mons Corruptionis
Castra Titi
Turris Psephina
Castra Pompeji
Regia Piscina
Horti Regii
Piscina Schelah Sive Inferior
Aqua Ductus
AQUÆ
SCHELAH
Calvaria Sive Gareb
Vallis
Fons Siloam vel Gihon
Siloam
Stadia
Cubiti

Anno Christi. XLIX

Cæterum cum Paulus positus fuerit Prædicator, & Apostolus, & Doctor, sive Magister Gentium; in fide, in veritate. Epist. ad Rom. c. 11. vers. 13. & c. 15. vers. 16. Et 1. ad Timoth. c. 2. vers. 7. Et 2. ad eundem c. 1. vers. 11. etiamsi aliquando raptus fuerit ad tertium cœlum, ubi audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui, 2. ad Corinth. c. 12. vers. 2. 3. 4. ne se extolleret propter multitudinem revelationum; datus est illi stimulus carnis, quem cum rogasset a Domino, ut discederet a se, audiit gratiam Dei sibi sufficere. 2. ad Corinth. cap. 12. vers. 7. 8. 9.

L

Et in tota sua vita multa passus est in laboribus plurimis, in carceribus, in plagis, in mortibus, a Judæis quinquies quadragenas una minus accepit. Ter virgis cæsus est, semel lapidatus, ter naufragium fecit, nocte & die in profundo maris fuit: Sed & in itineribus, in periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, in Gentibus, in civitate, in solitudine, in mari, in falsis testibus, in labore', ærumna, vigiliis, fame, siti, jejuniis, frigore, nuditate, &c. 2. ad Corinth. c. 11. vers. 23.... 27. ita aliquando supra modum gravatus fuit, ut eum pene tæderet vivere. 2. ad Corinth. c. 1. vers. 8. Et tandem Nerone adhuc imperante, Romæ capite imminutus glorioso martyrio coronatus est.

Anno Christi. A. C. 67.



JON-

# JOANNIS LIGHTFOOTI
# CENTURIA CHOROGRAPHICA,
FACE PRÆSERTIM
# TALMUDICA
Loca quædam terræ Israeliticæ memorabiliora perlustrans,

*Ea præcipue quorum mentio apud*

# S. MATTHÆUM.

# PRÆFATIO.

*I*NTER *omnes eos, qui Tabulas* Canaanitidis *Chorographicas vel ediderunt ipsi, vel emendarunt aliorum, vix reperias, qui* Talmudicos *hac in materia in consilium vocaverit: cum certe minime spernendum sit eorum symbolum in ista causa, si quidem non præcipue æstimandum.*

*Nam, præterquam quod illi, præ omnibus aliis hominibus, curiosissime inquirunt & de rebus, & de locis istius terræ, Doctores* Misnici *omnes, ac* Gemaristæ *etiam* Hierosolymitani, *eam inhabitarunt atque incoluerunt: atque eam etiam inviserunt non pauci e* Babylonicis. *Oculati testes: & qui non solum (vel Judice quovis Lectore) præ omnibus aliis mortalibus notitiam istius terræ non potuerunt non habere sibi familiarissimam, eam habitantes, sed & qui infinitis* Judaicæ *suæ superstitionis apicibus, religiosa necessitate se constrictos sunt opinati, de situ naturaque locorum in ista terra omni cum scrutinio & curiositate perquirere, atque investigare.*

*Dictet ergo jam ratio: an ii præ omnibus aliis in re Chorographica vel jure negligantur, vel prudenter? An inter omnes limas, in ista re adhibitas, merito, aut cum æquitate aliqua, lima sola* Talmudica *non adhibeatur? Terræ* Judaicæ *Chorographia* Judaica? *Iniquum certe est, si ea vel ex præjudicio rejiciantur, vel ex ignorantia non admittantur, quæ aut planam utilitatem istius terræ Chorographiæ secum ferrent, aut non inutile scrutamen in ea excitarent. Si tabulas* Palæstinæ *vis cudere, æquissimum certe est, ut hos autores consulas etiam cum aliis utpote testes proximos, terræ incolas, studiosissime religiosissimeque eam describentes: & si fide eos dignos non reputaveris, quia sunt* Judæi, *at certe examine digni sunt, & venia fandi, quatenus sunt Chorographi.*

*Ego, cum in horum lectione omnia, quæ occurrebant huc spectantia, excerperem, & cum Tabulis tractatibusque jam editis conferrem, plane vidi, si me non fefellerunt oculi mei, ex his autoribus elici ac produci posse plurima, quæ Tabulas corrigerent: plurima, quæ loca ignota patefacerent: plurima, quæ incerta figerent, plurima, quæ certa illustrarent: atque infinita, quæ Chorographiæ facem aliquo modo præferrent. Et siquis dexter & felix artifex, versatus in* Talmudicis, *& Chorographiæ peritus, pensum atque opus istiusmodi in manus sumeret, ego ab ista manu politiores ac correctiores Tabulas, pleniorem, planiorem, certiorem terræ* Israeliticæ *descriptionem expectarem, quam adhuc vidit orbis* Christianus.

*Longe nos a talibus ausis: nec manus nostra ad opus tam grande vel docta, vel docilis. Illud solum, quod in* Centuria *subsequenti aggressi sumus, hoc erat: ut exemplo aliquo ea, quæ de* Talmudicis *loquimur, aliquantulum demonstrarentur: utque specimen aliquod præ oculis proponeretur, quo judicium ferat lector de eorum studio, stylo, usu, utilitate, in re proposita. Et non modestiæ esse duximus, Lectorem earum rerum nimietate gravare, quæ dubiæ forsan apud eum futuræ sunt acceptationis; nec prudentiæ duximus, omnia nostra, simul & semel, uni vento & fortunæ exponere, & committere.*

E Musæo nostro,

*Maji* 22. 1658.

*Josephum* citavimus secundum distinctionem capitum in editione *Græca Frobenii*, Anno 1544.

JOAN-



# JOANNIS LIGHTFOOTI
# CENTURIA CHOROGRAPHICA,

Loca quædam terræ Iſraeliticæ memorabiliora perluſtrans,

*Face præſertim Talmudica.*

## CAPUT I.

*Terræ Partitio.*

VNiverſum terrarum orbem partiuntur Scriptores *Judaici* in ארץ שראל, *Terram Iſraelis*, & הוצה לארץ, *Extra terram*, id eſt, eſt, Regiones Ethnicas. Utramque Phraſiologiam agnoſcit pagina Evangelica: *Terram Iſraelis*, *Matth.* 2. 20. atque Ethnicos vocat τὸς ἔξω, 1. *Cor.* 5. 13. 1. *Tim.* 3. 7. *&c.* & quandoque ipſos *Judæos* incredulos, *Marc.* 4. 11.

Univerſum terrarum orbis populum diſtribuunt in ישראל, *Iſraelitas*, & אומות העולם, *Nationes mundi*. Iſtam etiam Phraſiologiam agnoſcit eadem pagina Evangelica, *Matth.* 6. 32. Πάντα ταῦτα τὰ Ἔθνη ἐπιζητεῖ, quod *Luc.* 12. 30. eſt τὰ Ἔθνη τοῦ κόσμου. Hinc vox *Mundus* uſitatiſſime pro Gentilibus, *Joan.* 3. 16. 17. 1. *Joan.* 2. 2. *&c.*

Eſt ubi diſtinctio fit in ארץ *Terram* (*Jſraeliticam*) & מרינת הים *Regionem maris*. R. Sol in Gittin, *cap.* 1. וכל חל' קרי מדינת הים בר מבבל *Atque omnis rego extranea vocatur regio maris, excepta Babylonia.* Verba ſunt *R. Solomonis*, quæ tamen ad incudem vocat *R. Niſſim*, ibid. *Durius eſt*, inqut, *omnem regionem, quæ eſt extra terram, pro regione maris habere; nam tum ſub iſto nomine concluderentur loca omnia vicina, & quæ quaſi abſorbentur juxta terram. Dicunt ergo quod loca remotiora vocantur* מדינת הים. *At nec hoc mihi placet. Nam non tanta diſtantia opus eſt, ut dicatur locus aliquis regio maris, &c. At dicitur in relatione ad oram Occidentalem terræ Iſraelis, a quo latere non ſunt urbes* (Ethnicæ) *vicinæ & abſorptæ juxta terram, ſed mare diſterminat, at non ab aliis lateribus diſterminat, &c. Senſus ergo R. Solomonis, cum dicit, quod omnis regio extra terram eſt regio maris, huc redit, quod omnis regio, quæ ſimilis eſt regioni iſti, ſic vocatur.*

Erant ab ora iſta Occidentali urbes Ethni-

Ethnicæ ; at , cum jacerent intra priſtinum terræ terminum , *maris* ſcilicet *Mediterranei* labium , non tam proprie dici potuerunt *Extra terram*, quam iſtæ , quæ omnino erant extra limites: peculiari ergo titulo dictæ ſunt iſtæ urbes atque iſta regio מדינת הים , hoc eſt , *ora* , vel *regio* , *juxta mare Mediterraneum* . Quem titulum etiam ſubierunt omnes aliæ civitates ejuſdem conditionis , intra limites terræ ubicunque ſitæ . Exempla non deerunt procedentibus.

TERRAM ISRAELITICAM duplici ſub notione vulgo definiunt: eam ſcilicet , שהחזיקו בה עולי מצרים , *quam poſſederunt iſti , qui exierunt ex Ægypto ;* atque eam , שהחזיקו בה עולי בבל , *quam poſſederunt iſti , qui exierunt e Babylone :* hanc illa arctioribus limitibus quamplurimis in locis circumſcriptam , non ſolum ob rejectam excluſamque *Samariam* , ſed quod exſectæ eſſent portiones quædam , eæque nec paucæ , nec minutæ , quæ aſcendentibus ex *Ægypto* ceſſerant in poſſeſſiones , at ſub Templo ſecundo tranſierant in Ethnicas.

Ideo autem accuratiores erant de limitum obſervatione , terram hanc , & ab aliis omnibus , & alicubi quaſi a ſeipſa , notis finibus diſterminantes, quod plurima religionis ſuæ myſteria non alibi quam intra hos limites tractanda definirent : vide *R. Sol.* in *Numer.* 34. Nam , præter illos iſtius Oeconomiæ ritus , quos palam & aperte terræ iſti affigit Scriptura Sacra , quales ſunt Sacrificia , Paſchata , Sacerdotium aliaque iſtiuſmodi ſtatua , ( quæ vulgo & non incongrue מצות תלויות בארץ , *ſtatuta terræ iſti appendentia* : vocantur ) plurima etiam alia intra eoſdem limites circumſcribuntur a Patribus Traditionum.

*Kelim* , cap. 1. hal. 6. & *Hieroſol. Shekalim* , fol. 47. 4. *Decem ſanctitatibus* , inquiunt , *ſanctificata eſt terra Iſraelitica præ omnibus aliis terris . Et quænam ejus ſanctitas ? Ex ea adducunt manipulum , & primitias , & duos panes , & non ita e quavis alia rerra.*

*Maimon.* in רוצח cap. 10. *Non obtinet lex de vacca decapitanda , niſi in terra Iſraelitica , atque ultra Jordanem.*

Idem in קדוש חדש cap. 1. *Non ſtatuunt aut determinant de Neomeniis , nec intercalant annum , niſi in terra Iſraelitica : ſicut dicitur* , Prodibit lex e Sione : vide *Hieroſol. Nedarim*, fol. 40. col. 1.

Idem in *Sanhedrin* , cap. 4. *Non promovent ad Presbyteratum , extra terram Iſraeliticam : non , etiamſi promoventes ipſi promoti fuerint intra terram .*

Et , ne plura cumulemus , ipſum Spiritum Sanctum intra limites terræ iſtius fere circumſcribunt . Nam , ut habet *R. Sol.* in *Jonæ Cap.* 1. *Shecinah* , inquiunt , *nan habitat ſuper quemvis extra terram* . Confer *Act.* 10. 45.

Terram , quam poſſederunt *Judæi* aſcendentes e *Babylone* , ſic partiuntur.

*Sheviith* , cap. 9. hal. 2. *Tres ſunt terræ* ( vel *regiones* , שלשה ארצות ) *Judæa , Trans-Jordanica & Galilæa . Atque unicuique harum ſunt tres regiones :* iſtas obſervabimus ſuis locis . Receptam hanc diviſionem reſpicit *Salvator* , cum Diſcipulos ad oves perditas *Iſraelis* mittens prædicatum excludit *Samariam*, *Matth.* 10. 5. Quæ pro conditione gentis nec mere *Ethnica* erat , nec vere *Iſraelitica* . Non Ethnica , nam juxta *Hieroſol. Avoda Zara* , fol. 44. col. 4. ארץ כותים טהורה ומקוותיה ומדרותיה ושביליא טהורין , *Terra Samaritica reputata eſt munda , & collectiones aquarum ejus mundæ , atque habitationes mundæ , & ſemitæ mundæ ;* quod nullo modo de terra Ethnica dixerit curioſitas *Judaica* : at quoad multa alia , nullum inter eos & Gentiles diſcrimen.

Applicant ſpeciatim quidem magiſtri *Judæorum* diviſionem iſtam de tribus regionibus , loco allegato , ad traditionem & Canonem de ביעור : at ubique tamen eandem partitionem retinent , ubicunque ab iis agitur de diviſione terræ *Iſraeliticæ* . Quid ביעור ſibi velit , diſcas licet a Gloſſatoribus in locum . Ut compendio dicam , hoc erat . Anno ſeptimo fructus in apothecas repoſitos comedere licuit , quamdiu penderent aliqui iſtius generis fructus in arbore , in iſta regione : cum vero ulterius in arboribus invenire eos non erat , iſtos , quos collegerant , atque domi repoſuerant , ejicere oportuit ; & non de iis comedere ita ut antea.

CAP.

## C A P. II.

*Cingulum terræ ſub Templo ſecundo Talmudicum : ex Hieroſol. Sheviith*, fol. 36. col. 3.

נִסים שבים, Ibid. col. 4.

תחומי א׳ כל שהחזיקו בה עולי בבל : פרשת חומת מגדל שיר וש״נ דרור ושורא דעכו וקציריא דגלילא וככרתה ובית זניתה וקובעיא ומילתה דביר ובוריי רבתא תפנים וסנפתה ומחרתא דייתיר וממציא דאבהתא וראש מי נעתון ונעתון עצמה מי ספר ומרחשת ומגדל חרוב ואולם רבתא ונוקבתא דעיון ותוקרת ברכה רבא ובר סנגרא ותרנגולא עילאה דלמעלה מן קיסרין וטרכונא דהתחם לבוצרה ומלח דזרכאי יונמריץ ובית סכל וקנרת ורפיח דחגרא ודרך הגדולה ההולכת למדבר חשבון ויבקא ונחלא דזרך ויגר שהדותא ורקם הגועה ונגיא דאשקלון.

Quid ſibi hæc omnia velint, non datur vel conjectari, imo vix datur, quid aliqua horum ſibi velint; nec adeſt Oedipus, nec Sphinx ipſa. Silent ipſi *Talmudici* a commentando, nec adeſt nobis alius, qui commentetur. Ad nutus ergo hic agendum eſt & nictus, idque vel ſilentio vel mera conjectura; cum animus loquentium vel omnino neſciatur, vel omnino de eo dubitetur, an ſciatur. Pulſanda vicatim locorum horum oſtia, ne exſpectes; ſat erit, ſi vel locorum regiones ruſpari poſſumus, &, ad quoſnam cœli cardines ſint diſpoſita, augurari. Nos inpræſentiarum primam tantum atque ultimam periochæ clauſulas in manus ſumemus, quæ ad introitum noſtrum in negotium præſens aliquantum faciant, reliqua (ſi qua ſunt, quæ aſſequi poſſumus) ſuis locis tractaturi.

*Hi ſunt limites*, inquiunt, *Terræ Iſraeliticæ, quam poſſiderunt aſcendentes e Babylone*.

פרשת חומת מגדל שיר *Diviſio*, vel *pars mœnium turris Sid.* Nec auſim hoc ſtrenue de *Turri Stratonis*, vel *Cæſarea*, dictum aſſerere, nec tamen novi cui commodius aptetur. Vocatam eam a *Talmudicis* מגדל שיר obſervamus ſuo loco, quæ quantillo apiculo (promptiſſimeque incuria confundendo) ab hac voce diſtet, teſtatur oculus cujuſvis legentis. Conjecturam forſan firmare poteſt, quod tam cito ſequatur עכו nomen *Aconis*, דרור ש״נ tantum intercedente : de quo nihil adeſt quod dicamus, ſi modo illud, quod occurrit apud *Babylonicos*, locum aliquem hic obtinere non poſſit. Dicunt illi *in Babylon. Sanhedrin*, fol. *96.* 2. תא אשינא דטורא, quod a Gloſſatore redditur בא דרך תחתית ההרים, *Ito in via infima, infra montes*, atque illi te protegent a nivibus & pluvia. Supponi ergo hinc poſſet, vocem ש״נ viam aliquam denotare ad pedem alicujus montani, quæ erat quaſi linea diſſecans, inter *terram Iſraelis* atque *Extra terram*; forte ad pedem montis *Carmeli* : ſed non aſſerimus; malumus vel ſilentium vel ignorantiam profiteri, quam levi conjectura vel decipere vel decipi.

Diverſæ conditionis ſunt loca iſta, de quibus hic agunt *Talmudici*, ab iſto locorum genere, quod vocabatur מדינת הים *Regio maris* : nam erant iſta loca, oppida hinc illinc quædam in ora hac maritima alibique, quæ habitata quidem erant ab Ethnicis, & ſic proprie reputari pro ſolo *Iſraelitico* non potuerunt; inter quæ tamen atque ultimos terræ limites erat iterum ſolum *Iſraeliticum*. At loca hæc, de quibus jam agimus, ea erant, quæ ultimi erant limites, atque ultra quæ non erant prorſus, niſi quæ reputanda eſſet *terra Ethnica* : totam ſcilicet exinde oram occupantibus *Phœnicibus*, *Syris*, aut aliis Gentilibus, ad littus uſque maris Mediterranei.

Præterire etiam non poſſumus ea, quæ a *Gemariſtis* dicuntur ipſiſſima eadem pagina, e qua ſchema antea propoſitum deſumitur הניסים שבים ארת רואה אותן כאילו חוט מתוח מטורי אמנה עד נחל מצרים. *Inſulas vides in mari, ac ſi linea ducta eſſet a montibus Amanæ ad fluvium Ægypti : quodcunque eſt extra linem, eſt extra terram*. Eodem modo & *Targum Hieroſolymitanum* in *Numer.* 34. 4. *Et limes veſter Occidentalis erit mare magnum, atque inſulæ ejus*. Inſulæ? quænam? Perpendant hæc autores Tabularum.

## C A P.

*Magna pars Judææ Auſtralis exſecta ſub Templo ſecundo. Idumæa Judaica.*

TErminatur, ut vides, cingulum *Talmudicum* in רקם הגועה ונגיא דאשקלון *Cadesh Barnea*, & *Aſaalone*.

Hinc non observari non potest, duo hæc loca in parallelo quasi sita esse, exclusumque quodcunque spatii interjacet inter *Ascalonem* & *fluvium Ægypti*: LIV. scilicet milliarium. Atque aliqua quidem vestigia istiusmodi exclusionis videre fere licet sub Templo primo, in tritissima ista locutione, *A Dan usque ad Beershbeam*.

Incultior erat hæc regio, quæ exclusa. De ea sic *Talmudici Hierosol.* ubi ante. *Iste tractus, qui est in Gerariku* (Gerare) *est malæ habitationis. Usque quo? Ad fluvium Ægypti*. Et Strabo, lib. 16. *Quæ Gazam sequitur regio, sterilis est & arenosa, &c.*

Habitata fuit olim ab *Avæis*, a Gaza scilicet ad fluvium Ægypti. *Habitarunt Avæi in Hazarim*, *Deut.* 2. 23. *Hazar* est vox frequentissimæ memoriæ in terra ista Australi, *Hazar-Addar*, *Hazar-Gaddah*, *Hazar-Shua*, *Hazar-Susah*, &c. Videturque campestrem aliquam planitiem ac aream denotare, inter montes interjectam. Hinc *Avæorum* habitatio *Hazarim* dicitur, qui cum *Philistæis* numerantur, at tamen seorsim, *Josuæ* 23. 3. Nam vide illic ut textus sacer, quinque gentes tantum numerare spondens, sex numeret.

Transiit exclusa hæc portio in nomen *Idumææ*: hinc *Plinius Natur. Hist.* lib. 5. cap. 13. *Mox incipit Idumæa & Palæstina ab emersu Sirbonis lacus*. Nec ea solum, sed & permagna alia pars *Judææ*. Hinc *Diodoro Siculo*, pag. 734. mare *Sodomiticum* dicitur esse κατὰ μέσην Ἰδουμαίαν. Et *Josepho*, libroque *Maccabaicῶν*, loca plurima invenimus sub nomine *Idumææ* memorata, quæ in meditullio fere erant *Judææ*. Exempli gratia, *Joseph. Antiq.* lib. 12. & 1. *Macc.* 4. 15. Ἦλθεν μέχρι Γαδάρων, καὶ τῶν πεδίων τῆς Ἰδουμαίας, καὶ Ἀζώτου, καὶ Ἰαμνείας. Et rursus, *Joseph.* ibid. cap. 12. Ὁ δὲ Ἰούδας καὶ ἀδελφοὶ αὐτοῦ πολεμοῦντες τοὺς Ἰδουμαίους οὐκ ἀνίεσαν: ἀλλ' ἐνέκειντο πανταχόθεν αὐτοῖς· τήν τε Χεβρῶνα πόλιν καταλαμβανόμενοι, &c. καὶ Μάρισσαν πόλιν, &c. εἴς τε Ἄζωτον ἐλθόντες, &c. & plura passim. Ita ut distinguatur inter *Idumæam* majorem & minorem. Idem *de bello*, lib. 4. cap. 30. *Simon Gerasenus* τὰς ἀνὰ τὴν Ὀρεινὴν κώμας κατέτρεχεν, &c. κατέτρεχε δὲ τὴν Ἀκραβατηνὴν, καὶ τὰ μέχρι τῆς μεγάλης Ἰδουμαίας Et memoria fit ibid. cap. 33. τῆς ἄνω καλουμένης Ἰδουμαίας, &c. Confer cum his *Marcum*, Capitis tertii versu octavo.

Dum e terra propria abessent *Judæi*, septuagenariam servitutem patientes in *Babylone*, facile creditu est, veteres & ab ovo inimicos, *Edomæos*, possessiones eorum, quoad poterant, invasisse radicesque fixisse in regione præsertim ista, quæ suæ maxime vicina: at tandem potentibus *Maccabæorum Asmonæorumque* armis aut exstirpatos, aut in *Judaismum* coactos. Sic *Josephus* de *Hyrcano*; *Antiq.* lib. 13. cap. 17. Ὑρκανὸς δὲ τῆς Ἰδουμαίας αἱρεῖ πόλεις Ἄδωρα καὶ Μάρισσαν, καὶ ἅπαντας τοὺς Ἰδουμαίους ὑποχειρίους ποιησάμενος ἐπέτρεψεν αὐτοῖς μένειν ἐν τῇ χώρᾳ, εἰ περιτέμνοιντο τε τὰ αἰδοῖα, καὶ τοῖς Ἰουδαίοις νόμοις χρῆσθαι θέλοιεν. Οἱ δὲ πόθῳ τῆς πατρίου γῆς, καὶ τὴν περιτομὴν, καὶ τὴν ἄλλην τοῦ βίου δίαιταν ὑπέμειναν τὴν αὐτὴν Ἰουδαίοις ποιήσασθαι. Hinc mistum in regione ista genus, *Judæo-Edomæum*; nomenque loci *Idumæa*, & *Judæa*; *Olivar.* in *Pompon. Melam*, lib. 1. cap. 11. *Divisaque est Palæstina in quinque regiones, Idumæam, Samariam, Galilæam, & regionem trans Jordanem*.

## CAP. IV.

*Septem maria Talmudicis, & quatuor fluvii ad terræ ambitum.*

IN *Hierosol.* Kilaim, fol. 31. 1. & *Babylon. Bava Bathra*, fol. 74. 2. *Septem maria*, inquiunt, *& quatuor fluvii ambiunt terram Israeliticam*. I. ימא רבא, *Mare magnum*, sive *Mediterraneum*. II. ימא דטיבריא, *Mare Tiberiadis*. III. ימא דמילחא, *Mare Sodomiticum*. IV. ימא דסמכו, *Lacus Samochonitis*. V. ימא דחולתא. VI. ימא דשלייה. VII. ימא דאפמיא.

Quatuor hæc ultima alibi apud *Talmud Hierosolymitanum* sic scribuntur. IV. ימא דכובבו V. דחילתא VI. ימא דשלחת. VII. ימא דאפמיא.

Apud *Babylonicum* sic. IV. ימה של סיבכו. V. ימה של חילת. VI. ימה של חילתא. VII. ימה דאפמיא.

Tria inter septem primo nominata sunt satis nota, & de quarto non dubitatur; tria tantum ejus nomina non sunt prætereunda.

I. סבכי *Sibbichæum*: vox deduci videtur a סבך, *vepris*. II. כובבו, quod idem videtur sonare (nam קוצים *Spinæ*, *Targumistis* sunt כובי) eo quod lacus iste multam profunditatem non habens, sed æstate plurimum arefactus, spinetis horreret & vepribus. III. סמכו. Unde vulgatum nomen *Samo-*

*mochonitis*, סמבו & סבבי in ב & מ alternantibus.

V. ימא רחולתא. Forsan *Mare arenosum*. Quod lacui *Sirbonis*, adjuncto commentario *Diodori Siculi*, optime quadrat: nam refert ille, adeo arenis plerunque operiri istum lacum, ut sæpe viatores, imo totos exercitus, fefellerit & supplantaverit, terram firmam fuisse arbitrantes.

VI. ימא דשלחת. Non adest, quod de hoc dicamus, præter hoc observatum, quod cum etiam vocetur ab iisdem *Gemaristis* דשליית, ח gutturalis liquefieri videtur in י; qnod Dialecto gentis non inusitatum, sic lenire atque emollire gutturales. Vocatur & *Babylonicis* חילתא, quod *junceum*, aut *algosum*, *Talmudicis* aliquando significat: sed quodnam hoc mare, ignoramus. Non obliti tamen lacus *Cendevii*; sed num iste inter catalogum nostrum sit numerandus, hac ratione ambigimus, quod ab eadem ora sit mare magnum.

VII. ימא דאפמיא. *Mare Apamiæ*. *Hierosolymitani*, utrobique cum de eo loquuntur, hæc addunt: ימא דאפמיא איכא ימא דחמיץ, *Mare Apamiæ idem est cum mari Chamats*. דיקליטינוס הקוה נהרות ועשאו, *Dicletinus congregatis fluviis fieri curavit*. Erat ergo junioris editionis. De eo vide Caput sexagesimum octavum.

Post maria ista a *Talmudicis* memorata, audi etiam eorundem de piscibus non macram fabulam. *Hierosol. Taanith*, fol. 96. 2. *R. Chaninah bar R. Abbu dixit*, *Septingenta genera piscium mundorum*, *& octingenta genera locustarum mundarum*, *& volucrum numerus infinitus*, *migrarunt cum Israele in Babylonem*, *& cum eo redeunte redierunt*, *excepto pisce* שיבוטא. *At quomodo pisces migrarunt? R. Honna bar Joseph dicit*, דרך תהום גלו, *Per viam profundi migrarunt*, *& per profundum redierunt*.

Inventionem certe *Judaicam* requirit (quæ quidlibet potest cudere e quolibet) viam vel per mare aliquod, vel per fluvium aliquem investigare, per quam natent pisces e *Palæstina* in *Babyloniam*. Eadem arte, & *Jonam* in ventre Ceti e mari *Phœnicico* ducunt in *Mare rubrum*, *R. Sol*, in *Jon.* 2.

Duriusculum quidem est illud; attamen non dubitandum, quod dicitur 2. *Paralip.* 8. 18. de *Hiramo* naves ad *Solomonem* mittente in *Mare rubrum*. Quid? Naves a *Tyro* in *Mare rubrum*? Quanam tandem via est navigatum? Respondetur, Naves *Tyrias*, quæ multum diuque antea in *Mari rubro* negotiationem habuerant, mittit ille consociandas classi *Solomonis*. Huc redit illud, quod simul dicitur, & 1. *Reg.* 9. 27. quod *misit nautas etiam gnaros maris*: id est, gnaros istius maris; quique, ut probabile est, non tum primum *Mare rubrum* velis tentarunt, sed antea fuerant experti atque iter *Ophiricum* non ignorarunt.

*Quatuor fluvii ad ambitum terræ*, inquiunt, sunt:

I. ירדן, *Jordanes*: iste satis notus.

II. ירמוך, *Jarmoch*. Plinio *Hieramax*. *Gaddaram*, inquit, *Hieramace præfluente*, *Natur. Hist.* lib. 5. cap. 18.

III. קירמיון, *Kirmon*.

IV. פיגה, *Pigah*. De quibus sic *Aruch*, in קירמיון. *Kirmion est fluvius in via*, *quæ tendit ad Damascum: atque idem est cum Amanah. Pigah est Pharphar. Et Jarmoch est etiam fluvius in via ad Damascum*.

Et *Talmudici*, *Parah*, cap. 8. hal. 10. *Aquæ Hirmionis & Pigæ non sunt idoneæ*; (ad aspersionem immundorum) *quia sunt aquæ cœnosæ*. *Aquæ etiam Jordanis*, *atque aquæ Jarmoch*, *non sunt idoneæ*; *quia sunt aquæ mixtæ* (id est, ut Glossa) cum aquis fluviorum aliorum, quos intra se recipiunt.

Ad septem maria, de quibus diximus, referuntur ea, quæ dicuntur a *Midrasch Tillim*, fol. 4. 1. *Septem maria creavi*, *ait Dominus*, *ex omnibus autem iis non elegi*, *nisi mare Genesariticum*.

Et fluvii *Amanæ*, de quo *Aruch*, occurrit memoria in *Targum* in *Cantic.* 4. 8. *Offerent tibi munus habitantes juxta fluvium Amanam*, *&c.*

## C A P. V.

### *Mare Sodomiticum*.

### ים המלח.

JUdææ limes utrinque mare: Occidentalis, *Mediterraneum*; Orientalis, *Mortuum* aut *Sodomiticum*. Hoc *Judaici* Scriptores ubique vocat ים המלח quod non tam proprie hic *Mare salsum* interpreteris, quam *Mare bituminosum*. Quo sensu frequentissime apud eos occurrit מלח סדומית, ad verbum, *Sal Sodomiticus*; at proprie *Bitumen*. Ejus usus in thymiamate sacro. Cum aromatibus thymiama istud con-

conficientibus commiscuerunt מלח סרומית *Bitumen*, כפת הירדן *Ambram Jordanis*, & מעלה עשן Herbam paucis notam, *Maimon.* in *Kele Mikdash*, cap. 2.

*Joseph. Antiq.* lib. 15. 9. Ἀσφαλτίτις λίμνη ἀπέχει τῶν Ἱεροσολυμιτῶν ὅρων σαδίους τ'. Distat lacus *Asphaltitis Hierosolymis* stadiis CCC. (circiter XXXVIII. M. pass.)

Idem *de bell. Jud.* lib. 4. cap. 25. Ταύτης τῆς λίμνης μῆκος μὲν ὀγδοήκοντα καὶ πεντακόσιοι σάδιοι. *Longitudine extenditur* D. LXXX. *stad.* (LXXII. M. pass.) Εὖρος δὲ πεντήκοντα καὶ ἑκατόν. *Latitudine* CL. *stad.* (XVIII. M. pass.)

*Plinius*, *Natur. Histor.* lib. 5. cap. 16. *Longitudine excedit* CM. *passuum*, *latitudine maxima* XXV. *implet*, *minima sex*. Quam parum inter hos convenit! Suspicor *Josephum* non lingulam maris intra mensuram suam comprehendere, de qua mentio *Josuæ* 15. 2. latitudinemque definire prout generaliter ubique diffusam. De distantia ejus ab *Hierosolymis* etiam *Solinus*, *Polyhist.* cap. 38. *Longo ab Hierosolymis recessu*, inquit, *tristis panditur sinus, quem de cœlo tactum testatur humus nigra, & in cinerem soluta. Duo ibi oppida: Sodomum nominatum alterum, alterum Gomorrum.* Distantia autem ista non erat directe Austrum versus, sed longissima etiam declinatione in Orientem.

Rem abjectioni atque execrationi devotam, quaque nullo modo est utendum, *Talmudici* abdicant ad mare *Sodomiticum*, לים המלח.

*Hierosol. Avodah Zarah*, fol. 39. 2. יוליך הנייה לים המלח *Abdicet is usum talis rei in mare Bituminosum.*

*Hierosol. Sotah*, fol. 19. 1. & *Nazir*, cap. 4. hal. 4. *Oblationis pro peccato, cujus possessor mortuus est, cedat pretium* דים המלח *in mare Salsum.*

*Hierosol. Demai*, fol. 25. 13. עקילס הגר *Aquila Proselytus divisit hæreditatem cum fratre suo Gentili, atque usumfructum ejus abdicavit ad mare Salsum. E tribus doctoribus unus dicit, quod nummos Idololatriæ abdicavit in mare Salsum.* Hinc allusio, *Apoc.* 20. 14.

Non arridet quod *Sodoma* in Tabulis locetur in finibus *Asphaltitis* Aquilonaribus, cum potius in extremitate ejus Australi collocanda videatur. Nam

I. Limites terræ sic definiuntur a Mose, *Gen.* 10. 19. *Termini Canaanæorum erant a Sidone* (ab Aquilone) *ad Gazam* (ab Austro) *ut pergis*, vel *donec accedas*, *ad Sodomam*. Nonne hic flectitur limes a *Gaza* ad ultimum terminum ei oppositum ab Oriente?

II. *Josephus* in descriptione *Asphaltitis*, quam modo exhibuimus, hæc habet, *de bello*, lib. 4. cap. 27. *Longitudo ejus est* D. LXXX. *stad.* καθὸ δὴ μέχει Ζοάρων τῆς Ἀραβίας ἐκτένεται, *Prout extenditur usque ad Zoarem Arabiæ*. Nota ultimam extensionis ejus oram, Austrum versus, esse ad *Zoarem*; jam vero *Zoar* non multum distabat a *Sodoma*, cum *Lothus* cum suis illuc iter confecisset ante ortum Solem, *Genes.* 19. 23. *Scriptum est*, inquiunt *Gemaristæ Hierosol. Beracoth*, fol. 2. 3. *Sol prodiit in terram, cum Lot intraret in Zoarem. A Sodoma autem ad Zoarem erant quatuor milliaria.*

Ostendunt Tabulæ *Zoarem* & *speluncam Loti* in *Judæa*, ad oram *Asphaltitis* fere Borealem. Qua autoritate, ego non assequor. Memorant *Talmudici* quidem *Zoarem* quandam, quam etiam vocant *Civitatem palmarum*. *Jebammoth*, cap. 16. hal. ult. *Historia est*, inquiunt, *de quibusdam Levitis, qui profecti sunt Zoarem civitatem palmarum, & unus eorum ægrotavit, quem tulerunt in diversorium; atque ille ibi mortuus est*, &c. At citius ego crediderim duas fuisse *Zoaras*, quam non crediderim patrem *Moabitarum* conceptum & natum prope *Zoarem Moabitidis*. Vide *Esaj.* 15. 5.

De ætate *Sodomæ* cum periret, vide *Babylon. Shabb.* fol. 10. 2. & 11. 1. & *Juchasin*, fol. 8. 1. & perpende loca.

## CAP. VI.

*Ora Asphaltitis, Esseni, Engedi.*

Plinius, lib. 5. cap. 17. *Ab Occidentali* (*Asphaltitis*) *littore Esseni, quos fugitant usquequaque nocentes. Gens sola & in toto orbe præter cæteras mira, sine ulla fœmina, omni Venere abdicata*, &c. *Infra hos Engadda oppidum fuit, secundum ab Hierosolymis, fertilitate, palmetorumque nemoribus, nunc alterum bustum. Inde Massada, castellum in rupe, & ipsum haud procul ab Asphaltite.*

Paria *Solinus*, *Plinii* umbra, cap. 38. *Interiora Judææ*, inquit, *quæ Occidentem contuentur, Esseni tenent*, &c. *Oppidum Engadda infra Essenos fuit*

*fuit*, *sed excisum est*: *verum inclytis nemoribus adhuc durat decus*, *lucisque palmarum eminentissimis nihil vel ævo vel bello derogatum*. *Judææ terminus*, *Massada Castellum*.

Loca quærimus non homines: *Essenorum* historiam aliter ordiremur, a verbis istis, *Judic*. 1. 16. *Et filii Kenæi*, *soceri Mosis*, *egressi sunt e civitate palmarum*, *cum filiis Judæ in desertum Judæ*. Ab his *Rechabitæ*, & vel a stirpe, vel ab exemplo eorum, supponimus *Essenos*. Quod si verum; hoc de pravo situ *Engedi* in Tabulis formamus argumentum, Septentrionem versus nimium locatæ, cum in extremis oris Australibus esset collocanda.

Si *Esseni* iidem fuerunt cum *Kenæis* ultra *Arad* versus Austrum, aut æqualiter quidem cum *Arad*, quod asseritur textu allegato; sique infra hos fuerit *Engedi*, quod etiam asseritur ab autoribus citatis, tum certe longe, loco proprio dissitam, disposuerunt eam Tabulæ, nimium versus Septentrionem. Inture eas, & hæc cogita. Cui & hoc addimus.

Limites terræ meridionales *Ezech*. 47. 19. (ipsissimi iidem, qui *Numer*. 34. & *Josuæ* 15.) sic enuntiantur: *Ora Australis versus Austrum a Tamare ad aquas Meribæ in Cadesh*, &c. Jam vero *Tamar* & *Engedi* idem sonant, 2. *Paral*. 20. 2. Nec adest ulla ratio, quare *Tamarem* aliam alibi quæreremus. *Chaldæus* certe, & *R. R. Jarchius* & *Kimchius*, eum secuti, *Tamar* reddiderunt *Jerichunta* apud *Ezechielem*. At quanam tandem ratione? Nam quomodo, quæso, possibile fuit, ut *Jerichus* fieret limes terræ Australis, cum *Judææ* foret limes extremus versus Aquilonem? Hoc eos absque dubio ad istam versionem vocis adegit, quod *Jericho* vocetur *civitas palmarum*, *Tamarque palmam* significet; cum ne latum quidem unguem, quoad gloriam palmetorum, cederet *Engedi Jerichunti*.

An *Tadmor*, 1. *Reg*. 9. 18. eadem sit cum *Tamare* hac nostra, atque an *Tadmor* apud *Talmudicos* eadem sit cum *Tadmore* ista, lectoribus relinquimus perpendendum; hæc pauca de ea, quæ ab iis referuntur, perpensionis istiusmodi gratia, adducimus.

*Hierosol. Jebamm*. fol. 3. 2. *Recipiunt Proselytos a Cardyæis & Tadmoræis*. *R. Abbu nomine R. Jochananis dicit*, *Traditio asserit quod Proselyti Tadmoræi sunt idonei*, *ut introeant in congregationem*. Dictum erat paulo ante, *Haggai Propheta hæc tria docuit*. צרת הבת *Rivalis filiæ* (Sacerdotis) *duci in uxorem potest a Sacerdote*. *Moabitæ atque Ammonitæ decimare hebent decimam pauperum anno septimo*. *Et Proselyti Tadmoræi idonei sunt*, *ut ingrediantur in Congregationem*.

Recitatur hæc historia in *Mischna Hierosolymitana*, *Nazir*, cap. 6. hal. 13. מרים תרמורית *Maria Tadmoræa sparsam in se habens partem sanguinis*, (qua erat purificanda) *audiit in ipso isthoc articulo temporis*, *mortuam esse filiam suam*, &c. At *Babylonica* eam vocat תרמודית *Tarmodæam*. *A loco Tarmud*, inquit Glossa. *Babylon. Shabb*. fol. 21. 2. & *Aruch* in תרמור (*Tarmudæi* תרמודאי *Babylonicis* dicuntur pauperes quidam, qui colligendis, vendendisque lignis victum sibi acquisiverunt.)

*Hierosol*. *Taanith*, fol. 69. 2. *R. Jochanan dixit*, *Beatus est*, *qui viderit ruinam Tadmor*: *nam ea communicavit in excidio Templi primi ac secundi*. *In excidio primi adduxit* 80000. *sagittarios*: *& sic in excidio secundi*.

## CAP. VII.

*Cadesh*. רקם. *Ea duplex*: *at quæritur*, *an bene duplicata in Tabulis*.

Observabit Interpretum Orientalium lector, קדש *Cadesh* ab omnibus reddi רקם *Rekam*, aut sono admodum propinquo. *Chaldæo* est *Rekam*: *Syro*, *Rekem*: *Arabi*, *Rakim*. Et *Cadesh Barnea Onkelosio* est רקם גיאה, *Jonathani* רקם גיעא (e quibus collatis observare licet liquefactionem gutturalis ע.) *Targ. Hierosol*. רקם הנועה. *Gemaoistis* רקם גועה.

Duo loca, nomine רקם *Rekam* insignita (id est, duplex *Cadesh*) erant in ipsis terræ limitibus, Australi atque Orientali.

I. De *Cadesh*, vel *Rekam*, in parte Australi non dubitatur.

II. De ea in Orientali hæc mentio. מרקם ולמזרח ורקם כמזרח. Vide *Mischna Hierosol*. in *Gittin*, cap. 1. *A Rekam ad Orientem*, *& Rekam est sicut Oriens*: hoc est, interprete *R. Nissim*, *Rekam ipsa pro Oriente mundi reputatur*, (id est, pro terra *Ethnica*) *non pro terra Israelitica*. En *Rekam*, vel *Cadesh*, etiam ab Oriente! Ast aliam *Cadesh* præter *Barneam*; Orientalemque hanc *Rekam*, finxe-

finxerunt sibi Tabulæ, quo accessisse opinantur populum *Israeliticum* anno peregrinationis suæ quadragesimo, *Numer.* 20. Rationes aliquas, quibus ad id adducti fuerunt earum autores, has supponimus.

I. Quod *Cadesh Barnea* fuerit in deserto *Paran*, *Num.* 12. 16. & 14. 1. *Cadesh* vero, quo perventum est anno quadragesimo, in deserto *Zin*, *Numer.* 20. 1. *Resp.* Exploratores terræ, a *Cadesh Barnea* discedentes, dicuntur etiam a deserto *Zin* prodiisse, *Numer.* 13. 21. *Paran* erat generale nomen horrendi istius deserti: *Zin* una tantum pars.

II. In *Cadesh Barnea* castra-metati sunt per dies plurimos, *Deut.* 1. 46. at in ista *Cadesh*, de qua mentio *Numer.* 20. non erat, unde alerentur in diem unam. Queruntur enim, quod esset locus semine, ficubus, vitibus, malogranatis, omnino vacuus, *Numer.* 20. 5. quod omnino non questi sunt, dum manerent in *Cadesh Barnea*. *Resp.* Omisso, quod, ubicunque castra-metati sunt, alti sunt a Manna; orta ipsis est querela, non tam de isthoc ipso loco, quam, ut ita dicam, de omine & præjudicio loci, quippe quod ex hujus loci sterilitate præjudicarent de pari sterilitate terræ istius, in quam erant ingressuri, & cujus veluti πρόθυρον erat *Cadesh Barnea*. Cum huc appellerent primo, ante annos jam triginta octo, *Ad montem Amorrhæorum accessistis*, inquit *Moses*, *quem vobis dat Dominus*, *Deut.* 1. 20. 21. Itane! (cogitant secum illi) Non meliora promittit primus introitus terræ promissionis? Parum spei de ipsa terra, si talia primordia. Convenit ergo, ut exploratores præmittamus, qui nobis renuntient, an tanti sit, ut nosmetipsos defatigemus, periclitemurque, solo adeundo, cujus prima facies tam horrida, & desperabunda. Confer *Deut.* 1. 20. 21. 22. Atque hinc infelix argumentum præ oculis, quo cogente, tam unanimi calculo, a toto cœtu contra terram est conclusum, & clamatum. Cumque jam post tantum temporis elapsum, eodem est recursum; eadem cogitant, diffidunt, & queruntur.

III. In *Cadesh Barnea* suppetiit iis aqua; in *Cadesh*, quo accessum anno quadragesimo, aqua nulla, *Numer.* 20. 5. &c. *Resp.* Biberunt, cum primum *Cadesh Barneam* accederent, de rupe, quæ eos est secuta, 1. *Cor.* 10. 2. quæ jam terram illico intraturis exaruerat. Si quæris, quare jam exaruerant rivi isti sequaces, *Cadesh Barneam* appellentibus, quæ antea illuc appellentibus non exaruerant: quæro & ego, quare ad aliam *Cadesh* accedentibus exaruerunt?

IV. De *Cadesh*, quo accesserunt anno peregrinationis ultimo, dicitur, quod urbs esset in ultimis oris terræ *Edomææ*: a Rege itaque veniam implorant per terram *Edomæam* transeundi. *Numer.* 20. 16. 17. *Resp.* Nihil omnino prohibet, quo minus hæc dici possint de *Cadesh Barnea*: quæ monti *Amorrhæorum*, id est, montano *Judææ*, jacens contigua accessionem tanto exercitui ostendit, & promisit, perplexam tantum atque imperviam; planiorem ergo a Rege *Edomæo* quærunt, sed non impetrant.

V. Illud forsan, quod præcipue movit, hoc erat, quod supposita una tantum *Cadesh*, *Barnea* scilicet, vix possibile erit castra-metationes *Israelis* in eremo, eorumque loco-motiones, non confundere. *Resp.* Eadem erit facilitas eas ordinandi, in verum modo sensum reducas versiculos sextum & septimum *Capitis* 10. *Deuter.* atque in concordiam cum *Numer.* 33. a *versu* 31. ad *versum* 41. quod non arduum. Sed hæc, impræsentiarum, extra metas nostras. Satis liquet *Cadesh* istam, ad quam accesserunt anno quadragesimo, (quæ & *Meribah* dicta est, *Numer.* 20. 13.) eandem esse cum *Cadesh Barnea*, ex hoc, quod *Meribah* id *Cadesh* assignetur pro termino terræ Australi, *Ezech.* 47. 19. qui terminus ab olim erat *Cadesh Barnea*, *Numer.* 34. 4. *Jos.* 15. 3.

## CAP. VIII.

*Fluvius Ægypti Rhinocorura. Sirbonis Lacus.*

PLinius, *Nat. Hist.* lib. 5. cap. 12. *A Pelusio Chabriæ castra. Casius mons. Delubrum Jovis Casii. Tumulus magni Pompeji. Ostracine. Arabia finitur a Pelusio* LXV. M. *passuum: mox incipit Idumæa & Palæstina ab emersu Sirbonis lacus.* Aut me fallunt oculi mei, dum hæc lego; aut *mons Casius* propius *Pelusium* jacet, quam *Sirbonis* lacus. Tabulæ *Sirbonem* inter *Casium montem* & *Pelusium* collocarunt prave.

Sir-

*Sirbon* שרבון *Ardorem* denotat, nomine lacus ab ejus natura deducto ignea & bituminosa. Describitur a *Diodoro Siculo*, *Strabone*, aliisque, quos vide. Lacus est *Sodomitico* par, & forsan paris fuit fati & originis; divinæ scilicet indignationis exemplum: quid si monumentum horrendi istius terræmotus in diebus *Uzziæ*? *Amos.* 1. 1. *Zach.* 14. 5. cum etiam igne contenderet Deus, *Amos.* 7. 4. ita ut perierent urbes quædam more *Sodomæ* & *Gomorrhæ*, *Amos.* 4. 11. *Esaj.* 1. 9.

נחל מצרים Terminus extremus terræ *Israeliticæ* versus Austrum, non est *Nilus* in *Ægypto*, sed *Shihor* in via ad *Ægyptum*, *Josuæ* 13. 3. *Jer.* 2. 18. LXX. Interpretibus est *Rhinocorura*; nam illud in *Esaj.* 27. 12. עד נחל מצרים reddunt Ἕως Ῥινοκούρων: de quo loco & nomine, a truncatis naribus deducto, vide *Diodorum Siculum*, lib. I.

## CAP. IX.

*Judææ facies.*

*Hierosol. Scheviith*, fol. 38. 2. *In Judæa sunt Montanum, Planities, & Convallis. Quodnam est Montanum Judææ?* זה הר המלך. *Est mons Regalis. Planities ejus est Planities Austri. Convallis est ab Engedi ad Hierichuntem. Planities Lyddæ est sicut Planities Austri: montanumque ejus est sicut montanum Ragale.* מבית הורון ועד הים מדינה אחת פראכוריך: *A Bethhoron ad mare est regio una* πρόσχωρος. *Dicit R. Jochanan, Est tamen ei Montanum, & Planities, & Convallis. A Bethhorone ad Emmaunta est Montanum: ab Emmaunte ad Lyddam Planities: a Lydda ad mare Convallis.*

*Judæam* non immerito quadripartiaris: in regionem scilicet olim *Philistæorum*, quæ partem Occidentalem occupavit. Hanc ab Oriente excepit montanum *Judææ*, quod & *Mons Regalis* appellatur. Montanum ab Oriente excepit planities, regio montibus depressior & planior, quæ tamen & alicubi montes suos habuit. Hinc illud שפלה שבהר כהר והר שבשפלה כשפלה *Convallis inter montana æstimatur cum montano: & montes in convalli connumerantur cum convalli.* Idem, ibid. (φαραγγώδη τῶν ὀρῶν, *Joseph. Antiq.* lib. 13. cap. 13.) Planitiem, Orientem versus, excepit Convallis, planitie depressior, ora scilicet maris *Sodomitici*, ac tandem *Jordanis*.

*Benjamitidos* itidem, quæ cum *Judæa* connumeratur, eadem superficiei conditio, quæ, quamvis, ut loquitur *Joseph. Antiq.* lib. 5. cap. 1. Στενότατος ὁ κλῆρος οὗτος ἦν διὰ τὴν τῆς γῆς ἀρετὴν, montanum tamen suum habuit, & planitiem, & convallem, idque non solum *Lyddam* versus & mare magnum, sed *Jerichunta* versus & *Jordanem*.

Privilegia *Judææ* præ omnibus aliis terræ *Israeliticæ* partibus eminebant plurima: nam præterquam, quod in ea sita erat totius gentis Metropolis *Hierosolyma*, atque in ea Templum, atque in eo Synhedrium; hoc etiam ei ex Canonibus peculiare, quod *annum intercalare extra Judæam non licuit, dum licuit in Judæa*: ut videre est in *Hierosol. Nedarim*, fol. 40. 1. Rationem rei reddit *Maimonides*, in *Kiddush. Hhodesh*, cap. 4. *Ideo quod illic habitaret divina gloria. Babylon. Sanhedr. fol.* 11. 2. *Nec erat manipulus hordei primitialis aliunde petendus, quam e Judæa, & quam proxime ab Hierosolymis.* Idem, *Menachoth*, fol. 64. 2. *&c. Semel petitus est a longinquo, &c.*

## CAP. X.

*Descriptio oræ maritimæ ex Plinio & Strabone.*

*Plin.* lib. 5. cap. 13. *Incipit Idumæa & Palæstina ab emersu Sirbonis lacus. Oppida Rhinocolura, & intus Raphæa. Gaza, & intus Anthedon. Mons Angaris. Regio per oram, Samaria. Oppidum Ascalo liberum. Azotus. Jamnes duæ, altera vicus.* (al. *Intus*) *Joppe Phœnicum. Inde Apollonia. Stratonis turris; eadem Cæsarea. Finis Palæstines* CLXXXIX. M. *passuum a confinio Arabiæ: deinde Phœnice.*

Et cap. 19. *Redeundum est ad oram, atque Phœnicen. Fuit oppidum Crocodilon: est flumen. Memoria urbium. Dorum. Sycaminum. Promontorium Carmelum: & in monte oppidum eodem nomine, quondam Echatana dictum. Juxta Getta, Lebba, rivus Pagida sive Belus, vitri fertiles arenas parvo littori miscens: ipse e palude Cendevia a radicibus Carmeli profluit. Juxta Colonia Claudii Cæsaris Ptolemais, quæ quondam Ace. Oppidum Ecdippa. Promontorium album. Tyrus quondam Insula, &c. Circuitus* XIX. *M. passuum est, intus Palæ-Tyro inclusa. Oppidum ipsum* XXII. *stadia obtinet. Inde Enhydra, Sarepta, & Ornithon oppida: & Sidon artifex vitri, Thebarumque Bœotiarum parens.*

Retrogrado cursu *Strabo*, lib. 16.

Διέχει δὲ τῆς Σιδόνος ἡ Τύρος οὐ πλέιους τῶν διακοσίων σαδίων. *Non distat Tyrus a Sidone ultra CC. stadia* ( XXV. M. passuum. )

Vicinitatem hanc observarunt *Judæorum* Magistri in Canone isto, quo cautum est, ne quis ad navigandum se conferat in *Mari Mediterraneo* intra triduum ante Sabbatum. *Tanchum*, fol. 77. 1. *At si quis*, inquiunt, *navigare velit a Tyro ad Sidonem, permissum est, etiam vespera Sabbati: eo quod sat notum est, id spatii enavigari posse, dum adhuc dies est.*

Ἐν τῷ μεταξὺ πολίχνιον ὀρνίθων πόλις λεγομένη, *&c.*

*Inter Tyrum & Sidonem est urbecula Ornithon.* ( Avium civitas. ) *Ad Tyrum fluvius exit.*

*Ultra Tyrum triginta stadiis est Palæ-Tyrus.* ( III. M. passuum. ) Cum ergo circuitum *Tyri* XIX. M. passuum dicat *Plinius*: *Intus Palæ-Tyro inclusa* non de ipsius urbis ambitu intelligendum esse ipse manifeste ostendit, cum dicat oppidum ipsum XXII. stadia obtinuisse; nec de tota *Tyriarum* ditionum circumferentia bene accipi potest, sed potius de extensione limitum ista, qua pergit, via.

Εἶθ' ἡ Πτολεμαΐς ἐστι μεγάλη πόλις, ἣν Ἄκην ὠνόμαζον, &c.

*A Tyro porro* ( versus Austrum ) *est Ptolemais, olim Ace dicta: interque Acen & Tyrum est littus arenis cumulosum, ad vitrum conficiendum idoneis.*

Μετὰ δὲ τὴν Ἄκην Στράτωνος πύργος, &c.

*Ultra Acen est Stratonis turris*, &c. *Interjacet mons Carmelus: nominaque quædam urbecularum, & nihil amplius. Urbes Sycaminorum, Bucolorum, Crocodilorum, aliæque. Et exinde sylva quædam magna.*

Εἶτα Ἰόππη, &c. *Postea Joppe, juxta quam Ægypti littus, ante versus Ortum Solis porrectum, ad Septentrionom notabiliter deflectitur. Ibi quidam Andromedam ceto expositam fabulantur. Locus satis editus est, ita quidem, ut inde tradant Hierosolymas conspici, Judæorum Metropolim. Quin & Judæi portu hoc utuntur ad mare degressi. Sed portus hi latronum sunt receptacula. Horum fuere Slyva & Carmelus.*

Καὶ δὲ καὶ εὐανδρησεν οὗτος ὁ τόπος, &c. *Locus autem hic adeo hominibus abundavit, ut ex Jamnia vico vicino, & circumvicinis habitationibus, quadraginta hominum millia armarentur.*

Εἰσὶ δὲ ἐντεῦθεν εἰς τὸν Κάσιον, τὸν πρὸς Πηλουσίῳ, μικρῷ πλέιους ἢ χίλιοι σάδιοι. Τριακόσιοι δὲ ἄλλοι πρὸς αὐτὸ τὸ Πηλούσιον.

*Inde ad Casium montem, Pelusium versus, distantia est mille stadiorum, & paulo amplius. Et CCC. alia Pelusium usque.*

Sistendum est hic, & videndum qui conveniat inter hos Authores. Numerante enim *Strabone* excurrunt a *Pelusio* ad *Joppen* MCCC. stadia, & paulo amplius; id est, CLXIII. M. passuum, aut circiter: at *Plinio* primo aspectu longe plures. Nam *Arabia finitur*, inquit, *a Pelusio* LXV. M. *passuum*: & *finis Palæstines* CLXXXIX. M. *passuum a confinio Arabiæ. Deinde Phœnice.* Summa CCLIV. M. passuum. *Joppen* nominaverat ante, *Joppen Phœnicum*: Jam vero, si *Joppen* finem *Palæstines* statuat, & exordium *Phœnices*; sunt a *Pelusio* ad *Joppen*, ipso numerante, centum fere milliaria plura quam apud *Strabonem*. Nec est, unde aliquid respondeas ex differentia mensuræ stadiorum *Strabonianorum*, & *Plinianorum* milliarium. Ipsis enim attestantibus eandem ineunt mensuram: nam *Straboni*, lib. 7. τὸ μίλιον ὀκτοσάδιον, *Octo stadia conficiunt milliare*; & *Plinio*, lib. 2. cap. 23. *Stadium centum viginti quinque nostros efficit passus:* quod eodem redit.

Dicendum est ergo, quod per *Finem Palæstines* apud *Plinium* proprie denotetur Finis ejus, *Phœniciæ* proprie sic dictæ contiguus, hoc est, finibus *Tyri* & *Sidonis*. Nam, cum *Joppen* dicit *Joppen Phœnicum*, non concludit *Joppen* intra *Phœniciam*; sed quia mare, littus istud *Palæstines* alluens, in *Phœnicium* & *Ægyptiacum* vulgari sermone divisum erat, ( sic *Strabo* ante, *Postea Joppe, post quam Ægypti littus*, &c. ) & quia *Phœnices* ob navigationem celebrarentur, *Joppen*, portum littoris istius nominatissimum, eorum nomine insignit. At fines *Palæstines* longe ulterius extendit; nempe, usque dum obvii fiant finibus *Tyri* & *Sidonis*. Eo usque ergo se extendit mensura *Pliniana*, nempe ut sint ab *Idumæa*, & emersu *Sirbonis* lacus, ad fines *Tyri* & *Sidonis* CLXXIX. M. passuum. Locus collimitia hæc disterminans *Judæis* erat *Acon*, vel *Ptolemais*; quod notabimus, cum perventum fuerit illuc: at num *Plinio*, in obscuro latet. Probabilior tamen sententia est, eum secundum vulgarem notissimamque distinctionem computasse.

*Guilielmus Tyrius*, sui temporis fines *Tyri*, Austrum versus, metiens, ad quatuor aut quinque milliaria eos extendit: *De bello Sacro*, cap. 3. *Nam* pro-

*protenditur in Austrum*, inquit, *versus Ptolemaidam*, *usque ad eum locum*, *qui hodie dicitur Districtum Scandarionis*, *milliaribus quatuor aut quinque*. Si ergo concederetur mensuram *Plinii* eo usque extendi, longitudinem terræ a *Sirbone*, ubi & fluvius *Ægypti*, ad *Sidonem* his calculis computare liceret.

I. A *Sirbone* ad fines *Phœnices* CLXXXIX. M. passuum, *Plinius*.

II. A primis finibus *Phœnices* ad *Tyrum* V. M. passuum, *Guili*. *Tyrius*.

III. A *Tyro* ad *Sidonem* XXV. M. passuum, *Strabo*.

Summa totalis, CCXIX.

## CAP. XI.

### *Montanum Judææ*.

הר המלך

H*ierosol. Scheviith*, fol. 38. 2. *Quodnam est Montanum Judææ* ? הר המלך *Est mons Regalis*.

Utcunque montibus, hic illic, plurimum extumuerit *Judæa*, præcipua tamen ejus extuberantia emicuit in dorso montium, lato admodum, excurrente ab ultima ora Australi ad *Hebronem* usque, atque ipsas fere *Hierosolymas*: quæ a Sacra Pagina הר יהודה, ὀρεινὴ Ἰύδα vocatur, *Jos*. 21. 11. *Luc*. 1. 39.

Corrigendæ, ni ego plurimum fallar, sunt Tabulæ *Adrichomii*, *Tirini*, aliæque, quæ longissimum montium dorsum finxerunt sibi, ab ipso fere *Mari Rubro* ad *terram* fere *Canaanitidem*, idque cum hac inscriptione *Mons Amorrhæus*. Decepti sunt autores isti prava interpretatione Phrasiologiæ דרך הר האמרי eam reddentes, *via per* (vel, *juxta*) *montem Amorrhæum*, cum reddenda esset, *via ad montem Amorrhæum*. Consulat Lector *Deut*. 1. 19. 20. *Profecti sumus ab Horeb*, *atque ivimus per totum illud magnum & terribile desertum*, *quod vidistit*, דרך הר האמרי *via* ducente *ad montem Amorrhæi*; *sicut præcepit nobis Dominus noster*, *& pervenimus ad Cadesh Barnea*. *Tunc dixi vobis*, *jam pervenistis ad montem Amorrhæi*, &c.

Initium sumsit *Mons Amorrhæus* a *Cadesh Barnea*, limite terræ *Israeliticæ* Australi, ac se horrente gibbositate protrusit in *Judæam* ultra *Hebronem*; mutato nomine tandem in *Montanum Judææ*. Unde illud de *Samsone* intelligendum, quod non portarit portas *Gazæ* prope ad *Hebronem*, vel ad montem unde conspici posset *Hebron*; sed ad verticem montani hujus, quod excurrit ad *Hebronem*: & sic verba reddenda, *Judic*. 16. 3. *Portavit eas ad verticem montani*, *quod ante Hebronem*.

Vocatur hoc montanum מדבר הרים *Montanum desertum*, Psalm. 75. 6. *Quoniam non ab Oriente*, *nec ab Occidente*, *nec a deserto montium*. Targ. *Nec a meridie*, *loco montano*.

Quare *Talmudicis* vocetur הר המלך *Mons Regalis*, est in ambigno. An quod Rex esset inter omnes alios *Judææ* montes? An quod regia dignitas domus *Davidicæ* hinc exorta, *Hebrone* scilicet? Plurima ejus memoria apud Scriptores *Judaicos*.

*Chaldæus* Paraphrastes in *Judic*. 4. 5. *Erat Deboræ* עפר חור בטור מלכא *Pulvis albus in monte Regis*; id est, ut videtur, argilla figulina: nam loquentes *Gemaristæ* alicubi de figulis dicunt, *Hieros*. *Bava Mezia*, fol. 11. 4. מהן עושין בעפר שחור quod *operantur in pulvere nigro*; או בעפר לבן *aut in pulvere albo*.

*Hierosol*. *Demai*, fol. 24. 4. *In diebus R. Hoshaiæ ambierunt quidam immunitatem montis Regalis a quibusdam decimis*.

Idem, *Avodah Zarah*, fol. 40. 2. *R. Simeoni fuerunt vinitores* בהר המלך *in monte Regali*. *Vineam voluit ille elocare Ethnicis*.

Ibid. fol. 44. 4. *R. Chaijah*, *R. Issai*, *& R. Immai ascenderunt in montem Regalem*. *Ethnicum quendam viderunt*, *qui suspiciosus erat de vino eorum*.

*Hierosol*. *Taanith*, fol. 69. 1. *Myrias urbium exstitit in monte Regali*, *de quibus mille possedit R. Eliezer ben Harsum*. Non ergo vocatum est hoc montanum מדבר הרים *Montanum desertum*, quod esset urbibus & oppidis vacuum; sed quod incultior regio atque asperior.

*Babylon*. *Gittin*, fol. 57. 1. אתרנגולא ואתרנגולתא חריב טור מלכא *Propter gallum & gallinam vastatus est mons Regalis*. *In more fuit*, *cum educerent sponsum & sponsam*, *ante eos ducere gallum ac gallinam: ac si dicerent*, *Crescite & multiplicamini*, *sicut istæ*. *Die quodam præteriit cohors Romanorum*, *atque gallum ac gallinam ab iis torsit*: *hi ergo in istos insurrexerunt*, *& contuderunt*. *Adierunt ergo illi Cæsarem*, *& dixerunt*, *Rebellant in te Judæi*, *&c*. *R. Asai dicit*, *Ter centies mille stringentes gladium ascenderunt in montem Regalem*, *atque in eo trucidarunt diebus tribus & tribus noctibus*, &c.

*Dicit Rabbi Asai, Sexaginta myriades urbium erant Jannæo Regi in monte Regali, atque in unaquaque erat numerus æqualis exeuntibus ex Ægypto: tribus exceptis, in quibus erat numerus iste duplicatus. Atque istæ hæ erant:* I. כפר ביש *Capher Bish* ( id est, *Oppidum malum*) *ideo dictum*, דלא יהבי ביתא לאושפיזא *quod non præberet domum hospitalem*. II. כפר שיחליים *Oppidum ab herba quadam dictum, quod ista herba nutrirentur.* III. כפר דכריא *Oppidum masculorum: ideo dictum, inquit R. Jochanan, quod uxores eorum primo parerent mares, & deinde fœmellas, & sic desinerent.*

Recitatnr hæc historia ab *Hierosolymitanis, in Taanith*, fol. 69. 1. qui dicunt כפר דכריא sic dictum fuisse, quod nisi inde aliquo discederent fœminæ, non potueruut non mares parere.

*At dicit Ulla, Vidi ego istum locum, & non potis est continere vel sexaginta myriadas nidulorum: dixit ergo hæreticus quidam R. Chaninæ, Mentimini, Mentimini: cui ille, Dicitur ista terra* ארץ צבי: *jam vero* צבי *Capreolus corium habet carnem suam non continens: sic terra Israelitica dum habitatur, spatiosa est, dum non habitata contractior.*

## CAP. XII.

*Regio Australis.* דרומא עילאה ותתאה *Judæa* דרום *vocata, respectu Galilææ.*

**H***Ierosol. Maasar Sheni*, fol. 56. 3. & *Sanhedr.* fol. 18. 4. & *Babyl. Sanhedr.* fol. 11. 2. *Rabban Gamaliel & Seniores considentes ad ascensum in porticum, in monte Templi, assidentem habuerunt Jochananem, Sacerdotem, & amanuensem. Dixerunt ei, age, scribe, fratribus nostris, Galilææ superioris & Galilææ inferioris incolis, salutem. Notum vobis facimus adesse tempus separandarum decimarum.* לאחנא בני דרומא עילאה ובני דרומא ארעיתא *Et fratribus nostris, qui regionem Australem superiorem, & qui regionem Australem inferiorem habitant, salutem. Notum vobis facimus*, &c.

*Regio Australis superior* erat montani, *inferior* erat planitiei & convallis utrinque subsidentis: quæ regio, quamvis juxta *R. Tanch.* & *R. Sol.* in *Numer.* 13. sterilis esset præ omnibus aliis terræ partibus, incolas tamen suos habuit, eosque frequentes, prout aliæ terræ regiones.

Occurret frequentissime paginas *Talmudicas* evolventi nomen *Austri* pro *Judæa* tota sumtum, in Antithesi ad *Galilæam. Hierosol. Taanith*, fol. 66. 3. *Jejunium indixerunt Zipporienses* ad impetrandam pluviam, *at pluvia non descendit. Dixerunt ergo Zipporienses, R. Joshua ben Levi pluviam impetrat Australibus; at R. Chaninah impedit a Zipporiensibus. Coacti sunt ergo ad jejunium secundum: accersit* (*R. Chaninah*) *R. Joshuam ben Levi, & egrediuntur ambo ad jejunium, & tamen pluvia non descendit. Prodit ergo & coram iis dicit, Nec Josua ben Levi pluviam impetrat Australibus, nec R. Chaninah cohibet a Zipporiensibus: ast Australibus est cor molle, ut verba Legis audiant & humilientur; Zipporiensibus vero cor durum.* R. Jam vero *R. Josua ben Levi*, qui דרומיא *Australis* dicitur, in *Hierosol. Challah*, fol. 57. 2. juxta *Hierosol. Trumoth*, fol. 46. 2. *Lyddensis* fuit: atque *Australes*, pro quibus ille pluviam impetravit, *Lyddenses* erant, atque regionem istam habitantes.

*Hierosol. Erubin*, fol. 23. 3. *Discipulus devotus* תלמיד ותיק *anni intercalationem didicit coram Magistro suo, tribus annis & dimidio: venit & intercalavit pro Galilæa: sed non sufficit intercalationi pro Austro*; id est, pro *Judæa*.

Hinc intelligas, quo sensu *Rabbini* quidam vocentur דרומייא *Australes*: ut, ר׳ יעקב דרומיא *R. Jacob Australis, Hierosol. Soucah*, fol. 53. 4. qui & *Rabbi Jacob* דרומנה Idem, *Berac.* fol. 2. 2. vocatur. Item ר׳ שמלאי דרומיא *R. Samlai Australis*, Idem, ibid. fol. 11. 4. quem disputantem habes cum quibusdam, quos *Gemaristæ* מינין vocant, id est, *Hæreticos*: quos ego arbitror potius fuisse *Christianos*. Et videtur disputatio *Christiani* instituta ad astruendam personarum Trinitatem in Deitate, at unitatem nihilominus Deitatis. Audita re, mecum forsan senties. Vide locum.

## CAP. XIII.

### *GAZA.*

**P**Ost historias hujus loci apud paginam Sacram quamplurimas, quas necesse non est recitare, *Babamesin* tandem *Persam* (*Joseph. Antiq.* lib. 11. c. 18.) in hac urbe obsedit *Alexander Magnus* per spatium bimestre. Ἔνδοξος δὲ ποτε γενομένη κατεσπασμένη ὑπὸ Ἀλεξάνδρου καὶ μένουσα ἔρημος. *Urbsque ista, quæ ab olim nobilissima fuerat, ab eo vastata est, & reddita deserta.* Non quod ille fabricam urbis diruerat, aut ab. sum-

sumpserat igne, (nam illico post ejus mortem, pugnantibus ducibus ejus *Antigono* & *Ptolemæo*, muros, portas, & munimenta, ea habuit, *Diod. Sicul.* lib. 19.) sed quod pristina gloria eam devestivit, ita ut liquefacta tandem foret in civitatem novam ejusdem nominis propius a mari conditam, ubi fuerat olim Γαζαίων λιμήν. Illa Γάζα παλαιὰ *Diodoro* dicitur, & Γάζα ἔρημος *Straboni*, & *Novo Testamento*, *Act.* 8. *vers.* 26. Nova tandem *Maijuma* dicta est, & postea *Constantia*: de qua vide *Eusebium*, *de vita Constantini*, lib. 4. cap. 28. & *Sozomenum*, *Eccles. Hist.* lib. 5. cap. 3.

*Babyl. Avodah Zarah*, fol. 11. 2. עטלוזה של עזה memoratur a *Talmudicis*, quæ, interprete Glossatore, Platea quædam erat extra urbem *Gazam*; ubi erat macellum, ubi etiam erat *Idoleum*.

*Hieros. Avodah Zarah*, fol. 39. 4. Memoratur & *forum Gazæ*, unum e foris tribus celebrioribus, *Gazæ* scilicet, & *Aconis*, & *Botnæ*, בוטנה.

*Babyl. Sanhedr.* fol. 71. 1. Erat & extra urbem locus, qui vocabatur חורבתא סנירתא *Solitudo*, (vel *desertum*) *leprosorii*.

## CAP. XIV.

## *ASCALON. GERAR.*

*Historia de octoginta veneficis.*

Ascalon Interpreti *Samaritano* eadem est cum *Gerar*, *Gen.* 20. 1. *Talmudicis* vox *Gerar* in *Gerariku* transiisse videtur. *Hierosol. Scheviith*, fol. 36. 3. *Quare*, inquiunt, *non determinarunt* על אותה רוח שבגרריקו *de ista regione, quæ est in Gerariku? Quia malæ est habitationis. Usque quo? Ad fluvium Ægypti. At, ecce! Gaza est pulchræ habitationis*, &c.

Autori *Aruch* est גרדקי *Gardiki*. *Bereshith Rabbah* (inquit ille) מלך פלשתים גררה reddit לגרדיקי.

מיל גרר *Rex Geraris*, *Gen.* 20. 2. *Targumistæ Hierosolymitano* est מלכא דערר *Rex Arad*. Nota affinitatem *Aradis*, *Geraris*, atque *Ascalonis*, atque accrescet inde, ni ego fallar, lucis aliquid, loca ista illustraturæ in Sacra Pagina, ubi occurrunt hæc nomina.

*Joseph. de bello Jud.* lib. 3. cap. 1. Distabat *Ascalon* ab *Hierosolymis* DXX. stadiis (LXV. M. passuum.) Quod de veteriori intelligendum: nam *Benjamin Tudelensis* duplicem *Ascalonem* memorat, veterem (hanc nostram) & novam: sic enim ille in *Itinerario*, pag. mihi 80. *Inde* (ab *Azoto*) *duabus parsis*, vel *leucis*, (id est, VIII. M. passuum) *distat Ascalon nova, quam condidit Ezra Sacerdos b. m. ad littus maris, eamque primitus vocarunt* בניברה: *ea autem distat ab Ascalone antiqua, jam diruta, quatuor leucis.*

Ita ut ab *Azoto* ad *Ascalonem*, de qua nos, & de qua sola Scriptura Sacra, fuerint, eo computante, XXIV. M. passuum, *Adrichomio* CC. stadia, id est, XXV. M. passuum.

*Georg. Sandesius* nostras, testis oculatus inquit in *Itinerario*, pag. 151. *Decem a Gaza milliaribus, ac juxta mare, sita est Ascalon, nullius jam nominis, olim Ethnicis veneranda ob templum Dagonis, ac natalitia Semiramidis.*

A *Gaza* ad *Azotum*, teste *Diodoro Siculo*, lib. 19. erant CCLXX. stadia: quæ assurgunt ad XXXIV. M. passum. A *Gaza* scilicet ad *Ascalonem* X. M. passuum, & inde ad *Azotum* XXIV.

Tritum est illud, *R. Nissin*, in *Gittin*, c. 1. מאשקלון לדרום ואשקלון כדרום *Ab Ascalone porro ad Austrum est regio Ethnica, atque Ascalon ipsa pro regione Ethnica reputatur*. Et tamen aliquid *Ascalonis* intra terram *Israeliticam* erat. גנייא דאשקלון *Pomœria*, vel *horti*, *Ascalonis* terram ab ea ora terminabant, quod observavimus ante: & tamen, *In Hierosol. Scheviith*, fol. 36. 3. *Cum præpositi essent R. Ismael ben R. Josi, & Ben Hakkaphar* על אויר אשקלון *de spatio Ascalonis* (hoc est, cum iisde mandatum esset, ut judicarent de *Ascalonis* spatiis, vel partibus; quænam scilicet essent intra terram, & quænam extra, &c.) *mundam eam pronuntiarunt, ex autoritate R. Phinchasi ben Jair, qui dixit, Descendimus in forum frumentarium Ascalonis, atque inde triticum recepimus: ascendentesque in civitatem nostram lavimus, & comedimus Thrumam nostram*. Maxima pars urbis, si non urbs tota, extra limites terræ æstimabatur sub Templo secundo; ast aliqua pars, aut saltem pomœria, & loca proxime adjacentia erant intra terram.

Memoratur fanum quoddam in *Ascalone* inter *Quinque fana famosiora*. *Fanum scilicet Bel in Babylone, fanum Nebo in Cursi, Tirathæ in Mapheg, Zeriphæ in Ascalone, & Nisbræ in Arabia*. *Babylon. Avodah Zarah*, fol. 11. 2.

Et historia de jejunio indicto, eo quod appareret signum aliquod uredinis segetum in *Ascalone*. *Taanith*, cap. 3. hal. 6. *Descenderunt Seniores ab Hierosolymis in*

*in urbes ſuas , & indixerunt jejunium , eo quod viſum eſſet Aſcalone tantum uredinis , quantum ſpatii continet os clibani .*

At ſumme nobilis eſt hiſtoria de octoginta fœminis veneficis a *Simeone ben Shetach* ſuſpenſis *Aſcalone* uno eodemque die . Rem verbis *Gemariſtarum* , retuliſſe non gravabimur . *Hieroſol. Sanhedr.* fol. 23. 3. *Babylon. Sanhedr.* fol. 44. 2. in Gloſſa . *Cum duo Diſcipuli Sapientium Aſcalone ſtudio Legis incumberent , uni eorum tandem defuncto , non præſtabantur exſequiæ , cum tamen morienti tunc temporis Publicano præſtarentur . Viventi ſtudioſo , revelantur gaudia ſalvati ſocii , ac pœnæ pariter damnati Publicani .* וחמא מרים בת עלי בצלים תלייא בחוטי ביזייא *Latinitate* hanc clauſulam donet eruditus Lector : ni me fallat conjectura , virulentiam ſapit & venenum . Ego ſic reddiderim . *Vidit etiam Mariam filiam Eli in umbris ſuſpenſam per glandulas mammarum : cumque quæreret , quamdiu eſſet ea talia perpeſſura ; Reſponſum eſt , Uſque dum advenerit Simeon ben Shetach , locum ejus ſuppleturus . Dixit vero ille , Ob quemnam reatum ? Reſpondetur , Ideo quod in animam ſuam aliquando vovit , dixitque , Si evaſero ego Princeps , e medio tollam omnes veneficos : eccum autem eum Principem factum ! & tamen hoc non præſtitit ; nam octoginta fœminæ veneficæ deliteſcunt in ſpelunca ad Aſcalonem , atque enecant mundum . Abi , & dic ei , &c. Adiit itaque eum , atque hæc nuntiavit , &c. Die ergo quodam pluvioſo , ſociatis ad ſe octoginta juvenibus , accedit ad ſpeluncam , pulſat , unum ſe ex venefico ſodalitio profitetur , & admittitur . Videt eas artem ſuam practicantes . Nam muſſitatis una verbis quibuſdam buccellas adducit , alia vinum , alia carnes elixas , &c. Quid tu autem , inquiunt , potes ? Vocem , inquit ille , bis edam , atque octoginta juvenes venuſte veſtitos introducam , ipſos lætabundos , atque vos exhilaturos* אמרין ליהלון נן בעיין *Dicuni ei , Tales nos vellemus . Edit primo vocem , atque induunt juvenes veſtes ſuas nitidas ;* ( a pluviis intactas , nam tectas ac tutas eas in vaſculis quibuſdam ſecum comportaverant . ) *Vociferante eo ſecundo , ingrediuntur omnes : datoque ſigno , ut unuſquiſque unam e terra in ſublime rapiat ( ſic enim perituram magicam earum facultatem ) iſti , quæ buccellas adduxerat , dixit , Adduc jam buccellas ; at non adduxit . Dixit ergo , eam ad furcam . Affer vinum ; at non attulit : eam etiam , inquit , ad ſuſpendium . Et ſic actum eſt de omnibus . Hinc traditio* פ״ נשים תלת שמעון בן שטח באשקלון *Octoginta fœminas ſuſpendit Simeon ben Shetach Aſcalone . At vero non judicant duos eodem die : aſt hoc fecit ille ex temporis neceſſitate .* Ubi Gloſſa , *Hoc facere coactus eſt , eo quod fœminæ Iſraeliticæ plurimum proruperant ad veneficia . Sepem ergo fecit tempori , eaſque ſuſpendit , ad rem publicandam . Atque hoc uno eodemque die , ne earum cognati ad eas liberandas ullo modo conſpirarent .*

## C A P. X V.

### *J A B N E H. Jamnia.*

VOx *Jabneh* in *Jamniam* tranſiit , eadem alternatione מ & ב , qua lacus *Samochonitis Hieroſolymitanis* eſt סמכו , *Babylonicis* סבכי .

*Plinius* oppida hic ſeriatim ſic ordinat , *Azotus* , *Jamnes duæ* , *Joppe* . *R. Benjamin* retrogrado ordine ſic , *Joppah* , *Jabneh* , *Azotus* . Huic ea eſt *Jabneh* , quæ illi *Jamnia* .

Memoria hujus loci in 2. *Paral.* 26. 6. At ſumma ejus celebritas ob ſitum illic Synedrium , & ante vaſtatas *Hieroſolymas* , & poſt .

Præſedit illic juxta *Juchaſ.* fol. 21. 2. primus , *Rabban Gamaliel* , præceptor *Pauli* : *Hieroſol. Taanith* , fol. 65. 3. ſub quo prodiit ibi execranda iſta orationis formula , quam ברכרת מנים *Orationem contra hæreticos* nuncuparunt , compacta a *Samuele parvo* , qui obiit ante excidium Urbis . Octodecim annis ante exciſum Templum obiit *Gamaliel* , atque eum excepit filius ejus *Rabban Simeon* , qui periit cum Urbe , *Juchaſ.* fol. 57. 1.

Exciſis *Hieroſolymis* , a *Tito* victore impetravit *Rabban Jochanan ben Zaccai* , ut *Jabneh* Synedrium adhuc reciperet , retineretque , *Avoth* R. *Nathan* , cap. 4. quo ab eo conceſſo , præſedit illic primus ipſe *Jochanan* , & poſt eum *Rabban Gamaliel* ſecundus , & poſt eum *R. Akibah* . Claruitque hic locus præ omnibus Academiæ ſedibus , excepta ſolum noviſſima *Tiberiade* : ita ut כרם ביבנה *Vinea Jafnenſis* abierit in adagium. שהיו יושבים שורות שורות ככרם *Jebamoth* , cap. 8. & *R. Sol.* ibid. *Nam illic ſederunt ſeriatim inſtar vineæ* . Referturque in *Hieroſol. Taanith* , fol. 67. 4. *Trecentas Scholarium claſſes illic extitiſſe , vel ad minimum octoginta* . Quoto tempore hic ſederit *Rabban Jochanan* ambigitur .

Sunt , qui duos ei tantum annos attribuant : vide *Juchaſin* , fol. 20. & 22. ſuntque , qui quinque ; *Tſemach David* , qui-

quibuscun & nos pedibus in sententiam imus. Hunc *Rabban Jochananem* ego valde suspicor eundem esse cum *Joanne* isto, *Actor.* 4. 6. Omissis iis, quæ ab eo *Jasni* commorante gesta sunt, liceat verba ejus morientis adducere, prout recitantur a suis *Babylon. Beracoth*, fol. 28. 2. *Cum jam languesceret Rabban Jochanan Ben Zaccai, accesserunt Discipuli ejus eum visitatum: quos videns ille incepit flere. Cui illi, O lucerna Israelis, Columna dextra, Mallee strenue, unde istæ lachrymæ? Quibus ille, Si me adducturi essent coram Rege carnis & sanguinis, qui hodie hic est & cras in sepulchro; si ille mihi irasceretur, ira ejus non est sempiterna; si ille me in vincula conjiceret, vincula ejus non sunt æterna; si me occideret, occisio ista non foret æterna; possemque eum forsan verbis placare, aut mollire munere: at me adducturi sunt coram Rege Regum, Domino Sancto Benedicto, qui vivit & permanet in secula, atque in secula seculorum; qui si mihi succenseat, ira ejus est æterna; si me vinciat, vinculum ejus est æternum; si me occidat, occisio ejus est æterna; quemque non possum vel verbis placare, vel mollire munere. Atque insuper sunt coram me duæ viæ, una ad Paradisum, altera ad Gehennam: nescioque ego qua via sint me ducturi. Nonne igitur flerem?* Ah miseram & languentem *Pharisæi* in morte fiduciam!

*Jochananem* excepit *Rabban Gamaliel de Jabneh*, homo pragmaticus & severus, *Juchasin*, fol. 53. 2. Occidendus cum patre suo *Rabban Simeone*, intercedente *Rabban Jochanane*, liberatus est, *Babylon. Taanith*, fol. 29. 1. Quæsitus etiam ad necem, cum *Turnus Rufus* (*Josepho de bello*, lib. 7. cap. 7. Τερέντιος Ῥȣ̃φος) aream Templi aratro foderet, liberatus est modo vix credendo, *Rosh Hashanah*, cap. 1. hal. 7. In *Jasne* sedens *R. Akibam*, Præfectum tunc temporis Scholæ *Lyddensis*, præfectura sua amovit, *Hierosol. Taanith*, fol. 67. 4. atque ipse tandem est sua amotus, & supra eum collocatur *R. Eleazar ben Azariæ*. Eum excepit *R. Akibah*, seditque annis quadraginta, periitque stultus, deceptus a *Ben Cozba*, ac cum eo interfectus: & translata est Academia a *Jabneh* ad *Usham*.

*Distabat Jasne ab Azoto duabus Parsis*, (VIII. M. passuum) *vocataque est tandem* איבלין *Ivelyn*. Verba sunt *Benjaminis* in *Itinerario*.

## CAP. XVI.

### *Lydda*. לוד.

*Joseph. Antiq.* lib. 20. cap. 5. Λύδδα κώμη, πόλεως τὸ μέγεθος ὀυκ ἀποδέουσα. *Lydda fuit vicus, civitati magnitudine non cedens.*

De ejus situ ac distantia ab *Hierosolymis*, hæc *Mihnase*, *Maasar Sheni*, cap. 5. hal. 2. כרם רבעי *Vinea quadriennis* (hoc est, fructus vineæ annum quartum jam agentis; nam per primum triennium arbores erant tanquam non circumcisæ) *ad Hierosolymas afferebatur, per spatium itineris diarii, ab unoquoque latere. Hi autem erant ipsius limites,* אילת מן הדרום *Elath ab Austro:* עקרבת מן הצפון *Acrabatta ab Aquilone:* לוד מן המערב *Lydda ab Occidente: Et Jordanes ab Oriente.* Glossa, *Statuerunt Sapientes, ut secunda decima fructuum, intra spatium itineris diei ab Hierosolymis nascentium, eo deportaretur comedenda & non redimeretur.* כדי לעטר שוקי ירושלם בפירות. *Ideo, ut fructibus coronarentur plateæ Hierosolymitanæ.*

Cum distantiam hanc perpendis, miraberis merito quid sibi illud vellet, quod fere in adagium abiit, *in Gemar. Hierosol.* in *Maasar Sheni*, ubi supra. *Fœminæ Lyddanæ depsunt massam, ascendunt ad Templum, orant, redeuntque, priusquam fermentetur.* Non quod distantia locorum imminuatur, sed ut hinc demonstretur, nihil fœminis hisce, vota sua & religionem persolventibus, accrevisse detrimenti.

Miror ego plurimum, autores Tabularum *Lod* & *Lyddam* pro duobus oppidis habuisse; *Lod* non longe a *Jordane* & *Jerichunte*, *Lyddam* non longe a *mari Mediterraneo*. Ridebit hæc *Judæus*, aut in *Judaicis* versatus; cum *Lod*, & *Lydda* nihil omnino habeant inter se discriminis, nisi quod illa *Hebraice* sonet, hæc *Græce*.

Cum sederet Synedrium in *Jabneh*, floruerunt Scholæ nobiles in *Lydda*: imo Seholas & doctos suos habuit *Lydda*, cum Academia jam migrasset in *Galilæam*, & Scholaribus vacua lugeret *Jabneh*.

Præfecturam Scholæ illic gessit *R. Akiba*, regimine suo, ut diximus antea, amotus per *Rabban Gamalielem*, *Ideo, quod plura quam quadraginta hominum paria* (*Jasnen* versus) *itinerantium, ut Synedrio testimonium perhiberent de novilunio, Lyddæ ille detineret, & non sineret progredi*, *Rosh Hashanah*, cap. 1. hal. 7.

Mor-

Mortuo, aut amoto potius, *Gamaliele*, cum Præfecturam in *Jabneh* gereret *R. Akiba*, Rector Scholæ *Lyddanæ* fuit *R. Tarphon*, quem disputantem aliquoties habes cum *R. Akiba*, ast ei tandem cedentem cum hoc elogio, *Qui a te separat, est ac si se separaret a vita sua*.

Legimus, quinque Seniores coram *Tarphone Lyddæ* docentes & errantes, *Hierosol. Jom Tob*, fol. 62. 1. Legimus etiam in *Taanith*, cap. 3. hal. 14. jejunium *Lyddæ* indictum ad impetrationem pluviarum, & *Tarphonem* solennitatis moderatorem. Infinitæ sunt hujus loci historiæ, nos paucas decerpemus.

*Helena Regina* festum Scenopegiæ celebravit *Lyddæ*, *Hierosol. Succah*, fol. 51. 4.

Ad festum Encæniorum ibidem loci aderant aliquando *R. Eliezar* & *R. Josbua*: sed de indicto tunc temporis jejunio non satis contenti, hic ad balneum cessit, ille ad tonstrinam, Idem *Nedarim*, fol. 40. 4.

Insidiis hic interceptus fuit *Ben Satda*, atque ad Synhedrium adductus & lapidatus, Idem, *Sanbedr.* fol. 52. 4.

Frequentissima etiam est memoria *Papi* & *Lulieni* fratrum, *Lyddæ* interfectorum a regno *Romano*. *Hierosol. Taanith*, fol. 66. 1. & *Megill.* fol. 70. 3. יום טיריון יום שנהרג לוליינוס ופפוס. *Dies* טיריון *est dies, quo occisi sunt Lulienus & Papus*. טיריון *Hierosolymitanis* est, טוריינוס *Babylonicis*: qui *in Taanith*, fol. 18. 2. interfectos hos fratres referuut בלודקיא *in Laodicea*; ut conjiceres. At לודקין inquit Glossa, *est Lydda; nam ubique memorantur* הרוגי לוד *interfecti Lyddæ*. Vide *Babylon.* in *Bava Bathra*, fol. 10. 2. *Atque hi*, inquit, *occisi sunt propter filiam Regis, quæ cæsa reperta est, & fama fuit, Judæos ipsam occidisse. Cum ergo decretum esset acre decretum in Judæos, prostiterunt se hi duo, atque Israelem liberarunt: nam dixerunt, Nos eam occidimus; eos ergo solos Rex occidit*.

Cum annum intercalare non liceret nisi in *Judæa*, *Maimon.* in *Kiddush. Hhodesh*, cap. 2. *Lyddam adierunt quamplurimi e Schola* τῷ *Rabbi* (*Judæ haccadosh*, e *Galilæa* scilicet) *ut intercalarent; at occurrit iis oculus aliquis malus, atque omnes simul sunt mortui. Exinde anni intercalationem dimoverunt e Judæa in Galilæam*, *Hierosol. Sanbedr.* fol. 18. 3. Et paulo post: *Quæsivit R. Jeremiah coram R. Zeira, Nonne Lydda est Judææ? Imo, inquit ille. Quare ergo intercalationem anni illic non transigunt? Quia pervicaces sunt, atque imperiti Legis*.

*Lydda est Judææ*. Notent hoc Tabulæ quædam, quæ *Lod* quandam, quæ nunquam exstitit in rerum natura, longe a *Jerichunte*, ut dictum est, collocarunt; quia *Lod* in *Benjamitide* adducitur, *Nehem.* 11. 35. at *Lyddam* statuunt, longe ultra limites *Judææ*, in *Ephraimitide*.

*Hierosol. Trumoth*, fol. 46. 2. *Ad Lyddam aliquando se proripuit Koshab bar Ulla, ad R. Josuam ben Levi illic commorantem, Romanos fugiens. Eum secuti sunt Romani, atque urbem obsidione vallarunt. Nisi eum, inquiunt, nobit tradatis, urbem excidemus. Et persuasit R. Josua ben Levi, & Romanis traditus est*.

Liceret innumera in medium proferre nomen *Lyddæ* celebrantia: qualia sunt

עליית בית ארם בלוד *Camera Beth-Arum in Lydda*, *Hierosol. Shekal.* fol. 30. 2.

עליית בית לבזה בלוד *Camera Beth-Lebazah in Lydda*, Idem *Schevitth*. fol- 35. 2.

עליית בית נתזא בלוד *Camera Beth-Nethaza in Lydda*, *Babylon. Sanhedr*, fol. 74. 1. Scholas has fuisse arbitramur.

Liceret plurima *Rabbinorum* nomina *Lyddæ* residentium commemorare, præter eos, quorum antea recordati sumus: ut sunt *R. Chama bar Chamina*, & cum eo *R. Hoshain*, *Hierosol. Shekalim*, fol. 49. 2.

Idem *Succah*, fol. 53. 1. *R. Illai* & *R. Eliezer*: aliique, qui *Australes* vulgo vocantur eo sensu, quem protulimus antea: nominatim de *R. Josua ben Levi* hæc habet Autor *Juchasin*, fol. 92. 1. אי' ישיבתו' *Habitatio*, vel *collegium ejus fuit in Austro terræ Israeliticæ*: *Lyddam* vult.

*R. Eliezar*, *Cæsareæ* moriens, *Lyddæ* voluit sepeliri, quem tam sanguine quam lacrymis deflevit *R. Akibah*, fol. 68. 1. *Cum enim feretro ejus occurreret inter Cæsaream & Lyddam, ita seipsum contulit, ut sanguis in terram flueret. Ejulans sic dixit, O Pater mi, Pater mi, currus & equites Israelis, sunt plurimi mihi nummi; at deest nummularius, qui eos commutet*. Glossa, *Sunt plurimæ mihi quæstiones; at jam non est, cui eas proponam*.

Erat inter *Jamniam* & *Lyddam* locus, qui vocabatur בקיעין *Bekiin*, de qua hæc mentio, in *Hierosol. Chagigah*, fol. 75. 4. *R. Jochanan ben Brucha*

*cha & R. Eliezer Cæcus , a Jabneh itinerantes ad Lyddam* הקבילו ר' יהושע בבקיעין *obvium habuerunt R. Josuam in Bekiin* , &c.

A *Jamnia* ad *Joppen* ( *Benjamini* in *Itinerario* ) sunt ג' פרסאות Tres Leucæ, vel Parsæ , Ἐγγὺς δὲ ἦν Λύδδη τῇ Ἰόππῃ, *Act.* 9. 38.

C A P. XVII.

*SHARON. CAPHAR LODIM*

כפר לודים

*Villa Lyddensium.*

INter *Lyddam* & mare excurrit spatiosa convallis , hinc inde longe se diffundens , & sparsa viculis , quam *Sarona* ( τὸν Σάρωνα ) vocat Sacra Pagina Novi Fœderis : & forte totam , aut aliquam ejus partem , *Planitiem Ono* vocat Pagina Veteris , *Nehem.* 6. 2. & 11. 35. 1. *Paral.* 8. 12.

Vox שרון regionem campestrem pascuosam denotat a שרה , pecora emittendo ; unam trans *Jordanem* , 1. *Paral.* 5. 16. & hanc nostram.

Nobilis famæ est *Vinum Sharoniticum*, *Babylon. Shabb.* fol. 77. 1. cui duas partes aquæ immiscebant : & memorabile est , quod dicunt de domibus *Sharonicis* , *Sotah* , cap. 8. hal. 7. *R. Lazar dicit* , *Qui ædificat domum lateritiam in Sharone* , *ne se retrahat* : quod aliis permissum , *Deut.* 20. 5. nempe ut a bello se retraherent , si domum novam ædificassent , ea autem non adhuc esset dedicata . *Hierosol.* ibid. fol. 23. 1. *At viri Sharonis non se retraxerunt* , ( verba sunt *Gemaræ Hierosolymitanæ* ) *quia illi domos suas restaurarunt intra septennium : ac summus etiam Pontifex pro iis oravit die Expiationis* , *ut domus eorum non fierent eorum sepulchra* . Glossa in *Babylon. Sharon erat nomen loci* , *cujus fundus non erat lateribus congruus* , *ideoque domos suas sæpius restaurarunt intra septennium*.

Inter vicos in amæna hac convalle disseminatos occurrit *Caphar Lodim* , *Lyddam* inter & mare . Ejus memoria in Codice *Gittin* in ipso limine , cap. 1. hal. 1. *Qui libellum repudii attulerit e regione Ethnica* , *testari sic tenetur* , *Me præsente scriptus est hic libellus* , *& me præsente consignatus* ----- *R. Eleazar dicit* , *Imo qui attulerit a Caphar Lodim ad Lyddam* . *R. Nissim* , locum explicans , sic ait , *Caphar Lodim fuit extra terram Israeliticam* , *vicina Lyddæ* , *quæ fuit intra* ( terram ) *nomenque istud sortita est* , *quia semper illic aderant aliqui Lyddenses*.

C A P. XVIII.

*CAPHAR TEBI.*

כפר טבי.

ET hæc villa vicina *Lyddæ* , ab Oriente ejus sita . *Babylon. Rosh hashan*. fol. 13. 2. *Vinea quadriennis erat R. Eleazaro* . במזרח לוד בצד כפר טבי *Ab Oriente Lyddæ juxta Caphar Tebi* . De ea etiam hæc mentio.

*Hierosol. Berac*. fol. 3. 1. *Attulerunt aliquando arcam ossibus repletam a Caphar Tebi* , *eamque aperte collocarunt in introitu ad Lyddam* . *Prodeunt Tudrus Medicus* , *Medicique reliqui* , ut dijudicarent scilicet , an ossa hominum essent , necne ; ac proinde an munda habenda essent , an immunda . *Tudrus dixit* , *Hic nec est spina dorsi* , *nec cranium hominis* . *Dixerunt ergo* , *cum adsint hic quidam* , *qui munda ea reputant* ; *quidam* , *qui immunda* : *suffragiis res determinetur*. *Inceptum est a R. Akibah* , *atque is munda pronuntiavit* , &c.

A Capreolis , in fœcunda hac valle discursantibus , deduci videtur nomen טבי *Tebi* huic viculo . Transit etiam vox in nomen hominum , idque , ut videtur , cum aliqua complacentia . Æterna memoria celebris est *Tabitha* fœmina , *Act.* 9. & paginis *Talmudicis Tebi Servus Rabban Gamalielis*: *Beracoth* , cap. 2. hal. 7. *& Tabitha ejusdem famula* , *Hierosol. Nidda* , fol. 49. 4. *Imo unaquæque ejus famula vocata est* אמא טביתא *Mater Tabitha* , *atque unusquisque famulus* אבא טבי , *Pater Tebi*.

C A P. XIX.

*Ora Judææ Borealis . Beth-horon.*

DElineatur hæc ora *Josuæ* 18. 12. ubi ad versum duodecimum corrigendæ sunt plurimæ versiones , quæ vocem ים reddunt *Mare* , quales sunt *Syriaca* , *LXX. Vulgaris* , *Itala* , Vernacula nostra , &c. Unde oritur sensus oculo Chorographico difficultatis insuperabilis : cum reddenda quidem esset *Occidentis* , ut recte *Chaldaica* , *Arabica* , *R. Sol.* &c.

Duplicem *Beth-horonem* legimus in Veteri Testamento : at unam tantum sub Templo secundo . Hæc Βαιθωρὼ *Jose-*

*Josepho*, *de bello*, lib. 2. cap. 20. distititque, secundum eum, *Antiq. Jud.* lib. 20. cap. 4. C. aut circiter stadia ab *Hierosoymis*. ( XII. M. passuum, ½. )

Periit illic loci exercitus iste magnus *Canaaniticus*, *Jos.* 10. non grandine, ( Judicibus *Judæis* ) quæ illico liquefit; sed lapidibus, qui in secula omnia subsequentia obduruerunt, & duraverunt. Hinc illud, *Babylon. Beracoth*, fol. 54. 1. *Quicunque viderit locum, ubi Israelitæ transierunt mare, ubi transierunt Jordanem, ubi fluvios Arnon, aut lapides istos grandes* ( אבני אלגביש ) *in descensu Beth-horonis, benedicere tenetur.*

Credunt & eodem loci concidisse exercitum *Sennacheribi*: nam sic Glossa in verba prædicta, fol. 2. *Descensus Beth-horonis fuit locus, ubi cecidit exercitus Sennacheribi.*

Erat hæc publica via. *Josephus*, loco antea citato, historiam referens de *Stephano* quodam, servo *Cæsaris*, qui mala a prædonibus passus est hoc loco, dicit illud fuisse κατὰ τὴν Βαιθωρὼ δημοσίαν ὁδόν. Via scilicet regia, qua itum est *Hierosolymis* ad *Cæsaream*.

Angustus tamen admodum erat hic transitus, ac ascensus, quem *Talmudici* sic describunt, *Babylon. Sanhedr.* fol. 32. 2. *Si duo Cameli ascensu Beth-horonis simul ascendant: uterque cadit.* Glossa, *Ascensus Beth-horonis locus erat angustus, nec erat, quo declinares ad dextram aut sinistram.*

Mœsta est apud *Josephum*, *de bello*, lib. 2. cap. 40. *Cestii*, *Romani* Ducis, historia, at hic non inopportuna. Castrametatus est ille contra *Hierosolymas*, in loco vocato *Scopo*, Ἐπὶ τοῦ καλουμένου σκόπου ) a parte, quod ostendemus postea, urbis Aquilonari: retrocedereque tandem coactus a *Judæis*, μόγις εἰς Γαβαὼ κατήντησεν ἐπὶ τὸ πρότερον στρατόπεδον. Ulteriusque ab iis pressus ad *Beth-horonem* se recipit: Προῆγε τὴν δύναμιν ἐπὶ Βαιθώρας.

*Judæi autem, dum ille per loca spatiosa proficisceretur, minus urgebant.* Συνελησθέντων δὲ εἰς κατὰ στενὰ κατάβασιν, *Conclusos autem Romanos intra angustias descensus ( Beth-horonis ) illi prævenientes ab exitu probibuerunt: alii autem postremos in vallem compulerunt. Totaque multitudo, protensa* ὑπὲρ τὸν αὐχένα τῆς ὁδοῦ, *juxta fauces viæ, exercitum telis operuerunt.*

I. Ab *urbe* ad *Scopon*, ( צופים, de qua nos postea ) VII. stadia: nam sic *Josephus*, Διέχει δὲ ἑπτὰ τῆς πόλεως σταδίους.

II. A *Scopo* ad *Gabao* ab *Hierosolymis*, referente eodem *Josepho*, *de bello*, lib. 2. cap. 37. L. stadiis, id est, VI. M. passuum, & ultra.

III. A *Geba* ad *Beth-horonem* L. stadia, aut circiter; eratque circa *Beth-horonem* asperitas montium maxima, transitusque angustissimus.

## CAP. XX.

### *Beth-el. Beth-aven.*

JOsephus, *Antiq.* lib. 5. cap. 1. *Benjamitidem* sic describit, Βενιαμῖται δὲ τὴν ἀπὸ Ἰορδάνου ποταμοῦ ἔλαχον, ἄχρι θαλάσσης μὲν τὸ μῆκος. τὸ δὲ πλάτος, Ἱεροσολύμοις ὁριζομένην, καὶ Βεθήλοις. Notentur hæc ultima, *Latitudo Benjamitidis terminatur Hierosolymis & Beth-ele*. Nonne ex his merito concluditur, *Hierosolymam*, *Beth-elemque*, recta quasi linea oppositas fuisse? Quod si tabulas intuearis, sunt quæ grandi admodum latifundio has separent, a se invicem declinantes.

*Beth-el* erat olim *Luza*: de qua non modice nugantur *Rabbini* in *Judic.* 1. 23. &c. Aliquando vocatur *Beth-aven*: sic *Talmudici*, *Hierosol. Shabb.* fol. 11. 4. & *Avodah Zarah*, fol. 43. 3. *Oppidum illud, quod aliquando vocatum est Beth-el, postea vocatum est Beth-aven.* Et *Chald.* in *Hos.* 4. 15. לא תסקון לבית אל pro *Hebræo* אל תעלו בית און. Sic etiam *Cap.* 10. 5. 8. Non, quod non fuerit aliud oppidum, cui nomen *Beth-aven*, ( vide *Jos.* 18. 12. 13. ) sed quod *Beth-el* nimio suo demerito inustum sibi stigma istius nominis gesserit, eo modo quo *Hierosolyma* nomen *Sodomæ*, *Esajæ* 1. 10.

Dicitur de *Deborah*, quod ea habitaret *Inter Ramah & Bethel in monte Ephraim*, *Judic.* 4. 5. ubi *Targum*, *Ei erant Horti in Ramatha, Oleæ facientes oleum in valle, Domus irrigationis in Beth-el*. Non quod *Beth-el* proprie foret in montano *Ephraimitico*, ipsissimis *Judææ* collimitiis confinis, sed quod habitatio *Deboræ* esset ab initio istius montani, intercurrente valle inter illud montanum atque ista collimitia. Sita erat ipsa *Beth-el* in montano, *Jos.* 16. 1. quod tamen vix dixeris montanum *Ephraimi*, ( cum esset, quando *Beth-el* oppidaque ejus *Judææ* forent, 2. *Paral.* 13. 19. hinc mixta cum *Ephraimitis Judæorum* Idololatria aliquando, de qua a Prophetis non raro audiunt ) sed erat montanum quoddam, proccurrens inter *Judæam* atque *Ephraimitida*. Vide *Josuæ* 18. 12.

Ab

Ab Oriente *Beth-elis* erat olim *Hai*, *Gen.* 12. 5. *Jos.* 8. 9. &c. at ipso fere introitu *Israelis* in terram promissam, nullius exinde nominis, nam in cineres redacta est a *Josua* sempiternos. Non longe ab ea remota erat oppidum *Beth-aven*, *Jos.* 7. 2. quod & eremo adjacenti nomen dedit, *Jos.* 18. 12. in qua *Ephraim* sitam arbitramur, 2. *Paral.* 13. 19. quæ *Ephraim* Novo Testamento dicitur χώρα ἐγγὺς τῆς ἐρήμυ, *Joann.* 11. 54. de qua dicturi sumus postea.

## CAP. XXI.

### *HIEROSOLYMA.*

PRimum hujus urbis nomen *Shalem*, *Gen.* 14. 18. *Psalm.* 76. 3. scriptione ירושלם retentum est, utcunque legatur *Jerusalaim*.

*Beresh. Rabb. Sect. 9. Nomen istius loci est Jehovah Jireh. Abrahamus vocavit locum Jireh, Semus vocavit Shalem. Dicit Deus, Si ego eum vocavero Jireh, displicebit Semo justo; si vocavero Shalem, displicebit Abrahamo justo: Ego ergo nomen ei imponam, quod ab utroque est impositum*, יראה שלם ירושלם. Vide *Aruch* in ירושלם.

Gloss. in *Babylon. Taanith*, fol. 16. 1. לכך אין אנו נותנין יוד' בירושל'. *Nos ergo non interponimus Jod, inter literas Lamed & Mem, in voce Jerusalem, ut retineatur vox* שלם.

Sita est, computante *Aben Ezra*, in *Numer.* 13. in 33. gradu latitudinis. Sic enim ille, רוחב מצרים פחות מל' מחלות *Latitudo Ægypti minus est quam 30. graduum:* ורוחב ירושלם שלשים שלש *Et latitudo Hierosolymæ 33. graduum.*

*Babylon. Joma*, fol. 12. 1. & *Megillah*, fol. 26. 1. *Non dividebatur Hierosolyma inter Tribus: nam Traditio est, Non mercede conduci domos Hierosolymis, quia propriæ non erant. R. Eliazar bar Zadok dixit, Nec etiam lectos. Recepit ergo paterfamilias ab hospitibus coria Sacrificiorum. Abai dicit, Hoc etiam inde discas, Quod moris est, ut homo relinquat cantharum suum testaceum, atque etiam corium Sacrificiorum suorum hospiti suo.* Glossa, *Mercede non elocabant incolæ Hierosolymitani domos suas ad festa accedentibus: sed gratis eas illis concesserunt.* Confer *Matth.* 26. 17.

Divisa nihilo minus est urbs inter Tribum *Judæ* & *Benjaminis*, processitque linea disterminans per ipsum atrium Templi.

*Babylon.* ubi supra. *Quidnam fuit in portione Judæ? Mons Templi, Pastophoria, atria: & quidnam in portione Benjaminis? Pronaon, & Templum, & Sanctum Sanctorum. Prodiitque linea e portione Judæ, & progressa est in portionem Benjaminis; atque in ea conditum est Altare.* Glossa, *Tota latitudo atrii extimi, quoad partem Orientalem, totum atrium mulierum, totum atrium Israelis, undecim cubiti atrii Sacerdotum. (Hæc intra portionem Judæ.) Inde Altare, & exinde ad Occidentem, est intra portionem Benjaminis.*

Accurata adeo distinctione observatæ sunt hæ portiones, (ibid. fol. 15. 2. in *Glossa*) ut angulo Altaris *Eurum* & *Austrum* spectanti non esset fundamentum; quia erat ista portiuncula in portione *Judæ*, debuit autem totum Altare esse intra portionem *Benjaminis*.

*Maimon.* in *Beth habbech*, cap. 7. *Hierosolyma sancta erat præ urbibus aliis, muro cinctis, eo quod in ea comederent sacra leviora, & decimam secundam. Hæc etiam ea sunt, quæ dicuntur de Hierosolyma. Non pernoctare in ea permittunt mortuum: non portant per eam ossa mortui: non elocant in ea domos: non allocant in ea locum* גר תושב *Proselyto inquilino: non permittunt in ea sepulchrum, exceptis sepulchris domus Davidis, & sepulchro Huldæ Prophetissæ, quæ illic fuerunt a diebus usque Prophetarum priorum: nec stercorarium in ea permittunt, propter reptilia: nec proferunt ex ea tabulata, muris adjecta, in plateas, propter inquinationem: nec faciunt in ea caminos propter fumum: nec alunt in ea gallos propter sacra: nec Sacerdotes gallos alunt per totam terram Israeliticam, propter puritatem: non est in ea domus reclusionis suspecta de lepra: nec polluitur lepra: nec fit ullo modo urbs Anathematizanda ob Idololatriam, &c.*

*Avoth*, cap. 5. hal. 5. *Nunquam serpens aut scorpio cuiquam nocuit intra Hierosolymam. Nec dixit unquam quispiam proximo suo, Arctus nimis mihi est locus, in quo hospitor Hierosolymæ.*

*Avoth, R. Nathan*, fol. 9. 1. *Non occurrit Anathema Hierosolymæ, nec titubavit quisquam. Nec evenit illic conflagratio, nec ruina: nec dixit quisquam proximo suo, Non inveni clibanum, in quo assem Pascha meum: vel non inveni lectum, in quo recumbam. Non plantant in ea arbores, hortis rosarum exceptis, qui illic fuerunt a diebus usque Prophetarum priorum. Non nutriunt in ea pavones aut gallos, multo minus porcos, &c.*

Rationem, quare hortos non permiserint

ſerint in urbe, hanc reddunt Patres Traditionum, *Bava* Kamma, cap. 7. hal. ult. *Non faciunt in Jeruſalem hortos, aut paradiſos*, משום סירחא *propter fœtorem*. Gloſſa, *Propter fœtorem ab herbis malis, quæ projicerentur: moſque eſt hortos ſtercorare, atque inde fœtor*.

Rationem etiam, quare gallos non alerent, hanc reddit ibidem eadem Gloſſa: *Etiam Iſraelitis prohibitum eſt gallos alere Hieroſolymis*, ( Sacerdotibus nuſpiam licitum ) *propter ſacra. Nam illic comederunt carnem Sacrificiorum Pacificorum atque Euchariſticorum: jam vero mos eſt gallis gallinaceis vertere ſtercoraria, atque inde forſan educere poſſent oſſa reptilium, unde pollui poſſent ſacra iſta comedenda*.

Horti extra urbem erant frequentiſſimi, iique ab ipſis mœnibus urbis ulterius ſe extendentes. Hinc illud apud *Joſephum, de bello*, lib. 5. cap. 7. de *Tito* periclitante, dum urbem exploraturus circumequitaret. Τῷ δὲ πρόσω μὲν ἦν χωρεῖν ἀδύνατον, ἐκτετάφρευτο γὰρ ἀπὸ τοῦ τείχους περὶ τὰς κηπείας ἅπαντα, κήποις καὶ πολλοῖς ἕρκεσι διειλημμένα.

Hæc mira referunt etiam *Talmudici* de Templo. *Avoth*, ubi ſupra. *Decem miracula facta ſunt patribus noſtris in Sanctuario. Mulier nulla unquam abortionem paſſa, propter odorem carnis ſacræ: nec fœtorem, aut vermes unquam paſſa eſt caro ſacra: nec unquam viſa eſt muſca in domo* ( *vel loco* ) *mactationis: nec unquam evenit Gonorrhœa Pontifici ſummo die Expiationis: nec extinxerunt pluviæ ignem Altaris: nec prævaluit ventus columnæ fumi: nec profani quicquam repertum eſt in manipulo, aut duobus panibus* ( ſummi Pontificis ) *aut in panibus Propoſitionis*. עומדים צפופים ומשתחוים רווחים *Steterunt* ( in atrio ) *coarctati*, ( Gloſſa, *Ita mutuo ſe prementes præ multitudine, ut pedes vix terram contingerent*. ) *at, cum adorarent, habuerunt ſpatii ſatis, &c.*

*Gloſſa* in *Erubin*, fol. 101. 1. ירושלם כולה כרמלית *Hieroſolyma tota erat Carmelith, quia erat ſicut atrium commune*. Quid ſit *Carmelith*, docebunt Lexica, & *Gemariſtæ* in tractatu *Shabbath Hieroſol*. fol. 2. 4. ארבע רשויות לשבת. *Quatuor capacitates ſunt Sabbati*, ( vel reſpectus locorum quoad loco motionem Sabbaticam ) *Publica, privata, Carmelith, & veſtibula cooperta. R. Chaijah dicit, Carmelith eſt locus, nec publicus, nec privatus. R. Jiſſa nomine R. Jochananis dicit, Carmelith eſt ſicut Taberna Bar Juſtini, &c.*

קרתני & ירושלמי opponebantur, ſicut *Ruſticus* & *Urbanus*, *Demai*, cap. 6. hal. a *R. Iſmael* dicit, הקרתני שקבל שדה מירושלמי *Ruſticus*, vel *Paganus, agrum accipit ab Hieroſolymitano: decima ſecunda pertinet ad Hieroſolymitanum. At Sapientes dicunt, Poteſt Ruſticus ad Hieroſolymam aſcendere, atque eam illic comedere*. Gloſſa, איש מיוחס לכפר *Kartani eſt ex habitantibus villas*.

## CAP. XXII.

*Partes urbis. Sion* Ἄνω πόλις
*Ea a parte Aquilonari.*

EST, qui aſſerat *Hieroſolymam* fuiſſe ſepticollem: aſt an ratione magis levi, an obſcura, non facile dixeris. *Tanch*. fol. 52. 3. *Demonſtravit cetus Jonæ*, inquit, *Templum Domini; ſicut dicitur*, Ad radices montium deſcendi: *unde diſcimus Hieroſolymam ſuper ſeptem montes ſitam fuiſſe*. Rem ipſam citius fere comprobaveris, quam probaveris argumentum: ipſe ſuo fruatur, nobis aliunde ſitus petendus.

*Joſephus, de bello*, lib. 5. cap. 13. Πόλιν μὲν ὑπὲρ δύο λόφων ἀντιπρόσωπος ἔκτιστο. *Urbs ipſa condita erat, adverſis frontibus ſeipſam reſpiciens, ſuper duos colles, intercurrente valle diviſos; in quam occurrentia ædificia deſinunt*.

Τῶν δὲ λόφων ὁ μὲν τὴν ἄνω πόλιν ἔχων, *Ex his collibus iſte, qui urbem ſuperiorem continuit, altior longe erat & longitudine porrectior, & quia munitus valde erat, vocabatur a Davide Rege* CASTELLUM; ἡ δὲ ἄνω ἀγορὰ πρὸς ἡμῶν, *a nobis autem vocatur* OPPIDUM SUPERIUS.

Ἕτερος δέ, ὁ καλέμενος Ἄκρα, καὶ τὴν κάτω πόλιν ὑφεστὼς, &c. *Alter vero, qui vocabatr* ACRA, *oppidum inferius ſuſtinens, utrinque declivis erat*.

*Huic vero ex adverſo tertius collis erat*, ( MORIAH ) *Acra depreſſior, & lata valle inde ſemotus: at, cum regnarent Aſmonæi, vallem aggere repleverunt, volentes ut Templum urbem contingeret, detraxeruntque a ſummitate Acræ, ut Templum ei ſuperemineret*.

Erant & alii colliculi, *Bezetha* & *Ophel*, de quibus ſuo loco: cum primum hos duos perluſtraverimus, *Sionem* & *Acram*, atque utriuſque ſitum.

An *Sion*, an *Jeruſalem*, partem urbis Aquilonarem occupaverit, vetus eſt diſputatio, hodiernaque: nos *Sionem* ab Aquilone ſtatuimus, his nixi rationibus.

I. *Pſalm*. 48. 3. הר ציון ירכתי צפון *Gaudium totius terræ eſt Mons Sion a late-*

*latere Boreali*. Ubi *Aben Ezra*, ציון בצפון ירושלם *Mons Sion est a latere Hierosolymæ Septentrionali*: & *Lyranus*, *Mons Sion est in Aquilonari parte Hierusalem*.

LXX. Ὄρη Σιὼν τὰ πλευρὰ τοῦ Βορρᾶ.

*Appolinar.* Οὔρεα τοι Σιῶνος ἀπὸ πλευρῆς βορέαο.

II. Cum Propheta *Ezechiel* novam *Hierosolymam* in visione prospicit, dicit se stetisse in monte alto valde, *Juxta quem erat quasi ædificium ab Austro*, *Ezech.* 40. 2. In quem locum sic *Kimchius*, *Locavit me super montem excelsum valde. Iste mons erat mons Templi: nam Templum condendum erat in monte, sicut ante. Et civitas Hierusalem propinqua ei est ab Austro*. Et *Lyranus* iterum, post recitatam nonnullorum istius commatis explicationem, & rejectam, *Et ideo*, inquit, *Hebræi dicunt, & melius, ut videtur, quod Propheta duo vidit; scilicet civitatem & Templum; & quod Templum erat in parte Aquilonari, civitas autem in parte Australi*.

En tibi, Lector, *Sionem* a parte Aquilonari apud *Psaltem*, & civitatem a parte Australi apud *Prophetam*!

Quæ in hanc causam faciunt apud *Josephum* & varia sunt, & non obscura; quæ tamen in argumenta compingere non possumus, ante perlustrata ædificia melioris notæ in *Sione*, vel ἐν τῇ ἄνω πόλει, cujus memorem oportet esse Lectorem; Appellationem scilicet *Sionis* a reditu e *Babylone* fuisse desuetam, vulgatiorem autem fuisse τῆς ἄνω ἀγορᾶς.

## CAP. XXIII.

### *Ædificia nobiliora in Sione.*

ÆDificia ipsa primo recognoscemus, & deinde, quantum licet eorum situm.

I. Primum locum perlustrationis nostræ sibi vendicat *Regia*: de qua ista. *Joseph. de bello*, lib. 2. cap. 39. Ἔπειτα πρὸς τὴν ἄνω πόλιν ἐλθὼν ἀντικρὺ τῆς βασιλικῆς αὐλῆς ἐστρατοπεδεύετο. *Cestius* (*locis urbis aliis quibusdam vastatis*) *venit tandem in urbem superiorem* (*Sionem*) *& castra posuit contra aulam Regiam*.

Cum incendio *Romani Acram* solo æquassent, οἱ στασιασταὶ ἐπὶ τὴν βασιλικὴν ὁρμήσαντες αὐλὴν, *Seditiosi in Regiam ruentes, in quam ob loci munitionem bona sua contulerant, illuc evocant Romanos*, Ibid. lib. 6. cap. 37. Et postea, cap. 40. Καῖσαρ δ', ὡς ἀμήχανον ἐξελεῖν δίχα χωμάτων τὴν ἄνω πόλιν, περικρημνον οὖσαν, &c. *Cæsar autem, cum frustra esset urbem superiorem aggredi absque aggeribus, quippe quæ undique declivis esset, exercitum operi applicat, &c.*

II. *Domus Asmonæorum* & *Xystus*.

Ibid. lib. 2. cap. 28. *Agrippa* Rex *Hierosolymitanos* convocat in *Xystum*, sororemque *Berenicen* intra eorum conspectum sistit, ἐπὶ τῶν Ἀσμοναίων οἰκίας, αὕτη γὰρ ἦν ἐπάνω τοῦ Ξυστοῦ, πρὸς τὸ πέραν τῆς ἄνω πόλεως· *Super domum Asmonæorum, quæ erat supra Xystum, in ulteriori parte urbis superioris*.

III. *Pons* erat, a *Xysto* ducens in *Templum*, *Templumque* conjungens *Sioni*.

Idem, ibid. Γέφυρα τῷ Ξυστῷ τὸ Ἱερὸν συνῆπτεν.

Idem, *Antiq.* lib. 14. cap. 8. Cum *Pompejus* urbem oppugnaret, *Judæi* Templum ceperunt, καὶ τὴν γέφυραν ἀπ' αὐτοῦ Γέφυραν εἰς τὴν πόλιν ἔκοψαν· *pontemque, inde in urbem ducentem, diruperunt. Alii autem exercitum ejus receperunt, Pompejoque urbem tradiderunt, & Regiam.*

Idem, *de Bello*, lib. 6. cap. 40. *Titusque* cum seditiosos in Regia, in urbe superiori, obsideret, quatuor legionum machinas erigit, κατὰ τὸ πρὸς δύσιν κλίμα τῆς πόλεως, ἄντικρυς τῆς βασιλικῆς αὐλῆς. Τὸ δὲ συμμαχικὸν πλῆθος, καὶ ὁ λοιπὸς ὄχλος κατὰ τὸν Ξυστὸν, ἐξ οὗ καὶ τὴν Γέφυραν.

Vides hæc loca fuisse in urbe superiori; discisque a *Josepho*, urbem superiorem eandem fuisse cum *Castello Davidis*, vel *Sione*. Jam vero hæc loca fuisse a parte urbis Aquilonari ab eodem ex his disce.

Turres ab *Herode* conditas, *Psephinum*, *Hippicum*, *&c.* dicit plane fuisse ab *Aquilone*.

Ibid. lib. 5. cap. 12. *Castrametatus est Titus*, inquit, *stadiis ab urbe duobus, a parte muri angulari, juxta turrim Psephinum, ubi circuitus muri ab Arcto flectitur in Occidentem*. Et capite proxime sequente, Ἀνεῖχε κατὰ γωνίαν βόρειός τε καὶ πρὸς δύσιν ὁ Ψήφινος πύργος.

Et muri extimi ambitum eodem capite describens, Ibid. cap. 13. Ἀρχόμενον δὲ, inquit, κατὰ βορρᾶν ἀπὸ τοῦ Ἱππικοῦ καλουμένου πύργου καὶ διατεῖνον ἐπὶ τὸν Ξυστὸν, *&c. Incepit*, inquit, *a Septentrione a turre Hippico, & processit ad Xystum*.

Et, cum turres istas descripsisset, hæc addit, Κειμένοις δὲ πρὸς ἄρκτον αὐτοῖς

τοῖς ἔνδοθεν ἡ τοῦ βασιλέως αὐλὴ προσέζευκτο· *Sitis autem istis turribus ab Aquilone, intus adjuncta erat Regia*. Quid clarius? *Regia* erat in urbe superiori, vel *Sione*: at *Regia* conjuncta erat muro extimo Septentrionali; ergo *Sion* erat a Septentrione.

His addas quæ sequuntur in Historia de *Pompejo*, antea adducta. Cùm in manus *Pompeji* tradita esset *Regia*, Πομπήιος δὲ ἔσωθεν στρατοπεδεύεται κατὰ τὸ βόρειον τοῦ ἱεροῦ μέρος. *Ille castra ponit a parte Templi Aquilonari*.

Et de *Cestio*, ibid. lib. 2. cap. 39. Πρὸς τὴν ἄνω πόλιν ἐλθὼν ἀντικρὺ τῆς βασιλικῆς αὐλῆς ἐστρατοπεδεύετο. Et paulo post, Κατὰ τὸ προσάρκτιον ἐπιχειρεῖ κλίμα τῷ ἱερῷ.

Plura jam non urgebimus: occurrent hinc illinc procedentibus quæ sententiam hanc nostram tueantur: cui quæ contradicantur, satis novimus, quæ æqua trutina Lectori trutinanda relinquimus. Hæc duo vero silentio præterire non possumus, quæ aperta facie nobis contraire videntur.

I. Objici potest, idque non immerito, *Sionem* fuisse in Tribu *Judæ*, *Hierosolymam* autem in Tribu *Benjaminis*. Jam vero cum terra *Judæ* fuerit a regione *Hierosolymæ* Australi, censendusque sit mons *Sion* intra portionem *Judæ*, hoc quomodo fieri potuit cum inter *Judæam* & *Sionem* interjecta fuerit *Hierosolyma*, quæ fuit e *Benjamitide*?

*Resp*. I. Nulla necessitate cogimur, ut *Sionem* præcise intra portionem *Judæ* circumscribamus; cum eam devicerit *David*, non qua a *Juda* ortus, sed qua Rex totius gentis.

II. At, detur *Sionem Judæ* ascribendam, linea ista intersecans inter portionem *Judæ* & *Benjaminis*, de qua mentionem habuimus ante, non ab Oriente in Occidentem processit: nam sic quidem totam *Hierosolymam* a tota *Sione* dissecuisset, sed perrexit ab Austro in Aquilonem, & sic *Hierosolymam* intersecuit, & *Sionem* intersecuit; ita ut utraque foret in utraque Tribu; atque ita etiam erat mons *Moriah*.

II. Objicitur, Hodie ostendi peregrinantibus collem & ruinas, sub nomine *Sionis* & *turris Davidicæ*, a parte urbis Australi.

*Resp*. At liceat nobis pro oraculis non habere omnia, quæ ab iis dicuntur, qui loca ista jam ostendunt, cum satis pateat, eos in plerisque aliis hallucinari, extraque omnem controvesiam sit, eos non tam veritati in ista re studere, quam sibi ipsis lucrum venari. Utinam iis minus fuisset creditum, & magis de situ locorum ex Scriptura & scriptoribus aliis ventilatum.

## CAP. XXIV.

### *Ædificia quædam in Acra. Bezetha. Millo.*

NOn tam longe in Orientem se protrusit mons *Sion*, quam mons *Acra*: atque hinc est, quod mons *Moriah* a *Josepho* dicatur *situs ex adverso Acræ*, potius quam ex adverso urbis superioris: nam *Acram* sic describens, quod adduximus ante, *de bello*, lib. 5. cap. 13. Ἅτερος δὲ (λόφος) ὁ καλούμενος Ἄκρα, καὶ τὴν κάτω πόλιν ὑφεστὼς, ἀμφίκυρτος proximis verbis hæc subdit, Τούτου δὲ ἀντικρὺ τρίτος ἦν λόφος, loquens de *Moriah*.

Idem conflagrationem urbis inferioris sic describit, Ibid. lib. 6. cap. 35. Τότε ἀρχεῖον, καὶ τὴν Ἄκραν, καὶ τὸ βουλευτήριον, καὶ τὸν ὀφλᾶν καλούμενον ὑφῆψαν· καὶ προὔκοψε τὸ πῦρ μέχρι τῆς Ἑλένης βασιλείων, ἃ δὴ κατὰ μέσην τὴν Ἄκραν ἦν.

I. Ἀρχεῖον. An Curiam Magistratuum velit, an Archivorum repositorium, pro varia vocis significatione, non decernimus. Erant certe Archiva sacra in Templo, at civilia absque dubio in urbe, ubi reponebantur schedulæ & monumenta coemtionum, contractuum, donationum, atque actorum publicorum, &c. De eorum repositorio ego hoc promtius inellexerim, quam de Curia Magistratuum, quia illico distincte nominatur Βουλευτήριον.

II. Ἄκραν Id est, vel ædificia, quæ in ipsa montis summitate & vertice, vel præsidium vel castellum aliquod in monte. Quo sensu non raro occurrit vox ista in historia *Maccabaica*, atque apud *Josephum*.

III. Βουλευτήριον. Βουλὴν alibi memorat, eamque, ut videtur, in urbe superiori: nam dicit ibid. lib. 5. cap. 13. *murum extimum ab Aquilone incepisse ab Hippico turre, & processisse ad Xystum*, ἔπειτα τῇ βουλῇ συνάπτον, *atque inde Concilio (vel Curiæ) contiguum processisse ex opposita porticus Occidentalis Templi*. Βουλὴν in urbe superiori non incongrue interpreteris de Curia Regis. Βουλευτήριον in inferiori de Curia Synhedrii, quo concessit, cum migraret a Tabernis.

IV. Ὀφλᾶν. Ophel, *Nehem*. 3. 26. *Erat & quartus collis*, inquit idem *Josephus*, ibid. ὃς καλεῖται Βεζεθὰ, *qui vocatus est Bezetha*, *situs ex adverso Antoniæ*

*niæ*, *atque inde divisus profunda fossa*. *Bezetha autem*, *si Græca interpretatione reddatur*, καινὴ λέγοιτ' ἂν πόλις, *dici possit Nova Civitas*. Et tamen est, ubi distinguere videtur inter *Bezetham* & *Novam Civitatem*: nam dicit de *Cestio*, ibid. lib. 2. cap. 39. Κέστιος δὲ παρελθὼν ὑπεμπίπρησι τήν τε Βεζεθὰν προσαγορευομένην, καὶ τὴν καινόπολιν.

Sita erat Bezetha a parte *Antoniæ* Aquilonari, expleruntque ea & καινόπολις spatium illud ubi desiit *Sion* ab Oriente, & non in tantum exporrecta est, in quantum *Acra*. Πλήθει ὑπερχομένη (ἡ πόλις) κατὰ μικρὸν ἐξεῖρπε τῶν περιβόλων, καὶ τοῦ Ἱεροῦ τὰ προσάρκτια πρὸς τῷ λόφῳ συμπολίζοντες, ἐπ' οὐκ ὀλίγον προῆλθον καὶ τέταρτον περιοικηθῆναι λόφον, ὃς καλεῖται Βεζεθά, &c.

De *Millo* variant interpretes. Est, qui locum amplum fuisse opinetur, comitiis & conventibus publicis destinatum: ita *Kimch.* in 2. *Sam.* 5. Est, qui de aggeribus terræ interpretetur, ad murum intus congestæ, unde facilius ascendere possent in murum: *Davidem*que, cum dicatur condidisse *Millo*, turres supra cumulos atque aggeres hosce erexisse: ita *R. Esajas*, ibid. Sunt, qui de valle, aut platea, intelligant, intercurrente inter *Hierosolymam* & *Sionem*, & sic vulgo depingitur in Tabulis. Cum revera *Millo* fuerit pars *Sionis*, vel colliculus ei aliquis adjectus a parte Occidentali.

Observetur illud 2. *Paral.* 32. 5. ויחזק את המלוא עיר דוד *Et restauravit*, vel *munivit*, *Millo urbis Davidis*; vel, ut vernacula nostra; *in urbe Davidis*. LXX. Τὸ ἀνάλημμα τῆς πόλεως Δαυίδ. Cum ergo dicatur *David* condidisse *Millo & interius*, idem est, ac si dixisset, Condidit ab extrema parte *Sionis*, quæ vocabatur *Millo*, interius ad Castellum proprium. Et cætera restauravit *Joabus*, 1. *Paral.* 11. 8.

Platea, vel vallis, intercurrens inter *Sionem* & *Acram* vocabatur Τυροποιῶν φάραγξ, quasi dicas, *Casceariorum vallis*, aut *platea*, *Joseph. de Bello* lib. 5. cap. 13. Erat & Δοκῶν Ἀγορά, quam idem, ibid. lib. 2. cap. 39. conjungit cum *Bezetha* & *Nova Civitate*. *Flammis vastavit Cestius*, inquit, *Bezetham & Cænopolin*, καὶ τὸ καλούμενον Δοκῶν Ἀγοράν.

## CAP. XXV.

*Gihon*, *idem cum fonte Siloam*.

I. IN 1. *Reg.* 1. 33. 38. quod in *Hebræo* est, *Deducite Salomonem ad Gibon*; *Et deduxerunt eum ad Gibon*: *a Chaldæo redditur*, *Deducite eum ad Siloam*; *& deduxerunt eum ad Siloam*. Ubi sic *Kimchius*. *Gihon est Siloam*, *& vocatur duplici nomine*. *Et præcepit David*, *ut Salomonem ungerent ad Gihonem*, *in bonum omen*, *ut sit nempe regnum ejus prout aquæ fontis sunt perennes*. Sic etiam *Hierosolymitani*, *Sotah*, fol. 22. 3. *Regem non ungunt nisi ad fontem*; *sicut dicitur*, Deducite Salomonem ad Gihon.

Typum regni *Davidici* exhibuerunt scatebræ *Siloami*, *Esaj.* 8. 6. ubi sic *Chaldæus* Paraphrastes, *Quia tædet hunc populum regni domus Davidicæ*, *quæ leniter eum tractat*, *sicut leniter labuntur aquæ Siloam*. Et *R. Sol. Siloam est fons*, *cujus nomen est Gibon & Siloam*. Vide & *Aruch* in voce שלוח.

II. Situs erat fons iste a parte urbis Occidentali, at non longe ab angulo Occidentem & Austrum respiciente.

*Josephus de bello*, lib. 5. cap. 13. de profunda ista valle loquens, quæ intercurrebat inter *Sionem* & *Acram*, καθήκει, inquit, μέχει Σιλωᾶς, *Exporrigitur usque ad Siloamum*, *sic enim fontem vocamus dulcem quidem & largum*. Jam vero procurrebant *Sion* & *Acra* montes, pariterque vallis intersecans, ab Oriente ad Occidentem. Idemque ibidem, de muri extimi ambitu loquens, hæc ait inter alia, καὶ ἔπειτα πρὸς νότον ὑπὲρ τὴν Σιλωὰμ ἐπιστρέφων πηγὴν, &c. *At inde ad Austrum inclinat post fontem Siloamum*. Post tumultum *Hierosolymis* sub *Floro a Judæis* excitatum, illuc perveniens cum Rege *Agrippa*, *Neapolitanus* Tribunus a *Judæis* obsecratur, σὺν ἑνὶ θεράποντι περιελθεῖν μέχει τοῦ Σιλωᾶ τὴν πόλιν, *Ut uno tantum assumto famulo*, *per urbem pergat usque ad Siloam*: (id est, ab Oriente ad Occidentem per totam urbem) atque ut inde ex pacato & quieto erga ipsum populi gestu percipiat, non in *Romanos* omnes exardere populum, sed in *Florum* solum, Idem, ibid. lib. 2. c. 28.

III. Erat *Siloam* a tergo *Hierosolymæ*, non *Sionis*. Notetur illud *Josephi*, ibid. lib. 6. cap. 38. Ῥωμαῖοι, τρεψάμενοι τοὺς λῃστὰς ἐκ τῆς κάτω πόλεως, τὰ μέχει τοῦ Σιλωᾶ πάντα ἐνέπρησαν. *Romani*, *cum seditiosos ex urbe inferiori abegissent*, *totam eam combusserunt usque ad Siloamum*. Hoc ideo observamus, quia falli hic, & fallere videamus Tabulas nonnullas, quæ *Siloamum* collocant post *Sionem*; cum revera statuendus esset post *Acram*. *Stagnum Siloami* quidem erat post aliquam partem *Sionis*, versus Occidentem; at *fons Siloam* post *Acram*.

IV. Per duplicem rivum se evacuavit in duplex stagnum: superius scilicet & in-

& inferius, 2. *Reg.* 18. 17. *Esajæ* 7. 3. Inferius erat ab Occidente, & vocatur *Stagnum Siloami*, *Joan.* 9. 7. *Nehem.* 3. 15. Superius forte illud erat, quod a *Josepho* vocatur *Stagnum Salomonis*, loco nuper citato. *Et inde*, inquit ille, *murus extimus ad Austrum inclinat post fontem Siloamum*: ἔνθεν τε πάλιν ἐκκλίνον πρὸς ἀνατολὴν ἐπὶ τὴν Σολομῶνος κολυμβήθραν, &c. *Atque inde iterum in Orientem inclinat ad Stagnum Salomonis*. Vide 2. *Paral.* 32. 30. & *Esajæ* 22. 9. 11.

V. Aquas hauserunt e fonte *Siloami* in solenni ista festivitate festi Scenopegiæ, quam ניסוך המים *Libationem aquæ* vocarunt: de qua sic Patres Traditionum, *Succah*, cap. 4. hal. 7. *Libatio aquæ quonam modo fuit? Phiala aurea fuit, Log ter continens, quam implevit aliquis e Siloamo, &c. Gemaristæ* quærunt, *Babylon.* ibid. fol. 48. 2. *Unde hæc consuetudo? Ex eo, quod dicitur*, Et haurietis aquas cum gaudio e fontibus salutis. *Hierosol.* ibid. fol. 55. 1. *R. Levi dicit, quare vocatur* בית שואבה *Locus haustus? Quia inde hauriunt Spiritum Sanctum*.

Aquam inde hauserunt etiam, cum cineribus vaccæ rufæ commiscendam, cum aspergendus esset aliquis immundus, *Parah*, cap. 3. hal. 2.

Sacerdotes largius de sacris comedentes aquas *Siloami* biberunt, concoctionis ergo, *Avoth R. Nathan*, fol. 9. 1.

Addamus & hæc; sed Oedipus esto lector. *Hierosol. Chagigah*, fol. 76. 1. *Immundus a cadavere non ingreditur in montem Templi. Dicitur, quod isti, qui apparerent, apparerent in atrio. Unde tu mensuras, a muro an a domibus? Tradit Samuel, A Siloamo*, ושלוח היה באמצע המדינה *Et Siloam erat in medio urbis*.

## CAP. XXVI.

*Cingulum urbis*, *Nehem.* Cap. 3.

A *Porta probatica* שער הצאן Peripheriæ initium. Istam arbitramur sitam a parte Australi, at parum remotam ab angulo isto, qui Austrum respexit & Orientem. Intus *Natatoria Bethesdæ* sanationibus celebris.

Pergenti porro a parte Australi *Turris Meab*: atque ulterius *Turris Hananeel*: *Chaldæo* Paraphraste מגדל פקוס *Zachar.* 14. 10. פקוס *Jerem.* 31. 38. Ἱππικὸν suspicarer, nisi quod ista a latere Aquilonari posita esset, hæc ab Australi. Perpendenda sunt verba *Jeremiæ*, *Ædificabitur civitas Domino, a Turri Hananeel ad portam anguli. Exibitque porro linea mensurans juxta eam ad collem Gareb: & circuibit ad Goab. Omnisque vallis cadaverum, cinerisque, atque omnia arva ad torrentem Kidron, usque ad angulum portæ equorum ab Oriente, Sanctitas erit Domino, &c.*

נבעת גרב *Collis Careb.* Non *Gareb* certe illa, ubi Idolum *Michæ*, de qua sic *Talmudici*, *Babylon. Sanhedr.* fol. 103. 2. *R. Nathan dicit, A Gareb ad Shiloh erant tria milliaria, fumusque Altaris commistus erat cum fumo Idoli Michæ*: sed, ut non inconcinne *Lyranus*, *Mons Calvariæ*: vide & *Midr. Till.* in *Psal.* 132. & *Buxtorf.* in *Lexic. Talmud.* in voce מיל.

גועתה: *Chald.* ברכת עגלה *Stagnum vitulæ*, etymon vocis secutus a געה Mugiendo. *Lyran. Golgotha*.

עמק פגרים והדשן: *Chaldæus* Paraphrastes, & *Rabbini* de loco intelligunt, ubi periit exercitus *Assyriorum*: nec omnino vafre; nam periisse illi videntur, si modo juxta *Hierosolymam* perierunt, in *valle Tophet*, sive *Ben-Hinnom*, *Esajæ* 30. 33. Agitque *Jeremias* de ista valle, sentina scilicet urbis & cœmiterio, loco præ omnibus aliis urbem ambientibus fœdissimo atque abominando; prædicens istam vallem, quam noli jam tangere, olim mundam futuram, atque intra urbis ambitum recipiendam: at hoc mystice & sensu magis spirituali. Hinc arguimus *Turrim Hananeel* a latere urbis Australi fuisse, a quo etiam latere *vallis Ben-Hinnom*, deflectens tamen etiam in Orientem: prout *vallis Kidron* ab Oriente urbis deflexit etiam in Septentrionem. Impossibile erit, ni fallar plurimum, si modo initium peripheriæ istius apud *Nehemiam*, ab angulo Eurum atque Aquilonem spectante sumas, quod faciunt nonnulli, hæc verba *Jeremiæ* interpretari sensu aliquo vel plano vel probabili; nisi comminiscaris, quod falsissimum, *vallem Hinnomis* sitam ab Aquilone.

VERS. 3. שער הדגים. LXX. Τὴν πύλην τὴν ἰχθυράν. Erat & ista versus Austrum. De ea mentio. *Sophon.* 1. 10. ubi LXX. Πύλη ἀποκεντούντων obscurius. Dictam hanc portam *Portam Piscium* hariolantur plerique, quod per eam inferrentur pisces in urbem: ego potius, quod esset *forum Piscium*; prout *Probatica*, *forum pecorum*. Addit *Sophonias*, ויללה מן המשנה *Et ululatus erit a secunda*. *Chald.* מן עופא *R. Sol.* משער העופות *A porta volucrum*: forte porta juxta forum ubi venderentur volucres. *Kimchius* legit מן עפלא, *Ab Ophel*: pla-

planius quidem; ſed quæro an verius. Erat hæc *porta volucrum*, ea fortaſſe, quæ vocatur *Porta vetus*, *Nehem.* 3. 6.

Prope angulum Auſtrum atque Occidentem reſpicientem, *Fontem Siloam* fuiſſe arbitramur: idque partim verbis *Joſephi* perſuaſi antea allegatis, partim ratione ipſa inducti: nam hinc fluxit fons iſte juxta murum Auſtralem, Orientem verſus ad *portam*, ut arbitramur, *Probaticam*, illinc flectens rivo decliviori Aquilonem verſus in vallem, atque deſinens tandem in ſtagnum *Siloami*, ad baſim montis *Sionis*.

Ab Occidente erat I. שער הגיא *Porta vallis*, *verſu* 13. cum jam ad baſin montis *Acræ* eſſet perventum: & II. mille inde cubitis שער האשפות *Porta Eſquilina*, vel *Stercorea*, *verſu* 14. Et III. porro שער העין *Porta fontis*, *verſu* 15. non *Siloami*, nec *Draconis*; ſed alius.

Et jam perventum eſt ad *Piſcinam Siloami*, & ad pedem *Sionis*, quo per gradus quoſdam aſcendebatur, *verſu* 15. Erant primum *Piſcina Siloami*, fonſque, & rivus Occidentalis, extra muros; aſt omnes tandem incluſit Rex *Manaſſech*, 2. *Paral.* 33. 14. ut ſecurius urbi eſſet de aqua, ſi obſidionem pateretur: exemplo id edoctus avi *Ezechiæ*, aſt incommodiori, 2. *Paral.* 32. 3.

Perrexit murus juxta *Sepulchreta Davidis*, *piſcinam aliam*, *Domumque fortium*, *verſu* 6. & non multo poſt flexit verſus Orientem: & jam ad latus Septentrionale pervenimus. Vide verſum decimum nonum & viceſimum.

Ad anguli hujus flexuram condidit *Herodes* celeberrima turrim *Pſephinum*, de qua ſic *Joſephus*, *de bello* lib. 5. c. 13. Θαυμαστιώτερος ἀνεῖχε κατὰ γωνίαν βορέιος τε καὶ πρὸς δύσιν ὁ Τήφινος πύργος, καθ' ὃν ἐστρατοπεδεύσατο Τίτος, &c.

Non erat ab hoc latere Boreali porta ulla: Ædificia, quæ erant intus, memorantur, *Nehem.* 3. *verſibus* 20. 21. 22. 23. 24. & *Turris Hippicus* a *Joſepho*.

Ab Oriente erant, I. Turris prominens in ipſa anguli flexura, Septentrionem reſpicientis & Orientem. Intus Domus Regia, atque atrium carceris, *verſu* 25. II. *Porta aquarum*, cujus & mentio, *Nehem.* 12. 37. III. *Ophel*, & *porta equorum*, *Nehem.* 3. 27. 28. de qua & mentio, *Jerem.* 31. 40. unde initium erat *vallis Ben-Hinnom*, quæ, infra urbem Auſtrum verſus procurrens, tandem flexit in Occidentem. *Porta* ergo *aquarum* in *vallem Kidronis* duxit, at *porta equorum* in *vallem Hinnomis*, illic loci *vallem Kidronis* contingentem. IV. *Porta Miphkad*. Vulg. *Porta Judicialis*. V. Exinde non longe aberat angulus Eurum ſpectans & Auſtrum: atque inde, aliquantum in latere Auſtrali, *Probatica Porta*, unde primo eſt proceſſum.

Addamus verba *Joſephi* de proceſſu muri extimi. Sic autem ille ubi ſupra. Ἀρχόμενον δὲ κατὰ βορρᾶν ἀπὸ τοῦ Ἱππικοῦ καλουμένου πύργου, καὶ διατεῖνον ἐπὶ τὸν Ξυστὸν λεγόμενον, ἔπειτα τῇ βουλῇ συνάπτον ἐπὶ τὴν ἑσπέριον τοῦ Ἱεροῦ στοὰν ἀπηρτίζετο. Κατὰ θάτερα βὲ πρὸς δύσιν ἀπὸ τοῦ αὐτοῦ μὲν ἀρχόμενον πύργου διὰ δὲ τοῦ Βηθσὼ καλουμένου χώρου κατατεῖνον ἐπὶ τὴν Ἐοσηνῶν πύλην, καὶ ἔπειτα πρὸς νότον ὑπὲρ τὴν Σιλωὰμ ἐπιστρέφον πηγὴν, ἔνθεν τε πάλιν ἐκκλῖνον πρὸς ἀνατολὴν ἐπὶ τὴν Σολομῶνος κολυμβήθραν, καὶ διῆκον μέχει χώρου τινὸς, ὃν καλοῦσιν Ὀφλᾶς, τῇ πρὸς ἀνατολὴν στοᾷ τοῦ Ἱεροῦ συνήπτω.

In quæ hæc duo obſervemus ad proceſſionis noſtræ aſſertionem. I. Procedere hanc deſcriptionem ab Aquilone ad Occidentem, Auſtrum, Orientem. II. *Ophlam*, vel *Ophel*, interjectam fuiſſe inter angulum, Eurum atque Auſtrum intuentem, atque porticus Templi; quod nequaquam concipi poteſt, ſi aliunde delineationem *Nehemiæ* ordiaris, quam ubi nos. His addi poteſt ſitus *Siloami*, de quo iſta dici nullo modo poſſunt, quæ & a *Joſepho* dicuntur & Scriptura, ſi ſitum ejus juxta *Sionem* reputes.

Adjiciamus etiam proceſſionem chori, *Nehem.* 12. 13. Aſcendit murum, perrexitque a dextra ad *portam ſtercoris*, *portam fontis*, *civitatem Davidis*, &c. *verſu* 37. Obſerventur verba iſta, *Perrexit a dextra*, *verſu* 31. quod fieri nequivit, niſi juxta proceſſionem, quam nos ſtatuimus, ſi modo intra murum aſcenderunt murum, quod non opinari hiſpidum eſſet & alienum.

Chorus alter a ſiniſtra pergit ad angulum, qui Auſtrum & Occidentem reſpexit, & ad *portam Ephraim*; & *veterem*, & *piſcium*, &c. *verſu* 29. De *porta Ephraim* nihil dictum erat in delineatione exhibita *Cap.* 3. De ea etiam mentio 2. *Reg.* 14. 13. ubi & mentio *Portæ angularis*, de qua hic omnino etiam ſiletur.

Apud *Nehemiam* videtur intelligi locus iſte, ubi olim fuerat porta iſtius nominis, quæ jam ſub Templo ſecundo evanuerat.

## CAP. XXVII.

### *MORIAH mons.*

BAbylon. Taanith, fol. 16. 1. *Quare vocatur Mons Moriah? In partes de hac re eunt R. Levi bar Chama, & R. Caninah. Unus dicit,* שיצא ממנה הוראה לישראל *Quod inde prodiret instructio Israelis: alter dicit* שיצא ממנו מורא לאומות העולם *Quod inde prodiret timor nationibus mundi.*

*Maimon.* in *Beth Habbechirach*, cap. 2. *Juchas.* fol. 9. 1. *Midrasch Till.* fol. 41. 2. *Traditio ab omnibus recepta est, locum, ubi David condidit Altare in area Araunæ, fuisse locum, ubi suum condidit Noachus, cum egrederetur ex arca; ibidem fuisse Altare, super quod obtulerunt Cain & Abelus; ibidem Adamum obtulisse cum crearetur, atque inde fuisse creatum. Dicunt Sapientes, Idem ei locus expiationis, qui creationis.*

Ita situs erat mons *Moriah*, ut Ἀντικρὺ ἡ Πόλις ἔκειτο τοῦ Ἱεροῦ θεατροειδὴς οὖσα, *Civitas theatri instar Templum ambiret*: hinc *Sion*, inde *Acra*, atque aliquantum a tergo *Bezetha*, *Joseph. Antiq.* lib. 5. cap. 14.

*Middoth*, cap. 2. hal. 1. & *Maimon.* ubi ante. Mons Templi, id est, locus ubi Templi ædificia, erat quadraturæ quingentorum cubitorum, (vide *Ezech.* 42. 16. 17.) muro cinctus nobilissimo, porticibus, vel basilicis duplicatis intus munito, dicam? an ornato? an utrumque? Exspatiatus est ultra hunc murum versus angulum Aquilonem atque Occidentem respicientem, in tantum dimensionis, ut conderetur illic turris *Antonia*, fabricæ atque historiæ celeberrimæ.

Subterranea concavitas totum spatium atriorum excepit, ibid. וכיפין היו על גבי כיפין בנויות, *Et tota area erat arcubus & columnis sustentata*, ne ullo modo intra sacrum hoc spatium fieret sepulchrum, a quo pollutio invaderet, vel sacra, vel populum.

## CAP. XXVIII.

### *Atrium Gentium. Rabbinis* הר הבית.

SCriptoribus *Judaicis* vulgo vocatur הר הבית, nonnunquam חול, vel *Atrium commune*. Hinc porta, ab Atrio mulierum huc descendens, dicitur שער יוצא מעזרת נשים לחול *Porta, qua exitur ab Atrio mulierum in commune*. Hinc autor *Tosaphtoth*, in *Parah*, cap. 2. *Exeunt per portam ducentam ex Atrio mulierum*, לחול, *in Atrium commune: & vascula quædam lapidea affigebantur ad parietem graduum ascendentium in Atrium mulierum, atque eorum opercula conspiciuntur* לחול *in Atrium commune.*

Huc quippe quod accederent *Ethnici*; *Hierosol. Avodah Zarah*, fol. 40. 1. *Rabban Gamaliel ambulans* בהר הבית *in Atrio gentium, vidit fœminam Ethnicam, ac de ea benedixit.*

Atque Excommunicati, & lugentes. *Middoth*, cap. 2. hal. 2. *Omnes in Templi montem ingredientes ingrediuntur via dextra, ac circumeunt; egrediuntur autem via sinistra: excepto illo, cui aliquid accidit; nam ille circuivit ad sinistram. Quærenti, Quid tibi, quod ad sinistram circumeas? Respondit, Quia lugeo; Et illi, Qui ædem hanc inhabitat te soletur: aut, Quia ego excommunicatus; Et illi, Qui ædem hanc inhabitat, cordi eorum indat, ut te recipiant.*

Et non raro etiam immundi.

Imo in ipsum Atrium ingredi licuit auferenti hircum emissarium, quanquam jam tunc esset immundus. *Babylon. Joma*, fol. 66. 2. נטמא השלחו נכנס טמא לעזרה ומשלחו *Pollutus est ille, qui hircum ablaturus est? Ingreditur in Atrium etiam immundus, atque eum aufert.*

*Middoth*, cap. 2. hal. 2. *Maximum spatium Atrii Gentium erat ab Austro; proximum ei ab Oriente; tertium ab Aquilone; minimum vero ab Occidente. Eo loco, ubi majus erat spatium, major erat ejus usus.*

Erant in muro, spatium hoc ambiente, quinque portæ; erantque intus contiguæ muro סטיו לפנים מן סטיו Porticus, vel basilicæ duplicatæ, quæ & ambulacra præbuerunt perjucunda, & protectionem simul a pluviis, *Ibid. cap.* 1. *hal.* 3.

Porta Orientem versus erat una tantum, eaque cognominata *Porta Susan*; ideo quod in ea sculperetur figura *Susan*, Metropoleos *Persicæ*, (Ibid.) in subjectionis signum, *Glossa*, ibid. In hac porta sedit Synhedrium vigintiriumvirale, *Sanhedr.* cap. 11. hal. 2. Juxta portam utrinque erant חנות Tabernæ, & tota Basilica, latus hoc Orientale excipiens, vocabatur *Porticus Solomonis.*

Ab Austro erant portæ duæ, utraque vocata *Porta Huldæ*: de ratione nominis soliciti non sumus. Respexerunt hæ *Hierosolymam*, vel *Acram*. Basilica, vel porticus, latus hoc Australe de-

decorans, vocabatur Στοὰ Βασιλικὴ, quæ triplicata erat, structuræ nobilissimæ, *Joseph. Antiq.* lib. 15. cap. 14.

Ab Occidente erat *Porta* קיפונוס *Kiponus*, forte a *Coponio*, Procuratore *Judææ*, denominata, *Idem*, *ibid. lib.* 18. *cap.* 1. Per hanc descensum est in *Sionem*, ponte & via illuc deflectente.

Ab Aquilone Porta טדי vel טרי *Tedi*, vel *Teri*, nullius usus: nam sic Traditio, *Middoth*, ubi supra. טדי מן הצפון לא היה משמש כלום *Porta Tedi ab Aquilone nulli erat usui*. Ab hoc latere erat *Arx Antonia*, ubi custodiam habuerunt *Romani*, atque hinc forsan portæ solitudo.

## CAP. XXIX.

חיל: עזרת נשים

*Chel*: *Atrium mulierum*.

ATrium Gentium Templum atque Atria circuivit undequaque. Idem etiam fecit חיל *Chel*, sive *Ante-murale*. *Middoth*, cap. 2. hal. 3. *Spatium illud erat decem cubitos latum; ab Atrio Gentium septo discretum, decem palmorum altitudinis, in quo tredecim rupturæ fuerant, quas effregerant Reges Græciæ: sed eas denuo restaurarant Judæi, atque iis respondentes tredecim adorationes instituerant.*

*Maimonides*, *Beth Habbechirah*, cap. 5. *Intus* (ab Atrio Gentium] *septum erat undique cingens, altitudinis decem palmorum, atque intra septum Chel*, vel *Ante-murale: de quo dicitur in Threnis, Cap.* 2. 8. ויאבל חיל וחומה.

*Josephus*, *Antiq.* lib. 15. cap. 14. Περίβολος δεύτερος πρόβατος ὤν βαθμίσιν ὀλίγαις· ὃν περιεῖχε ἑρκίον λιθίνης δρυφάκτῳ, γραφῇ κωλύων εἰσιέναι τὸν ἀλλοεθνῆ, θανατικῆς ἀπειλουμένης τῆς ζημίας. Hinc *Paulo* periculum illud ob *Trophimum Ephesium*, *Actor.* 21. *vers.* 29.

*Maimon.* ubi ante, cap. 7. *Sacratius erat* חיל *Ante-murale, quam Atrium Gentium: huc quippe accedere non licuit Ethnico, nec immundo a morticino, nec concubanti cum menstruosa.*

*Middoth*, ubi supra. *Hinc ascensum est in Atrium mulierum gradibus duodecim.*

Ab Oriente ejus erat Porta tantum una, Ὡραία Sacris Literis dicta, *Actor.* 3. 2. *Corinthiaca Josepho*, *de bello*, lib. 5. cap. 14. Τῶν δὲ πυλῶν, inquit ille, αἱ μὲν ἐννέα χρυσῷ καὶ ἀργύρῳ κεκαλυμμέναι πανταχόθεν ἦσαν, ὁμοίως τε παραστάδες, καὶ τὰ ὑπέρθυρα. Μία δὲ ἡ ἔξωθεν τοῦ νεὼ Κορινθίου χαλκοῦ πολὺ τῇ τιμῇ τὰς καταργύρους καὶ περιχρύσους ὑπεράγουσα. Καὶ δύο μὲν ἑκάστου τοῦ πυλῶνος θύραι, τριάκοντα δὲ πηχῶν τὸ ὕψος ἑκάστης, καὶ τὸ πλάτος ἰῶ πεντεκαίδεκα.

Ab Austro erat etiam porta tantum una, unaque ab Aquilone: porticusque, vel Basilicæ intus, muro contiguæ, eo modo, quo in Atrio exteriori, at non duplicatæ, *Idem*, *ibid.* Ante quas posita erant *Gazophylacia*, vel tredecim cistæ, שופרות *Talmudicis* dictæ, in quas infundebantur nummi oblati, ad varia Templi ministeria: proque ista varietate inscribebantur cistis tituli varii; unde ab offerente dignosceretur in quamnam oblationem suam conferret, pro ejus qualitate, *Shekalim*, cap. 6. hal. 1.

Uni inscriptum שיקלין חדתין *Sicli novi*; in quam conferebantur Sicli istius anni: alteri שיקלין עתיקין *Sicli veteres*; in quam Sicli anno elapso debiti: alteri קינן וגוזלי *Columbæ & turtures*: alteri עולה *Holocaustum*: alteri עצים *Ligna*: alteri לבונה *Thus*: alteri זהב לכפורת *Aurum εἰς ἱλαστήριον*: & sex inscriptum habuerunt נדבה *Sacrificium voluntarium*. Ibid. hal. 5.

*Middoth*, ubi ante, hal. 5. & *Babylon Joma*, fol. 16. 1. *Atrii mulierum longitudo erat* 135. *cubitorum, & latitudo* 135. *cubitorum: quatuorque conclavia erant in quatuor ejus angulis, singula cubitorum* 40. *at non contignata*. Vide *Ezech.* 46. 21. 22.

*Ad ortum Brumalem erat atrium Naziræorum: quod ibi Nazaræi coquerent Eucharistica sua, & capillos detonderent, eosque ollæ submitterent.*

*Ad ortum Æstivum, Conclave lignorum: ubi Sacerdotes, labe infecti, ligna scrutati sunt, an immunia essent a vermibus; omne autem lignum, in quo inventus est vermis, Altari non erat idoneum.*

*Ad Occasum Æstivum, Conclave leprosorum.*

*Ad Occasum Brumalem, Conclave vini atque olei.*

*In summis lateribus* (versionem sequimur clarissimi *Constantini l'Empereur*) *læve ac planum erat Atrium mulierum; sed id circumscripserunt interno podio, ut mulieres superne prospicerent, viri autem inferne, ne miscerentur.*

In Atrio hoc mulierum celebratum est sacrum & festivum tripudium in festo Scenopegiæ, *Libationis aquæ* vocatum, cujus Rituale habes in *Succah*, cap. 5. hal. 2. &c.

*Maimon.* in *Beth Habbechirah*. ubi ante. *Sacratius erat Atrium mulierum*, quam

*quam* חיל, *quippe quod illud non intraret* טבול יום *quispiam qui immunditiem contraxerat, eodem die abluendam.*

## CAP. XXX.

*Porta Nicanoris, vel porta Orientalis Atrii Israelis.*

HUc ascensum est ex Atrio mulierum gradibus quindecim. Βαθμοὶ δὲ δεκαπέντε, inquit *Josephus*, *de bello*, lib. 5. cap. 14. πρὸς τὴν μείζονα πύλην ἀπὸ τοῦ τῶν γυναικῶν διατειχίσματος ἀνῆγον. De his sic *Talmudici*, ritum tripudii modo memorati referentes, in *Succah*, cap. 5. hal. 4. *Viri religiosi, virique bonorum operum, tripudiarunt, faces manibus tenentes, cantaruntque. Levitæque cum cytharis, lyris, cymbalis, tubis, atque instrumentis musicis infinitis, steterunt super quindecim gradus, descendentes ex Atrio Israelis in Atrium mulierum, pro numero quindecim Psalmorum graduum psallentes*, &c.

Porta Orientalis Atrii Israelis vocata est *Porta Nicanoris*.

*Middoth*, cap. 2. hal. 3. *Omnes portæ mutatæ erant, ut ex auro essent, præter portam Nicanoris, propterea quod de ea editum est miraculum: alii dicunt, propterea quod æs ipsius summe coruscaret.*

*Sotah*, cap. 1. hal. 5. In *Porta Nicanoris* potum dederunt uxori suspectæ, aquas amaras: purificarunt puerperam, & leprosum.

De edito circa hujus Portæ valvas miraculo vide *Constantinum l'Empereur*, *Middoth*, pag. 57. & *Juchasin*, fol. 65. 2. &c. qui & rationem aliam nominis adducit his verbis. *In libro Josephi ben Gorion dicitur, quod Porta Nicanoris sic denominetur propterea, quod illic editum est miraculum, quod scilicet illic occiderent Nicanorem, Ducem Græcorum, in diebus Asmonæorum: quod & videtur in fine capitis secundi Tractatus Taanith.*

Historia allegata sic se habet. *Nicanor* unus erat e Ducibus *Græcorum*, atque unoquoque die manum suam agitavit *Judæam* versus, & *Hierosolymam*, dicens, *Oh, quando me penes erit, ut eas devastem!* Cum autem prævaleret familia *Asmonæa*, eos subjugarunt, ipsumque occiderunt, atque excisos manuum ac pedum ejus pollices portis *Hierosolymæ* appenderunt. Hinc *dies Nicanoris* in Calendario *Judaico*, *Babylon. Taanith*, fol. 18. 2. Vide *Joseph. Antiq.* lib. 12. cap. 17.

Erat hæc Porta Πεντήκοντα πηχῶν τὴν ἀνάστασιν, τεσσαράκοντα πήχεις θύρας εἶχε, καὶ τὸν κόσμον πολυτελέστερον ἐπὶ δαψιλὲς πάχος ἀργύρου τε καὶ χρυσοῦ. *Josephus* ubi ante.

Sedit in ista Synhedrium viginti trium virorum, prout alterum in *porta Susan*, *Sanhedr.* cap. 11. hal. 2.

Non ulli e portis erat מזוזה (schedula postibus affixa) nisi *Portæ Nicanoris*, *Babylon. Joma*, fol. 11. 1.

## CAP. XXXI.

*De Portis & Conclavibus ad latus Atrii Meridionale.*

IN partes hic est itum de conclavibus. Tractatus *Middoth* hæc lateri Australi assignat, cap. 5. hal. 3. *Conclave ligni*, *Conclave scaturiginis*, *Conclave Gazith*. Ista Aquilonari assignant *Gemara Babylonica*, *Joma*, fol. 19. 1. & *Maimonides*, *Beth Habbechirah*, cap. 5. Apud *Middoth*, *Conclave Salis*, *Conclave Happarvæ*, *Conclave lavantium*, latus Boreale occupant: apud istos Meridionale. Vix tanti est, ut nosmetipsos in hujus controversiæ defatigemus decisione: disputationes non 'inimus, probabiliora sequimur, *Middoth* duce.

I. Supponimus ergo primum *Conclave Gazith* a latere Atrii Meridionali prope ad angulum Orientalem: idque ea ratione, quod, cum secundum omnes Judæos (utcunque de latere situs ejus differentes) Conclave hoc non esset in medio trium nominatorum, sed ab exteriori parte, vel hinc vel illinc, Synhedrium sedere non potuit in portione *Judæ*; si modo *Gazith* non collocaretur circiter istum locum, quem assignamus.

*Joma*, fol. 25. 1. לשכת גזית כמין בסילקי גדולה היתה *Conclave Gazith erat specie Basilicæ magnæ; eratque dimidium ejus in loco Sancto, dimidium alterum in profano: duoque habuit ostia, quorum unum versus Sanctum, alterum versus profanum aperiretur*: id est, unum in atrium, alterum in *Chel*. Sedit Synhedrium magnum in ea parte, quæ in *Chel*: nam *sedere in Atrio non licuit, nisi Regibus solum e stirpe Davidis.*

Ibid. fol. 19. 1. *In Conclavi Gazith sedit Synhedrium Israelis, & judicavit de Sacerdotibus: quicunque labe tactus repertus est, atro vestitus erat, & velatus atro, atque abiit: quicunque absque labe, albo vestitus atque velatus in Atrium concessit, & ministravit cum fratribus suis.*

Ibid. fol. 25. 1. זקן יושב במערבה *Præfectus sedit a parte Conclavis Occidentali:*

*li* : atque *abbeth Dim a dextra ejus* , *atque utrinque in hemicyclo Seniores* , *Maimon. in Sanhedr.* cap. I.

Ut ab hoc Conclavi excussum fuerit Synhedrium, & quando, & quare, observamus alibi.

II. לשכת הגולה. *Conclave Scaturiginis* proximum huic fuit ab Occidente : *ubi puteus & trochlea ; unde aquas suppeditabant toti Atrio*, *Middoth*, cap. 5. hal. 3. & *Joma*, fol. 19. I.

III. Huic contigua erat *Porta aquarum* : sic dicta vel quod per hanc inferretur aqua in Altari libanda in festo Scenopegiæ , aut quod aquæ-ductus , a fonte *Etam* in Templum convectus , per hanc pergeret in *Conclave Scaturiginis* . *Babylon. Joma* , fol. 31. *Istum fontem altiorem fuisse ait Abai pavimento atrii* 23. *cubitos* . Atque , *Arbitror ego* , inquit Glossator , *quod fons Etam idem fuerit cum aquis Nephtoæ, de quibus mentio in libro Josue* , cap. 15. 9. *nam inde descendit, & declinat solum in Orientem & Occidentem* , *atque iste locus erat maxime sublimis e terra Israelitica* .

IV. Post hanc portam erat *Conclave lignorum* , & supra illud לשכת פרהדרין, *Camera* προέδρων , vel , ut vulgo vocabatur , לשכת בולווטי *Camera Consiliariorum* : ubi consessus erat Sacerdotum de negotiis Templi & Liturgiæ consulentium. *Conclave lignorum* videtur inde dictum , quod huc conveheretur lignum post scrutamen de eo habitum in *Conclavi lignorum* , ( quod in angulo Atrii mulierum ) an in eo essent vermes : illud quod Altari idoneum reperiebatur , hic repositum est , ut magis esset in promptu : vide *Middoth* , ubi ante.

V. Ulterius erat שער הקרבן *Porta oblationis*, & post eam *Porta accensionis* שער הדלקה.

## CAP. XXXII.

### *Portæ & Conclavia a latere Septentrionali*.

PRimo occurrit *Porta & Camera Nitsots* , ubi Sacerdotes & Levitæ excubias egerunt : vocabatur & hæc, *Porta Cantici* , *Middoth* , cap. I. hal. 5.

II. Proximum ei erat *Conclave lavantium* , atque isti contiguum *Conclave Happarvæ* : in illo lavabant victimarum intestina ; in hoc sale condiebant victimarum pelles . *Babylon. Joma*, fol. 35. I. *Parvam* quendam Magum hujus conclavis ædificatorem credunt quidam : alii *Parvam* istum Magum parietem hujus Conclavis suffodisse , ut per foramen illud perspiceretur quid a summo Pontifice hic esset actum. *Middoth* , cap. 5. hal. 2. *Erat enim in tecto hujus Conclavis balneum pro Sacerdote Magno in die Expiationis* .

III. Exinde *Porta Oblationis* , sive *Corban* : vocabatur & hæc *Porta mulierum* . Ratio nominis prioris redditur , *Quia scilicet per hanc portam victimas sanctissimas inferebant* , *quæ ad Septentrionem mactabantur* : at posterioris obscurior ; forsan coram porta ista victimas suas fœminæ tradiderunt in manus Sacerdotum .

IV. *Conclave salis* erat post istam portam versus Occidentem : ubi reponebatur sal pro oblationibus . *Ibid.*

V. Exinde *Porta Beth mokad* , vel *Porta Incendii* : sic dicta a Conclavi contiguo , ubi arsit perpetuus ignis in usum Sacerdotum . Dicta & hæc etiam erat *Porta Corban* ; nam inter hanc & portam novissime nominatam erat Camera , ubi reponebatur publicus Templi thesaurus . In *Beth Mokad* erant quatuor Conclavia . I. לשכת טלאים *Conclave agnorum* : ubi illi reservati ad usum Altaris . II. *Conclave panum propositionis* . III. Conclave , ubi repositi sunt lapides Altaris ab *Asmonæis* , cum Reges *Græciæ* Altare prophanarant. IV. Conclave , quo in balneum descendebatur.

## CAP. XXXIII.

### *Ipsum Atrium*.

MAimon. *Beth Habbech*. c. 6. *Area totius soli sacri non plana erat* , *sed ascendens* . *Cum quis præcederet a porta Orientali Atrii Gentium ad extremum* חל *Chel* , *incessit in plano* . *A Chel ascendit in Atrium mulierum duodecim gradibus*, *quorum unusquisque erat altitudine semicubitalis* . *Per totum Atrium mulierum processit in plano* , *atque inde ascendit in Atrium Israelis quindecim gradibus* , *unoquoque altitudinis etiam semicubitalis*.

Atrium *Israelis* erat longitudine 135. cubitorum , latitudine undecim , *Middoth* , cap. 2. hal. 6.

Per totum hoc Atrium perrexit quis in plano , atque inde ascendit in Atrium Sacerdotum gradu uno , altitudine cubitali : cui impositum erat pulpitum , ( ubi Chorus Levitarum psallentium ) atque in eo erant tres gradus , singuli scilicet cubiti dimidii . Reperitur ergo Atrium

Atrium Sacerdotum duobus cubitis cum dimidio altius Atrio *Israelis*.

Atrium Sacerdotum erat longitudine 135. cubitorum, latitudine undecim: & trabium capita dividebant inter Atrium *Israelis* & Atrium Sacerdotum.

Per Atrium Sacerdotum perrectum est in plano, itemque per spatium juxta Altare, perque spatium inter Altare & πρόναον. Illuc ascensum est duodecim gradibus, singulis semi-cubitalibus. Area Pronai & Templi tota plana erat: altiorque erat area portæ Orientaliis Atrii Gentium cubitis viginti duobus.

Totius Atrii longitudo erat cubitorum 187. hoc est, ab Oriente in Occidentem.

| | |
|---|---|
| Latitudo scilicet *Atrii Israelis*. | 11 |
| Latitudo *Atrii Sacerdotum*. | 11 |
| Latitudo *Altaris* | 32 |
| Spatium inter *Altare & Pronaon*. | 22 |
| Longitudo *Pronai & Templi*. | 100 |
| Post *Templum* ad *Occidentalem murum* | 11 |
| Summa | 187 |

## CAP. XXXIV.

*Altare. Annuli. Labrum.*

Altare fuit quaquaversum 32. cubitorum: post ascensum unius cubiti ita coarctabatur, ut cubito uno minor esset tota quadratura, id est, quaquaversum 30. cubitorum. Ascendebat quinque cubitis, atque iterum coarctabatur in cubitum; ita ut illic esset 28. cubitorum quaquaversum. Locus cornuum ab omni parte unius cubiti: ita ut jam esset quaquaversum 26. cubitorum. Locus ambulationis Sacerdotum hinc inde unius cubiti; ita ut pateret circumquaque 24. cubitos locus Pyræ, *Middoth*, cap. 3.

Filum coccineum cingebat Altare medium, ad discernendum inter sanguines superiores atque inferiores.

Basi Altaris non erat angulus versus ortum Brumalem, eo quod ista portiuncula non esset intra portionem *Judæ*.

Ad cornu inter Occidentem & Austrum erant duo foramina, narium instar, per quæ sanguis sparsus descendit, ac fluebat in torrentem *Kedron*.

Ascensus ad Altare erat ab Austro 32. cubitorum, latitudinis 16. cubitorum. Erat adhuc, cum super hunc Sacerdos Sacerdotem cultro perfoderet, dum inter se contenderent, quisnam primus ad Altare conscenderet, *Babylon. Joma*, 23. 1.

Ad Septentrionem erant annulorum sex ordines, quorum singuli continebant quatuor: sunt, qui asserant fuisse quatuor, quorum singuli continebant sex, ad quos mactabant victimas: locus ergo mactationis illic loci erat; juxtaque erectæ erant columnæ humiles, quibus imposita erant transtra cedrina: in his infixi unci ferrei, e quibus sacrificia suspendebantur, ac pelle nudabantur ad mensas marmoreas, quæ erant inter columnas.

Labrum erat inter Pronaon & Altare, ac protrahebatur versus Austrum, ibid. fol. 37. *Et Ben Kattin fecit duodecim epistomia, cui non nisi duo erant. Ipse etiam fecit* מוכני לכיור *machinam labri*: id est, ut Glossa, *Ben Kattin*, cum summus Sacerdos esset, ista epistomia labro confecit, ut ex iis effluerent aquæ, fecit etiam ille trochleam, vel rotam, qua hauriretur aqua ad usum labri.

Spatium 22. cubitorum erat inter Altare & πρόναον: illuc ascensum est 12. gradibus, singulis dimidii cubiti altitudine.

*Middoth*, cap. 4. Templum erat angustum a parte posteriori, sed latum ab anteriori; referebatque leonis figuram; quia dictum est, *Væ Ariel, Ariel, Civitati ubi castrametatus est David*. Quemadmodum leo arctior est a parte posteriori, latior autem ab anteriori; ita & Templum: nam latius Templo erat Pronaon, quindecim cubitis a Septentrione, & quindecim cubitis a Meridie: & spatium istud utrinque exuberans vocabatur בית החליפות *Locus cultrorum*; ubi scilicet reponebantur cultri sacri, in mactatione victimarum usitati.

Excepit longitudo Templi 100. cubitos; latitudo 70. inclusis scilicet intra hanc mensuram, Pronao, thalamis, & crassitudine muri extimi; quæ omnia persequi nimium esset. Et hæc quoque, quæ diximus, ideo festinantiore stylo percurrimus, & quod de iis doctissime simul & copiosissime egit *clarissimus Constantinus l'Empereur*, & quod copiose satis, quamvis crassiori longe *Minerva*, nos ipsi, justo volumine, hæc absolvimus quondam lingua nostra vernacula.

## CAP. XXXV.

*Loca quædam alia urbis memorabilia.*

Platea erat a *Porta Aquarum* ducens ad montem Templi, quæ *Platea Templi* vocari videtur, *Ezræ* 10. 9.

Hac

Hac processum est a Templo ad montem *Olivetum*.

II. Ascensus ad montem Templi nec adeo difficilis erat, quin eo agi possent pecora & boves; nec adeo facilis, quin nixum aliquem requireret ab ascendentibus. *Chagig.* cap. 2. hal. 1. *Parvulus immunis erat a se præsentando in Templo ad tria festa, usque dum* (secundum Scholam *Hillelianam*) *potis esset, prehensa patris manu, cum eo ascendere in montem Templi*.

III. *Joseph. de bell.* lib. 5. cap. 13. Ἡ τῶν τυροποιῶν φάραγξ, τόν τε τῆς ἄνω πόλεως, καὶ τὸν κάτω λόφον διαστέλλων, καθήκει μέχρι Σιλωᾶς. In hanc, ut probabile est, introitus erat ab Oriente per *Portam Equorum*, perrexitque platea (totius urbis nobilissima) ad Occidentem.

IV. שוק העליון *Platea superior*. *Shekalim*, cap. 8. hal. 1. *Quævis saliva in urbe inventa munda erat, excepta ea, quæ in platea superiori.* Glossa, *Sputum cujusvis immundi est immundum, & inquinat. Alienigenæ autem sunt apud nos immundi, tanquam profluvio laborantes. Habitabant autem alienigenæ in platea superiori*. Subit hic historia de *Ismaele ben Camithi*, summo Pontifice, qui, cum prodiret die Expiationis, ut colloqueretur cum quodam Duce (*Ethnico*,) sparsa est saliva ab istius ore in illius vestes: unde pollutus factus non potuit Liturgiam istius diei præstare, frater ergo ejus vices istas subiit, *Avoth R. Nathan*, fol. 9. 1.

V. שוק של פטמים. *Platea Macellariorum*.

VI. שוק של צמרים. *Platea Lanariorum*.

Erubin, cap. 10. hal. 9. *In Platea Macellariorum, quæ erat Hierosolymis, serarunt ostium* (Sabbato) *& clavem reposuerunt in fenestra, quæ erat supra ostium. R. Jose dicit, Erat hoc in Platea Lanariorum.*

Josephus, *de bello*, lib. 5. cap. 24. Καθὸ καὶ τῆς καινῆς πόλεως, ἐριοπωλία τε ἦν, καὶ χαλκεῖα, καὶ ἱματίων ἀγορὰ.

VII. *Rosh Hashanah*, cap. 2. hal. 3. *Atrium magnum erat Hierosolymis* בירת יעזק *Beth-Jaazek dictum, quo congregatæ sunt urbes*, (ut scilicet testarentur de Novi-lunio) *atque ibi de iis Synhedrium examen habuit: & convivia iis lauta apparata sunt illic, ideo ut lubentes illuc, ejus rei gratia, accederent*.

VIII. Atria etiam quædam, uti est in *Parah*, *cap.* 3. *hal.* 2. erant super petram ædificata, sub quibus erat tamen excavatio, ne nullo modo ibi fieret sepulcrum. Huc mulieres quasdam gravidas adduxerunt, ut parerent illic, atque ibidem filios educarent. Ratioque curiositatis istius erat, ut pueri isti, ibi nati educatique, ubi iis adeo securum erat a contactu sepulcri, mundi absque dubio, idoneique forent ad aspergendum aqua purificativa pollutos a morticino. In istis Atriis reclusi sunt isti pueri, donec septennes evaderent, aut octennes. (Sic *R. Sol.* qui & citat *Tosaphtoth*, ubi tamen est, *Donec sint annorum octodecim*.) Cumque peragenda esset cujusvis aspersio, pari cura, & curiositate, ad locum, ubi res præstanda erat, sunt convecti, bobus scilicet inequitantes, eo quod ventres eorum crassiores existentes, securius eos ab inquinamento cujusvis in via sepulcri tuerentur.

IX. Erant in urbe speluncæ non paucæ e petra excavatæ, quod & observavimus de excavata area Templi. In harum unam se contulit *Simon Tyrannus* cum suis, cum de rebus suis desperatum esset; de quo memorabilem habes historiam, apud *Josephum*, *de bello*, lib. 7. cap. 7.

X. Præter Stagnum *Siloami*, *Bethesdæ*, *Solomonis*, (si illud non idem esset cum *Bethesda*) erat στρουθίου κολυμβήθρα, coram *Antonia*, & κολυμβήθρα ἀμύγδαλος, a parte urbis Aquilonari, *Idem*, *ibid. lib.* 5. *cap.* 30.

XI. Præterire etiam non possumus אבן הטועים. *Lapidem deperditorum*, in quo scilicet publicatum est de re quavis deperdita, aut amissa, *Taanith*, cap. 3. hal. 8.

XII. Concludimus cum vallo a *Tito* circa urbem ducto, quo ille eam obsidione conclusit, de quo *Josephus*, *de bello*, lib. 5. cap. 13. *Incipiens a castris Assyriorum, ubi ipse castra-metatus est, vallum duxit*, ἐπὶ τὴν κατωτέρω καινόπολιν, *ad novam urbem inferiorem*: (superior erat *Bezetha* collis, inferior erat locus depressior ab Oriente *Sionis*) *atque inde per Kidronem ad montem Olivetum: inde in Austrum flectens circumclusit montem, usque ad petram vocatam* περιστερεῶνος *Columbarii; collemque ulteriorem, qui superjacet valli Siloami: inde ab Occidente declinans in ipsam fontis vallem pervenit: post quam ascendens, per sepulcrum Anani summi Sacerdotis, ac montem includens, ubi castra-metatus fuerat Pompejus, ad latus Aquilonare deflexit, & progrediens ad villam usque, quæ vocatur Domus, vel locus, Terebinthi*, (forte בירת אלה) *& post eam sepulcrum Herodis includens, ad Orientem*

*tem juxta propriam castrametationem pervenit.*

## CAP. XXXVI.

### *Synagogæ in urbe: & Scholæ.*

Hierosol. Chetub. fol. 35. 3. *R. Phinehas nomine R. Hoshaiæ dicit, Quadringentæ & sexaginta Synagogæ erant Hierosolymis: quarum unaquæque habuit domum libri, & domum doctrinæ:* בירת ספר למקרא ובירת תלמוד למשנה *Domum libri pro Scriptura*, id est, ubi legeretur Scriptura; *& domum doctrinæ pro Traditionibus*, id est, *Beth Midrash*, ubi docerentur Traditiones. Recitantur hæc alibi, atque illic assurgit numerus ad 480. Idem, *Megillah*, fol. 73. 4. *Dicit R. Phinehas nomine R. Hoshaiæ, Quadringentæ & octoginta Synagogæ erant Hierosolymis*, &c. De variatis numeris hic non quærimus; posterior est receptior: astruiturque per *Gematriam*, ut vocant, e voce מלאתי *Esajæ* 2. 21. *R. Sol.* in *Esajæ* 2. 1. *Invenimus in Pesikta. R. Menahem a R. Hoshaia dicit, 480. Synagogæ erant Hierosolymis secundum valorem Arithmeticum vocis* מלאתי. Nota ut non computetur א.

Memoratur a *Talmudicis* כנכת של אלכסנדריים *Synagogæ Alexandrinorum*: de qua etiam Pagina Sacra, *Act.* 6. 9.

*Hierosol.* in *Megill.* ubi ante. & *Juchas.* fol. 26. 2. *Eliazar ben R. Zadok accepit* (pretio) *Synagogam Alexandrinorum, atque in ea opera sua necessaria peregit. Alexandrini de suo eam exstruxerant.* Recitatur hæc historia a *Babylonicis*, iique pro אלכסנדריים *Alexandrinis* habent טורסיים *Ærarios*. Sic enim illi, *Babyl. Megill.* fol. 26. 1. כבית הכנסת של טורסיים *Synagogam Ærariorum, quæ erat Hierosolymis, ipsi vendiderunt R. Eliazaro*, &c. טורסיים Glossa reddit צורפי נחושת *Artifices ærarios*. Rationem quare *Alexandrini* sic vocentur, forte petas ex hac historia. Idem, *Erachin*, fol. 10. 2. *Cymbalum in Templo æneum erat, &, cum fissura in eo esset, Sapientes adduxerunt artifices ab Alexandria, qui emendarent*, &c. *Mortarium etiam æneum fuit in Templo, in quo contusa sunt aromata: cumque in eo esset fissura, Sapientes ab Alexandria artifices adduxerunt, qui emendarunt*, &c.

Perpende quid לשון טורסי sibi velit in Legenda ista. *Babylon. Megill.* fol. 13. 2. *Bigthan & Teresh* שני טרסיים היו (forte) *duo Tarsii fuerunt*, aut, si velis, *duo ærifices*. והיו מספרין בלשון טורסי *Et confabulati sunt lingua Tursi*, (Glossa, *Tursi est nomen loci*) *& non norunt, quod Mordecai fuerat e Senioribus in Conclavi Gazith, quodque intelligeret Septuaginta linguas*, &c.

In *Babylon. Joma*, fol. 66. hæc referuntur de emissione hirci *Azazel*, Ἀρχιερεῖς *non permiserunt, ut Israelita in eremum deduceret hircum emissarium: at semel Arsela quidam, qui Israelita fuit, eum deduxit; & suppedaneum ei fecerunt propter Babylonios, qui capillos ejus vellicare soliti, & dicere, Accipe & ito, &c.* Gemara, *Rabba bar bar Channah dicit, Babylonii non fuerunt, sed Alexandrini: at quia odio habuerunt Babylonios, ideo hos eorum nomine vocarunt. Accipe & ito.* מה שהי צפירא דין וחובי דרא סניאין *Quare moratur hic hircus, cum peccata generationis hujus sint tam multa?* Glossa, *fecerunt ei Scabellum*, vel *suppedaneum, ut ille altior foret, & super hoc exiit ex Atrio, atque ex urbe; atque hoc, ne Babylonii hircum attingerent; nam soliti sunt capillos ejus vellere, dicereque, Ito, festina, exi, ne moreris, peccata nostra sunt adhuc super nos.* Et post, *Incolæ terræ Israeliticæ odio habuerunt Babylonios, unumquemque ergo irreverenter atque indecore se habentem eorum nomine vocarunt.*

Συναγωγὴ Λιβερτίνων, Act. 6. vers. 9. כנסת המשוחררים: de quibus infinita *Talmudici*.

## CAP. XXXVII.

### *BETH-PHAGE.*

### בירת פני.

Frequentissima hujus loci apud *Talmudicos* mentio: & digna certe est accuratior Tabularum cum istis, quæ ab his dicuntur de situ hujus loci; cum illæ eam statuant in monte *Oliveti*, hi contiguam ædificiis *Hierosolymitanis*.

Agitur in *Talmude Babylonico*, *Sanhedr.* fol. 14. 2. de causa זקן ממרא *Judicis* (vel *Presbyteri*) *pervicacis*. Cum enim ex præscripto Legis difficilia, & de quibus inferiora Synhedria judicare non norunt, ad summum adducenda essent, ad locum, quem elegit Deus, *Deuteron.* 17. 8. cumque Judex iste e Synhedrio inferiori, qui post determinationem & sententiam in causa ista, quam proposuit, prolatam, parere recusaverit, ac secundum eorum sententiam se habere renuerit, reus sit mortis, *versu* 12. quæritur, *Num* מצאן אבית פני והימרא עליהן יכול תהא המראתו המראה *si invenerit Synhedrium considens in Beth-pha-*

*th-phage*, *atque in ſententiam illic ab iis prolatam rebellaverit*, *adjudicanda ſit iſta pervicacia pro rebellione*, ſecundum Legem morte plectenda: & reſpondetur, *Textus dicit*, Exſurges, & aſcendes ad locum, &c. *unde docetur*, *quod ipſe locus* ( camera *Gazith* ſola ) *vim addat ſententiæ*. Gloſſa, בית פני מקום לפנים מן חומרת העיר ונדון כירושלם לכל דבריו *Beth-phage fuit locus intra muros urbis*, *& reputata eſt ſicut ipſa Hieroſolyma quoad omnia*. Audi, *Beth-phage intra mœnia Hieroſolymæ*: adeo ut, ſi ſententia Synhedrii *Hieroſolymis* prolata ( extra Conclave *Gazith* ) in cauſa propoſita obtinuiſſet, prolata etiam in *Beth-phage* obtinuiſſet.

II. *Talmud Babylon. Peſachin*, fol. 63. 2. *Qui ſacrificium Gratiarum actionis mactat intra murum*, *& panis ejus eſt extra murum; panis non ſanctus eſt. Quid eſt extra murum? R. Jochanan dicit. Extra murum Beth-phage: aſt extra murum Atrii*, *ſanctus eſt*. Gloſſa, בית פאגי היינו מקום חיצון שבירשושלם *Beth-phage eſt locus extimus in Hieroſolymis: & quicunque eſt extra mœnia Beth-phage*, *eſt extra Hieroſolymas*, *ubi non eſt locus ad comedenda ſacra*.

III. *Ibid.* fol. 91. 1. Diſcutitur an *Paſcha* ſit mactandum nomine incarcerati ſingulatim, atque inter alia ſic determinatur, *Si ſit intra mœnia Beth-phage*, *mactent pro eo ſingulatim. Quare? Quia poſſibile eſt*, *ut ad eum perveniat*, *atque is comedat*. Gloſſa, *Beth-phage eſt locus extimus in Hieroſolyma: atque illuc Paſcha afferunt ad incarceratum*, *ut comedat*, *quoniam ille ibi eſt intra Hieroſolymam*. Nam extra *Hieroſolymam* nullo modo licuit *Paſcha comedere*.

IV. *Menachoth*, cap. 11. hal. 2. *Duo panes* ( oblati in dies a ſummo Pontifice ) *& Panes Propoſitionis rite pinſuntur vel in Atrio*, *vel in Beth-phage*.

V. Illud, quod primum adduximus de cauſa זקן ממרא, recitatur etiam in *Babylon. Sotah*, fol. 45. 1. atque hæc adduntur, *Invenit Synhedrium conſidens in Beth-phage: exempli gratia. Si illuc ſe contulerit ad menſurandum pro decollatione vaccæ*, *aut ad addendum ad ſpatium urbis*, *aut Atriorum*.

Idem, *Bava Mezia*, fol. 90. 1. *Triturat intra muros Beth-phage*. Gloſſa, *Beth-phage eſt circuitus extimus Hieroſolymæ*. *Aruch*, *Murus Beth-phage eſt murus Hieroſolymæ*.

Conſule jam Tabulas, & commentarios *Chriſtianorum*, & longe ſitam a mœnibus urbis habes *Beth-phagen*, non procul admodum a vertice montis *Oliveti*: ubi & ejus veſtigia ( etiam hodie ) falſo oſtenduntur peregrinantibus. Sic de ea *Sandeſius* noſtras, teſtis oculatus: *Aſcendimus modo*, inquit *montem Oliveti*, *alio tramite in Septentrionem magis vergente*. ( nam ante deſcripſerat aſcenſum ad *Bethaniam*. ) *A dextra*, *nec longe quidem a vertice*, *ſita erat Beth-phage*, *cujus ipſiſſima fundamenta confunduntur: unde Hieroſolymas*, *pullo aſini inſidens*, *triumphans proceſſit Chriſtus; unaquaque Dominica Palmarum ſuperſtitioſe jam eum imitante Patre Guardiano*.

Non aliunde certe de ſitu hujus loci ſtatuerunt, quam ex hiſtoria Evangelica; quæ aperte *Beth-phagen* delineare videtur ad montem *Olivetum*. Vere quidem: & tamen nihil prohibet, quo minus *Judæis* etiam credamus, aſſerentibus eam eſſe intra mœnia *Hieroſolymorum*; cum tot exemplis rem illuſtrent, nec adſit cur in hac re vel quicquid fingant, vel colorent.

Ad rei ergo determinationem recurrendum eſt. Primo ad vocis Etymon: *Beth-phage* a quibuſdam redditur *Domus*, vel *Locus Fontis*, a *Græca* Πηγὴ, ſed duriuſcule: a Gloſſatore in *Bava Mezia*, loco noviſſime citato, *Via ſtrata*; *Ambitus extimus Hieroſolymæ*, inquit, *quem ei addiderunt*, *vocatur Beth-phage*, *& videtur mihi viam ſubactam denotare*. Cui conſonare videtur iſtud *Targumiſtarum*, אל חמק שוה *Gen.* 14. 17. reddentium למישר מפנא. At quid exſpatiari opus eſt in Dialectum, vel alienam, vel inuſitatiorem? cum vox פגי vulgatiſſime, atque omnium in ore, *Groſſos* denotaret, quibus non parum nobilitatus erat mons *Olivetus*: quamvis enim præcipue ab *Olivis* nomen deſumeret, produxit tamen & ficus & palmas: &, pro harum varietate in diverſis montis tractibus enaſcentium, varia etiam iſtis tractibus, quod notamus alibi, indita ſunt nomina. Vocata eſt ergo infima iſta pars montis, quæ proxime ad urbem procurrit, a *groſſis*, *Beth-phage*: quo etiam nomine, ob iſtius loci vicinitatem, vocata eſt pars *Hieroſolymæ* proxime adjacens. Atque ex his obſervatis hiſtoriam *Chriſti*, hac procedentis, rectius & planius intelligas.

Pernoctarat ille in *Bethania*, vico *Lazari*, *Joan.* 12. atque inde mane profectus dicitur perveniſſe ad *Beth-phagen* & *Bethaniam*, *Marc.* 2. 1. id eſt, ad locum illum, ubi ſe mutuo contingebant tractus iſti montis, his nominibus inſigniti: cumque jam aſcenſurus eſſet in

cœlum, dicitur Discipulos suos eduxisse Ἕως εἰς Βηθανίαν, *Luc.* 24. 50. at non ultra iter Sabbaticum, *Act.* 1. 12. cum vicus, ubi habitavit *Lazarus*, duplo fere distaret, *Joan.* 11. 18. Profectus est ergo ex *Hierosolymis* per *Beth-phagen* intra mœnia, & *Beth-phagen* extra mœnia, atque emensus iter Sabbaticum aut circiter, ad locum & tractum illum *Oliveti* appulit, ubi-jam desierat nomen *Beth-phages*, atque inceperat nomen *Bethaniæ*, atque illic ascendit. Dubito ergo ego, an oppidum aliquod fuerit in *Oliveto*, *Beth-phage* appellatum; sed potius magnus Montis tractus sic dicebatur, atque ob vicinitatem ad istum tractum vicus *Hierosolymæ* extimus intra mœnia eodem nomine est insignitus.

## CAP. XXXVIII.

### *KEDRON.*

JOsephus de bello, lib. 5. cap. 8. Τὸ ἐλαιῶν καλούμενον ὄρος, ὃ τῇ πόλει πρὸς ἀνατολὴν ἀντίκειται, μέσῃ φάραγξ βαθεῖα διείργει, ἣ Κεδρὼν ὠνόμασται. *Maimon.* in *Shekalim*, cap. 4. 8. כבש היו בונין מהר הבירה *Scabellum*, vel *suppedaneum*, *arcubus sustentatum construxerunt, a monte Templi ad Montem Olivarum, super quod deduxerunt vaccam rufam* comburendam. *Scabellum pariter istiusmodi confecerunt, super quod deduxerunt hircum emissarium. Utrumque constructum erat sumtibus thesauri publici, qui in Templo.* Ratio curiositatis istius de vacca rufa hæc erat. Cum cineres istius vaccæ præ rebus omnibus aliis forent summe purificatrices; (nam mundarunt ab immunditia ex contactu mortui) nullam cautelam satis esse arbitrati sunt, ut ab immunditia sartus tectus ille conservaretur, qui eam esset combusturus. Cum ergo in via, qua incedendum erat, esse possent fortassis sepulchra, non conspicua, a quibus pollui posset ille, & sic tota actio inanis redderetur, semitam ei non tenui sumtu confecerunt, super continuos & contiguos arcus, ubi non possibile erat, ut tangeretur locus sepulturæ. Par cura & curiositas est adhibita in abductione capri emissarii.

Demessus fuit Manipulus primitialis e *valle cineracea Torrentis Kidron*. Prodierunt die primo Festi *Paschatis* deputati quidam a Synhedrio in istam vallem, magna comitante caterva: confluxeruntque ex oppidis vicinis quamplurimi, ut præsenti magna turba res perageretur: ratioque pompæ inde petita est, quod *Baithusæi*, vel *Sadducæi*, non bene de actione isto die peragenda sentirent; itaque, ut sententiæ isti contrarianti contrairent, illi summa qua fieri potuit φαντασία rem peregerunt. *Cum jam vesperasceret, dicit ille, cui incubuit metendi munus, Occidit Sol; atque illi responderunt, Bene. Occidit Sol; atque illi responderunt, Bene. Hac falce; atque illi responderunt, Bene. Hac falce; atque illi responderunt, Bene. In hoc canistro; atque illi responderunt, Bene. In hoc canistro; atque illi responderunt, Bene. Si Sabbatum esset, dixit ille, Hoc Sabbato; atque illi responderunt, Bene. Hoc Sabbato; atque illi responderunt, Bene. Metam; atque illi responderunt, Mete. Metam; atque illi responderunt, Mete. Hæc ter ille, atque illi ter responderunt, Bene.* Hæc *Menachot*, cap. 10. & *Tosapht.* ibid.

Agitur in *Talmude Hierosol. Nazir*, fol. 57. 4. de removendo sepulcrum, loco non commodo situm, ne polluat, Inducuntur exempla sepulcrorum domus *Davidis*, quæ locis suis sunt mota, & sepulcrorum filiorum *Huldæ*, quæ erant intra *Hierosolymas*, & locis suis non sunt mota. *Hinc apparet, inquit R. Akibah, quod caverna quædam esset, qua deducebantur sordes, atque immunditiæ in Vallem Kidronis.*

Subterraneo etiam istiusmodi canali, atque evacuatione, fluxerunt sordes Atrii Templi in *Vallem* Kidronis. *Babylon. Joma*, fol. 58. 2. *Sanguis fusus ad pedem Altaris* מתערבין באמה *confluxit in canalem, atque se evacuavit in Vallem* Kidronis, *vendítusque est hortulanis, quo hortos suos stercorarent.*

## CAP. XXXIX.

### *Vallis Hinnom.* גי הנום.

VOcata est magna pars *Vallis Kidronis Vallis*, etiam *Hinnom.* Prodiens *Jeremias* in *Vallem Hinnomis* exit per portam החרסית, *Jerem.* 19. 2. Id est, interpretibus *Rabbinis*, aliisque, *per portam Orientalem*. Vide *Kimchium* in locum citatum. Nam inde initium *Vallis Hinnom*, quæ, post aliquod spatium sese versus Occidentem flectens, procurrit juxta latus urbis Meridionale.

Quæ plurima de hoc loco referuntur in Veteri Testamento non opus est ut repetamus, ea sunt historica: memoria ejus in Novo non est nisi mystica, aut metaphorica; & transfertur ad denotandum locum damnatorum. Sub Templo

plo secundo, cum evanuerant ea, quæ æternam infamiam huic loco inusserunt, Idololatria scilicet, atque infantum ululatus *Molecho* tostorum, remansit tamen tantum fœditatis, atque abominandi nominis; ut etiam jam ad vivum repræsentationem orci æque præ se ferret, ac olim.

Erat communis totius urbis sentina: quo confluxit sordes omnis, atque omnimoda spurcities. Erat, ut probabile est, commune urbis sepulcretum: (si modo intra tantillam ab urbe distantiam jam sepelirent) *Sepelient in Tophet, usque dum non sit amplius aliquis locus*, *Jerem.* 7. 32. Eratque illic perpetuus ignis, quo absumebantur ossa, reliquaque sordida, ne urbi essent nauseæ, aut contagioni. *Babylon. Erubin*, fol. 19. 1. *Traditio est secundum Scholam Rabban Jochananis ben Zaccai. Duæ palmæ sunt in Valle Ben-Hinnom, inter quas ascendit fumus, & hoc est quod discimus, Palmæ montis ferri sunt idoneæ, Et hoc est ostium Gehennæ.*

Applicant huc nonnulli e *Rabbinis* illud *Esajæ*, Cap. 66. vers. ultimo, *Exibunt & videbunt cadavera hominum in me rebellantium, quia non morietur vermis eorum, atque ignis eorum non extinguetur. Egredientur isti gentiles*, (inquit *Kimchius* in locum) *qui accedunt ad adorandum, a mense ad mensem, atque a Sabbato in Sabbatum, extra Hierosolymam in vallem Jehoshaphati, & videbunt cadavera Gog & Magog, &c.* Et paulo post, *Egredientur justi extra Hierosolymam in Vallem Hinnomis, & videbunt rebellantes, &c.*

Quid de *Valle Jehoshaphati* statuendum sit, ipse ambigit, ac in bivio relinquit *Kimchius* in *Joel.* 4. *Nam aut Jehoshaphat*, inquit, *aliquod ædificium hic erexit, aut aliquod opus fecit; aut vocatur Vallis Jehoshaphat propter Judicium.* Sic & *Jarchius*, יהושפט משפטי יה *Jehoshaphat idem vult, quod Judicium Domini.* Chald. פילוג דינא *Distributionem Judicii.*

## CAP. XL.

*Mons Olivetus.* הר הזיתים 2. *Sam.* 15. 30. *Zach.* 14. 4. *Rabbinis* vulgo הר המשחה.

JOsephus *Antiq.* lib. 20. cap. 6. Ὄρος τὸ προσαγορευόμενον Ἐλαιῶν, τῆς πόλεος ἄντικρυς κείμενον, ἀπέχει στάδια πέντε. At *Lucas*, *Actor.* 1. 12. *Tunc reversi sunt a monte, qui vocatur Oliveti*, ὅ ἐστιν ἐγγὺς Ἱερουσαλὴμ Σαββάτου ἔχον ὁδόν. Jam vero Iter Sabbaticum octo stadia excepit, aut totum milliare. Nec tamen pugnat *Lucas* cum *Josepho*: nam hic spatium metitur ad primam basin *Oliveti*; ille ad locum *Oliveti*, ubi ascendit *Salvator*. Distabat primus pes Montis ab urbe stadiis quinque; at *Christus* ascensurus Montem scandit ulterius per tria stadia.

Ab *Oleis* monti nomen, utcunque nascerentur in eo arbores aliæ: & quod major forsan harum numerus, & dignior fructus. Inter arbores alias memorantur duæ cedri, vel duo cedrorum monstra. *Hierosol. Taanith*, fol. 69. 1. *Duæ cedri*, inquiunt, *erant in monte Oliveti: sub una quarum erant quatuor tabernæ, ubi vendebantur omnia ad purificationes necessaria; ex altera produxerunt unoquoque mense quadraginta Seas columbarum, unde suppetebat fœminis omnibus purificandis.*

Infra hunc montem suscitandos esse omnes mortuos, est par somnium isti historiæ. *Targum* in *Cantic.* 8. 1. *Cum revivijscent mortui*, inquiunt, *dirumpendus est mons Olivetus, atque omnes mortui Israelis inde exituri: etiam justi isti, qui mortui sunt in captivitate, convolventur sub terra, & exituri sunt sub monte Oliveti.*

Erat locus in monte directe portæ Templi Orientali oppositus: vide *Middoth*, cap. 1. hal. 3. ad quem per scabellum, super arcus stratum, ut dictum est antea, a Sacerdote processum est, vaccam rufam combusturo: cumque illic sanguinem ejus spargeret, directe oculos ad Sanctum Sanctorum collimavit: vide *Parah*, cap. 3. hal. 9.

Memoria etiam hic dignæ sunt flammæ istæ signales, in vertice hujus montis agitari solitæ, in signum statæ jam Neomeniæ. Mos & modus sic describitur in *Rosh hashanah*, cap. 2. hal. 2. 3. &c. *Olim flammas elevarunt: at, cum hoc depravarent Cuthæi, decretum est ut mitterent nuntios.* Glossa. *Elevarunt flammas illico post statum tempus Neomeniæ: & non opus erat, ut nuntios mitterent ad remotos in captivitate, ut tempus iis notum facerent; nam flammæ istæ notum fecerunt: Cuthæi etiam aliquando flammas extulerunt tempore non justo, & sic deceperunt Israelem.*

Pergit Textus. *Quomodo extulerunt flammas? Acceperunt bacillulos longos e cedro, & cannas, & ligna pinguia, & stupam lini, atque hæc filo colligarunt. Et quidam in montem ascendens ignem admovit, atque hinc illinc, susque deque flammam agitat, usque dum alium ita* fa-

*facientem videat in monte ſecundo, & ſic in monte tertio. Unde autem flammas has primo elevarunt?* מהר המשחה לסרטבא *A monte Oliveti ad Sartabam.* מסרטבא לגרופינא. *A Sartaba ad Gryphenam* מגרופינא לחוורן. *A Gryphena ad Hauran.* מחוורן לבירת בלתין. *Ab Hauran ad Beth Baltin. Atque ille, qui in Beth Baltin flammam extulit, non inde receſſit: ſed hinc illinc ſuſque deque flammam ſuam agitavit, donec videret totam captivitatem flammis abundantem.* כמדורת האש Quærunt *Gemariſtæ, Quid ſibi vult, A Beth Baltin? Hæc eſt Biram. Quid captivitas? Dicit Rabh Joſeph, Hæc eſt Pombeditha. Quid* כמדורת האש *Traditio eſt, unumquemque, arrepta in manu ſua face, in tectum aſcendiſſe*, &c.

*Meſſiam* in hoc monte plurimum verſaturum credunt *Judæi:* quod & veritati conſonum & rationi, nam, cum primariam ejus ſedem *Hieroſolymis* futuram credant, non poſſunt non tale quid credere de iſto monte. *Midraſh Till. R. Janna dixit, Per tres annos & dimidium ſtetit* שכינה. *Divina majeſtas in monte Oliveti, & prædicavit dicens, Quærite Dominum, dum ille eſt inveniendus; invocate eum, dum prope eſt.*

Et jam a monte iſto in urbem retroſpiciamus. Finge te ſedentem in iſto loco, ubi ſtetit Sacerdos, dum vaccam rufam combureret, directe ex adverſo portæ Orientalis Templi. Inter montem & urbem videres intercurrentem vallem, a dextra *Sionem* ambientem, a ſiniſtra *Hieroſolymam*. Tibi oppoſitam *Portam Aquarum*, ducentem ad Templum: ab ejus ſiniſtra *Ophlam* & *Portam equorum*. Inde, ut diximus, initium *Vallis Hinnom*, quæ tandem flexit in urbis latus Meridionale. Illic loci, muro vicinus, erat *Ager fullonis*, qui an a lignis compactis, ubi pannos exſiccarent fullones, dictus foret, an ἀπὸ κναφέως μνήματος, de quo *Joſephus*, *de bello*, lib. 5. cap. 13. non diſputamus.

A *Porta Equorum*, Occidentem verſus, procurrit *Vallis Kidron*, (in qua torrens, unde vallis denominatio) *Sionem* etiam ab Aquilone circumplexa, & ſe dilatans latitudine ſpatioſiori.

*Succah*, cap. 4. hal. 5. *Erat infra urbem locus quidam*, (eum deſignare non audemus) qui dicebatur מוצא *Motſa: huc deſcenderunt*, (in feſto Scenopegiæ) *& decerpſerunt inde ramos ſalicum perlongos*, (forte e ripis *torrentis Kedron*) *atque abeuntes eos locarunt juxta latera Altaris, incurvatos ita, ut capita eorum in verticem Altaris declinarent*, &c.

Extra urbem, non mirum eſt, ſi eſſet multitudo hortorum, cum nulli eſſent intra. Inter eos celebratur גנת וורדים שהיתה בירושלם. *Hortus Hieroſolymitanus, in quo naſcebantur ficus, quæ vænibant ſingulæ tribus aut quatuor aſſariis: & tamen de iis nunquam deſumta eſt, vel Truma, vel decima, Maaſaroth*, cap. 2. hal. 5.

*Joſephus, de bello*, lib. 5. cap. 7. Ἐκτετάφρωτο ἀπὸ τοῦ τείχους περὶ τὰς κηπείας ἅπαντα, κήποις τε ἐπικαρπίοις καὶ πολλοῖς ἕρκεσι διειλημμένα.

## CAP. XLI.

## *BETHANIA.*

### בית היני.

EAdem videtur eſſe *Bethania* cum בית-היני apud *Talmudicos*, de qua ſic illi. Dum agunt in *Babylon. Peſachin*, fol. 53. 1. de comeſtione fructuum anno ſeptimo, & de ביעור, de qua diximus antea. Quærunt, quamdiu edere licet hos vel illos fructus: & ſic de re decernunt, *Olivas edunt*, inquiunt, *donec deficiat ultima in Tekoa. R. Eleazar dicit, Donec deficiat ultima in Guſh Chalab* (in Tribu *Aſher.*) *Ficus aridas comedunt* עד שיכלו פגי בית היני. *Donec deficiant groſſi in Beth-hene. R. Judah dicit, Groſſi Beth-hene non memorantur, niſi quoad decimas; ſicut eſt Traditio*, פגי בית היני ואהיני דטובני חייבין במעשר *Ficus Beth-hene, & Dactyli Tubni, tenentur ad decimationem.*

Gloſſa. *Non memorantur in Scholis inter fructus; niſi quoad decimationem.* Recitantur hæc in *Erubin*, fol. 28. 2. ubi vox בית היני ſcribitur ביתיוני, & טובני ſcribitur טובינא.

Videtur certe *Beth-hene* eadem omnino eſſe cum *Bethania* noſtra: deducique nomenclatura a voce אהיני, quæ *Dactylos palmarum* ſignificat, ad maturitatem non perductos: ſicut etiam vox פגי *groſſos* ſignificat, ficus ſcilicet non maturas.

Et jam montem *Olivetum* pauliſper proſpice.

Hinc oleas videas, atque iſthic loci eſt *Geth-ſemani, locus torcularium oleaceorum.*

Illinc palmas naſcentes, & vocatur locus iſte *Bethania*, בית-היני *Locus Dactylorum*: atque obſervare licet in hiſtoria Evangelica, ut, progrediente *Chriſto* a *Bethania*, in promtu ſint rami palmarum occurrentibus.

Iſtinc ficus naſcentes, & vocatur iſte locus *Beth-phage, locus groſſorum.*

Dicta

Dicta igitur est pars aliqua *Oliveti Bethania* a palmis, & dictum est etiam oppidum eodem nomine a regione. Distabat oppidum ab *Hierosolymis* stadia xv. perrexit autem regio istius nominis, usque dum perveniretur ad distantiam itineris Sabbatici tantum ab urbe.

## CAP. XLII.

### צופים.

### Σκοπός.

EO modo, quo *Mons Olivetus* ab Oriente ex adverso urbi objectus est, intercurrente *Valle Kidronis*; ita & a Septentrione, post vallem aliquanto latiorem, a *Sione* porro Boream versus exporrectam, in montem extumuit terra, ad locum, qui *Zophim* inde dictus est, quod inde undique, præsertim vero in urbem, est prospectum.

De eo sic *Josephus*, *de bello*, lib. 5. cap. 8. *Cæsar cum noctu legionem ab Ammaunte recepisset, postridie inde castra movens*. Ἐπὶ τὸν Σκωπὸν καλούμενον πρόεισιν. Ἔνθεν ἥ τε πόλις ἤδη κατεφαίνετο, καὶ τὸ τοῦ ναοῦ μέγεθος ἔκλαμπρον, καθὰ τῷ βορείῳ κλίματι τῆς πόλεως χθαμαλὸς συνάπτων ὁ χῶρος ἐτύμως σκοπὸς ὠνόμασται.

Hinc Canones & cautiones istæ. *Hierosol. Beracoth*, fol. 13. 2. *Qui mingit, faciem suam convertat ad Aquilonem, qui cacat ad Austrum: R. Josi b. R. Bon dicit, Traditio est, A Zophim & intus*: id est, Si hoc fiat ab aliquo a *Zophim intus*, ubi jam est intra prospectum urbis; cum mingit, faciem ad Aquilonem convertat, ne pudenda coram Templo exponat: cum cacat, faciem ad Austrum; ne nates exponat.

*Babylon. Beracoth*, fol.. 49. 2. *Si quis egressus Hierosolymam, recordatus fuerit, quod est in manu sua caro sacra, si jam ultra Zophim progressus fuerit, eam comburat in loco ubi est* (nam polluta fit exportando extra mœnia *Hierosolymæ*.) *Si autem non ultra Zophim, redeat & comburat coram Templo*. Glossa, *Zophim est locus, unde prospici potest Templum*. A Glossa alia non de loco isto proprio hic rem intelligit, sed de toto ambitu circa urbem, ubicunque primo prospici urbs potuit. Sic *R. Eliezer* de *Abrahamo*, ab Austro ad *Hierosolymas* pergente, *Tertio die pervenerunt Zophim: ubi autem accessit ad Zophim, vidit gloriam divinæ majestatis consistentem supra montem* (*Moriam.*) *Pirke R. Eliezer*, cap. 31.

## CAP. XLIII.

### RAMAH.

*Ramathaim Zophim. Gibeah.*

ERat *Ramah* quædam in Tribu *Benjamitica*, *Jos.* 18. 25. eaque intra conspectum *Hierosolymæ*; ut videtur, *Judic.* 19. 13. ubi nominatur cum *Gibeah*: alibique *Hos.* 5. 8. quæ oppida non erant multum semota. Vide 1. *Sam.* 22. 6. *Sedit Saulus in Gibeah sub luco in Ramah*. Nugantur hic *Gemaristæ*, *Babylon. Taanith*, fol. 5. 2. *Unde inquiunt*, *locatur Ramah juxta Gibeam? Ut innuat tibi, orationem Samuelis Ramathæi in causa fuisse, cur Saulus maneret annis duobus & dimidio in Gibeah*. Cœcutiunt ad *Ramam* in Tribu *Benjamitica*, prospicientes solum *Ephraimiticam*, ubi natus *Samuel*.

Oppidum ejus natale dicitur sæpissime *Ramah*, semel *Ramathaim Zophim*, 1. *Sam.* 1. *vers.* 1. *Erat vir quidam e Ramathaim*, id est, *una e duabus Ramathis*, *Zophim* etiam agnominatis. Formula loquendi similis est ea, 1. *Sam.* 18. 20. בשתים תתחתן בי *In una duarum gener mihi eris*. Erat oppidum illud *Samuelis Ramath Zophim*; erat & hæc *Benjamitica*, *Ramath Zophim*: sed Etymologia, ut videtur, diversa. Illa forte a *Zuph*, *Samuelis* abavo, unde regio ista sic dicta, 1. *Sam*. 9. 5. hæc a *Zophim*, de quo loco diximus Capite præcedenti.

*Gibeach* oppidum *Saulis*. *Joseph*. *de bello*, lib. 5. cap. 6. Κώμη Γαβαθ-Σαούλη καλουμένη. Σημαίνει δὲ τοῦτο λόφον Σαούλου διέχοντα ἀπὸ τῶν Ἱεροσολύμων ὅσον ἀπὸ τριάκοντα σταδίων. Hinc etiam distantiam *Ramæ* ab *Hierosolymis* conjecteris. Locum *Gibeæ* propinquum nominat *Josephus* Ἀκανθῶν αὐλῶνα: forte חצר סנה vallem sub rupe *Seneh*, de qua mentio 1. *Sam*. 14. 5.

## CAP. XLIV.

### NOBA. BAHURIM.

NObam in *Benjamitide*, non longe ab *Hierosolyma*, sitam, unde & *Hierosolyma* conspici posset, arguunt verba *Chaldæi* Paraphrastæ in *Esajæ* 10. 32. Sic enim ille. *Venit Senacharibus, stetitque in Noba civitate Sacerdotum, coram mœnibus Hierosolymæ; dixitque exercitui suo, Nonne hæc est civitas Hierosolyma, contra quam excitavi*

*tavi totum exercitum meum, ſubegique omnes ejus provincias: nonne ea minuta & debilis præ omnibus munitionibus gentium, quas ſubegi fortitudine manus meæ? Contra eam ſtetit nutans capite ſuo, ac manum ſuſque deque agitans*, &c. Ubi *Kimchius*; *A Noba conſpici potuit Hieroſolyma; quam ubi inde conſpexit, manum ſuam motavit, ut ſolet homo quidvis deſpiciens*, &c. *Et Jarchius*: *Cum ſtetit Nobæ, vidit Hieroſolymam*, &c.

Concurrunt in eundem cum *Chaldæo* Paraphraſta ſenſum, atque in ipſiſſima ejus verba, etiam *Talmudici*, *Babylon. Sanhedr.* fol. 94. 2. & 95. 1. hoc inſuper addentes, Loca omnia iſta, quæ apud *Eſajam*, loco allegato, enumerantur, ab hoſte cum exercitu ſuo peragrata fuiſſe uno die.

Reſedit aliquando Tabernaculum *Nobæ*, qua exciſa, ad *Gibeonem* tralatum eſt. *Fueruntque dies Nobæ & Gibeonis* (verba ſunt *Maimonidis* in *Beth Habbechirah*, cap. 1.) *quinquaginta & ſeptem anni*.

De *Bahurim* occurrit mentio, 2. *Sam.* 16. 5. Erat oppidum *Leviticum*, idem quod *Almon*, *Joſuæ* 21. 18. quod & *Alemeth* dicitur, 1. *Parals* 6. 60. Verba iſta, *Et venit David ad Bahurim*, loco in libro *Samuelis* allegato, *Chaldæus* reddit ואתא דוד מלכא עד עלמת *Et venit Rex David ad Almath*. Ubi *Kimchius*; *Bahurim erat civitas Benjamitarum, vocaturque in libris Paralipomenων, Alemeth: nam Bahurim & Alemeth idem ſunt*; utraque *Adoleſcentes* ſonat.

## C A P. XLV.

### *EMMAUS. KIRIATH-JEARIM.*

Hieroſol. *Sheviith*, fol. 38. 4. *A Beth-Horone ad Emmaunta erat montanum.*

Diſtabat *Hieroſolymis* ſtadiis ſexaginta, *Luc.* 24.13. *Joſeph. de bello*, lib. 7. c. 27. Ὀκτακοσίοις δὲ μόνοις ἀπὸ τῆς στρατιᾶς διαφειμένοις χωρίον ἔδωκεν (Οὐεσπασιανὸς) εἰς κατοίκησιν, ὃ καλεῖται μὲν Ἀμμαοῦς, ἀπέχει δὲ τῶν Ἱεροσολύμων σταδίους ἑξήκοντα.

Quæro, an hæc vox idem etymon ſubeat cum *Emmaunte* prope *Tiberiada*, quæ a Thermis dicta eſt חמת. Hanc certe aliter ſcribunt *Judæi*: nempe vel אמאוס, ut *Hieroſolymitani* loco ſupra citato, vel עימאוס ut *Miſhnah*.

*Erachin*, cap. 2. hal. 4. משפחת בית פגרים ובית ציפריא מעימאוס היו. *Familia*, inquiunt, *Beth-Pegarim*, & *Beth-Zipperia fuit ex Emmaunte*. Gloſſa, *Emmaus fuit nomen loci; cujus habitatores erant Iſraelitæ generoſi, filiaſque eorum duxerunt Sacerdotes in uxores*.

*Joſephus*, *de bello*, lib. 5. cap. 33. proceres quoſdam memorans, a *Simeone Tyranno* occiſos, numerat *Ariſtæum* quendam; qui erat Γραμματεὺς τῆς βουλῆς, γένος ἐξ Ἀμμαοῦς.

Apud eundem, ibid. lib. 6. cap. 23. etiam memoratur Ἄνανος ὁ ἀπ' Ἀμμαοῦς. unus e ſeditioſis *Hieroſolymitanis*, qui tamen tandem transfugit ad *Cæſarem*.

*Kiriath-Jearim*, olim *Baale*, 2. *Sam.* 6. 2. vel *Baalath*, 1. *Paral.* 13. 6. De ea ſic *Hieroſoymitani*, *Sanhedrin*, fol. 18. 3. *Reperimus, quod annum intercalarunt in Baalath. Baalath autem aliquando aſſignatur Judæ; aliquando τῷ Dan. Eltekah & Gibbethon & Baaleth; ecce, hæ e Juda*. (Error hic librariorum; nam ſcribendum eſt *e Dan*, *Joſuæ* 19. 44.) *Baalah & Ijim & Azem, ecce, hæ e Dan*. (Scribendum *e Judah*, *Joſuæ* 15. 29.) *Erat nempe domus e Juda, agri e Dan*.

*Pſalm.* 132. 6. *De ea* (arca) *audivimus in Ephrata*, (id eſt, *Shilunte*, urbe *Ephraimitica*,) *invenimus eam in agris ſylvæ* (בשרי יער, id eſt, in *Kiriath-Jearim*, 1. *Sam.* 7. 1. &c.)

## C A P. XLVI.

### *REGIO HIERICHUNTINA: atque urbis ſitus.*

Mutuabimur hic penicillum *Joſephi*. Ἵδρυται μὲν ἐν πεδίῳ, inquit ille, *de bello*, lib. 4. cap. 27. ψιλὸν δὲ ὑπέρκειται αὐτῇ καὶ ἄκαρπον ὄρος μήκιστον· κατὰ γὰρ τὸ βόρειον κλίμα μέχρι τῆς Σκυθοπολιτῶν γῆς ἐκτείνεται. κατὰ δὲ τὸ μεσημβρινὸν μέχρι τῆς Σοδομιτῶν χώρας, καὶ τῶν περάτων τῆς Ἀσφαλτίτιδος.

*Sita eſt* (*Jerico*) *in planitiæ: ei tamen imminet montanum quoddam ſterile, tenue quidem, at oblongum: nam Septentrionem verſus excurrit uſque ad regionem Scythopolitanam; Auſtrumque verſus, uſque ad regionem Sodomiticam, ultimamque oram Aſphaltitis*.

De hoc monte mentio *Joſuæ* 2. 22. ubi delituiſſe feruntur duo exploratores a *Joſua* miſſi: atque excepti a *Rachabe*!

Ἀντίκειται δὲ τούτῳ τὸ περὶ τὸν Ἰορδάνην ὄρος, &c. *Ex oppoſito etiam huic jacet montanum trans Jordanem, a Juliade incipiens ab Aquilone, exporrectumque* ad

*ad Austrum usque ad Somorrham, quæ terminat Petram Arabiæ. In hoc autem est mons, qui vocatur ferreus, protentus usque ad Moabitidem. Regio autem, quæ inter duo hæc montana interjacet, Magna planities* ( Μέγα πέδιον ) *vocatur: a villa Ginnabri ad lacum usque Asphalititen extensa, longitudine* M.CC. *stadiorum*, ( CL. M. pass. ) *latitudine* CXX. *stad.* ( XV. M. passuum ) *Mediamque eam intersecat Jordanes.*

Hinc planius ea intelligas, quæ referuntur de *campestribus Jerichuntis*, 2. *Reg.* 25. 5. quidque sibi velit ἡ περίχωρος τοῦ Ἰορδάνου, *Matth.* 4. 5.

Ἀπέχει δὲ Ἱεροσολύμων μὲν σαδίους ἑκατὸν πεντήκοντα, τοῦ δὲ Ἰορδάνου ἑξήκοντα, καὶ τὸ μὲν μέχρι Ἱεροσολύμων αὐτῆς ἔρημον καὶ πετρῶδες· τὸ δὲ μέχρι Ἰορδάνου καὶ τῆς Ἀσφαλτίτιδος χθαμαλώτερον μὲν, ἔρημον δὲ ὁμοίως καὶ ἄκαρπον.

*Distat Jericho Hierosolymis* CL. *stadia*, ( XVIII. M. passum, & $\frac{1}{4}$ ) *a Jordane antem stadiis* LX. ( VII. M. passuum, & $\frac{1}{2}$ ) *Spatium inde ad Hierosolymas desertum est & petrosum; ad Jordanem vero & Asphaltiten planius quidem, ast æque desertum & sterile.*

Distantiam eandem inter *Jtrichunta* & *Jordanem* asserit idem hic Autor noster, *Antiq.* lib. 5. cap. 1. his verbis: Οἱ δὲ πεντήκοντα, προελθόντες σάδια βάλλονται στρατόπεδον ἀπὸ δέκα σαδίων τῆς Ἱεριχοῦντος· *Israelitæ autem e Jordane profecti* L. *stadiis castra-metantur* X. *stadiorum distantia a Jerichunte*: id est, in *Gilgale*, in ora *Jerichuntis* Orientali, *Jos.* 4. 19.

Ast de distantia inter *Jerichunta* & *Hierosolymas* non videtur ei convenire cum suis. Utcunque enim illi, pro stylo eorum hyperbolico, plurima fingant ab *Hierosolymis* audita usque ad *Jerichuntem*, sonum scilicet portæ Templi cum aperiretur, sonum *Migrephæ*, vel tintinnabuli, &c. *Tamid*, cap. 3. hal. 8. sunt tamen ex iis, qui distantiam statuant *decem Parsarum*. *Babylon. Joma*, fol. 20. 2. & 39. 2. *Dicit Rabba bar Bar Chamah; Dicit Rabbi Jochanan*, מירוש׳ ליריחו י׳ פרסי. *Ab Hierosolymis ad Jerichunta erant decem Parsæ: & tamen inde eousque audita est vox summi Sacerdotis in die Expiationis nomen Jehovah proferentis, &c. Cardines portarum Templi audiuntur* בשמונה תחומי שבת *usque ad octavum limitem Sabbati*: id est, ad iter Sabbaticum octies enumeratum. Glossa, *Cardines quidem non ulterius, at ipsæ portæ ad Jerichunta audiuntur*. Hyperbole in emensuratione spatii, ut in reliquis.

Ἐκπυροῦται δὲ ὥρᾳ θέρους τὸ πεδίον, καὶ δι᾽ ὑπερβολὴν αὐχμοῦ περιέχει νοσώδη τὸν ἀέρα, &c.

*Ardet autem æstate ista planities, atque ex nimio calore aerem reddit insalubrem: tota enim est inaquosa, excepto Jordane, in cujus ripis crescentes palmæ floridiores sunt & fructiferæ magis, quam quæ remotiores.*

Παρὰ μέν τοι τὴν Ἱεριχοῦντα ἐστὶ πηγὴ, δαψιλής τε, καὶ πρὸς ἀρδείας λιπαρωτάτη, παρὰ τὴν παλαιὰν ἀναβλύζουσα πόλιν, &c.

*Juxta Jerichunta fons est affluens valde, & ad irrigationes opulentissimus, secus veterem civitatem scaturiens, quam cepit Jesus filius Nave. Quem fontem fama est non solum olim fructus terræ arborumque languefecisse, sed & partus mulierum; in universumque omnibus fuisse insalubrem & noxium: at vero in melius mutatum ab Elisæo*, &c. ( vide 2. Reg. 2. 21. ) *ita, ut quæ aquæ fuerant antea sterilitatis causa & famis, exinde essent fertilitatis & abundantiæ; tantamque habent in irrigando virtutem, ut, quemcumque locum attingant, maturitatem inducant celerrimam.*

Καὶ πεδίον μὲν ἐπέχει ἑβδομήκοντα σαδίων μῆκος, εὖρος δὲ εἴκοσιν. *Planitiemque perfluunt* LXX. *stad. longitudine, & latitudine* XX. *stad. nutriuntque ibi hortos pulcherrimos densissimosque palmarum varii generis, &c. Apes etiam nutrit iste locus, Opobalsamum producit, & Cyprinum, & Myrobalanum*; ita, ut quis non male eum vocaverit θεῖον τὸ χωρίον, *Regionem divinam, &c.*

Paria *Strabo*, *Geogr.* lib. 16. Ἱεριχοῦς δὲ ἐστι πεδίον κύκλῳ περιεχόμενον ὀρεινῇ τινι, &c. *Hierichus est planities montibus circundata, quæ in Theatri speciem ad ipsam alicubi declinat. Ibi est Palmetum, cui immixtæ sunt etiam aliæ stirpes hortenses, locus ferax, palmis abundans spatio stadiorum C. totus irriguus, & habitationibus plenus. Ibi & regia est & Balsami paradisus, &c.*

Et *Plinius*, lib. 5. cap. 14. *Herichuntem palmetis consitam, fontibus irriguam, &c.*

Hinc civitas dicta *Civitas palmarum*, *Deuter.* 34. 3. & *Judic.* 1. 16. ubi pro eo, quod in *Hebræo* est מעיר התמרים, *Targum* habet מן קרתא יריחו: quod tamen non approbat *Kimchius*, *Civitatem palmarum Hebroni* vicinam reputans; quem vide. Vide & *Targum* in *Judic.* 3. 13. *Kimchiumque* ibidem: & *Targum* in *Judic.* 4. 5.

Cum nobilem illum fontem, prout a *Josepho* descriptum, recognoscis; inde

de intelligis quasnam aquas *Jerichuntis* indigitet Spiritus Sanctus, in *Jos.* 16. 1. cumque amœnissimam istam regionem inde irriguam cogitas, subeat historia *Rabbinica* de דושנו של יריחו filiis *Hobab*, soceri *Mosis*, concessa, quadraturæ 500. cubitorum: de qua vide *Baal Turim* in *Num.* 10. 29. & *R. R.* in *Judic.* 1.

## CAP. XLVII.

### *HIERICHO ipsa.*

URbem hanc a *Josua* non solum flamma & ferro vastatam legimus, sed & Anathemate; *Maledictus sit ille coram Domino, qui exsurrexerit, atque ædificaverit urbem istam Jerichunta*, *Josue* 6. 29. *Nec alia civitas condenda*, (inquiunt *Talmudici Hierosol. Sanhedrin*, fol. 29. 4.) *quæ vocanda esset nomine Jerichuntis*; *nec Jericho ipsa condenda, quamvis vocanda alio nomine*: & tamen, nescio quo fato, e pulvere & ruderibus erepsit hæc urbs, revixit, floruit, & secunda ab *Hierosolymis* evasit. Restauratorem ejus *Hielem* iidem, qui jam citati, filium opinantur *Jehosaphati*, eundem scilicet cum *Jechiele*, 2. *Paral.* 21. 2. *Hiel*, inquiunt ibid. *fuit Jehoshaphati, & Jericho Benjaminis*. Et justus est iste scrupulus, quem objicit *R. David Kimchius* in 1. *Reg.* 16. Quinam tandem rem tam horrendam perpetrari intra regnum suum perpessus sit pius Rex *Jehoshaphat?* Multo magis, quinam hoc a filio suo perpetrari? Rem ipsi disputanto, nos alio properamus.

Quod fieri non debuit, factum valet. Exsecrabile fecit *Hiel*, quod *Jerichunta* conderet; exsecrabilis tamen non fuit *Jericho*, cum jam condita. Nobilitata erat illico post restaurationem Scholis Prophetarum, 2. *Reg.* 2. 5. floruitque cum reliquis *Judææ* urbibus usque ad excidium gentis per *Babylonios*.

Sub Templo secundo floruit magis, ita ut nulli cederet civitati in *Judæa*: imo omnes ei cederent, præter *Hierosolymas*. *Strabo*, lib. 16. In ea *Regia*, ubi *Herodes* diem suum clausit extremum, *Joseph. Antiq.* lib. 17. cap. 10. *Hippodromon*, ubi ab eo conclusi magnates *Judæorum* cum is exspiraret mactandi, ibid. cap. 8. *Amphitheatrum*, ubi publice apertum ejus testamentum, & recitatum: & *consessus* aliquando *Synhedrii*, & *turma nobilis Ephemeriarum*, Idem *de bello*, lib. 1. cap. ult.

*Hierosol. Avodah Zarah*, fol. 42. 3. *Convenerunt aliquando Seniores in Camera Bethgadia in Jerichunte; prodiit Bath Kol, & dixit iis, sunt duo inter vos, qui idonei sunt recipiendo Spiritui Sancto, atque Hillel est unus ex iis: oculos conjecerunt in Samuelem parvum*; ut secundum. *Vice alia convenerunt Seniores in camera in Jafne; prodiit Bath Kol, dixitque, sunt duo inter vos, qui idonei sunt recipiendo Spiritui Sancto, & Samuel parvus est unus ex iis, oculos conjecerunt in R. Lazarum. Et gavisi sunt, quod sententia eorum congrueret cum sententia Spiritus Sancti.*

Idem, *Taanith*, fol. 67. 4. *Traditio est, vigesies quater mille viros stationis fuisse Hierosolymis, & dimidiam stationem* (id est, 12000) *Herichunte. Potuit etiam Jerichus totam stationem produxisse; sed, quia cedere voluit Hierosolymis, dimidiam tantum stationis produxit.*

Ecce tibi quingentos ex unaquaque Ephemeria *Jerichunte* residentes! At quidnam illi? Im promtu aderant supplendis vicibus deficientibus, si quæ tales *Hierosolymis*; & curarunt de necessariis supplendis iis, qui *Hierosolymis* ministrabant. Hinc minus mirum, si, in parabola de itinerante inter *Hierosolymam* & *Jerichunta*, transeuntes audias *Sacerdotem* & *Levitam*, *Luc.* 10. 31. 32.

Non potuit in urbe tam celebri, & numerosi adeo populi, non esse Synhedrium aliquod viginti-triumvirale, unum saltem nobilius, si non plura: cum tot præsto essent e stationibus ibidem commorantibus, qui idonei essent regimini tractando; totque, qui regerentur.

Celebrantur in *Pesach.* cap. 4. hal. 8. אנשי יריחו *viri Hierichuntini ob sex ab iis peracta; de tribus quorum consensum iis est a Synhedrio summo, & de tribus aliis non consensum.* Ea, de quibus non repugnatum est, hæc erant: I. כורכין דקלים כל היום *Inseruerunt*, vel *complicarunt, palmas unoquoque die*, vel *toto die*. Longo hic opus est commentario, eumque proferunt obscurissimum. Res *Jerichuntinis* est cum palmis, quas sive conjungebant & commiscebant masculas cum fœminis, sive germina ramorum teneriora vetustioribus inseruerunt, vel (quod vulgo dicitur) inocularunt; illud indulgentiæ iis a Sapientibus concessum est de tempore, quo hæc fiunt, quod vix alibi tolerandum; nisi quod, ut videtur, natura loci & palmetorum hoc efflagitaret. II. כורכין את שמע *Complicarunt recitationes Phylactericas*: id est, vel non distincte eas effe-

efferendo, vel doxologias quaſdam aut orationes omittendo, vel ſonora nimium voce enuntiando. Vide *Gemaram* & Gloſſam. III. קוצרין וגודשין לפני העומר: *Meſſuerunt, & manipulos colligarunt ante oblatum manipulum*; atque hoc, partim ob præcocem eo loci frugum maturitatem, partimque, quod in humiliori convalli naſcerentur eorum ſegetes, ideoque aptæ non æſtimarentur, ut offerrentur in *Mincham*. Vide Gloſſam. Tria, de quibus non conſenſum iis eſt a Sapientibus, hæc erant: I. מתירין גמזיות של הקדש Fructus, & germina, ſiliquæ & Sycominorum, quas uſui ſacro devoviſſent patres eorum, illi in uſus communes alienarunt. II. אוכלין מתחת הנשרים בשבת Comederunt Sabbato ſub arbore fructus ab arbore deciduos, quamvis incerti eſſent, num Sabbato decidiſſent, an veſpera Sabbati: nam Sabbato decidentes erant prohibiti. III. נותנין פאה לירק Angulum horti pro oleribus conceſſerunt, eo modo, quo conceſſus eſt Angulus agri pro ſegetibus.

Finiatur hujus urbis & loci deſcriptio verbis *Talmudicis*, *Babylon. Beracoth*, fol. 43. 1. משחא דאפרסמא: *Quanam orationis formula utuntur ſuper Balſamum? Benedictus ſit, qui creavit unguentum terræ noſtræ*. Gloſſa, *Unguentum terræ noſtræ; nam enatum eſt Jerichunte, & propter ejus odorem vocata eſt* יריחו *Jericho; illud autem eſt Pannag, de quo mentio in libro Ezechielis,* Judah & terra Iſraelitica mercatores tui erant in tritico Minnith & Pannag? *Hoc vidi in libro Joſephi ben Gorion*. Judica, Lector.

## CAP. XLVIII.

*Miſcellanea quædam ad regionem Jerichuntinam ſpectantia.*

ORdiamur a poſtremis *Iſraelitarum* caſtrametationibus, trans *Jordanem*.

*Numer.* 33. 49. *Caſtrametati ſunt juxta Jordanem, a Beth-Jeshimoth uſque ad Abel Shittim.*

*Hieroſol. Sheviith*, fol. 36. 3. & *Gittin*, fol. 43. 31. *A Beth-Jeshimoth ad Abel Shittim erant milliaria duodecim.*

Receptiſſimum eſt apud *Judæos*, caſtra *Iſraelitarum* in eremo quadraturam duodecim milliarium excepiſſe. Sic *Targum Jonathanis* in *Numer.* 2. 2. משריתא דישרא' אורכא תריסר מילין ופותיה תריסר מילין: *Caſtrametatio Iſraelis erat longitudinis duodecim milliarium, & latitudinis duodecim milliarium*. Et *Gemariſtæ Hieroſol.* ubi ſupra. *Prohibitum eſt Diſcipulo Traditionem docere coram Magiſtro, imo non, donec ab eo diſtet duodecim milliaribus, pro ſpatio caſtrametationis Iſraelis. Unde autem illud ſpatium probatur?* Et caſtrametati ſunt juxta Jordanem a Beth-Jeſhimoth ad Abel Shittim. *Quantum hoc ſpatii? Duodecim milliarium.*

Craſſitudinem exercitus idem ſpatium retinuiſſe, dum tranſirent *Jordanem*, credunt illi etiam; *Babylon. Sotah*, fol. 34. 1. in *Gloſſa*. Et non iniquum quidem eſt ita credere: videtur enim ſaltem largum admodum ſpatium in tranſitu occupaſſe: hoc præſertim obſervato, quod ſtanti in medio *Jordanis* Arcæ non licuit appropinquare intra bis mille cubitos, *Joſ.* 3. 4. Cum ergo dicatur, *Populum contra Jerichuntem tranſiiſſe*, de medio exercitus eſt intelligendum, vel de Arcam portantibus, iiſque, qui proxime ab Arca incedebant.

Ab *Abel* ad *Jordanem* erant ſtadia ſexaginta. ( VII. M. paſſum $\frac{1}{2}$ ) Latitudo *Jordanis* a ripa in ripam modicum ſpatium excepit, *juxta Joſeph. Antiq.* lib. 5. cap. 1. De ea, in aliqua ejus parte, ſic *Hieroſolymitani*, *Bava Kama*, fol. 5. 3. *Tranſiit aliquando incendium Jordanem* [ hoc eſt, flamma, in hac ripa accenſa, ad illam transvolavit. ) *Quouſque autem fertur flamma? R. Eleazar dicit, Ut plurimum ad ſedecim cubitos; at, ferente vento, ad triginta. R. Judah dicit, Ad cubitos triginta; &, ferente vento, ad quinquaginta. R. Akiba dicit, Ad cubitos quinquaginta; &, flante vento, ad centum.*

A *Jordane* ad *Gilgalem* ſtadia quinquaginta, ( VIM. paſſuum & $\frac{1}{2}$ ) *Joſeph.* ubi prius. Totum ergo iſtius diei iter ab *Abele* ad *Gilgalem* erat milliarium XIV. aut circiter. *Talmudici* ambiguitate vocis גלגל decepti, *Babylon. Sanhedr.* fol. 44. 1. ad ſexaginta milliaria extendunt ampliuſque; quos uide poſtea citatos capite octuageſimo octavo. Sic dicitur in *Midraſch Tillin*, fol. 7. 4. *Saulem 60. millia ria uno die profectum fuiſſe.*

De lapidibus a *Joſua* in *Jordane* & *Gilgale* erectis hæc *Gemariſtæ Babylon. Sotah*, 34. 1. *Toſapht.* in *Sotah*, cap. 8. *R. Judah dicit, Aba Chalaphta, & R. Eleazar ben Mathia, & Chanina ben Chakinai ſteterunt ſuper iſtos lapides, atque eos æſtimarunt, unumquemque ponderis quadraginta Satorum.*

## CAP. XLIX.

### HEBRON.

A *Jerichunte* pergimus ad *Hebronem*; longe quidem diſſitam, at dignitate proximam: imo erat, cum ea *Hieroſolymas* nomine & honore anteiret; dum ſcilicet primum regni *Davidici* jacerentur fundamenta; & tunc temporis in ruderibus ſepeliretur *Jerichus*, & profanis *Jebuſæorum* pedibus tereretur *Hieroſolyma*.

Sita erat *Hebron*, prout in montano *Judææ*, ita in loco admodum ſaxoſo, at regione tamen valde fertili. אין לך טרשים בכלו ארץ ישר'א יתר מחברון: *Babylon. Sotab*, ubi ſupra. *Non eſt locus in tota terra Iſraelitica ſaxoſus magis, quam Hebron: inde ſepultura illic mortuorum*. Diſcutiunt *Gemariſtæ* quid illud ſibi velit, *Condita eſt Hebron ſeptem annis ante Zoanem in Ægypto*, *Numer*. 13. 22. & in hunc ſenſum reducunt, quem etiam reperias apud *R. Solomonem* in textum iſtum *Moſis*, *Non eſt terra aliqua excellentior quam Ægyptus; ſicut dicitur, Sicut hortus Domini, ſicut Ægyptus: nec eſt in Ægypto locus aliquis excellentior Zoane: & tamen ſeptem vicibus nobilior erat Hebron, utcunque ſaxoſa, quam Zoan*. Nam Traditio hæc apud eos obtinet, אילים ממואב כבשים מחברון, *Arietes a Moab, Agni ab Hebron:* atque huc applicant illud *Abſolomi*; *Eam, quæſo, ad Hebronem, ut perſolvam votum meum. Eccur ad Hebronem? Dicit R. Barbar Chanan, Illuc ivit, ut inde agnos peteret in ſacrificium* דקלישא ארעא עבדה רעיא ושמן קניינא. *Nam tenuis erat gleba, gramen ovibus gratum proferens*, &c.

Situm *Hebronis* reſpectu *Hieroſolymæ* obſervas ex iis, quæ referuntur de more & ritu quotidiano in Templo. *Joma*, cap. 3. hal. 2. & *Tamid*, cap. 3. hal. 2. *Dicere ſolitus eſt unoquoque mane Præfectus Liturgiæ in Templo, Ite, & videte, num adſit tempus mactandi ſacrificium. Si adeſſet, is qui ſpectatum miſſus, dixit*, ברקאי *Luceſcit. Mathia ben Samuel dixit, Lucida eſt tota facies Orientis uſque ad Hebronem: cui alter, Bene*, &c. In quæ ſic *Rambam*, in משניות in *Joma*. *Locus erat excelſus in Templo, quo aſcendit is, qui ſpectatum miſſus: cumque ille videret faciem Orientis ſplendentem, dixit* ברקאי, &c. *Illi autem, qui in Atrio erant, dixerunt* עד שהוא בחברון. *Num, ut ſit lux uſque ad Hebronem? Id eſt, Num eo uſque pervenit lux, ut oculi tui videant Hebronem? Et ille reſpondit, Ita*. Sic etiam Gloſſa in *Tamid*. *Videtur aurora, inquit ille qui in tecto, uſque ad Hebronem; quia Hebronem potuerunt videre inde*.

*Juchaſin*, fol. 6. 31. *Ideo autem mentionem fecerunt Hebronis* אעפ' שגם לצר זה היה המזרח (*quanquam ex iſta regione eſſet Oriens*,) *ut occurreret memoria meriti ſepultorum iu Hebrone, ad ſacrificium juge*. Verba ſunt autoris *Juchaſin*, ex quibus iſta præcipue ſunt notanda (*quanquam ex iſta regione eſſet Oriens*; vel, *ex iſto cardine cœli eſſet Oriens*:) quæ perpende, & confer *Gemariſtas* in locum citatum: nam illi verba iſta, עד שהוא בחברון, de luce etiam pertingente ad *Hebronem* intelligunt, æque ac Gloſſa de oculis ſpectantis eo pertingentibus: quæ omnia collata huc recidunt (ſi autoribus hiſce fides) *Hebronem*, utcunque a Meridie *Hieroſolymarum* ſita eſſet, aliquantulum tamen verſus Orientem declinaſſe, conſpicique potuiſſe e turribus in Templo *Hieroſolymaque* eminentibus. Judicet Lector.

De *Macpelah* ſepulchreto juxta *Hebronem*, dicuntur plurima a plurimis. Ob paria ibi ſepulta, *Abrahamum*, *Iſaacum*, & *Jacobum*, uxoreſque, dicta forſan eſt civitas *Hebron*, id eſt, *Conſociatio*.

Sepultum itidem ibi credunt non pauci *Adamum*, nonnulli ſepultum ſemel, ſepultumque iterum. Idem, fol. 5. 1. *Dixit Adamus*, inquiunt, *poſt mortem meam venient forte, ac oſſa mea arripientes ea adorabunt: at vero ego arcam meam profunde admodum in terra recondam, in ſpelunca intra ſpeluncam. Vocatur ergo ſpelunca Macpelah*, vel *duplicata*.

## CAP. L.

### *De Civitatibus refugii*.

Nobiliſſima inter has, *Hebron*, reliquarum memoriam nobis excitat.

*Babylon. Maccoth*, fol. 9. 2. *Tradunt Rabbini. Tres civitates refugii ſeparavit Moſes trans Jordanem, & ex oppoſito tres ſeparavit Joſua in terra Canaan. Et juxta ſe poſitæ hæ erant, eo modo, quo duo vitium ordines in vinea. Hebron in Judæa ex oppoſito Bezer in Eremo. Shechem in monte Ephraim ex oppoſito Ramoth in Gileade. Cadeſh in monte Nephtali ex oppoſito Golan in Baſan. Erantque hæ tres ita æque diſpoſitæ, ut tan-*

*tantum spatium esset ab ora Australi terræ Israeliticæ ad Hebronem, quantum ab Hebrone ad Schechemam: tantumque ab Hebrone ad Shechemam, quantum a Shechema ad Cadesh: tantumque a Shechema ad Cadesh, quantum a Cadesh ad oram terræ Septentrionalem.*

*Maimon.* in רוצח, cap. 8. Synhedrio incubuit vias ad civitates hasce accommodare, eas dilatando, atque omne offendiculum, in quod titubare, aut impingere posses, amovendo. Non permissus in via ullus tumulus, aut fluvius, super quem non esset pons; eratque via illuc ducens ad minimum 32. cubitorum lata; atque in omni bivio, aut viarum partitione, scriptum erat מקלט מקלט *Refugium*, *Refugium*; ne eo fugiens a via erraret.

Solitæ sunt matres Pontificum in civitatibus refugii ob cædem conclusos victu & vestitu fovere, ne mortem filiis suis apprecarentur: cum a morte summi Pontificis fugitivus suis esset reddendus; si vero antea ille moreretur in civitate refugii, ossa suis reddenda erant post mortem Pontificis, *Maccoth*, fol. 11. 1.

Somniant *Judæi* tres alias civitates iis sex, quæ in Sacra Pagina memorantur, addendas in diebus *Messiæ*, easque inter *Kenæos*, *Kenezæos*, & *Kadmonæos*: vide *Maimon.* ubi supra. Somnient.

*Babylon. Sanhedrin*, fol. 18. 2. *Occidens summum Pontificem ex improviso, fugiat ad civitatem refugii: at nunquam exinde redeat.* Confer hæc cum statu *Judæorum* occidentium *Christum*.

## CAP. LI.

### *BETH-LEHEM.*

SIlent admodum de hac urbe *Judæi*: nec memini me quicquam in iisde ea legisse, præter ea, quæ adducuntur e Veteri Testamento, hoc solum excepto, quod natum ibi *Messiam* ante sua tempora fateantur *Gemaristæ Hierosolymitani*, *Beracoth*, fol. 5. 1.

*Justin. Martyr*, *Apol.* 2. pag. 75. Βηθλεέμ κώμη τίς ἐστιν, ἐν τῇ χώρᾳ Ἰουδαίων, ἀπέχουσα σταδίοις τριακοντακέντε Ἱεροσολύμων idque versus Meridiem.

Pater Annalium Ecclesiasticorum, *Baronius*, ad annum *Christi* 137. hæc verba *Eusebii Ecclesiast. Hist.* lib. 4. cap. 6. citans, Ἀκμάσαντος δὲ τοῦ πολέμου ἔτους ὀκτωκαιδεκάτου τῆς ἡγεμονίας Ἀδριανοῦ κατὰ Βήθηκα πόλιν, &c. sic *Latine* reddit, *Jam vero, cum decimo octavo anno Imperii Hadriani bellum, juxta urbem Beth-lehem nuncupatam (quæ erat rerum omnium præsidiis munitissima, neque adeo longe a civitate Hierosolymarum sita) vehementius accenderetur*, &c.

Interpres *Eusebii* Βήθηκα *Beth-thera* reddit; non male: utcunque non ad literam (forte κ in vocem irrepsit, incuria librariorum, pro ρ). At qua aliter licentia *Beth-lehem* reddiderit, ipse videat. Agit certe *Eusebius* de civitate ביתר *Betar*, (vulgo *Bitter* scribitur) de cujus excidio plurima cum planctu referunt *Judæi*; quæ certe eadem vix reputanda est cum *Beth-lehemo*.

Addit idem Annalium Pater, *Beth-lehemum*, a temporibus *Hadriani* ad tempora *Constantini*, *Adonidis* fano fuisse profanatam: in cujus rei assertionem *Paulini* hæc verba citat; *Hadrianus, existimans se fidem Christianam loci injuria peremturum, in loco Passionis simulachrum bovis consecravit, & Bethlehem Adonidis fano profanata est*; ut & similia *Hieronymi*: fatetur tamen in *Origine* contra *Celsum* contrarium videri; veriusque. Nam *Hadriano* lis non erat cum *Christianis* & *Christianismo*, sed cum *Judæis* dire rebellantibus.

## CAP. LII.

### *BETAR.* ביתר.

DE hac urbe altum silentium in Paginis Sacris, at sonus clamosissimus in *Talmudicis*. Scribitur vulgo בתיר, redditurque a *Christianis Bitter*, vel *Bither*: at scriptam reperio in *Talmude Hierosolymitano Taanith*, fol. 68. 4. & 69. 1. sæpiuscule in eadem pagella ביתתר, legendam, ut videtur, בית-תר *Beth-Tar*, & abjecto ת primo, quod in voce בית usitatissimum, ביתר *Be-Tar* (*Domum Inquisitoris.*) *Quare*, inquiunt, *vastata est* ביתתר *Beth-Tar? Quia accendit lucernas post excidium Templi. Et quare accendit lucernas? Quia consiliarii* בולוטי *Hierosolymæ habitarunt in medio urbis: cumque viderent quemvis ascendentem Hierosolymam, dixerunt ei, Audimus de te, quod tu ambis, ut fias Dux aut Consiliarius: ille autem respondit, Nihil tale in animo est meo. Audimus de te, Quod venditurus sis opes tuas: ille autem respondit, Nec hoc in mentem meam venit. Tunc diceret unus e societate; Quicquid tu ab hoc requiris, scribe, & ego sigillabo. Ille itaque scripsit, & collega ejus sigillavit: miseruntque isti fictum hoc diplonia suis, dicentes, Si N. ad possessionem opum suarum iterum accedere* ni-

*nitatur*, *ne permittite*; *nam ille eas apud nos vendidit*.

Causa excidit *Beth-Teræ* principalis erat *Ben-Cozba*, ejusque rebellio in *Romanos*: aliud initium assignant *Babylonici*.

*Babylon. Gittin*, fol. 57. 1. אשקא דרספק חריב ביתר *Ob crus carpenti vastata est Bethara. In more fuit, ut, cum nasceretur infans, plantarent cedrum; cum infantula, pinum: cumque nati contraherent matrimonium, ex iis conficerent thalamum. Die quadam transiit filia Cæsaris, & confractum est ei crus carpenti. Cedrum istiusmodi exciderunt, atque ad eam attulerunt. Insurrexerunt in eos (Judæi) atque eos ceciderunt. Relatum est Cæsari rebellare Judæos. Profectus ille in eos iracundus, excidit totum cornu Israelis, &c.*

*Hierosol.* ubi supra. *Per tres annos & dimidium obsidione cinxit Hadrianus Betheram. Gittin*, ubi supra. *Cumque eam caperent, interfecerunt mares, & fœminas, & parvulos; ita ut sanguis eorum flueret in mare magnum. Dices forsan, quod prope mare ea erat; at distabat milliari. Traditio est, quod dicit R. Eliezar Magnus, quod duo fluvii erant in valle Jadaim; quorum hic hac fluxit, iste illac: & computarunt Rabbini, quod tertia pars sanguis esset, & duæ partes aquæ. Traditur etiam, Ethnicos per septennium vindemiasse absque stercoratione, quia fertiles satis erant vineæ e sanguine Israelitarum.*

*Hierosolymitani* de distantia urbis hujus a mari hyperbolizant satis: *Si dicas enim*, inquiunt, *quod vicina ea esset mari; nonne distabat milliaribus quadraginta? Dicunt, quod trecenta crania parvulorum inventa fuerint super lapidem unum; tresque cistæ Phylacteriorum laceratorum, singulæ novem modiorum: at sunt qui dicunt, Novem cistæ, singulæ trium modiorum.*

Memorat *Josephus*, *de bello*, lib. 4. cap. 26. Βήτωριν καὶ Καφάρτοβαν δύο κώμας τὰς μεσαιτάτας τῆς Ἰδουμαίας. Ubi per *Idumæam* Australem *Judææ* partem intelligit, præcipue montanam; ut patet ex contextu. *Idumæam* proprie dictam vocat, ibid. cap. 30. Μεγάλην Ἰδουμαίαν.

## CAP. LIII.

### עפרים.

### *Ephraim*.

NOn *Ephraimitidem* hic volumus; sed oppidum quoddam in confinibus *Ephraimitidos*: de quo 2. *Paral.* 13. 19. & de quo *Talmudici*, *Menachot*, cap. 9. hal. 1. *Quænam est optima simila* (offerenda in Templo)? מכמס ומזוניחה אלפא לסלת : שנייה להם חפריים בבקעה *Michmas & Mezonechah primas obtinent de simila: secundas autem ab iis Ephraim in valle*. Non eodem modo hæc leguntur ab omnibus.

*Mischnajoth* in octavo legunt, prout descripsimus; *Tosaphtah* etiam legit מכמס : at *Talmud* מכנים וזטח. *Aruch* habet etiam מכמס in hac voce: at pro מזוניחה habet זנוח *Zanoah*. Iidem etiam legunt עפריים cum *Ain*: *Talmud* עפוריים : Glossa, עפריים *Ephoraim est civitas, de qua sic scribitur in libris Paralipomen.* Et cepit Abijah Ephraim עפריים.

*Gemaristæ Babylon. Menachoth*, fol. 85. 1. atque *Aruch* in יוחני eodem modo legunt, עפריים, hac adjuncta historia, אמרי ליה יוחנא וממרא למשה *Dixerunt Jannes & Mambres Mosi, Num tu stramen inducis in Ephraim?* Quæ recitans *Aruch* hæc addit. *Civitas erat in terra Israelis frugibus fertilissima, Ephraim dicta: cum ergo adveniret Moses cum miraculis suis; dixerunt ei Jannes & Mambres, Principes præstigiatorum Pharao, Hoc est negotium nostrum, & sic nos facere possumus cum incantationibus nostris; tu ergo similis ei cuiquam stramentum inferenti in Ephraimam, quæ est civitas frugum, atque e qua est proventus locis multis: quomodo ergo quisquam illuc inferat stramen? &c.*

*Josephus* de *Vespasiano*, *de bello*, lib. 4. cap. 33. Ἀναβὰς εἰς τὴν ὀρεινὴν αἱρεῖ δύο τοπαρχίας, τήν τε Γοφνιτικὴν καὶ τὴν Ἀκραβατηνὴν καλουμένην· μεθ᾽ ἃς Βηθηλᾶ τε καὶ Ἐφραὶμ πολίχνια. In hanc *Ephraim* secessisse *Christum* arbitramur, in historia ista *Joan.* 11. 54.

Addamus & hæc e locis supra allegatis. *Tosapht.* in *Menachoth*, cap. 9. *R. Josi dicit, Adduxerunt etiam de tritico* ברחיירת *Barchaim*, & כפר אחום *Caphar Achum; quæ erant juxta Hierosolymam.*

Ibid. & *Menachoth*, ubi supra, hal. 3. *Quoad oleum; primam laudem meretur Tekoa. Aba Saul dicit, Secundam ab ea obtinet* רגב *Ragab ultra Jordanem. R. Eliezer ben Jacob dicit, Tertiam Gush Chalab in Galilæa.*

Ibid. *Optimum vinum producunt* קרוחים ועטולין (al. קרותים דטולין : *Aruch*, קרחיים) *Karchiim & Atolin; secundum ab iis Beth Rimmah, & Beth Laban in montano, & Caphar Sigana in convalle.*

*Adji-*

*Adjiciamus & hæc aliunde. Babylon. Sanhedrin*, 70. 2. *Comedit omnem victum, & non comedit carnem*: לאיתויי דבילה קעילית *Introducitur Palatha Keilæ. Bibit omnimodum potum, at non bibit vinum: introducuntur mel & lac*. Idem, *Joma*, fol. 76. 1. *Comedit* דבילה קעילית *Palatham Keilæ, & bibit mel & lac, atque ingreditur in Templum.*

## CAP. LIV.

### בירת חדודו, & צוק.

CUm emitterent hircum *Azazel*, die Expiationis, erecta erant antea Tentoria decem, milliari uno a se invicem distantia: quo se contulerunt quidam ante istum diem, ut parati essent eum, qui hircum duxit, comitari. Egressi cum eo ex *Hierosolyma* sunt generosiores, comitatique sunt ad tentorium primum. Illic exceperunt eum alii, duxeruntque ad secundum; alii ad tertium; & sic ad decimum. A decimo ad rupem צוק *Tsok*, unde dejiciebatur Hircus, erant milliaria duo. Isti ergo, qui eum illic exceperunt, ultra milliare cum eo non sunt profecti, ne iter Sabbaticum excederent; sed ibi stantes observarunt quid ab eo actum. *Discerpsit ille liciam coccineam in partes duas; quarum hanc cornibus hirci alligavit, illam rupi: hircumque præcipitavit, qui medium præcipitii vix jam attingens in frusta collisus & dissectus est*. Distabat ergo rupes *Tsok* duodecim milliaribus ab *Hierosolyma*, secundum computum receptiorem: at sunt, qui novem tantum tentoria, & decem milliaria assignent. Vide *Gemaristas*. *Babylon. Joma*, fol. 66. 2.

צוק *Talmudicis* est quævis rupes asperior excelsiorque. Hinc illud *Babylon. Bava Mezia*, fol. 36. 2. & 93. 2. העלה לראשי צוקין ונפלה *Ascendit in verticem rupis, & cadit*. Ubi Glossa; צוקין הרים הרים צוקין וגבוהים *sunt montes asperi & excelsi*.

Tribus ab *Hierosolyma* milliaribus fuit primus introitus in Desertum, vocabaturque locus iste בירת-חדודו *Beth-Chadudo*. De eo sic *Mischna Babylonica*, *Joma*, fol. 68. 2. *Dicunt Sacerdoti summo, Jam pervenit hircus in eremum: ast unde istud norunt, quod jam in eremum pervenerit? Altos lapides erexerunt, atque super eos stantes sudaria agitarunt, atque hinc cognorunt, quod jam appulerat hircus in eremum. R. Judah dicit, Nonne signum magnum hoc iis erat?* מירושלם ועד בירת חדודו ג׳ מילין *Ab Hierosolyma ad Beth-Chadudo erant tria milliaria. Progressi sunt ad spatium milliaris, & regressi ad spatium milliaris, & morati sunt spatio milliaris, & sic cognoverunt, quod hircus jam pervenerat ad eremum.*

*Hierosolymitana* sic. *R. Juda dicit, Nonne hoc signum magnum iis?* ג׳מילין. מירוש׳ ועד בירת-הורון. *Tria milliaria erant ab Hierosolyma ad Beth-horonem. Progressi sunt ad spatium milliaris, &c.*

Ex his collatis non improbabilis est conjectura, hircum emissum fuisse versus *Beth-horonem*, quæ & XII. mill. passuum distabat ab *Hierosolymis*, & rupes vicinas habuit horridas asperrimasque; sensumque *Gemaristarum* hunc esse, Tria milliaria in via ad *Beth-horonem* erant ad primam oram eremi, eratque loco nomen *Beth-Chadudo*.

## CAP. LV.

### *Varia.*

I. BEth-Cerem, *Nehem*. 3. 14. *Middoth*, cap. 3. hal. 4. *Lapides tum Altaris, tum ascensus ad Altare fuerunt* מבקעת בית-כרם *e convalle Beth-Cerem, quos effoderunt infra terram incultam. Atque inde adducere solent lapides integros, super quos agitatum ferrum non fuit.*

De sanguine profluvii muliebris agentes Patres Traditionum quinque colores ejus enumerant, inter quos istum כמימי אדמה מבקעת בית-כרם. *Qui sit sicut aqua terræ e convalle Beth-Cerem*, *Niddah*, cap. 2. hal. ult. Ubi Glossa. *Beth-Cerem est nomen loci: unde adducit glebam, atque indit ollæ, eique supernatat aqua: hoc est, Indit ei aquam, donec aqua supernatet super glebam.*

*Gemaristæ* hanc clausulam discutientes hæc habent. *Babylon. Niddah*, fol. 20. 1. *R. Meir dicit, Affert glebam e valle Beth-Cerem. R. Akiba dicit, E valle* יוטפת *Jotapatæ. R. Jose dicit, E valle* סכני *Sicni. R. Simeon dicit, Etiam e valle Genesaræ.*

II. *Hierosol. Taanith*, fol. 69. 1. טור שמעון הוה מפיק תלת מאוון דגרבין דמרקוע. Pro me reddat autor *Aruch*. *Mons Simeonis produxit trecentos utres frustulorum panis pauperibus unaquaque vespera Sabbati*. At pro *Mons Simeonis produxit* (unde pro portione *Simeonitidis* intelligi posset) reddit ille, *Rabbi Simeon protulit, &c.*

*Quare autem vastabatur? Sunt, qui dicunt, Ob scortationem. Suntque, qui dicunt, Quia luserunt globulis*. Κώμη Σιμωνιὰς memoratur a *Josepho*, ἐν μεθορίοις Γαλιλαίας, in vita sua.

III. Ba-

III. *Babylon. Sanhedrin* , fol. 111. 2. *Nongentæ civitates erant duabus Tribubus* . Glossa . *Nongentæ civitates erant in Tribu Judæ , atque in Tribu Simeonis : novem ergo cesserunt Sacerdotibus & Levitis* . Vide *Josuæ* 21. 16. & proportionem trutina.

IV. *Challah* , cap. 4. hal. 10. *Nittai Tekoita placentam attulit e Bitur* ; ( *Hierosol.* בייתור ) *ast eam non receperunt . Alexandrini placentas suas attulerunt ab Alexandria ; ast eas non receperunt* . אנשי הר צבועים *Incolæ montis Zeboim primitias suas attulerunt ante Pentecosten ; sed eas non receperunt* , &c. Glossa , ביתר *Bitar fuit extra terram* . Hæc ergo non *Betar* ista , de cujus excidio mentionem habuimus ante.

הר צבועים *Mons Zeboim* ( ubicunque ille fuit ) intra terram certe erat; nam aliter inde non recipiendæ primitiæ : hasce autem non repulerunt , ideo quod in seipsis illegitimæ erant ; sed quod allatæ tempore non legitimo : nam *Non obtulerunt Primitias ante Pentecosten* , inquit Traditio ; *Biccurim* , cap. 1. hal. 3. ubi & hæc eadem historia repetitur.

Memoratur מגדל צבועייא ( vox ejusdem etymi ) in notabili ista historia . *Hierosol. Taanith* , ubi ante . *Tres urbes vastatæ sunt* . כבול *Chabul propter discordiam* . שיחין *Shichin propter artes Magicas* . ומגדל צבעייא *Et Migdal Zabaaia* ( vel oppidum *Tinctorum* ) *propter scortationem* .

V. *SOCOH*, *Josuæ*, 15. 35. Inde erat *Antigonus* , aliquando Præfectus Synhedrii . *Avoth* , cap. 1. hal. 3. & *Juchas*. fol. 15. אנטיגנוס איש סוכו *Antigonus e Soco Cabbalam recepit a Simeone Justo* .

VI. קובי & בי תרי . Horum locorum mentionem faciunt *Gemaristæ Babylon. Sanhedrin* , fol. 95. 1. de prælio *Davidis* loquentes cum *Ishibi-benob* , 2. *Sam.* 21. *Cum perventum esset ad* קובי *Kubi*, inquiunt , *dixerunt* , *Insurgamus in eum: cum accessum ad* בי תרי *Be Teri* , *dixerunt Occiduntne leonem inter duas catulas* . Ubi Glossa . *Prosecutus est eos David fugientes , appropinquavitque ad terram Philistæorum : cumque ad Kubi accederet , quæ erat inter terram Israelis & Philistæorum , dixerunt* , *&c.* בי תרי *est etiam nomen loci* .

VII. *Gophna* . גופנא . Ambigitur de hujus situ ; an scilicet *Judææ* assignanda sit , an *Samaritidi* : *Judææ* certe hæc videntur eam plane attribuere ; *Josephus* de *Tito* a *Cæsarea* ad *Hierosolymam* pergente cum exercitu hæc ait, *de bello* , lib. 5. cap. 6. Ἐμβαλὼν διὰ τῆς Σαμαρείτιδος εἰς Γοφνά· ἔνθα μίαν ἡμέραν αὐλισάμενος ὑπὸ τὴν ἕω πρόεισι , καὶ διανύσας ἡμέρας σταθμὸν στρατοπεδεύεται κατὰ τὸν ἀκανθῶν αὐλῶνα πρός τινι κώμῃ Γαβαθσαοὺλ καλουμένῃ.

*Hierosolymitani* , *Taanith* , fol. 69. 1. *Octoginta paria fratrum Sacerdotum duxerunt in uxores octoginta paria sororum Sacerdotissarum , in Gophna , nocte una.* Sacerdotes vix tot reperias in *Samaritide* .

*Hierosol. Nazir* , fol. 56. 1. כנשתא דגופנא בציפורין *Synagoga Gophniticorum erat in Zippore* : quos *Samaritanos* vix crediderim .

*Joseph. de bello* , lib. 3. cap. 4. Ex undecim Toparchiis , secunda post *Hierosolymam* erat *Gophnitica*, quæ *Plinio*, lib. 5. cap. 14. *Zophanitica* .

Vox גופנא a vinetis deducitur.

VIII. בקעת רמון *Hierosol. Chagigah*, fol. 78. 4. *Septem Seniores congressi sunt ad intercalandum annum* בבקעת רמון *in valle Rimmon : scil. R. Meir , R. Juda , R. Josi , R. Simeon , R. Nehemiah , R. Lazar ben Jacob , & R. Jochanan Sandelar* . Et paulo post, *Erat illic rupes marmorea , cui unusquisque infixit clavum : vocatur ergo huc usque Rupes clavorum* .

IX. *Glossa* in *Babylon. Sanhedrin* , fol. 11. 2. *Non adducunt manipulum* ( Primitiarum ) *nisi a loco aliquo , qui est prope Hierosolymam : at si locus aliquis prope Hierosolymam primitias istas non protulerit , tum petunt e longinquo . Erat, cum afferretur manipulus ex hortis* צריפין *Zeriphim , & duo panes e valle* עין סוכר *En Socar* .

X. *Interrogarunt aliquando R. Josuam*, בני צרת מהו הן *Quid de filiis fœminæ æmulæ* , ut 1. *Sam.* 1. 6. *Respondit ille , Vos caput meum interponitis inter montes duos excelsos , Scholas scilicet Shammæanam & Hillelianam , ut cerebrum meum elidant : at testor ego de familia* בירת ענובי מבירת-צבועים *Beth-Anubai e Beth-Zebuim , & de familia* בירת-נקיפי מבירת קושש *Beth-Nekiphi e Beth-Kosbesh ; quod erant filii æmularum , & tamen nepotes eorum Sacerdotes magni steterunt , atque obtulerunt ad Altare* .

## C A P. LVI.

### *SAMMARIA. SYCHEM.*

JOsephus , *de Bello* , lib. 3. cap. 4. Ἡ Σαμαρεῖτις χώρα μέση μὲν τῆς Ἰουδαίας ἐστὶ , καὶ τῆς Γαλιλαίας . Ἀρχομένη γὰρ ἀπὸ τῆς ἐν τῷ μεγάλῳ πεδίῳ κειμένης

μένης Γιναίας ὄνομα κώμης ἐπιλήγει τῆς * Ἀκροβατηνῶν τοπαρχίας. φύσιν δὲ τῆς Ἰουδαίας κατ' οὐδὲν διάφορος, &c.

* עקרבת *Acrabata distabat Hierosolymis* מהלך יום לצפון spatio itineris diei, versus Aquilonem, *Maasar Sheni*, cap. 5. hal. 2.

*Samaria* sub Templo primo erat urbis nomen, sub secundo regionis Metropolis ejus tunc temporis erat *Sychem*, מקום מזומן לפורענות *Locus destinatus vindictis: Tanchum*. fol. 17. 2. & cui *Judæi*; ut videtur, convitiati sunt, sub nomine *Sychar*, *Joann.* 4. 3. a verbis Prophetæ הוי שכורי אפרים *Væ ebriosis Ephraimitis*, *Esajæ* 28. 1. Illi contigui montes *Gerizim* & *Ebal*.

*Samaria* urbs tandem dicta est *Sebaste*; & *Sychem*, *Neapolis*. De iis sic *R. Benjamin*, in *Itinerario*, mihi pag. 60. *Sebaste* ( שבשת ) *est Samaria; ubi jam cognoscitur palatium Achabi regis Israelis: erat autem ista urbs in monte, munita admodum, in eque fontes, & terra irrigata, hortique & paradisi, vineæque atque oliveta. Et duabus inde parsis* ( VIII. M. passuum ) *Neapolis, quæ & Sychem, in monte Ephraim. Sita autem est in valle inter montes Garizim & Ebal: in eaque sunt circiter centum Cuthæi observantes legem Mosis solum, vocanturque Samaritani; suntque iis Sacerdotes e semine Aaronitico*. Et paulo post, *Sacrificant in Templo in monte Garizim, die Paschatis & diebus festis, super Altare, quod condiderunt super montem Garizim, e lapidibus istis, quos erexerunt Israelitæ, cum transirent Jordanem, &c.* Et postea, *In monte Garizim sunt fontes & paradisi; at mons Ebalaridus est sicut saxa & petræ: atque inter eos in valle est urbs Sychem.*

*Josephus*, *de bello*, lib.4. cap.26. loquens de *Vespasiano*. Ὑπέστρεφεν εἰς Ἀμμαοῦντα. ὅθεν διὰ τῆς Σαμαρείτιδος, καὶ παρὰ τὴν Νεάπολιν καλουμένην, Μαβαρθὰ δὲ ὑπὲρ τῶν ἐπιχωρίων, &c. מעברתא.

*Hierosol. Avodah Zarah*, fol.44. 4. *R. Ismael ben R. Josi* אזל להדא ניפולים *adiit Neapolin. Accesserunt ad eum Cuthæi; quibus ille, Video ego, inquit, quod vos non adoratis ad montem istum; sed ad Idola, quæ sub eo sunt: nam scriptum est*. Et abscondit Jacob Idola sub luco, qui erat juxta Shechem.

Tempora *Samariæ* non incongrue partiaris, sub Templo secundo, in *Ethnicismum*, ante conditum scilicet Templum *Garizimæum*, & exinde in *Samaritismum*, prout is erat secretus a *Judaismo*, atque ab eo Apostasia; quamvis utraque religio ne latum quidem pilum recederet a vafra superstitione.

Non male hic autor *Juchasin*, fol. 14. 2. *Tunc* ( sub *Simeone Justo* ) *in partes itum est Israeli. Pars secuta est Simeonem Justum, Antigonumque, Discipulum ejus, eorumque Scholam; prout didicerant illi ab Ezra & Prophetis: parsque Sanaballetum generumque ejus; obtuleruntque sacrificia extra Templum Dei, ritusque instituerunt e corde proprio: in Templo isto sacerdotio functus est gener Sanaballeti Manasseh, filius Jehoshuæ, filii Jozedek summi Sacerdotis. Et tunc temporis Zadok & Baithus, Discipuli Antigoni, eminebant, atque hinc initium schismatis; cum scilicet diebus Antigoni multi recederent ad montem Garizim.*

Floruit Templum istud annos circiter ducentos, *ibid-* periitque ferro & flammis *Hyrcani*, *Josph. Antiq.* lib.13. cap. 17. at non periit *Samaritica* superstitio; sed duravit in secula quamplurima, *Judæis* odiosa æque ac *Ethnicismus*, *Joann.* 4. 9. Fatentur tamen, quod ארץ כותים טהורה *Terra Samaritanorum munda esset, & fontes mundi, & mansiones mundæ, & semitæ mundæ, Hierosol. Avodah Zarah*, fol. 44. 4. De eorum tamen victualibus multum disputatur; loco allegato. *R. Jacob bar Acha nomine R. Lazar dicit, Victualia Cuthæorum licita sunt: quod intelligendum est de cibo, cui non immiscetur eorum vinum & acetum. Traditio. Aliquando dixerunt, Quare prohibetur vinum Ugdor?* ( אונדור ) *Propter* ( vicinitatem ) *Caphar Pagash. Quare vinum Burgathæ? Propter Birath Sorika. Quare vinum En Cushith? Propter Caphar Salamam. At postea dixerunt, Si apertum est, ubique est probibitum; si opertum, licitum*. Et sequitur historia de *R. Simeon ben Lazar*, אזל להדא קרייה דשמריין qui venit in urbem quandam *Samaritanorum*, אתה ספרא לגביה & accessit ad eum Scriba quidam *Samarita*, a quo cum aliquid postularet quod biberet, appositumque esset, אטרח עלוי ille de eo hæsitavit, &c. Aliaque non multo post. לא אישתכח חמרא בכל כמורטיקי. *Non inventum est vinum in tota Samaria vespera quadam Sabbati: ast exitu Sabbati aderat affluenter; nam Syri attulerant, Samaritanique ab iis receperunt, &c.*

*Shekalim*, cap. 1. hal. 5. Non receperunt a *Cuthæis* Hemi-Siclum, nec columbas puerperarum, &c. *Hierosol.* ibid. fol. 46. 2. *Rabbi dixit, Samaritanus est sicut Ethnicus. R. Simeon ben Gamaliel dicit, Cuthæus est sicut Israelita*

ad

*ad omnia. R. Lazar, Traditio est de Ethnicis, non de Cutheis, &c. At Traditio contradicit R. Lazaro, &c.*

Ast observationem meretur illud, *Hierosol. Pesachin*, fol. 27. 2. כותים כל זמן שעושין מצותן עם ישראל נאמנים הם על ביעור המץ. *Cuthæi, cum Azyma sua faciunt cum Israelitis, credendi sunt de exterminatione fermenti: at, cum Azyma sua non faciunt cum Israelitis, non sunt credendi de exterminatione fermenti. R. Josah dicit, Hoc intelligendum est de iis quoad domos suas; at quoad atria sua de iis potest esse suspicio: nam illi sic interpretantur*, Non invenietur fermentum in domibus vestris; *non*, In atriis vestris. *Traditio. Rabban Simeon ben Gamaliel dicit, in quocunque præcepto Cuthæi versantur, accuratiores in eo sunt quam Israelitæ. Hoc intelligendum est, inquit R. Simeon*, בראשונה שהיו משוקעין בכופרניהון. *De tempore præterito, cum scilicet diffusi essent in villis suis: at nunc, cum iis non sit vel præceptum, vel reliquiæ præcepti, suspecti sunt, & corrupti sunt.* Vox משוקעין in mentem revocat illud τοῦ *R. Abbu, Hierosol. Kiddushim*, fol. 65. 3. qui dixit, י"ג עיירות נשתקעו בכותים. *Tredecim civitates mersæ sunt inter Cuthæos*, id est, inter eos mixtæ & confusæ. Difficilius est, quid sibi velit היו משוקעין בכופרניהון, an de *Cuthæis* intra proprias villas residentibus an de *Judæis* cum iis, an de iis cum *Judæis*. Quicquid id est, claret certe & hinc & aliunde, *Samaritas* aliquando in cohabitationem cum *Judæis* coaluisse, hinc inde inter eos sparsos, & *Judæos* hinc inde inter *Samaritas*. Notatu certe dignum est illud, quod refert *Josephus, de bello*, lib. I. cap. 6. de *Herode, Sebasten*, olim *Samariam*, reædificante: Ἐν μὲν γε Σαμαρείτιδι, inquit, πόλιν καλλίστῳ περιβόλῳ τειχισάμενος ἐπὶ σταδίους εἴκοσι, καὶ κατηγαγὼν ἑξακισχιλίους εἰς αὐτὴν οἰκήτορας (num omnes putas hos fuisse *Samaritas?*) γῆν τε τούτοις προσνείμας λιπαρωτάτην, καὶ ἐν μέσῳ τῷ κτίσματι ναόν τε ἐνιδρυσάμενος τῷ Καίσαρι μέγιστον, καὶ περὶ αὐτὸν τέμενος ἀποδείξας τριῶν ἡμισταδίων, τὸ ἄστυ Σεβαστὴν ἐκάλεσεν.

*Non habent Samaritani*, inquit *R. Benjamin*, in *Itinerario*, mihi pag. 66. *literas* ה vel ע vel ח: ה *est in nomine Abrahami* ואין להם הוד. *Et non est iis honor.* ח *est in nomine Isaaci*, ואין להם חסד. *Et non est iis misericordia.* ע *est in nomine Jacobi*, ואין להם ענוה. *Et non est iis mansuetudo. At pro his literis utuntur* א; *atque hinc dignoscitur eos non esse e semine Israelis.* Confer hæc cum Interprete Pentateuchi *Samaritico*, & judica.

## CAP. LVII.

## CÆSAREA.

Πύργος Στράτωνος.

Primævum hujus urbis nomen Interpres *Arabs* opinatur fuisse *Hazor, Josuæ*, 11. 1. *Judæi Ekron, Zephan.* 2. 4.

*Babylon. Megill.* fol. 6. 1. *Dicit R. Abbu*, (fuit is *Cæsariensis*) עקרון תעקר *Ekron eradicabitur, hæc est Cæsarea, filia Edom, quæ sita est inter profana. Ipsa autem erat stimulus infixus Israeli in diebus Græcorum; ut, cum prævaleret regnum familiæ Asmonææ, eam devicit, &c. Dicit R. Josi bar Chaninah, Quidnam illud est, quod scribitur*, Et Ekron erit sicut Jebusæus, *Zach.* 9. 7. *Hæc sunt theatra & tribunalia, quæ sunt in Edom, in quibus primates Judæ olim erunt publice docturi legem. R. Isaac dixit, Leshem est Panias, atque Ekron est Cæsarea, filia Edom.*

Serio vix agunt *Judæi*, cum *Cæsaream* eandem esse dicunt cum *Ekrone*; sed partim lusitant in consonantia vocum, עקרון & תעקר, partim ei conviciari sibi proponunt, dum istam urbem, *Ethnicam* admodum, comparant cum *Ekrone Beel-zebubis*.

Cum hanc urbem e manu *Græcorum* abripuissent *Asmonæi*, immutatum ei est nomen in אחידרת מגדל שור, ut *Gemaristæ* loco allegato; vel, ut Autor *Juchaasin*, fol. 74. 1. אחידרת מגדל צור: vel, ut *Hierosolymitani, Scheviit*, fol. 36. 3. ni fallit conjectura מגדל שיר. Num ex his vocibus elicere possis nomen Πύργου Στράτωνος, tuum esto studere, ea certe loci hujus denominatio fuit antequam vocaretur ea *Cæsarea*.

Distabat *Hierosolymis* stadiis 600. aut circiter (LXXV. M. pass.) referente *Josepho, Antiq.* lib. 13. cap. 19. *de bello*, lib. 1. cap. 13. in historia ista de *Juda Esseno* vaticinante. Qui, cum videret *Antigonum, Aristobuli* fratrem, prætereuntem in Templo, accersitum jam a fratre (revera ut insidiis perimeretur) *Papæ!* inquit, *Nunc bonum est, ut ego moriar, quia a me prædictum it in mendacium. Vivit enim Antigonus, quem hodie oportet mori. Locus autem morti ejus assignatus est* Πύργος Στράτωνος, *Turris Stratonis*: καὶ οὗτος μὲν ἀφ' ἑξακοσίων σταδίων ἐντεῦθέν ἐστιν. *Quæ sexcentis ab hinc distat stadiis: horæ autem diei sunt adhuc quatuor. Ipsissimum autem tempus vaticinium irritum*

fa-

*facit*. His dictis, perplexus cogitationibus hæſit ſenex: aſt illico nuntiatum eſt occiſum eſſe *Antigonum*, in loco quodam ſubterraneo, ἐν σκοτεινῇ τινι παρόδῳ, quæ etiam vocabatur Στράτωνος πύργος.

Urbem in honorem nomenque *Cæſaris* condidit *Herodes*, portumque aptavit nobiliſſimum, ſumtibus immenſis. Idem, ibid. cap. 16. Πόλιν πᾶσαν ἀνέκτισε λίθῳ λευκῷ, καὶ λαμπροτάτοις ἐκόσμησε βασιλείοις. ἐν ᾗ μάλιστα τὸ φύσει μεγαλόνουν ἐπεδείξατο. Μεταξὺ γὰρ Δώρων καὶ Ἰόππης, ὧν ἡ πόλις μέση κεῖται, πᾶσαν μὲν συμβέβηκε τὴν παράλιον ἀλίμενον, &c. Μείζονα μὲν τοῦ Πειραιέως λιμένα κατεσκεύασεν, &c. Καὶ ἐπὶ τοῦ στόματος κολοσσοὶ τρεῖς, &c. Προσεχεῖς δὲ οἰκίαι τῷ λιμένι λευκοῦ καὶ αὗται λίθου, &c. Καὶ τοῦ στόματος ἄντικρυς ναὸς Καίσαρος ἐπὶ γηλόφου κάλλει καὶ μεγέθει διάφορος. ἐν δὲ αὐτῷ κολοσσὸς Καίσαρος, &c. Τά γε μὲν λοιπὰ τῶν ἔργων, ἀμφιθέατρον, καὶ θέατρον, καὶ ἀγορὰν, ἄξια τῆς προσηγορίας ἐνιδρύσατο, &c. Vide plura apud *Joſephum*.

Habitata fuit *Cæſarea* mixtim a *Judæis*, *Ethnicis*, & *Samaritanis*: hinc loca quædam in ea *Judæis* profana & immunda.

*Hieroſol. Nazir*, fol. 56. 1. *R. Nichomi bar R. Chaija bar Abba dixit, Pater meus non tranſiit ſubtus arcum Cæſareæ: at R. Immi tranſiit. R. Ezekiah, R. Cohen, & R. Jacob bar Acha, ambularunt in palatio Cæſareæ: cum ad arcum pervenirent, ſeceſſit ab iis R. Cohen: cum autem pervenirent ad locum mundum, ad eos ſe iterum recepit*. Recitatur hæc hiſtoria *Beracoth*, fol. 6. 1. atque ibi dicitur, eos ambulaſſe in palatio *Zipporenſi*.

Idem, *Gittin*, fol. 43. 2. *Attulit quidam libellum repudii a portu Cæſareæ. De quo cum foret judicium coram R. Abbu, is dixit, Non opus eſt, ut dicas, Me præſente ſcriptus eſt, & me præſente conſignatus*. ואין למינה של קיסרין כקיסרין *Nam portus Cæſareæ non eſt ut Cæſarea*.

De variis inter *Græcos Cæſarienſes* & *Judæos* concertationibus & tumultibus, in quibus ſemper peſſum-dati *Judæi*, plurima *Joſephus*, *de bello*, lib. 2. cap. 23. Ταραχὴ, inquit ille, ἑτέρα συνίσταται περὶ Καισάρειαν, τῶν ἀναμεμιγμένων Ἰουδαίων πρὸς τοὺς ἐν αὐτῇ Σύρους στασιασάντων. Lis erat de prioritate & principatu, eaque tranſacta coram *Nerone*, ibid. cap. 25. καὶ οἱ Καισαρέων Ἕλληνες νικήσαντες, &c. Ubi conſervabit Lector, *Syros* & *Hellenas* converti.

In hac urbe erant prima ſemina funeſti belli, ob ædificata prope *Judæorum* Synagogam ergaſtula a quodam *Græco Cæſarienſi*, ibid. Cæſa illic poſtea uno Sabbato viginti hominum millia, ibid. cap. 32. Plures illic ſeditiones & funera ante gentis excidium legas apud autorem citatum.

Longe poſt ejus excidium floruerunt hic *Judæorum* Scholæ & doctores, ita ut רבנין דקיסרין *Rabbini Cæſarienſes* ubique celebrentur in paginis *Talmudicis*.

I. *R. Hoshaia Rabba*, vel *magnus*. *Hieroſol. Trumoth*, fol. 47. 1. *R. Jochanan dixit, Profecti ſumus ad R. Hoshaiam Rabbam Cæſareæ, ut diſceremus Legem*.

II. *R. Abbu*, *Juchaſin*, fol. 74. 1. *Inſtituit R. Abbu varios clangores Cæſareæ*.

*R. Abbu a Cæſarea* ad *Tiberiada* filium ſuum miſit ad Academiam, &c. *Idem*, ibid.

*Hieroſol. Avodah Zarah*, fol. 44. 4. *Cuthæi Cæſarienſes interrogarunt R. Abbu, dicentes, Patres veſtri rebus noſtris contenti fuerunt, quare etiam non vos? Reſpondit ille, Patres veſtri opera ſua non corruperunt; at vos corrupiſtis*.

III. *R. Achavah*, & *R. Zeira*, Idem, *Challah*, fol. 57. 1. *R. Mena dixit, Profectus ſum Cæſaream, & audivi R. Achavam & R. Zeiram*.

IV. *R. Zerikan*. Idem, *Peſachin*, fol. 28. 1. *R. Mena dixit, Cæſareæ audivi R. Zerikan*.

V. ר' פרינורי דקיסרין *R. Prigori Cæſarienſis*, Idem, *Trumoth*, fol. 47. 4.

VI. *R. Ulla Cæſarienſis*, Idem, *Peſachin*, fol. 30. 1. Et,

VII. *R. Ada Cæſarienſis*, & *R. Tachalipha*, &c. Idem, *Rosh Hashanah*, fol. 59. 3.

Idem, *Nazir*, fol. 56. 1. Memoratur כנישתא מורדתא דקיסרין *Synagoga Mardatha Cæſareæ*, vel *Maradta*: de ratione nominis non quærimus; nam in *Hieroſol. Beracoth*, fol. 6. 1. ſcribitur כנישתא מורדתה *Synagoga Madadta*. Utrobique cum hac adjuncta hiſtoria. *R. Abbu ſedit docens in Synagoga Maradta Cæſareæ. Venit Tempus elevandi manus, & de ea re illum non interrogarunt. Venit tempus comedendi, atque de eo rogarunt. Quibus ille, De tempore comedendi interrogatis; at non de elevando manus. Quo audito unuſquiſque ſe ſubduxit, & fugit*.

## C A P. LVIII.

*Antipatris*. כפר שלם.

DUplici olim nomine hoc oppidum insignitum reperimus, si nonnullis credimus. I. Καφαρσαλαμᾶ vocatur a quibusdam, cujus meminere *Josephus*, *Antiq.* lib. 12. cap. 17. & liber *Maccabæorum*, *Cap.* 7. *v.* 31. II. Χαφαρζαβᾶ ab ipso *Josepho*, *Antiq. lib.* 13. *cap.* 23. Δείσας δὲ Ἀλέξανδρος τὴν ἔφοδον αὐτοῦ (Ἀντιόχου Διονύσου) τάφρον ὀρύττει βαθεῖαν ἀπὸ τῆς Χαφαρζαβᾶ κατάρξάμενος, ἣ νῦν Ἀντιπατρὶς καλεῖται, ἄχρι τῆς εἰς Ἰόππην θαλάσσης ἐπὶ σταδίους ρν'. ( Nota obiter; *A Joppa* ad *Antipatrida* CL. stad. id est, XVIII. M. passuum.)

De nomine non litigabimus; de situ ejus, in Tabulis fere omnibus, hæsitamus. Nos scrupuli nostri rationem ex insequentibus reddemus, historiam loci aliquam interea reddentes.

I. Condidit eam *Herodes* in memoriam patris sui *Antipatri*. Καὶ γὰρ τῷ πατρὶ μνημεῖον κατέστησεν, inquit *Josephus*, *de bello*, lib. 1. cap. 16. καὶ πόλιν, ἣν ἐν τῷ καλλίστῳ τῆς βασιλείας πεδίῳ κτίσας ποταμοῖς τε καὶ δένδρεσι πλουσίαν, ὠνόμασεν Ἀντιπατρίδα.

II. Huc vectus est *Paulus*, cum duceretur ad *Cæsaream*, *Actor.* 23. 31. ubi, si verba ista ἤγαγον διὰ τῆς νυκτὸς εἰς τὴν Ἀντιπατρίδα, non inusitata interpretatione reddas, *Duxerunt eum versus Antipatrida*, necesse est, ut urbem istam longe *Hierosolymis* propiorem statuas, quam faciunt omnes fere Tabulæ.

III. Semel iterumque occurrit apud *Gemaristas* hæc commensuratio, מגבת ועד אנטיפטרס. *A Gebath ad Antipatrida*. *Hierosol. Taanith*, fol. 69. 2. & *Megill.* fol. 70. 1. *A Gebath ad Antipatrida*, inquiunt, *erant* 60. *myriades urbium, quarum minima erat Beth-shemesh*. Veritatem rei non asserimus, Phrasiologiam respicimus.

Et rursus, *Babylon. Sanhedrin*, fol. 94. 2. *Ezekiah Rex*, inquiunt, *gladium affixit ostio Beth-Midrasch*, *& dixit*, *Quicunque Legi non studet*, *transfodietur isto gladio*. *Inquisiverunt a Dan usque ad Beersheham*, *& non invenerunt* עם הארץ *quemvis non eruditum*: מגבת ועד אנטיפטרס. *A Gebath ad Antipatrida*, *& non invenerunt puerum aut puellam*, *virum aut fœminam*, *qui non callerent Traditiones de munditia atque immunditia*. Gloss. *Gebath & Antipatris fuerunt loca in extremis limitibus*. Scenam fabulæ cogita, atque quomodo tale encomion *Antipatrida* pertingere potuit in medio fere *Samariæ*, prout ea sita in Tabulis. Et quidnam juris *Ezekiæ* inquirendi inter *Samaritas*?

Dicunt etiam *Talmudici*, Occursum *Alexandri Magni* atque *Simeonis Justi* fuisse *Antipatride*. *Babylon. Joma*, fol. 69. 1. *Orarunt Cuthæi*, inquiunt, *Alexandrum Magnum*, *ut destrueret Templum* (*Hierosolymitanum*). *Venerunt quidam*, *atque rem patefecerunt Simeoni Justo*. *Quid ergo ille? Induit vestes Pontificias*, *& velavit se velamine Pontificio*, *& processerunt ipse*, *primatesque Israelis*, *manibus tenentes faces*. *Processerunt illi hinc*, *atque isti illinc per totam noctem*, *usque dum prodiret aurora*. *Cum luceret aurora*, *dixit* (*Alexander*) *suis*, *Quinam isti? Judæi*, *inquiunt*, *qui in te rebellarunt*. *Cum perventum esset* לאנטיפטרס *ad Antipatrida*, *ortus est Sol*, *& ab his occursum est*: *cum videret Alexander Simeonem Justum*, *descendens e curru adoravit eum*, &c.

Putatisne Pontificem, vestibus Sacerdotalibus amictum, *Judæosque* per totam fere *Samaritida* tam solenni processione perrexisse? *Josephus*, *Antiq.* lib. 11. cap. 8. hanc historiam referens, mutato tantum nomine *Jadduæ*, occursum hunc fuisse ait. Εἰς τόπον τινὰ Σοφὰ λεγόμενον. Τὸ δὲ ὄνομα τοῦτο μεταφερόμενον εἰς τὴν Ἑλληνικὴν γλῶσσαν σκοπὴν σημαίνει. Τόστε γὰρ Ἱεροσόλυμα καὶ τὸν ναὸν ἐκεῖθεν συνέβαινεν ἀφορᾶσθαι. De quo loco ille nosque alibi sub nomine Σκοποῦ, & צופים.

## C A P. LIX.

*GALILÆA*. גליל.

SCheviith, cap. 9. hal. 2. *Est Galilæa superior*, *& Galilæa inferior*, *& Convallis*. *A Caphar Hananiah*, *& supra*, *quæcunque non producit Sycaminos*, *est Galilæa superior*: *ast a Caphar Hananiah*, *& infra*, *quæcunque producit Sycaminos*, *est Galilæa inferior*. *Est etiam ora Tiberiadis & convallis*.

*Josephus*, *de bello*, lib. 3. cap. 4. Δύο δὲ οὔσας τὰς Γαλιλαίας, τήν τε ἄνω καὶ τὴν κάτω προσαγορευομένην, περιίσχει μὲν ἡ Φοινίκη καὶ Συρία. Διορίζει δὲ ἀπὸ μὲν δύσεως ἡλίου Πτολεμαῒς τῆς χώρας τέρμασιν, καὶ Κάρμηλος.

Quod de Sycaminis antea dicitur, in mentem revocat *Sycaminon* oppidum, de quo *Plinius*, *Natur. Hist.* lib. 5. cap. 19. *Redeundum est*, inquit, *ad oram atque Phœnicen*. *Fuit oppidum Crocodilon*: *est flumen*. *Memoria urbium*, *Do-*

*Dorum*, *Sycaminum*, *Promontorium Carmelum*, &c.

Et *Josephus*, *Antiq.* lib. 13. cap. 20. Ἔπλευσε, καὶ καταχθεὶς εἰς τὴν λεγομένην Συκάμινον, ἐντεῦθεν τὴν δύναμιν ἐξεβίβασεν.

Apud *Talmudicos* שקמונה, nomen loci, videtur istud oppidum designare. *Demai*, cap. 1. hal. 1. כל הדימין פמורין חוץ מרימי שקמונה. Ubi Glossa, שקמונם *est nomen loci*.

Cum inter *Judæam* & *Galilæam* interjaceret tota *Samaritis*, nil mirum, si inter regionum istarum incolas fuerit aliqua discrepantia, & morum, & Dialecti: de qua vide Capita 86. & 87.

*Josephus* in *vita sua*, apud me, pag. 642. Διακόσιαι καὶ τέσσαρες κατὰ τὴν Γαλιλαίαν εἰσὶ πόλεις καὶ κῶμαι. Quod de nobilioribus, munitisque, intelligendum.

In inferiori erant, inter alias, istæ a *Josepho* munitæ, *Jotapata*, *Beersabee*, *Salamis*, *Pareccho*, *Japha*, *Sigo*, *Itaburion mons*, *Tarichææ*, *Tiberias*, Idem, *de bello*, lib. 2. cap. 42.

In superiori *Acharabon petra*, *Seph*, *Jamnith*, *Mero*. Plura occurrent pergentibus.

## C A P. LX.

*Scythopolis*. בית-שאן *initium Galilææ*.

Limes *Galilææ*, Ἀπὸ μεσημβρίας erat Σαμαρεῖς τε καὶ Σκυθόπολις, μέχρι τῶν Ἰορδάνου ῥεέθρων, *Josephus*, *de bello*, lib. 3. cap. 4.

*Scythopolis* eadem est cum *Beth-shean*, de qua mentio apud Sacras Paginas non infrequens, *Jos.* 17. *v.* 11. *Judic.* 1. *v.* 27. 1. *Sam.* 31. 10.

Βεθσάνη, inquit *Josephus*, *Antiq.* lib. 12. cap. 12. καλουμένη πρὸς Ἑλλήνων Σκυθόπολις. Vide & lib. 13. cap. 10. Distabat parum a *Jordane*, sita in introitu convallis magnæ: nam sic Idem, Διαβάντες δὲ τὸν Ἰορδάνην ἧκον εἰς τὸ μέγα πεδίον, οὗ κεῖται κατὰ πρόσωπον πόλις Βεθσάνη, &c.

*Vocabatur antea Nysa* ( autore *Plinio*, *Natur. Hist.* lib. 5. cap. 18. ) *a Libero Patre*, *sepulta nutrice ibi*.

Fuit e terra *Israelitica* in subjugatione ejus prima, at vix in secunda; ut non inepte *R. Solomon*, in *Demai*, cap. 1. Hinc in *Græcam* transiit denominationem, atque habitata fuit a *Gentilibus*. Inter quos tamen habitarunt *Judæi* non pauci, qui & Scholas suas aliquando illic habuerunt & Doctores. *Hierosol. Megill.* fol. 73. 4. ביתשאני שאלון לר' אימי. *Beth-sheanenses interrogarunt R. Immi*, *Quid si lapides ab una Synagoga quis decerpat*, *& iisdem aliam Synagogam ædificet? Respondit ille*, *Non licet*. Et memoratur in *Avodah Zarah*, cap. 4. hal. 2. מעשה בבית-שאן. *Actum quid in Beth-shean a doctoribus circa vinum Ethnicorum*.

*Babylon. Erubin*, fol. 19. 1. *Dicit Resh Lachish*, *Si Paradisus sit in terra Israelitica*, בית-שאן פיתחה, *Beth-shean est ostium ejus*: *si in Arabia*, *Bet-Geram est ostium ejus*: *si inter fluvios*, *Damascus*. Gloss. *Fructus Beth-sheanenses fuerunt suavissimi omnium in terra Israelitica*. *Hierosol. Kiddushin*, fol. 62. 3. כלי פשתן הדקים הבאים מבית שאן. *Vestimenta linea tenuia confecta sunt in Beth-shean*.

## C A P. LXI.

*Caphar Hananiæ*. כפר חנניה.

*Medium Galilææ*.

Vocari etiam videtur *Caphar Hanan*: hinc ר' יעקב דכפר חנן. *R. Jacob e Caphar Hanan. Hierosol. Avodah Zarah*, fol. 43. 2.

De hoc loco mentio semel iterumque *Babylon. Beracoth*, fol. 55. 1. *Si sunt cuiquam quinque oves in Caphar Hananiah*, *& quinque aliæ in Caphar Uthni* ( בכפר עותני ) *non conjunguntur* ( id est, non connumerantur, ut decimentur ) *donec sit ei una in Zippore*. Gloss. *A Caphar Uthni ad Caphar Hananiam sunt triginta duo milliaria*, *& Zipporis est in medio*.

*Babylon. Erubin*, fol. 51. 1. *Homines familiæ Mamal*, *atque homines familiæ Gorionis*, *ficus atque uvas aridas pauperibus distribuerunt annis famis*, *in Aruma*. *Veneruntque pauperes Caphar Shichin*, *& pauperes Caphar Hananiah*: ומחשיכן עד ההחום *ac*, *cum jam tenebresceret*, *intra limites* ( Sabbaticos ) *se contulerunt*, *& diluculo processerunt*. Gloss. *Arumah est nomen loci*. *Pauperes Caphar Shichin vicini erant Arumæis*, *distantes tantum* 4000. ( *cubitis* ). Quæ distantia cum excederet iter Sabbaticum, pauperes ante ingressum Sabbati, intra limites *Arumæ* se contulerunt; ut mane insequente, absque violatione Sabbati, ad domos distribuentium se conferrent. Occurret *Talmudicos* evolventi frequentissima hujus oppidi mentio.

Observas ante apud *Plinium*, *Sycaminum* situm inter *Dorum* & *Carmelum*, atque apud *Talmudicos* fertilitatem *Sycaminorum* inchoantem a *Caphar Hananiah*.

## C A P. LXII.

*Diſpoſitio Tribuum in Galilæa.*

REgio *Samaritica* duas tantum Tribus continuit, eaſque fratrenas, *Ephraimum* & *Manaſſen: Galilæa* autem quatuor, *Iſacharem*, *Zabulonem*, *Nephthalim* & *Asherem*, ac partem etiam *Danitarum*.

De ordine, quo ſitæ fuerunt hæ Tribus, convenit quidem inter Tabulas; at de proprio ſitus loco, heu, quanta diſcrepantia! Auſtralem *Galilææ* regionem excepit *Iſacharitis*: eam nonnullæ collocant ab Auſtro *Maris Geneſaritici*, non male; at male, dum eam ad ipſum iſtud protendunt:. aliæque peſſime, dum ab Occidente iſtius maris eam ſtatuunt. De ea ſic *Joſephus*, *Antiq.* lib. 5. cap. 1. Καὶ μετὰ τούτους (*Manaſſitas*) Ἰσάχαρεις Κάρμηλόν τε ὄρος καὶ τὸν ποταμὸν τοῦ μήκους ποιησαμένη τέρμονα, τὸ δὲ Ἰταβύριον ὄρος τοῦ πλάτους.

*Iſacharitidi*, a Septentrione, contigua erat *Zabulonitis*; eam Tabulæ quædam juxta *Mare Geneſariticum* expandunt, quædam longe ſupra Mare iſtud diſponunt verſus Aquilonem; priores non bene, poſteriores peſſime. De ea ſic idem *Joſephus*, ibid. Ζαβουλωνῖται τὴν μέχρι Γεννησαρίτιδος, καθήκουσαν δὲ περὶ Κάρμηλον καὶ θάλασσαν, ἔλαχον. Obſervata iſta clauſula μέχρι Γεννησαρίτιδος, nos (a *Talmudicis* etiam perſuaſi, & ratione ducti) a Meridionali littore & ora *Maris Geneſaritici Zabulonitin* ſupponimus, totumque illud mare intra *Nephthalitida* comprehenſum, quibus argumentis ducti, demonſtramus poſtea, cum agimus de iſto mari. Quam aſſertionem expoſitam obviamque novimus huic objectioni.

*Object. Joſephus*, loco modo allegato, dicit, *Nephthaliticis* in portionem ceſſiſſe Τῆς Γαλιλαίας τὰ καθύπερθεν, ἕως τοῦ Λιβάνου ὄρους, καὶ τῶν τοῦ Ἰορδάνου πηγῶν. Jam vero, ſi portionem *Nephthaliticam* diſtendas a fontibus *Jordanis* ad ultimam oram Auſtralem *Maris Geneſaræ*, (quod facit ſententia noſtra) heu, quantum hæc excedit proportionem reliquarum Tribuum! Nam a *Scythopoli*, ultimo *Galilææ* limite Meridionali, ad oram *Maris Geneſaræ* Meridionalem non erant ultra XV. milliaria; intra quod ſpatium compacta eſt tota latitudo duarum Tribuum *Iſacharis* & *Zabulonis*. Ab ora autem *Geneſaræ* Meridionali ad fontes *Jordanis* erant circiter XL. milliaria, quæ *Nephthalitidi* ſoli aſſignare, proportionem exuit & congruitatem.

*Reſp.* Non levis certe foret hæc objectio, ſi *Nephthalitis* æque ſe verſus Orientem extenderet, ac ſe extendunt *Iſacharitis* & *Zabulonitis*. Nam hæ ad *Mare Mediterraneum* uſque procurrunt; aſt ea interjacentes inter ſe & mare habet *Asheritida*, & ditiones *Tyri* & *Sidonis*: ita ut, cum latitudo earum menſuretur a Meridie ad Septentrionem, latitudo hujus menſuretur ab Oriente in Occidentem. Non adeo igitur inter has laboratur inæqualitate, cum parem latitudinis anguſtiam cum illis hæc patiatur, & pari cum hac fruantur illæ longitudine.

*Asheritida* concluſerunt hinc *Nephthalitis*, illinc confinia *Tyri* & *Sidonis*; atque ea pari modo, ac portio *Nephthalitica*, longitudine ſe extendit ab Auſtro in Aquilonem; majoremque (quod ſententiæ noſtræ aliquantum ſuffragetur, objectionique antea recitatæ reſpondeat) *Joſephus* longitudinem ei attribuit, quam nos *Nephthalitidi*, aut ſaltem æqualem. Nam *Joſephus*, ubi ante, Τὴν δὲ ἀπὸ τοῦ Καρμήλου, inquit, κοιλάδα προσαγορευομένην, διὰ τὸ καὶ τοιαύτην εἶναι, Ἀσηρῖται φέρονται πᾶσαν τὴν ἐπὶ Σιδῶνος τετραμμένην.

## C A P. LXIII.

*Ora Galilææ Occidentalis Carmelus.*

ISacharitæ habuerunt Τέρμονα τοῦ μήκους Κάρμηλον καὶ ποταμόν· *Zabulonitæ*. Κάρμηλον καὶ θάλασσαν, *Joſephus*, ubi ante.

Fuit *Carmelus* non tam mons unus, quam montanum latitudinem fere totam *Iſacharitidis* excipiens, magnamque partem *Zabulonitidis*. Erat, ut videtur, inter multa montium capita, quæ eodem nomine ſunt inſignita, nobile quoddam culmen, præ aliis eminens & elatum, *Promontorium Carmelum*, Plinio, *Natur. Hiſtor.* lib. 5. cap. 19. *& in monte oppidum eodem nomine, quondam Echatana dictum:* (עקבתן) ubi, ut veriſimile, *Oraculum Carmeli Dei* conſultum aliquando a *Veſpaſiano*, *Tacit. Hiſt.* lib. 2. 19.

Pedem montis alluit mare. *Hieroſol. Beracoth*, fol. 2. 1. *R. Samuel bar Chajah bar Judah dixit nomine R. Chaninæ, Inſidens quis monti Carmelo, cum jam orbis Solis occidentis demergi incipit, ſi deſcendat & lavet ſe in Mari Magno, & aſcendat & comedat Trumam ſuam*, חזקה ביום טבל *præſumendum eſt, quod interdiu lavit.*

Κάρμηλον καὶ ποταμόν. Quiſnam iſte flu-

fluvius? *Kishon*, inquiunt Tabulæ; nam eum depingunt quædam non longe a *Carmelo*, ſeipſum in mare effundentem: idque non ſine ratione, petita a 1. *Reg.* 18. 40. At neceſſe eſt, ut *Kishonem* ſupponas ab Auſtro *Carmelum* præterlabi, non, ut quidam, ab Aquilone.

*A radicibus Carmeli profluit Palus Cendevia, & ex ea rivus Pagida, ſive Belus, vitri fertiles arenas parvo littori miſcens.* Sic *Plinius*, ubi ſupra. Qui & hæc porro, *Juxta, Colonia Claudii Cæſaris, Ptolemais quondam Ace, oppidum Ecdippa, Promontorium album, Tyrus quondam inſula, &c. Inde Ide* (alias, *Enhydra*) *ac Sarepta, & Ornithon oppida, & Sidon artifex vitri, &c.*

Hæc loca non tam limites *Galilææ* dixeris, quam *Phœniciæ*; nam in ipſa *Ptolemaide*, vel *Acone*, erat ſeparatio & partitio terræ *Iſraeliticæ* a *Phœnicia*. Hinc *Joſephus*, *de bello*, lib. 3. cap. 4. Δύο δ' ὄσας τὰς Γαλιλαίας, τὴν τε ἄνω καὶ τὴν κάτω προσαγορευομένην, περιίσχει μὲν ἡ Φοινίκη καὶ Συρία. διορίζει δὲ ἀπὸ μὲν δύσεως ἡλίου Πτολεμαῒς τοῖς τῆς χώρας τέρμασι, καὶ Κάρμηλος. Quid? Numnam totam *Galilææ* longitudinem ab Occidente concludunt *Ptolemais* & *Carmelus*? Dixerat ipſe alibi, quod & nos alibi adduximus, *Nephthalitida* uſque ad *Libanum* montem (a Septentrione) exporrigi; eheu, quam longe poſt *Ptolemaida*! ac *Asberitida* eouſque etiam extendi: aſt erat *Ptolemais Finis Palæſtines* (ut *Plinii* verbis utar) maritimus; nam hinc porro erant ditiones *Tyri* & *Sidonis*, & jam *Galilæa* non terminabatur mari, ſed iſtis ditionibus.

Vidimus in Schemate iſto a nobis adducto, Capite hujus opellæ ſecundo, quo ἐν ἐπιτομῇ deſcribitur Peripheria terræ ſub Templo ſecundo: ut שורא דעכו *Mœnia Aconis* pro limite illic ſtatuantur: idque hoc ſenſu, de quo diximus, quod & poſtea patebit amplius. Nomina ergo iſta, quæ in dicto Schemate ſequuntur, ſcilicet, I. קציריא דגלילא II. כברתה. III. בית זניתה. IV. קובעיא, aliaque nonnulla, loca denotare videntur, quæ erant collimitia inter *Galilæam* & fines *Tyri* & *Sidonis*.

## CAP. LXIV.

*Acon.* עכו. *Ptolemais.*

JOſephus, *de bello*, lib. 2. cap. 17. Πτολεμαῒς (quæ & *Acon*) πόλις ἐστὶ τῆς Γαλιλαίας παράλιος, &c. *Ptolemais eſt civitas Galilææ maritima, in campo magno ſita; circumdatur autem montibus: ab Oriente, a LX. ſtadiis, montano Galilææ; a Meridie Carmelo diſtante CXX. ſtadia: altiſſimo autem monte a Septentrione, qui vocatur Climax* (vel *Scala*) *Tyriorum, diſtatque ſtadiis centum. Ab ea autem urbe diſtans duobus ſtadiis, præterlabitur fluvius Beleus, exiguus prorſus, quem prope eſt Memnonis ſepulcrum; habens juxta ſe centum cubitorum ſpatium, ſed admiratione digniſſimum. Eſt enim ſpecie vallis rotundæ, vitream emittens arenam, quam cum exhauſerint multæ naves pariter accedentes, locus item rurſus impletur.*

*Miſchna Hieroſol. in Gittin*, cap. 1. מעכו ולצפון ועכו כצפון. *Ab Acone porro ad Septentrionem,* (eſt terra *Ethnica*) *atque ipſa Acon pro Septentrione* (id eſt, pro terra *Ethnica*) *reputatur.*

*Hieroſol. Gittin*, fol. 43. 3. *In Acone eſt terra Iſraelitica, & non.* Ideoque in eodem *Hieroſol. Scheviith*, fol. 35. 3. *R. Joſi ben Hananiah exoſculatus eſt fornicem Aconis, & dixit, Hucuſque eſt terra Iſraelitica.*

Idem, *Challah*, fol. 60. 2. *R. Simeon ben Gamaliel dixit, vidi Simeonem Ben Cahna bibentem vinum in Acone, &c. At numnam intra limites terræ, necne?* Vide de hac re Autorem *Juchaſin* fuſe diſputantem, fol. 71. 1.

*Avodah Zarah*, cap. 3. hal. 4. Erat balneum *Veneris Acone*: (מרחץ אל אפרודטי) ubi lavans *R. Gamaliel* interrogatur ab *Ethnico* quodam (cui nomen in *Miſchna Hieroſolymitana* eſt פרקלוס, in *Babylonica* פרוקלוס בן פלוספוס בן פלוסלוס *Proculus filius Philoſophi.*) *Quid tibi cum balneo* Ἀφροδίτης? *Cum in Lege veſtra ſcriptum ſit*, Non adhærebit manui tuæ quicquam ex Anathemate. *Reſpondit ille, non reſpondendum eſt in balneo*, (quia de Lege non eſt loquendum, cum ſtas nudus) *Cum ergo exiiſſet, dixit, Ego non in limites ejus ingreſſus ſum, ſed ea in limites meos.* (Gloſſa, *Balneum erat priuſquam ea.*) *Et non dicimus, Faciamus balneum formoſum Veneri, ſed faciamus Venerem formoſam balneo, &c.*

Refertur hiſtoria acta *Acone* coram *R. Judah*, non iudigna memoratu. *Babylon. Sanhedr.* fol. 5. 2. *Rabbi venit ad locum quendam, viditque homines iſtius loci pinſentes paſtam ſuam in immunditia: cum ab iis quæreret, Quare ita facerent; reſponderunt, Venit huc Diſcipulus quidam, & nos docuit* מי בצעים אין מכשירין *Aquæ* בצעים *non ſunt de liquidis* (pollutionem inducentibus) הוא מי בצים דרש להו ואינהו מבור מי בצעים *Ille de aqua* בצים (id eſt, *ovorum*) *locutus*

*cutus eſt ; at illi eum locutum fuiſſe arbitrati ſunt de* מי בצעים *aquis paludoſis.* Hæc ideo libentius produximus ; ut videat Lector, quod litera ע apud hos nullius omnino fuerit ſoni, cui ſimilia exempla proferimus alibi. Jam audi Gloſſatorem. *Hoc*, inquit ille, *vidit Rabbi in Acone, in qua eſt terra Iſraelitica, & terra Ethnica: iſtos autem vidit ſtantes intra limites terræ Iſraeliticæ, & pinſentes paſtam ſuam in immunditia, & miratus eſt, donec dixerunt ei ; Venit huc Diſcipulus quidam, &c.*

Frequentiſſime memoratur a *Talmudicis* כפר עכו *Caphar Acon.*

Idem, *Taanith*, fol. 21. 1. *Civitas, quæ producit* 1500. *pedites, ſicut* כפר עכו *Caphar Acon, ſi efferantur inde novem mortui tribus diebus ſucceſſivis; ecce eſt peſtis: at ſi die uno, aut diebus quatuor, tum non eſt peſtis. Et civitas, quæ producit quingentos pedites, ut* בפר עמיקו *Caphar Amiku, &c.*

Hinc nomina *Rabbinorum* quorundam *Aconenſium*, ut.

*R. Tanchum filius R. Chajæ a Caphar Acone*, Ibid. fol. 7. 2.

*R. Simeon ben Juda* איש כפר עכו, *Juchaſin*, fol. 69. 1.

ר' אבא דמן עכו *R. Abba Aconenſis*: aliique, Idem, fol. 71. 1.

Perpende hanc hiſtoriam, *Hieroſol. Gittin*, fol. 43. 3. *Attulit quidam libellum repudii ad R. Iſmaelem, qui dixit ei, Unde tu? Reſpondit ille,* מכפר סמיי שבתחום עכו *A Caphar Samai, quæ eſt in confinibus Aconis. Tunc neceſſe eſt, inquit ille, ut dicas, Me præſente ſcriptus eſt, & me præſente ſigillatus. Cum exiret, dixit ei R. Illai, Rabbi, Nonne Caphar Samai eſt e terra Iſraelitica, propior ad Zipporim, quam Aconem?* Et paulo poſt: *Civitates, quæ ſunt in collimitiis Zipporis, vicinæ Aconi, & quæ in collimitiis Aconis vicinæ Zippori, quid de iis facies? Sicut Acon, ſic Zipporis.*

## CAP. LXV.

### *ECDIPPA.*

*Achzib*. *Joſuæ* 19. 29. *Judic.* 1. 31. Κλίμαξ Τυρίων.

*Hieroſol. Scheviith*, fol. 36. 2. *Itineranti ab Acone ad Achzib a dextra viæ, Orientem verſus, munda eſt a notione terra Ethnicæ, & tenetur ad decimas, & ad legem de anno ſeptimo, donec innoteſcat tibi eam immunem eſſe: a ſiniſtra viæ, Occidentem verſus, immunda eſt ſub notione terræ Gentilitiæ, & immunis eſt a decimis, & a lege de anno ſeptimo, uſque dum innoteſcat eam teneri, etiam uſque dum perveneris ad Achzib.* Hæc *Gemara*: Textus autem, in quem hæc commentatio, hic eſt; *Scheviith*, cap. 6. hal. 1. *Tres regiones* ( *Judæa* ſcilicet, *Galilæa*, & *Peræa* ) *tenentur ad legem de anno ſeptimo: quodcunque poſſederunt aſcendentes e Babylone, a terra Iſraelitica uſque ad* כזיב *Chezib* ( *Miſchnah Hieroſolymitana* גזיב *Ghezib* legit ) *non depaſcitur nec colitur: at quodcunque poſſederunt aſcendentes ex Ægypto, a Chezib ad fluvium, & ad Amanam, depaſcitur, ſed non colitur: a fluvio, & ab Amanah, interius depaſcitur, & colitur.*

De *Amanah* dicturi ſumus illico. *Fluvius* ( inquit *R. Sol.* in locum ) *eſt fluvius Ægypti*. Et *Chezib* ( inquit *Rambam* in *Demai*, fol. 12. 2. ) *eſt nomen loci, qui diviſit inter terram Iſraeliticam ; quam poſſederunt aſcendentes e Babylone, atque eam, quam poſſederunt aſcendentes ex Ægypto: ea autem, quam poſſederunt aſcendentes ex Ægypto, quoad Demai, eſt quaſi extra terram.* illud in Textu, in quem ille hæc commentatur מכזיב ולהלן פמור מן הדמאי *A Chezib & ultra immunis eſt a Demai.*

*Vox Chezib*, & *Achzib*, in *Ecdippam* tandem tranſiit, pro more Dialecti *Syræ* ; cui vulgare, ז *Zain Hebræorum*, in ד immutare.

Κλίμαξ Τυρίων *Scala Tyriorum*, *Talmudicis* eſt סולמה דצור.

*Hieroſol. Bava Kamma*, fol. 4. 2. לא מטון לסולמיה דצור עד דשכחון כולן *Omnia obliti fuerant, antequam pertingerent ad Climaca Tyriorum*. Agitur loco citato de *Romanis* quibuſdam. ad *Rabban Gamalielem* miſſis, ut de lege *Judaica* ſciſcitarentur.

De eo etiam eſt hæc hiſtoria, & de eodem loco, *Hieroſol. Avodah Zarah*, fol. 40. 1. *Cum exiret ille aliquando e Chezib, acceſſit ad eum quidam, interrogaturus de quodam voto ſuo. Dixit is ei, qui cum eo profectus eſt, Dic ei, nos bibiſſe quartanam vini Italicam. Dicit ei bene. Interroganti dicit, Vade nobiſcum uſque dum vinum noſtrum deferbuerit.* כיון שהגיעו לסולמה של צור *Cum ad ſcalam Tyriorum attingeret, deſcendit Rabban Gamaliel, & ſeipſum velat, & ſedens ſolvit ejus votum. Ex hoc exemplo hæc diſcimus, quod quartana vini inebriat, quod via ſedat vinum, &c.*

Notetur hoc in tranſitu, quod dicitur רביעית יין משכרת *Quartanam vini*

*ni inebriare* : & conferatur cum eo, quod dicit *R. Chaja*, *Hierosol. Shabb.* fol. 11. 1. ארבעה בוסות שאמרו ישנן רביעית יין באיסלקי *Quatuor pocula* ( ebibenda ab unoquoque in epulis sacris ) *continent quartanam vini Italicam* : Et judica quam sobrie iis fuisset in istis epulis, si vino aquæ plurimum non immiscuissent.

## CAP. LXVI.

*ORA* Galilææ *septentrionalis*. *Amanah*. *Mons Nivis*.

DEscribitur hæc ora a *Mose*, *Num.* 347. *A Mari Magno ad montem Hor. A monte Hor, ad introitum Hamath*, &c.

*Mons Hor* scriptoribus *Judaicis* est *Amanah*, cujus mentio occurrit, *Cant.* 4. 8. ubi sic *R. Sol. Amanah est mons in ora terræ Israeliticæ Aquilonari, qui lingua Talmudica nuncupatur* טורי אמנון *Montanum Amanon. Idem cum monte Hor*.

Apud *Targum Hierosolymitanum* pro *monte Hor* est טוורוס מנוס *Mons Manus*: at *Jonathanis* reddit טוורוס אומנים *Mons Umanis*.

*Quidnam*, inquiunt *Hierosolymitani*, *Scheviith*, fol. 36. 4. & *Callah*, fol. 1. *est e terra Israelitica*, & *quid extra terram*? *Quodcunque descendit a Monte Amanah intus, est e terra Israelitica* : *quodcunque est extra montanum Amanæ, est extra terram*.

Et paulo post. *Dixit R. Justa Bar Shunem*, *Cum appulerint reduces* ( e dispersione sua ) *Israelitæ ad montana Amanæ, edent Canticum* : *quod probatur ex eo, quod dicitur*, (*Cant.* 4. 8.) תשורי ראש אמנה. Reddit ille, *Cantabis e vertice Amanæ*.

Erat & fluvius ejusdem cum monte nominis, de quo *Targum* in istum locum, scil. in *Cant.* 4. 8. *Offerent tibi munus habitantes juxta fluvium Amanam, habitantesque in vertice Montis nivis* : & *Aruch*, in קרמיון quod notavimus antea, *Kirmion est fluvius in via ad Damascum*, & *est idem cum Amana*.

*Mons Nivis* תור תלגא *Paraphrastis* & *Talmudicis* idem est cum *Hermone*. Interpres *Samariticus* in *Deut.* 4. 48. עד טבר תלגם הוא חרמון *Ad Montem nivis, qui est Hermon*. Et *Hierosolymitani*, *Sanhedr.* fol. 28. 4. *Exstruxerunt*, inquiunt, *filiabus Midianitarum craticulas a Beth-Jesbimen, usque ad Montem nivis*, & *collocarunt illic fœminas vendentes placentas*.

*Targum Hierosol.* in *Numer.* 35. *Mons nivis Cæsareæ* ( *Philippi* ). Vide & *Jonathanem* ibid.

## CAP. LXVII.

פמייס.

*Paneas fons Jordanis*.

DUplicem *Jordani* fontem assignant Tabulæ; at quo jure vix patet: multo minus patet, quo jure hunc *Jor* dixerint, illum *Dan*. Est quidem apud *Josephum* mentio *Jordanis parvi*, & *Jordanis magni* : hinc ut videtur, origo prima apud Tabulas duplicati fontis, & duplicati rivi ad primos fontes. Sic enim *Josephus*, *de bello*, lib. 4. cap. 1. Πηγαὶ, αἱ τὸν μικρὸν καλούμενον Ἰορδάνην προσπέμπουσι τῷ μεγάλῳ. *Fontes sunt* ( in *Daphne* ) *qui Jordanem parvum, ut vocatur, immittunt in magnum*. Agit ille, textu citato, de lacu *Samochonitide*, dicitque, Διατείνει δὲ αὐτῆς τὰ ἕλη μέχρι Δάφνης χωρίς &c. *extendi ejus palustria ad Daphnen regionem, ut alias amœnam, ita fontes continentem, qui Jordanem parvum emittunt*, &c.

*Riblah*, ( ut obiter hoc notemus ) a *Targumistis* redditur *Daphne*. Illi in *Numer.* 34. 11. pro quod in *Hebræo* est, *Et descendet limes ad Riblam*, reddunt, & *descendet limes ad Daphnen*. Vide & *Aruch* in דפני. At ea certe non est ista *Daphne*, de qua hic *Josephus*, quod patebit satis ex sequentibus. At, quod ad rem sub manibus.

I. Et ille, & *Talmudici* fontem *Jordanis* assignant *Panium*, vel *Paneada*: nec nominant alium.

*Josephus*, *Antiq.* lib. 15. cap. 13. *Prope Panium, quod vocant*, inquit ille, *spelunca est in monte amœnissima, eique subjecta, in immensum hians terræ devexitas, plena aquis stagnantibus. Ei mons magnus valde imminet, sub spelunca autem scatent fontes Jordanis fluvii*.

Et rursus, *de bello*, lib. 1. cap. 16. Παρὰ τὰς Ἰορδάνου πηγάς καλεῖται δὲ Πάνιον ὁ τόπος.

Ibid. lib. 3. cap. 35. Δοκεῖ μὲν Ἰορδάνου πηγὴ τὸ Πάνιον : & plura ibi.

*Talmudici*, *Babylon. Bava Bathra*, fol. 74. 2. *Dicit Rabb*, ירדן יוצא ממערת פמייס *Jordanes oritur e spelunca Paneadis* : & *sic est Traditio*.

Idem, *Megill.* fol. 6. 1. לשם זו פמייס *Dicit R. Isaac, Leshem est Pamias*. Glossa, *Leshem est civitas, quam subjugarunt Danitæ. Judic.* 18. 29. ) *Pamias est locus, unde oritur Jordanes*.

Et

Et *Plinius*, *Natural. Hist.* lib. 5. cap. 15. *Jordanis amnis oritur e fonta Paneadæ.*

II. Fons iste *Jordanis* tam celebratus fuit fons *Jordanis*, ut vocatur, *parvi*: nam sic plane colligitur ex *Josepho*. Ille de *Danitis*, *Laish*, vet *Leshem*, invadentibus, quam subactam illi *Dan* vocarunt, sic ait, *Antiq.* lib. 5. cap. 2. Οἱ δ' ἐ πόῤῥω τε Λιβάνε ὄρες, καὶ ἐλάσσωνος Ἰορδάνε τῶν πηγῶν, &c. *Illi autem non longe a monte Libano, atque a fontibus Jordanis minoris, per magnam Sidonis planitiem iter diei unius conficientes, terram bonam & fertilem observant, ac suis indicant: qui exercitu irruentes Dan civitatem condunt.*

Itemque de *Jeroboamo* loquens hæc ait, ibid. lib. 8. *Duo fana vitulis aureis condidit, unum in Bethel*: Ἕτερον δὲ ἐν Δάνῃ, ἣ δέ ἐςι πρὸς ταῖς πηγαῖς τε μικρε Ἰορδάνε· *alterum vero in Dan, quæ est ad fontes Jordanis parvi.*

Mireris certe, atque obstupescas, tam celebri fama & notitia inclarescere fontem *parvi Jordanis*, atque interea latere, sileri, atque in æterna obscuritate sepeliri fontem *magni Jordanis*. Quid? *Minor* tanta fama dignus, & *major* nulla? Liceat nobis libere loqui, cum bona *Chorographorum* venia, quæ sentimus

I. Non constat ullum alium *Jordanis* rivum fluere in lacum *Samochonitidem*, præter istum, qui oritur e *Paneade*. Apud quemnam Autorem comperies talis rivi vel volam, vel vestigium? Nisi quod ex verbis *Josephi*, antea allegatis, male conceptis, in Tabulas irrepserit talis conjectura, atque in animos hominum.

II. Opinamur ergo *Jordanem majorem* & *minorem* dici, non ratione duorum fontium, aut duorum rivorum discretorum, & distantium; sed ratione distinctæ magnitudinis ejusdem rivi. Oriens e *Paneade Jordanes*, *parvus* vocabatur, usque dum flueret in *lacum Samochonitin*: postea vero, e lacu isto exiens, cum incrementum magnum ab ista palude obtinuisset, exinde vocabatur *Jordanes major*. *Samochonitis Jordanem parvum* recepit, *magnum* emisit: nam cum esset & lacus iste, & regio adjacens paludosa admodum, ut patet ex *Josepho*, non tam auctus est lacus a *Jordane* influente, quam *Jordanem* effluentem auxit. Κόπτει, inquit *Josephus*, *de bello*, lib. 3. cap. 35. τὰ τῆς Σαμοχωνίτιδος λίμνης ἕλη τε καὶ τέλματα. Videtur ergo fluvius infra *Samochonitin* vocari *Jordanes*, supra *Samochonitin Jordanes parvus*.

Ad fontem *Jordanis*, *Paneada*, condita fuit *Cæsarea Philippi*: quam videant Tabulæ, ne remotam nimis inde collocent. Idem, *Antiq.* lib. 18. cap. 3. Φίλιππος πρὸς ταῖς Ἰορδάνε πηγαῖς ἐν Πανεάδι πόλιν κτίζει Καισάρειαν. Itemque, *de bello*, lib. 3. cap. 13. Πανεάδα κατασκευάσας ὀνομάζει Καισάρειαν.

## CAP. LXVIII.

### *Quid dicendum de* ימא דאפמיא.

SEptimum inter maria, terram *Israeliticam* ambientia, numeratur ימא, דאפמיא quæ vox tam cognatum sonum habet voci *Pamias*, quo nomine *Rabbini* fontes *Jordanis* indigitant; ut istius vocabuli mentio hujus non possit non excitare memoriam, imo fere persuadere, utrumque unum eundemque designare locum; & *Mare Apamiæ* nihil aliud fuisse, nisi magnam aliquam collectionem aquarum ad ipsos fontes *Jordanis*.

Hoc etiam porro adjici posset ad roborandam istam persuasionem, quod utrobique, apud loca in *Talmude Hierosolymitano* citata, hæc addantur, *Mare Apamiæ est idem cum Mari Chamats, quod* דוקליטינוס *Diocletianus, congregatis aquis, fieri curavit.* Jam vero *Diocletianus* iste, quicunque is fuit, (nos Imperatorem fuisse probamus alibi) versatus est aliquando *Paneade*, ut liquet etiam ex eodem *Talmude Hierosol. Trumoth*, fol. 46. 2.

At vero aliter se res habet. Diversa fuere loca *Pamias* & *Apamia*, & longe dissita: altera in terra *Israelitica*, altera in confinibus quidem terræ *Israeliticæ*, at in *Syria*.

Notetur hæc Traditio. *Challah*, cap. 4. hal. 11. *Ariston adduxit primitias suas ab Apamia atque eæ acceptæ sunt; nam dixerunt, Qui possessionem habet in Syria, est ac si haberet in suburbanis Hierosolymæ.* Glossa. *Apamia est nomen loci in Syria.*

Et hæc clarius apud *Targumistas*, ut Autores alios omittamus. Interpres *Samariticus* vocem שפם *Numer.* 34. 10. reddit עפמיה *Apamia* cum *y* (Nota ש mutatam in *y*, Nota etiam in voce *Bosor*, 2. *Pet.* 2. 15. *y* mutatam in ש *Sin.*) *Jouath.* אפמיאה cum *Aleph*: nam משפם הרבלה reddit ille מן אפמיאה לדפני *Ab Apamia ad Daphnen.*

CAP.

## CAP. LXIX.

*Lacus Samochonitis.*

PAginis Sacris est *Aqua Meron*, *Josuæ* 11. 5. *Babylonicis* est ימה דסבכי *Mare Sibbechæum*. Hinc illud, *Babylon. Bava Bathra*, fol. 74. 2. *Jordanes oritur e spelunca Paneadis, & fluit in mare Sibbechæum*. *Hierosolymitanis* aliquando ימא דכובבו, ut notavimus ante, aliquando ימא דסמכו, unde aliis linguis *Samachonitis*.

Τῇ Σεμεχωνιτῶν λίμνῃ, inquit *Josephus*, *de bello*, lib. 4. cap. 1. τριάκοντα μὲν εὖρος, ἑξήκοντα δὲ μῆκος στάδια. Διατείνει δὲ αὐτῆς τὰ ἕλη μέχρι Δάφνης χωρίου. *Lacus Semechonitis est triginta stadiorum latitudine: longitudine sexaginta. Extenduntur palustria ejus ad Daphnen regionem; ut alias amœnam, ita fontes continentem*: αἳ τρέφουσαι τὸν μικρὸν καλούμενον Ἰορδάνην ὑπὸ τὸν τῆς χρυσῆς βοὸς νεὼν, προπέμπουσι τῷ μεγάλῳ. Scrupulus latet de hujus clausulæ punctatione, ὑπὸ τὸν τῆς χρυσῆς βοὸς νεών. Mollius quidem fluere videretur sententia, & sensus, si sic redderes, *Fontes, qui parvum Jordanem, ut vocabatur, nutrientes, eum in magnum emittunt, sub Templo aurei vituli*: ast oritur tum justa ambiguitas de situ istius Templi. Referenda est ergo potius clausula ista ad præcedentem, ita ut sensus sic fluat, *Fontes, qui Jordanem parvum, ut vocatur, nutrientes sub Templo aurei vituli, eum immittunt in magnum*: & sic Templum aurei vituli habes ad fontes *Jordanis*, locumque adjacentem vocatum *Daphnen*, palustriaque *Samochonitidis* eo usque se exporrigentia.

*Gemaristæ Hierosolymitani*, *Shekalim*, fol. 50. 1. verba *Ezechielis*, cap. 47. 8. sic explicant. *Exeunt hæ aquæ in oram Orientalem*; זה ים של סמכו *id est, in lacum Samochonitin. Et descendent in planitiem, id est, in mare Tiberiadis. Et exibunt in mare; hoc est, in mare Mortuum*.

Ἄσωρος πόλις ὑπέρκειται τῆς Σαμαχωνίτιδος λίμνης. *Hazor civitas*, inquit *Josephus*, *Antiq.* lib. 5. cap. 6. *imminet lacui Samachonitidi*. Metropolis ea *Canaanis*, id est, regionis istius Septentrionalis, quæ isto nomine insignita est: quæ & *Galilæa Gentium* vocata. *Jabin rex Hazor* aliique pugnant cum *Josua* ad aquas *Merom*; id est, ad lacum *Samochonitim*, *Josuæ*, 11. 4. Et *Jonathas* ibidem, ut videtur, cum exercitu *Demetrii*, Ἐν πεδίῳ Ἀσώρ, ut idem *Josephus*, ibid. lib. 13. cap. 9. At libro *Maccabæorum* est τὸ πεδίον Νασώρ, I. *Maccab.* 11. 67.

## CAP. LXX.

*Lacus Gennesariticus, vel, Mare Galilææ, & Tiberiadis.*

EMetitur *Jordanes* CXX. stadia, a lacu *Samochonitide* ad *Gennesariticum*, *Joseph. de bello*, lib. 3. c. 35. Lacus iste Veteri Testamento est ים-כנרת, *Numer.* 34. 11. &c. *Targumistis* ימא, דגניסר aliquando דגניסור, aliquando דגינוסר: idem etiam *Talmudicis*, at frequentissime, ימא דטבריא. Utrumque nomen adhibetur ab Evangelistis: *Lacus Genesareth*, Lucæ, 5. 1. *Mare Tiberiadis*, Joann. 21. 1. ac *Mare Galilææ*, Joann. 6. 1.

Transiit nomen *Chinnereth* in *Genesar*, ob regionis amœnitatem hortis ac paradisis refertissimæ: de qua dicturi sumus postea.

Disputatur ab *Hierosolymitanis*, *Megill.* fol. 70. 1. quare כנרות occurrat aliquando numero plurali: ut *Josuæ* 11. 2. נגב כנרות, & *Josuæ* 12. 3. ים כנרות. *Inde, inquiunt, sunt duæ Genesarethæ? Aut non fuerunt* אלא ב׳ אבטוניות כגון *nisi duæ arces, ut Beth-Jerach & Sinnabris*; בית-ירח וצינבריי שהן מגדלות כינרים *quæ sunt turres Chinnerethanorum: at munitio destruitur & cessit Gentilibus*. Vides ex ipso sensu loci quid sibi velit vox אבטוניות. Eadem forte est cum voce אבטליות in *Aruch*: & אבטילאות *Babylonicis*, *Becoroth*, fol. 55. 1. Quibus, interprete Glossatore, שני אבטילאות *Sunt duæ eparchiæ in eodem regno*. Exemplum præbet *Gemara* in נמר ונמורי. Ast *Arucho* שני אבטליות *sunt castella duo, inter quæ est pons, sub quo tamen non est aqua*: atque exemplum ille præbet in שולנמי ופטורי. At hic non moramur. צינבריי apud *Talmudicos* est Σενναβρὶς apud *Josephum*, distans a *Tiberiade* stadiis triginta. Nam refert ille, *de bello*, lib. 3. cap. 31. *Vespasianum* castra posuisse triginta a *Tiberiade* stadiis, Κατά τινα σταθμὸν εὐσύνοπτον τοῖς νεωτερίζουσι, Σενναβρὶς ὀνομάζεται. Loquitur & ille quoque de oppido Γινναβρί, non longe certe ab hoc loco distante: nam περίχωρον *Jordanis* describens *ibid.* lib. 4. cap. 17. dicit, quod ab utraque ejus regione procurrit longissimum dorsum montium, (at milliaribus aliquot a fluvio distans) hinc a regione *Scythopolitana* ad *Mare Mortuum*, illinc a *Juliade* ad *Somorrham* versus *Petram Arabiæ*; quodque interjacet planities,

ties, quæ vocatur μέγα πεδίον, ἀπὸ κώμης Γινναβεὶν διῆκον μέχει τῆς Ἀσφαλτίτιδος λίμνης.

De lacu *Geneſaritico* ſic idem *Joſephus*, ibid. lib. 3. cap. 35. Ἡ δὲ λίμνη Γεννησὰρ μὲν ἀπὸ τῆς προσεχῆς χώρας καλεῖται ςαδίων εὖρος ὅσα τεσσαράκοντα, καὶ πρὸς τούτοις ἑτέρων ἑκατὸν τὸ μῆκος, γλυκεῖα τε ὅμως ἐςὶ, καὶ ποτιμωτάτη.

*Plinius* ſic, lib. 5. cap. 15. *Jordanes, ubi prima convallium fuit occaſio, in lacum ſe fundit, quem plures Geneſaram vocant, XVI. M. paſſ. longitudinis; VI. M. paſſ. latitudinis.*

*Hieroſol. Avodah Zarah*, fol. 42. 1. ימא דטבריא כנון המים המהלכין הן *Mare Tiberiadis par eſt aquis labentibus.* Diſcutiunt, dum hæc verba proferunt Magiſtri, quidnam ſentiendum de aquis, ubi natant piſces immundi una cum mundis, an edulio ſcilicet coquendo ſint tales aquæ idoneæ, necne: & reſpondetur, Aquas fluentes & labentes idoneas eſſe, non labentes non ita; atque inter labentes numerari lacum *Geneſariticum*.

Deo dilectum hunc lacum præ omnibus lacubus *Canaanitidis* credunt *Judæi*, aut fingunt, *in Midraſch Tillim*, fol. 4. 1. *Septem maria*, inquiunt, *creavi, ait Deus; ex omnibus autem iis non elegi, niſi mare Geneſariticum.* Quæ forſan excogitata ſunt in laudem *Academiæ Tiberienſis*, lacui huic contiguæ: at melius certe veritati conſonant, applicata ad frequentiſſimam *Salvatoris* illuc acceſſionem.

## CAP. LXXI.

### *Intra quamnam Tribum lacus Geneſariticus.*

ORitur hæc quæſtio ex collatione Tabularum cum *Talmudicis*: nam non eſt inter eas, quod ſciam, quæ non plane mare *Geneſariticum* extra Tribum *Nephthaliticam* definiat; illi autem planiſſime intra.

*Babylon. Bava Kama*, fol. 81. 2. ת"ר ימה של טבריה בחלקו של נפתלי *Tradunt Rabbini. Mare Tiberiadis eſt portionis Nephthaliticæ. Imo plenum funiculum ea recipit pro retibus a parte ejus Auſtrali: ſicut dicitur*, Poſſide Mare & Auſtrum. (*Deut.* 33. 23.) Gloſſ. *Plenum funiculum habuit* (*Nephthali*) *in arida ab ora ejus Auſtrali, ut extrahere poſſet retia.* Sic etiam *Hieroſolymitani*, *Bava Bathra*, fol. 15. 1. *Dederunt* τῷ *Nephthali plenum funiculum ab ora maris Auſtrali: ſicut dicitur*, Poſſide Mare & Auſtrum. *Verba ſunt R. Joſ. Galilæi.* Sic *Talmud* iſtud, quod conſcriptum *Tiberiade*. Sic *R. Joſi*, qui *Galilæus*.

Conſona his ſunt verba *Joſephi*, quæ citavimus ante ex *Antiq.* lib. 5. cap. 1. Ζαβουλωνῖται, inquit, τὴν μέχει Γεννησαρείτιδος, καθήκουσαν δὲ περὶ Κάρμηλον καὶ θάλασσαν ἔλαχον. *Zabulonitæ portionem ſortiti ſunt uſque ad Geneſaritida, protenſam etiam* (longitudine) *ad Carmelum & mare.* Ab Auſtro *Zabulonitis Iſacharitide* terminatur, latitudine ſeſe extendens Μέχει Γεννησαρείτιδος, *ad Geneſaritida*: pertingens tantum ad *Geneſaritida*, non *Geneſaritida* intra ſe complectens. Sic dicit idem *Jaſephus*, loco citato, quod Νεφθαλῖται παρέλαβον τὰ πρὸς τὰς ἀνατολὰς τετραμμένα μέχρι Δαμασκοῦ πόλεως. Ridendum foret, ſi Μέχει Δαμασκοῦ πόλεως ita redderes, ut *Damaſcum* intra *Nephthalitida* includeres. Parem ſoleciſmum ſolœcizant Tabulæ, dum *Zabulonem*, quæ μέχει Γεννησαρείτιδος tantum pertigit, totam *Geneſaritida* intra ſe comprehendere faciunt. Intuere *Adrichomium*, ut alios ſileam, & cum eo confer hæc *Joſephi*.

Huc reducendum forte eſt illud, quod non parum torſit Interpretes in *Joſuæ* cap. 19. ubi in limitibus Tribus *Nephthaliticæ* definiendis bis memoratur *Jordanes*: verſu 33. *Exitus limitis*, hinc, *erat ad Jordanem*: & verſu 34. וביהודה הירדן מזרח השמש *Exitus*, illinc, id eſt, a limite Meridionali, *erat ad Jordanem in Juda verſus ortum Solis*.

Quid *Nephthalitidi* cum *Jordane in Judah*?

*Reſp. Juda*, id eſt, *Judæa*, hic *Galilææ* opponitur, non *Juda* reliquis Tribubus. Ante ortum nomen *Samariæ*, notiſſimum erat nomen *Galilæa*, *Joſuæ* 20. 7. & nomen *Judææ*: & tunc temporis totam terram intra *Jordanem* non incongrue bipartireris, in *Galilæam* & *Judæam*; cum adhuc in rerum natura non eſſet nomen *Samariæ*. In hunc ergo ſenſum ſonant verba allata, ac ſi dictum eſſet, „ Exiit limes *Nephthali* „ Borealis, Orientem verſus, ad *Jordanem* in *Galilæa*: Auſtralis pariter „ exiit Orientem verſus ad *Jordanem*, „ jam profluentem in *Judæam*: id eſt, in regionem extra *Galilæam*, quæ adhuc *Samaria* non eſt dicta, ſed potius *Judæa*.

Videtur certe limes terræ *Nephthaliticæ Jordanem* utrinque attingere, & a parte Boreali, & a parte Meridionali; & ſic *Mare Geneſariticum* intra Sinum ſuum complecti, ſecundum quod dicitur

tur a *Talmudicis*, antea allegatis, iisque *Tiberiensibus*.

De *Jordane* & lacu isto differenti liceat hoc superaddere de *scapha Jordanica*. *Hierosol. Shabb.* fol. 7. 1. *Dicit R. Jacob bar Aidai, nomine Rabbi Jochananis, Ne quis se absentet e Beth-Midrasch: nam multoties proposita est hæc quæstio in Jabneh:* עריבת הירדן למה היא טמאה *Cimba*, vel *Scapha*, *Jordanica quare est immunda? nec erat, qui quicquam ad hæc responderet; donec veniret R. Chaninah filius Antigoni, exponeretque in sua civitate. Scapha Jordanica est immunda, quia eam fructibus implent, eamque deducunt a mari in aridam, atque ab arida in mare.* עריבה, *Judæis* ipsis interpretibus, est ספינה קטנה *Navicula parva*, Πλοιάριον. *Josephus, de bello*, lib. 2. cap. 43. Τὰ δὲ ἐπὶ τῆς λίμνης σκάφη πάντα συναθροίσας, διακόσια δὲ καὶ τριάκοντα εὑρέθη, καὶ ναῦται τεσσάρων οὐ πλείους ἦσαν ἐν ἑκάστῳ.

## CAP. LXXII.

### *TIBERIAS.*

HAnc urbem olim a diebus *Josuæ* munitam fuisse, atque eandem cum *Rakkath* exstitisse, de qua mentio *Josuæ* 19. 35. uno fere ore prædicant *Judæi* omnes.

*Hierosol. Megill.* fol. 70. 1. רקת היא טבריא *Rakkath est Tiberias*, inquiunt *Gemaristæ Hierosolymitani*. Atque idem, idque fusius, *Babylonici*, *Megill.* fol. 5. 2. & 6. 1. וקיימא לן רקת זו טבריא *Constat nobis Rakkath esse Tiberiada*. Cumque, post paucas lineas interjectas, objiceretur hoc *Rabbi Jochananis*, „*Cum puer essem, rem quandam dixi, de qua* „ *interrogavi Seniores, atque inventum* „ *est sicut dixi, quod scilicet Chammath* „ *est Tiberias; & Rakkath Zipporis:* sic tandem concluditur, *Rabba dixit, Quisnam est, cui dictum est, quod Rakkath non sit Tiberias? Nam, ecce, cum moritur quis hic*, (in *Babylone*) *cum illic* (*Tiberiade*) *deplorant hoc modo. Feretrum viri clari in Shesbach* (*Babylone*) *defuncti, cujus nomen etiam celebre est in Rakkath, huc affertur: eum sic plangite. O amatores Israelis, O Cives Rakkath, prodite & deflete mortuos Babylonis. Cum quiesceret anima R. Zeiræ, sic eum deflevit quidam, Delicias concepit peperitque terra Babylonica, eas enutrivit terra Israelitica: væ sibi, inquit Rakkath; quia deliciarum suarum vasa perdidit. Dicit ergo Rabba, Chammath est eadem cum Thermis Gadar, & Rakkath est Tiberias.*

Contigua mari stetit hæc civitas, ita ut ab uno latere mare ei esset pro muro. Hinc illud, loco jam citato, *Rabb Hezekiah legit librum Esther, Tiberiade die decimo quarto*, ( mensis *Adar* ) *atque etiam die decimo quinto*, ( vide *Esth.* 9. 21. ) *dubitans num muris cincta esset a diebus Josuæ, necne. Quis autem hoc dubitaret de Tiberiade? cum scriptum sit*, Et civitates munitæ Ziddim, Zer, Chammath, Rakkath & Chinnereth. *Constat autem nobis, Rakkath esse Tiberiada. Ratio ergo, cur ille dubitaret, hæc erat, quod ab uno latere cincta esset mari pro muro. Si autem sic erat, quare dubitaret? Quia plane non erat murus. Cum Traditio sic se habeat*, אשר לו חומה ולא שור אינר סביב *Civitas, cui est murus & non mœnia, domus contiguæ sunt pro mœnibus.* פרט לטבריא שימה חומתה *Excipitur autem Tiberias, cui mare est pro muro.* Ita etiam *R. Simeon Ben Jochai* in *Gemara Hierosolymitana* modo allegata: *Inter urbes*, inquit, *muris munitas Tiberias excipitur, quippe cui mare est pro muro.*

Quam fortunam subierit hæc civitas sub nomine *Rakkath*, in tenebris latet. Nomen *Tiberiadis* imposuit *Herodes Tetrarcha*, urbemque condidit in gratiam & memoriam *Tiberii Cæsaris*, *Joseph. Antiq.* lib. 18. cap. 3. Cujus Etymologiam dum aliunde deducunt *Gemaristæ*, nempe vel a טוב ראיה, *quod pulchra esset aspectu*, vel שבטיבורה, *quod in umbilico esset, &c.* ingenio luxuriante lusitare videntur potius, quam rei ipsius ignoratione laborare.

## CAP. LXXIII.

### *De situ Tiberiadis.*

CUm *Plinium* lego de urbis hujus situ, cumque eo quædam confero, quæ dicuntur a *Josepho* & *Talmudicis*, non possum non animo hærere dubius, quid hic statuendum. Sic de eo *Plinius*, *Natur. Histor.* lib. 5. cap. 15. *Amœnis circumseptus* (lacus *Gennesaræ*) *oppidis: ab Oriente Juliade & Hippo; a Meridie Tarichæa, quo nomine etiam aliqui lacum appellant; ab Occidente Tiberiade, aquis calidis salubri.*

Consule Tabulas, sitamque apud eas *Tiberiada* vides quasi in medio littore *Maris Gennesaritici*, æqui-distantem fere ab extremis oris maris, Australi, & Boreali. Quod bene convenire qui-

dem cum *Plinio* videtur, eſt ægre cum *Joſepho* & ſuis.

I. Aſſerit Joſephus *Hippon* ( in *Peræa* ) diſtitiſſe a *Tiberiade* triginta tantum ſtadiis.

Nam, in *vita ſua*, pag. 650. *Juſtum* quendam *Tiberienſem* alloquens, ſic ait, Ἡ δὲ σὴ πατρὶς ὦ Ἰῦστε, κειμένη ἐν τῇ Γεννησαρίτιδι λίμνῃ ἀπέχουσα μὲν Ἵππου τριάκοντα στάδια, &c. Aſſerit autem idem, (quod adduximus ante) latitudinem *Maris Genneſaritici* fuiſſe ſtadiorum quadraginta. Quanam ergo ratione totum *Mare Genneſariticum* interponunt Tabulæ inter *Tiberiada* & *Hippon*? Lege iſta apud *Joſephum*; intuere Tabulas, & judica.

II. Dicit idem *Joſephus* de eodem, *Juſto*, in *vita ſua*, pag. 628. Ἐμπίμπρησιν ὁ Ἰοῦστος τάς τε Γαδαρηνῶν καὶ Ἱππηνῶν κώμας. Αἱ δὲ μεθόριοι τῆς Τιβεριάδος, καὶ τῆς τῶν Σκυθοπολιτῶν γῆς, ἐτύγχανον κείμεναι. Nota, ut *Gadarenorum* atque *Hipponorum oppida* dicantur μεθόριοι, *contermina Tiberiadi*; quod certe conſiſtere non poteſt, ſi interpoſitum ſit totum mare, quod a Tabulis interponitur.

III. Quæ a *Talmudicis* de loci hujus ſitu diſcimus, non poſſunt produci, niſi obſervatis prius locis quibuſdam *Tiberiadi* vicinis, a quorum ſitu facilius erit de hujus judicare.

Nos interim hæc ex iis, ex prædictiſque, aſſerimus. Neceſſe eſſe, ut *Tiberiada* ſupponas ſitam, vel ad ipſum influxum *Jordanis* in lacum *Genneſariticum*, ab ora ſcilicet lacus Aquilonari, ubi Tabulæ collocant *Capernaumum* (male): aut ad effluxum *Jordanis* ex iſto lacu, ab ora ſcilicet lacus Auſtrali. Aſt ad influxum ejus ſtatuere eam non potes, quia dicit *Joſephus*, *Tiberiada* non diſtare a *Scythopoli*, niſi ſtadiis CXX. ( id eſt, XV. M. paſſ. ) jam vero lacus *Genneſariticus* ipſe erat longitudinis ſtadiorum C. Eratque *Scythopolis* limes ultimus *Galilææ* verſus Auſtrum, ut demonſtravimus ante.

Concludere ergo non veremur, *Tiberiada* ſitam fuiſſe ad ipſum effluxum *Jordanis* e lacu *Genneſaræ*, ad littus ſcilicet lacus Meridionale; ubi jam ſe iterum intra alveum ſuum recepit *Jordanes*. Patebit hoc e ſequentibus.

De punctatione ergo *Plinii* hæſitamus. De ea certe nobis non ſatiſfit, de eaque a nobis immutata minus certe aliis ſatiſfiet. At, bona cum venia, liceat hanc lectionem proponere; *Ab Oriente Juliade: & Hippo a Meridie. Tarichæa, quo nomine aliqui lacum appellant, ab Occidente. Tiberiade aquis calidis ſalubri*: quæ nec a ſtylo abhorret *Pliniano*, & bene convenit cum ſcriptoribus *Judaicis*; ſed doctis judicium ſubmittimus.

## CAP. LXXIV.

### חמת.

### Ἀμμαοῦς.

### חמי טבריא.

### *Thermæ Tiberiadis.*

CHemmath & *Rakkath* conjunguntur, *Joſuæ* 19. 35. Erant quippe civitates admodum vicinæ; *Rakkath*, *Tiberias*, & *Chammath*, חמי טבריא *Joſepho*.

De earum vicinitate ſic *Hieroſolymitani*, *Erubin*, fol. 23. 4. *Viri civitatis magnæ poſſunt ambulare* ( Sabbato ) *per totam civitatem parvam*, ( quæ erat intra iter Sabbaticum ) *aſt incolæ civitatis parvæ non ambulant per totam civitatem magnam*. Et deinde ſequitur. *Olim Tiberienſes incedebant per totam Chammatham; at Chammathenſes non tranſierunt ultra fornicem: at nunc Chammathenſes & Tiberienſes, conſtituunt civitatem unam.*

Et *Babylonici*, *Megillah*, fol. 2. 2. מחמתן לטבריא מיל *ab Chammath ad Tiberiada eſt milliare.*

Ibid. fol. 6. 1. *Chammath eſt Tiberias. Et quare dicitur Chammath?* עד שום חמי טבריא: *Propter Thermas Tiberiadis.*

Vocatur non raro חמת דגדר *Chammath Gadaræ*: non ſolum, quod viciniſſima foret regioni *Gadarenæ*, nam interponebatur tantum alveus *Jordanis*, ſed quod ab utraque ripa *Jordanis*, ut videtur, conderetur, binas partes conjungente ponte.

Idem, ibid. *Dixit Rabbah, Chammath eſt eadem cum Thermis Gadaræ, & Rakkath eſt Tiberias.*

*Hieroſol. Erubin*, fol. 23. 4. *Licuit, permittente R. Juda Naſi, Gadarenſibus deſcendere in Chammatham*, ( Sabbato) *atque redire in Gadaram: at Chammathenſibus non licuit aſcendere in Gadaram.*

En tibi *Tiberiada* tam vicinam *Chammathæ*, ut una fere cum ea eſſet civitas: *Chammatham*que tam vicinam *Gadaræ* regioni, ut nomen inde ſortiretur *Chammath Gadaræ*.

*Hieroſol. Shabb.* fol. 5. 4. & *Trumoth*, fol. 41. 1. *R. Samuel bar Nathan nomine R. Chamæ bar Chanina dixit, Ego & pater meus aſcendimus ad Chammath Gadaræ, & nobis appoſuerunt ova parva.*

Idem,

Idem, *Kiddushin*, fol. 64. 3. *R. Jonathan & R. Juda Nasi adierunt* חמתא דגדר. *Chammatham Gadaræ*.

Idem, *Avodah Zarah*, fol. 42. 1. & 45. 2. *R. Immai & R. Judan Nasi* ( nepos iste erat *R. Judæ Nasi* ) *adierunt Chammatham Gadaræ*.

De Thermis *Tiberiadis Talmudici* plurima. Excerpantur hæc pauca.

Idem, *Shabb.* fol. 3. 1. *R. Joshua ben Levi ægrotans aliquando lavit in Thermis Tiberiadis*, מסחי בההן דימוסין דטבריא *innixus humeris R. Chajiæ bar Ba.*

*Babylon. Sanhedr.* fol. 108. 1. *Tres Thermæ supersunt ab aquis diluvii*. I. בלועה דגדר *vortex Gadaræ* : lacus iste *Gadaræ* is forsan est, quo poto, ut refert *Strabo*, lib. 16. pecora pilos, cornua, atque ungues amittunt. II. עינה רבתי וביריס. *Fons magnus Biram* : de *Biram* vide *Babylon. Rosh Hashanah*, fol. 23. 2. linea prima. III. חמי טבריא *Thermæ Tiberiadis*.

*Hierosol. Shabb.* fol. 6. 1. התירו להן מי מערה וחמי טיבריא. *Permiserunt iis aquas Mearæ, & Thermas Tiberiadis.*

Ita & *Josephus*, in *vita sua*, *Scripsit ad me Joannes* ( *Gischalita* ) *ei ut permitterem, orans*, Χρήσασθαι τοῖς ἐν Τιβεριάδι θερμοῖς ὕδασι, *usum Thermarum, quæ Tiberiade.*

Ita & *Plinius* ante. *Tiberiade aquis calidis salubri.*

## C A P. LXXV.

### *G A D A R A.* גדר.

DUplex erat *Gadara*.

Una ad littus *Maris Mediterranei* : illa primitus *Gezer* est dicta, 1. *Reg.* 9. 15. *Josepho* Γάζαρα, *Antiq.* lib. 13. cap. 11. Κατεστρέψατο γὰρ Σίμων Γαζαρά τε πόλιν, καὶ Ἰόππην, καὶ Ἰάμνειαν : & libro 1. *Maccabaicon*, Cap. 14. 34. Καὶ Ἰόππην ὠχύρωσε πλὴν ἐπὶ τῆς θαλάσσης, καὶ τὴν Γάζαρα τὴν ἐπὶ τῶν ὁρίων Ἀζώτου.

Transiit tandem, pro Dialecti *Syræ* idiomate, ז in ד, & pro *Gazara* vocata est *Gadara*. Hinc *Strabo*, post memoratam *Jamniam*, lib. 16. pag. mihi, 878. Καὶ ἡ Γαδαρίς ἐστιν, inquit, εἶτ' Ἄζωτος καὶ Ἀσκάλων : & paulo post : *Gadarensis fuit Philodemus Epicureus, & Meleager, & Menippus* ὁ σπουδογέλοιος, & *Theodorus Rhetor*, &c.

At *Gadara* altera, quam nos quærimus, in *Peræa* erat, & *Perææ* Metropolis. Ἐλθόντων ἐπὶ τὰ Γάδαρα, μητρόπολιν τῆς Περαίας καρτεράν, verba sunt *Josephi*, *de bello*, lib. 4. cap. 26.

Distabat a *Tiberiade* stadiis sexaginta, eodem metiente, in *vita sua*, mihi pag. 650.

*Gaddaram Hieramace* ( ירמוך de quo ante ) *præterfluente*, & *jam dictum Hipponion.* Numerant quidam inter urbes *Decapolitanæ* regionis, *Plin.* lib. 5. cap. 18.

Ei adeo vicina erat & urbs alia, nomine *Cergesa*, ut ea, quæ *Marco* dicitur χώρα Γαδαρηνῶν, *Cap.* 5. 1. *Matthæo* fit χώρα Γεργεσηνῶν, *Cap.* 8. 28. quæ, an a *Girgasæis*, posteris *Canaanis*, nomen duxerit, an a natura soli argillacea, decernendum relinquimus doctioribus. *Chaldæus* certe עובי גרגשתא *lutum crassum* illud reddit, quod in *Hebræo* est מעבה האדמה, 1. *Reg.* 7. *v.* 46.

Ajunt *Hierosolymitani*, *Scheviith*, fol. 36. 3. *Girgasæos*, adventante *Josua*, & præconio edicente, *Qui hinc migrabit migret*, se contulisse in *Africam*.

## C A P. LXXVI.

### *M A G D A L A.*

PRope a *Tiberiade* & *Chammatha* erat *Magdala*. Vicinitatem earum hinc discas.

*Hierosol. Maasaroth*, fol. 50. 3. *Si homini sint duæ areæ, una in Magdala, altera in Tiberiade, fructus amovere licet ab ista in Magdala, comedendos in ista, in Tiberiade.*

Idem, *Scheviith*, fol. 38. 4. *Ob macella quædam in plateis Tiberiensibus adactus est R. Simeon ben Jochai locnm istum purificare. Et quicunque juxta Magdalam iter faceret, audire poterat vocem Scribæ, dicentis, Ecce, bar Jochai purificat Tiberiada.*

Idem, *Erubin*, fol. 23. 4. *Pastor quidam senex accessit, dixitque coram Rabbi, Memini ego Magdalenses ascendentes in Chammatham, perque totam Chammatham ambulantes* ( *Sabbato* ) *pervenientesque usque ad vicum extimum, usque ad pontem. Permisit ergo Rabbi, ut Magdalenses irent in Chammatham, & pergerent per totam Chammatham, procederentque usque ad vicum extimum, usque ad pontem.*

*Josephus*, in *vita sua*, de *Magdala* hæc. Πέμπει δ' ὁ βασιλεὺς Ἀγρίππας δύναμιν καὶ στρατηγὸν ἐπ' αὐτῆς Μαγδαλὰ τὸ φρούριον ἐξαιρήσοντας. Occurrit frequens memoria *Rabbinorum*, vel Scholarium *Magdalenorum*.

ר' יודן מגדליא *R. Judan Magdalenus*, *Hie-*

*Hierosol. Beracoth*, fol. 13. 1. & *Taanith*, fol, 64. 1.

ר׳ יצחק מגדלאה *R. Isaac Magdalenus*, *Babylon. Joma*, fol. 81. 2.

*R. Gorion* dicit, *Magdalenses interrogarunt R. Simeonem ben Lachish*, &c. *Hierosol. Megill.* fol. 73. 4.

Vocatur aliquando מגדל נדר. *Magdala Gadaræ:* quia erat trans *Jordanem*, *Babylon. Taanith*, fol. 20. 1.

## CAP. LXXVII.

### *HIPPO.* סוסיתם.

EAndem *Hippon* esse cum סוסיתה, apud *Talmudicos* merito opineris ex ipsa vocum significatione: at quære. Ejus hæc memoria.

*Hierosol. Scheviith*, fol. 36. 3. *R. Josua ben Levi dicit*, *Scriptum est*, *Et fugit Jephtah a facie fratrum suorum*, *atque habitavit in terra Tobb*, זו סוסיתה *quæ est Susitha*. Si *Græce* reddas, Ἱππηνή.

Repleta *Gentilibus* erat hæc civitas, mixtis tamen non paucis *Judæis*. Hinc illud, *Hierosol. Rosh Hashanah*, fol. 57. 4. *Si prodeant ambo testes e civitate cujus major pars constat e Gentilibus*, כגון הדא סוסיתה *sicut Susitha*, &c. Et, paucis lineis interjectis, *R. Immai circumcidit ex testimonio fœminarum quæ dixerunt*, *Sol erat super Susitham*. Nam non licuit circumcidere nisi interdiu.

Distabat *Hippo* a *Tiberiade* stadiis tantum triginta, *Josephus*, in *vita sua*, pag. mihi 650.

## CAP. LXXVIII.

### *Oppida quædam alia Tiberiadi vicina.*

בירת-מעון : כפר חיטיא : פלטתה :

INter oppida *Tiberiadi* vicina celebrantur præcipue apud *Josephum*, in *vita sua*, pag. 637. *Tarichææ*, urbs a *Tiberiade* distans triginta stadiis; ejus historiam & mentionem apud eum invenies frequentissimam.

Apud *Talmudicos* nomina etiam alia. בירת-מעון *Hierosol. Bava Mezia*, fol. 11. 2. *Tiberienses*, *qui Beth-Meonem ascenderunt*, *conducendi in operarios*, *conducti sunt secundum* morem *Beth-Meonis*: *Beth-Meonenses*, *qui descenderunt Tiberiada conducendi*, *conducti sunt secundum consuetudinem Tiberiadis*.

Vocatus est etiam hic locus, ut videtur, בירת-מעין. Agitur, in *Hierosol. Sotah*, fol. 17. 1. de oppido *Timnath*, de quo dicitur, quod *ascenderit Samson Timnatham*, alibique, quod *descenderit socer Samsonis Timnatham*: ita ut illuc fuerit *ascensio* & *descensio*. Concludit tandem *R. Aibu bar Nigri*, & *dicit*, *Similis est τῇ Beth-Mein*, *per quam descenditur a* Paltathah ; *at per quam ascenditur a Tiberiade*.

*Beth-Meon Josepho*, in *vita sua*, pag. mihi 629. est. Βηθμαὺς ἀπέχουσα Τιβεριάδος στάδια τέσσαρα. Collocant eam Tabulæ remotam inde nimis.

Erat etiam locus non longe a *Tiberiade*, aut *Magdala*, cui nomen כפר חיטיא. *Caphar Chittaia:* quod conjectari licet ex hac historia. *Hierosol. Horajoth*, fol. 47. 1. *R. Simeon ben Lachish sic dixit*, *Principem*, *qui peccat*, *flagellant in consessu triumvirali*. *Audiens hæc R. Judah Nasi*, *iratus est*, *misitque*, *qui eum apprehenderent*. *Fugit autem ille extra Magdalam*. *Dicunt autem quidam*, *Extra Caphar Chittaiam*. Idem, *Megillah*, fol. 70. 1. *Ziddim* (*Josuæ* 19. 35. ) *est Caphar Chittaia*. *Zer est ei vicina*.

## CAP. LXXIX.

### *Regio Gennesaritis.*

EAm sic describit, *de bello*, lib. 3. cap. 35. *Extenditur juxta lacum regio ejusdem nominis Gennesar*, *naturæ mirandæ*, *atque amœnitatis*. *Nullam enim plantam negat propter fertilitatem ejus*, &c. *Temperamentum aeris congruit etiam fructibus differentibus* : *ita ut hinc floreant nuces*, *fructus magis hyemalis* ; *illinc palmæ*, *quæ æstu nutriuntur* : *&* *juxta eas ficus & olivæ*, *quibus aer clementior*, &c.

Paria de loci hujus fertilitate ac amœnitate *Talmudici*.

*Aruch*, in גנסר. *Dicunt Rabbini*, *Quare vocatur Gennesar ?* גני סרים *Ob hortos Principum*. *Isti sunt magnates*, *quibus eo loci erant horti*. *Fuitque e portione Nephthali* ( verba sunt autoris *Aruch* ) *sicut dicitur* ; Atque e Nephthali Principes mille.

Memorantur fructus *Gennesaritici* nobili fama. *Babylon. Pesach.* fol. 8. 2. *Quare* ( inquiunt ) *non sunt e fructibus Gennesariticis Hierosolymis ? Ne dicant scilicet accedentes ad festa*, *Non venissemus*, *nisi ad comedendum fructus Gennesariticos*.

In eodem *Talmude*, *Glossa in Beracoth*, fol. 44. 1. Ubi disputatur quænam pars nobilior cibi, salsum quid, an

an buccella, concludituque, ſalſum præferri, ac ſuper eo gratias agendas, inducitur mentio fructuum *Genneſariticorum*, חשובים מן הפרת quæ præferuntur etiam buccellæ.

Hinc mentio *Tentorii Genneſaritici* סכרת גנוחר : *Maaſaroh*, cap. 3. hal. 7. Id eſt, ut Gloſſa, *Cum Genoſar, quæ & Chinnereth, hortis nobilibus abundaret, umbracula, vel tentoriola quædam confecerunt, pro tempore iſto, quo colligebant fructus.*

Longitudo fœcundiſſimi hujus ſoli, juxta littus maris extenſi, erat non niſi ſtadiorum XXX. & latitudo ſtad. XX. *Joſeph.* ubi ante. וי"ם מקום קרוב לטבריא ויש בו גנות ופרדסים *Et dicunt expoſitores* (ſunt verba *Aruch*, ubi ante) *quod eſt locus vicinus Tiberiadi, in quo ſunt horti & Paradiſi*. Notetur illud, *Eſt locus vicinus Tiberiadi*.

## CAP. LXXX.

## *CAPERNAUM.*

Ex noviſſime dictis conjecturam non explodendam habemus de ſitu oppidi *Capernaumi*.

Refert *Joſephus, de bello*, lib. 3. cap. 35. regionem *Genneſar*, quam deſcripſimus, rigatam fuiſſe Πηγῇ ποτιμωτάτῃ, Καπερναοὺμ αὐτὴν οἱ ἐπιχώριοι καλοῦσι· *Fonte dulciſſimo, quem accolæ Capernaumum vocant*. Ab eo aut urbi nomen, aut potius ei ab urbe, iſtique ab amœnitate loci. Nam urbem hanc in *Cenneſaritide* ſitam fuiſſe clarum faciunt *Evangeliſtæ* collati. Cum enim a *Matthæo* & *Marco* dicatur, *Chriſtum* transfretantem a deſerto *Beth-ſaidæ* appuliſſe ad regionem *Genneſareth*, *Matth.* 14. 34. *Marc.* 6. 53. liquet ex *Joanne*, appulſum iſtum fuiſſe ad *Capernaumum*, *Joann.* 6. 22. 24. 25. Cum ergo regio iſta amœniſſima vicina *Tiberiadi* adjaceret, in eaque foret *Capernaum*, non admodum remotam eam a *Tiberiade* neceſſe eſt ut arbitremur.

Erat ea παραθαλασσία, ἐν ὁρίοις Ζαβουλὼν καὶ Νεφθαλείμ, *Matth.* 4. 13. Non quod ea utriuſque eſſet terminus, ſed quod intra fines *Zabuloniticos* & *Nephthaliticos* foret, ex antitheſi poſitis iis ad reliquas partes *Galilææ*. Sic μεθόρια Τύρου καὶ Σιδῶνος, *Marc.* 7. *v.* 24. non centrum iſtud denotant, ubi ſe partiuntur ditiones *Tyri* a ditionibus *Sidonis*; ſed *fines Tyro Sidonios*, ut diſtinctos a finibus *Galilææ*. Nec longe tamen quidem diſſita erat hæc civitas ab ipſo limite, ubi ſe mutuo contigerunt fines *Zabulonitidos* & *Nephthaliticæ*, prope oram ſcilicet *Genneſaritici* maris Auſtralem, quod obſervavimus ante.

Nos *Capernaumum* inter *Tiberiada* & *Tarichæas* ſitam ſupponimus. An Κεφαρνώμη, apud *Joſephum*, in *vita ſua*, pag. 654. eadem cum hac fuerit, quærimus.

## CAP. LXXXI.

### *Hiſtoria aliqua Tiberiadis.*

### *Conſcriptum illic Talmud Hieroſolymitanum: quando.*

Condita eſt *Tiberias* ab *Herode Tetrarcha* in honorem *Tiberii*: idque in communi cœmiterio, vel in loco ubi fuerant plurima ſepulchra: hinc omnimoda ſuaſione, illecebris, & beneficentia uſus eſt conditor, ut invitaret incolas, *Joſeph. Antiq.* lib. 18. cap. 3. Amœniſſimus, ut videtur loci ſitus eum impulit, ut cum tali difficultate, ac incommodo luctaretur potius, quam tam delectabili ſolo & ſede non frueretur: nam hinc alluens mare, illinc præterlabens intra modicum ſpatium *Jordanes*, iſtinc *Thermæ Chammath*, atque ab alio latere adjacens regio fertiliſſima *Genneſaritis*, urbem hanc, cum conderetur, amœnitate undique cinxit, & deliciis.

Crevit ea in dies in ſplendorem, ac evaſit tandem in primariam civitatem, non ſolum *Galilææ*, ſed & totius terræ *Iſraeliticæ*. Honorem hunc adepta eſt, ob tralatam illuc Academiam a *Rabbi Juda*; & continuatam illic, per plurima ſecula. Nobilitata fuit juxta *Babylon. Beracoth*, fol. 30. 2. tredecim Synagogis, (inter quas כנישתא עתיקתא דסרונגין *Antiqua Synagoga Serongiana*, *Hieroſol. Kilaim*, fol. 32. 2.) Synhedrio illic conſidente: collecta, forte hic a *R. Juda*, *Miſchina Talmudica*, conſcripto certe ibidem *Talmude Hieroſolymitano*. Volumen illud ipſum locum editionis ipſius aperte loquitur; in quo vocabula הכא *hic*, & להכא *huc*, *Tiberiada* planiſſime deſignant, locis fere infinitis. At de tempore major eſt controverſia: inter doctos plurimos conſenſum eſt, conſcriptum fuiſſe hoc *Talmud* circa annum *Chriſti* 230. quod equidem miror, cum in eo occurrat, ni ego quamplurimum fallar, mentio Imperatoris *Diocletiani*.

Liceat loca annotare.

*Beratoch*, fol. 6. 1. בר סליק דוקליטינוס מלכא

מלכא להכא *Cum huc ( Tiberiada ) accederet rex Docletinus , viderunt R. Chajiam bar Abba ſcandentem ſepulchrum , ut cum videret* . Repetitur hæc hiſtoria in *Nazar* , fol. 56. 1. & vocatur is illic דוקלינוס errore , ut videtur , librariorum .

*Kilaim* , fol. 32. 2. דיקליפינוס הקורה נהרות ועשאו *Dicletinus congregavit fluvios , & confecit mare Apamiæ* . Recitatur & hæc hiſtoria *Chethuboth* , fol. 35. 2. atque illic vocatur דוקליטיאנוס *Docletianus* .

*Joma* , fol. 41. 4. דוקלטינוס היה לו זהב משקל דינר נורדינון שחוט *Docletino fuit aurum puriſſimum , uſque ad pondus denarii Gordiani* .

*Scheviith* , fol. 34. 4. דוקליסיאנוס כד נחרת תמן נחרת עימיה קכ' רבוון *Cum illuc acceſſit Docletianus , acceſſit cum* 120. *myriadibus* .

*Trumoth* , fol. 46. 2. 3. דיקלוט חזירא מחוניה טליי דר' יודה נשייא *Pueri R. Judæ Principis ictibus contuderunt Diclot , porcorum cuſtodem . Evaſit ille tandem Rex , accedenſque Paneada , accerſivit Rabbinos , &c. Dixit iis , Ideo , quod Creator veſter pro vobis operatur mira , vos dominium meum contemmitis* . אמרין ליה דיקלוט חזירא בזינן דיקליטיאנוס מלכא לא בזינן *Cui illi , Nos Diclos porcarium contemſimus , Diocletianum Regem non contemnimus* . Hinc orta doctis nonnullis ſuſpicio , hoc non de *Diocletiano* Imperatore intelligendum ; ſed de Regunculo neſcio quo ſordidiſſimæ originis : quod & ego aliquando ſum opinatus , donec aliquid tandem mihi occurrit , unde res extra omnem aleam videtur poſita . Illud reperis in

*Avodah Zarah* , fol. 39. 4. Quæritur illic a quodam מהו דצור ירידה אהן *Quid de foro Tſur ?* Eſt illic inſcriptio , אנא דיקליטיאנוס מלכא שבנית אהן ירידה דצור לנריה דארקלים אחי תמניא יומין *Ego Diocletianus Rex hoc forum Tuſor ( vel Tyri ) condidi fortunæ fratris mei Herculii octoginta diebus* . ארקליס *Herculium* reddere & ſonus ipſe ſuadet , & conſonantia hiſtoriæ *Romanæ* , e qua quam propinqua cognatio fuerit inter *Diocletianum* & *Maximianum Herculium* omnibus eſt notum .

*Diocletianum Palæſtinam* peragrantem , memorat *Euſebius* , *de vita Conſtant.* lib. 1. cap. 13. ſordidaque ac humilia ejus incunabula *Romani* hiſtorici omnes , quæ apprime cum his , quæ a *Talmudicis* referuntur , conveniunt .

Hi ſunt omnes loci , ni multum fallar , ubi in hoc *Talmude* hoc nomen occurrit uno tantum excepto , quem huc rejeci , eo quod , poſt detectum ex his , hunc fuiſſe *Diocletianum* Imperatorem , numerentur etiam aliquot anni poſt eum excurrentes . Is locus eſt in *Scheviith* , fol. 38. 4. דיקליטיאנוס אעיק לבני פנייס *Diocletianus afflixit Paneadenſes . Dixerunt ergo ei , Nos hinc diſcedemus : at dixit ei* סופיסטה *Sophiſta quidam , Aut non diſcedent , aut , ſi diſcedunt , redibunt : ſi autem de hac re vis experimentum , adducantur capreoli aliqui , atque in locum longinquum mittantur , atque illi tandem ad locum ſuum revertentur . Ille ita fecit : nam adducti ſunt capreoli , quorum cornua deauravit , ac miſit in Africam : illi autem poſt triginta annos redierunt ad locum ſuum* . Adverte , triginta annos ab actione hac *Diocletiani* elapſos : quos ſi vel a primo ejus anno numeres , ſcriptamque hanc hiſtoriam ſupponas anno iſtorum triginta ultimo , ad nonum aut decimum pervenis *Conſtantini* .

Occurrit etiam mentio *Regis Saporis* , ſi me non fugiat vera lectio . *Nedarim* , fol. 37. 4. והא חויה דשבור מלכא בלע גמלין *Serpens ſub Sapore Rege devoravit camelos* . Imo oritur mihi neſcio quæ ſuſpicio לוליינוס מלכא *Regem Lulianum* , de quo mentio ipſiſſimo iſthoc loco , *Julianum Imperatorem* denotare . *Cum illuc accederet* , inquiunt , *Lulianus Rex , comitatæ ſunt eum* 120. *myriades* . Sed de hoc ſatis .

Sunt , qui punctata *Biblia Sacra* credunt a Sapientibus *Tiberienſibus* . Ego impudentiam *Judæorum* , qui fabulam invenerunt , non miror ; *Chriſtianorum* credulitatem miror , qui applaudunt . Recognoſce , quæſo , nomina *Tiberienſium* , a ſita illic primum Academia ad eam exſpirantem : & quidnam tandem invenis , niſi genus hominum , præ *Phariſaiſmo* inſaniens , Traditionibus faſcinans & faſcinatum , cœcum , vafrum , delirum ; ignoſcant , ſi dicam Magicum & monſtroſum ? Ad opus tam divinum homines quam ineptos , quam impotes , quam ſtolidos ! Perlege *Talmud Hieroſolymitanum* , & nota qualiter illic ſe habent *R. Juda* , *R. Chaninah* , *R. Judan* , *R. Hoshaja* , *R. Chaija Rubba* , *R. Chaija bar Ba* , *R. Jochanam* , *R. Jonathan* , reliquique inter *Tiberienſes* grandiſſimi Doctores , quam ſerio nihil agant , quam pueriliter ſeria , quanta in ipſorum diſputationibus vafrities , ſpuma , venenum , fumus , nihil : & ſi punctata fuiſſe *Biblia* in iſtiuſmodi Schola potes credere ; crede & omnia *Talmudica* . Opus Spiritus Sancti ſapit punctatio *Bi-*

*Bibliorum*, non opus hominum perditorum, excœcatorum, amentium.

*R. Juda*, qui Academiam primus ad *Tiberiada* transtulit, sedit quoque in *Zippore* per multos annos, ibique obiit: ita ut utrobique forent Scholæ celeberrimæ. Composuit & compegit ille *Mischnajoth* in volumen unum. *Cum enim videret prolongationem captivitatis*, (verba sunt *Tsemach David*, vertente *Vorstio*) *& Discipulos pusillanimes redditos esse, ac defecisse vim Sapientiæ & Cabalæ, atque Legem oralem valde attenuatam esse, collegit & corrasit omnia Decreta, Statuta, & dicta Sapientum, quorum quodlibet sejunctum conscripsit, quod docuerat domus Senatus*, &c. *Et conscripsit illa sex classibus, quæ sunt Zeraim, Moed, Nezikin, Nashim, Kedoshim, Thaoroth.* Et paulo post, *Systema Mischnajoth ratum habuerunt & in se susceperunt omnes Israelitæ: & in iis occupati fuerunt in vita Rabbi in Schola terræ Israelis, duo filii ejus, Rabban Gamaliel & R. Simeon: atque R. Chaija, R. Oshaja, R. Chanina, & R. Joannes, eorumque socii. Et in Schola Babylonica iis operam navarunt Rabb & Samuel*, &c.

Examine ergo dignum est, unde ortæ fuerint differentiæ istæ inter *Mischnam Hierosolymitanam* & *Babylonicam*, in verbis infinitæ, in rebus quamplurimæ, quæ conferenti passim sunt obviæ. Exemplum signale habes in ipso *Hierosolymitanæ* limine, *Beracoth*, cap. 1. hal. 4. ubi deest historia de *R. Tarphone* periclitante inter fures, quæ in *Babylonica* adest.

An *R. Juda* Systema illud compegerit in *Tiberiade*; an in *Zippore*, solicite non inquirimus: in utraque sedit, ac utramque Scholis nobilibus ditavit; at præeminuit *Tiberias*. Nam ישיבת טבריא גדולה משל צפורי. *Major erat Academia* Tiberiensis, *quam Zipporitana; Glossa* in *Babylon. Sanhedrin*, fol. 32. col. 1.

## CAP. LXXXII.

## ZIPPORIS.

## צפורי.

JOsephus, *de Bello*, lib. 3. cap. 3. Σεπφωρις μεγίστη τῆς Γαλιλαίας πόλις, ἐρυμνοτάτω δὲ ἐπεκτισμένη χωρίω. *Zipphoris maxima urbs Galilææ, loco condita munitissimo.*

*Babylon. Megill.* fol. 6. 1. *Kitron* (*Judic.* 1. *vers.* 29. 30.) *est Zipphoris: & quare vocatur* צפורי *Zipporis? Quia monti insidet*, כצפיר *sicut avis.*

*Hierosol. Biccurim*, fol. 64. col. 2. & *Babylon. Megill.* ubi supra. *Sedecim milliaribus undiquaque a Zippore erat terra fluens lacte & melle.*

Celebrata est hæc civitas *Josepho* ob res bellicas, celebratissima *Talmudicis* ob Academiam illic statam, & rem literariam, quam huc contulit, ut diximus, *Rabbi Judah Sanctus*. Sedit ille hoc loci annis septendecim, frequentissimeque de seipso hoc dicere est solitus, *Vixit Jacobus in Ægypto annis septendecim, vixitque Judah in Zippore annis septendecim*, *Hierosol. Kilaim*, fol. 32. col. 2.

Sedit etiam in *Beth-shaaraim*, ut & *Tiberiade*: sed *Zippore* vitam clausit, *Juchasin*, fol. 2. col. 2. De ejus morte hæc historia, in *Hierosol.* ubi ante. *Dixerunt Zipporitani, Quicunque nobis dixerit, Rabbi esse mortuum, nos eum interficiemus. Intuitus est eos Bar Kaphra, capite lacernis velato, dixitque, Sancti homines, & Angeli, apprehenderunt tabulas fœderis, prævaluitque manus Angelorum, atque illi tabulas abripuerunt. Dixerunt ei, Num mortuus est Rabbi? Dixit ille, Vos dixistis. Sciderunt vestes suas ita, ut vox scissionis usque ad Papatham permearet, ad spatium scilicet trium milliarium. R. Nachman nomine R. Menæ dixit, Miracula facta sunt isto die. Cum omnes civitates congregarentur ad eum plangendum, idque vespera Sabbati, dies non declinavit, usque dum unusquisque se domum recepisset, utrem aqua implesset, atque candelam Sabbaticam accendisset. Bath Kol beatitudinem eum plangentibus pronuntiavit, unum solum excipiens, qui, exceptum se cognoscens, e tecto se præcipitem dedit atque obiit.*

*Glossa* in *Babylon. Sanhedrin*, fol. 47. col. 1. *Obiit Rabbi Judah in Zippore, at sepultura ejus in Beth-shaaraim; moriens ille in præceptis filiis dedit, Ne me ad sepulturam portantes ploretis in civitatibus parvis, per quas transibitis, sed in magnis*, &c. Quid tu ad hæc, o *R. Benjamin*? Tibi, in *Itinerario*, *Sepulchrum ejus est in Zippore in monte, ut & sepulchrum R. Chaijæ, & Jonæ Prophetæ*, &c. Controversiam compone tu cum patruele tuo citato.

Synagogæ plures erant in *Zippore*. In historia jam allata de morte *R. Judæ*, & sepultura mentio fit octodecim Synagogarum eum plangentium, sed num hæ omnes *Zipporitanæ* fuerint, an e locis aliis, merito quæritur. Erat certe.

*Hierosol. Berac.* fol. 6. col. 1. & *Nazir*, fol. 56. col. 1. כנשתא דגופנא דציפורין *Synagoga Gophnitica in Zippore*. Erat etiam כנשתא דבבל בציפורין. *Synagoga Babylonica in Zippore*. Idem, *Berac.* fol. 9. col. 1. & *Shabb.* fol. 8. col. 1. Sunt & nomina plurima Doctorum illic celebrium.

*R. Honna Rabba*; Idem, *Shekalim*, fol. 46. col. 1.

*R. Abudma*, *Zipporiensis*; Idem, *Niddah*, fol. 50. col. 2.

*R. Bar Kaphra in Zippore*; *Babylon. Sanhedrin*, fol. 91. 1.

*R. Chaninah Zipporiensis*: cujus memoria præ aliis frequentissima, *Hierosol. Maasar Sheni*, fol. 55. col. 4. *Shabb.* fol. 9. col. 2. *Trumoth*, fol. 45. col. 3. &c.

Controversia *Zippore* orta determinatur coram *R. Simeone ben Gamaliel* & *R. Jose*; *Bava Mezia*, cap. 8. hal. 8.

Inter plurimas, quæ adduci possent, historias in hac scena actas, nos has tantum in medium proferemus.

*Hierosol. Jebammoth*, fol. 15. col. 3. & *Sotah*, fol. 23. col. 3. *Facta est aliquando inquisitio in Zipporienses: illi ergo, ne cognoscerentur, panniculos super nares applicuerunt; at tandem sunt detecti*, &c.

*Babylon. Joma*, fol. 11. col. 1. *Quidam in platea superiori Zipporis de schedulis postibus domus affixis curans multabatur mille Zuzis*. Arguunt hæc persecutionem aliquam in *Judæos* in ista civitate excitatam.

*Hierosol. Trumoth*, fol. 45. col. 3. *Lanio quidam Zipporiensis Judæis vendidit carnes prohibitas, cadavera scilicet, & dilacerata: canes etiam furatus est, & carnem eorum vendidit. Vespera quadam Sabbati, post potum vinum, in tectum ascendens inde decidit, atque mortuus est. Accedentes canes sanguinem ejus linxerunt. Interrogatus R. Chaninah, Num abigendi canes? Nequaquam, inquit ille, nam comedunt de suo.*

*Hierosol. Horajoth*, fol. 48. col. 3. memorantur בולוטייא ופנגייא בצפורין. *Consiliarii & Pagani in Zippore*.

Itemque בני קצרה של צפורין. *Hierosol. Nedarim*, fol. 38. 4.

Distabat *Zipporis* a *Tiberiade*, referente *R. Benjamino* in *Itinerario*, ה׳ פרסאות 20. M. passuum.

Scriptum semel in *Talmude Hierosolymitano* suspiceris hanc urbem זיפורין: *Avodah Zarah*, fol. 41. col. 2. כשהלך ר׳ עקיבה לזיפורין. *Cum adiret R. Akiba Zipporim, adierunt eum, atque rogarunt, Num canthari gentilium sunt mundi?* Perpensione digna historia, si זיפורין *Zipporim* nostram denotet *R. Akibah* in *Zippori*. Mortuus is est, annos fere quadraginta ante translatam illuc Academiam. At Scholæ forte ibi ante Academiam.

Ter recitatur in isto *Talmude*, *Joma*, fol. 38. col. 4. *Megill.* fol. 72. 1. historia de *Ben Elam* מציפורין (semel scribitur בצפרים, *Horajoth*, fol. 47. col. 1.) qui, cum Pontifex summus, ob contractam die Expiationis immunditiam, munere istius diei fungi non posset, ipse ingressus est, & functus est.

## CAP. LXXXIII.

*Loca quædam Zippori confinia.*

שיחין . קצרה . ישנה

IN *Kiddušchin*, cap. 4. hal. 5. agitur de matribus Sacerdotum legitimis: inter alia dicitur, ne inquiratur ulterius, *Si pater ejus conscriptus fuit* בערכי הישנה של צפורי *in Catalogo Jeshanæ Zipporiensis*. Gloss. *Urbs fuit vicina Zippori, cujus nomen Jeshanah: atque in more fuit eos, qui judicando idonei fuere, conscribere*, &c. Ita, ut tam propinqua *Zippori* videatur hæc *Jeshanah*, ut illic reponerentur archiva *Zipporitana*.

II. *Erachin*, cap. 9. hal. 6. *Oppida munita a diebus Josuæ: Ketsarah antiqua, quæ pertinet ad Zipporim; & Chakrah, quæ pertinet ad Gush; Calab; & Jodaphath, (Jotapata) antiqua; & Gamala*, &c. Gloss. *Ketsarah est nomen urbeculæ extra Zipporim*: forte huc referendum est illud, quod citavimus ante, בני קצירה של צפורין.

III. *Hierosol. Nedarim*, fol. 38. col. 4. *Occurrit aliquando incendium in atrio Josi Ben Simai in Shihin, & descenderunt incolæ Ketsaræ, quæ pertinet ad Zipporim, ut illud exstinguerent: at ille non permisit, dicens, Sinite, ut exactor exigat debitum suum. Confestim collecta est supra illud nubes, & descenderunt pluviæ & extinctum est. Egresso Sabbato, misit unicuique eorum nummum.*

Meminit & *Josephus*, *in vita sua*, mihi pag. 653. Γαρισῖμης (*Garisimes*) distantis a *Zippore* stad. XX.

Item apud eum, *de Bello*, lib. 2. cap. 37. est Ἀσαμὼν, τὸ μεγαίτατον Γαλιλαίας ὄρος, ὃ κεῖται ἄντικρυς τῆς Σεπφώρεως.

CAP.

## CAP. LXXXIV.

אושא.

## USHA.

BAbylon. *Rosh hashanah*, fol. 31. 2. & *Juchas*. fol. 21. 2. *Migravit Synhedrium* מיבנה לאושא ומאושא לשפרעם *a Jabneh ad Usham, atque ab Usha ad Shepharaamam*. Glossa. *Ad Jabnen, in diebus Rabban Jochananis (ben Zaccai;) ad Usham in diebus Rabban Gamalielis: at redierunt ad Usba ad Jabnen; ast in diebus Rabban Simeonis reversi sunt*.

Rationem, cur illuc migraverit *Rabban Gamaliel*, non assequimur: quæcunque ea fuerit, sive turba aliqua a *Romanis* excitata, sive indignatio ob præfectum cum eo R. *Eliazarum ben Azariæ*, seu quævis alia, illic certe exigua erat mora, redeunte post aliquantum spatium ad *Jabnem* vel ipso *Gamaliele*, vel R. *Akiba*, qui cathedram ejus capessivit.

At post bellum *Hadriani*, mortemque in isto bello R. *Akibæ*, cum jam turbatior a *Romanis* esset *Judæa*, *Rabban Simeon*, *Gamalielis* istius filius, Præfecturam post *Akibam* excipiens, a *Jafne* ad *Usham* cum Synhedrio commigravit, nec reversum est unquam postea ad *Jafnem*.

Memorantur a *Talmudicis* quamplurima transacta *Ushæ*. *Hierosol. Scheviith*, fol. 39. 2. *Cum intercalarent annum in Usha, die primo, prostitit R. Ismael, filius R. Jochananis ben Brucha, dixitque secundum verba R. Jochananis ben Nuri. Dixit Rabban Simeon ben Gamaliel, Non soliti sumus sic facere in Jafne. Die secundo Ananias, filius Josi Galilæi, dixit secundum verba R. Akibæ. R. Simeon ben Gamaliel dixit, Sic soliti sumus in Jafne*. Recitatur hæc historia in *Rosh hashanah*, fol. 58. 3. & fol. 59. 3. & *Nedarim*, fol. 40. 1.

Idem, *Chetbub*. fol. 28. 4. Vide & *Peah*, fol. 15. 2. *In Usha decretum est, ut nutriat homo parvulos suos: ut, si homo bona sua filiis concedat, nutriatur ipse & uxor ex iis, &c.*

Determinabatur etiam in *Usha* de comburenda *Truma* in casibus dubiis quibusdam; de quibus vide *Babylon. Shabb*. fol. 15. 2.

Sed, ne prolixiores simus, pro coronide sit hæc historia. *Babylon. Sanhedr*. fol. 14. 1. *Decrevit aliquando regnum impium (Romanum) persecutionem contra Israelem: ut scilicet omnis ad Presbyteratum quemvis promovens interficiatur, atque omnis promotus interficiatur, atque ut civitas, in qua quis promovetur ad Presbyteratum, vastetur, atque ut limites, intra quos fit ista promotio, eradicentur. Quid fecit Baba ben Judah? Profectus est, atque sedit inter duos montes magnos, atque inter duas urbes magnas, atque inter duos limites Sabbaticos*, בין אושא לשפרעם, *Inter Usham & Shepharaamam, atque ordinavit quinque Presbyteros, scilicet, R. Meir, R. Judam, R. Simeonem, R. Josi, & R. Eliezar ben Simeon. Rabb Oia etiam addit R. Nehemiam. Cum hoc notum esset inimicis eorum: dixit suis, O filii mei, fugite: dixerunt ei, Rabbi, quid de te fiet? Dixit iis, Ecce, ego projectus sum coram iis sicut lapis, cui non sunt motores. Dicunt, quod non inde recesserunt, donec ei infixissent trecenta spicula ferrea, eumque fecissent cribro similem*.

## CAP. LXXXV.

### *Arbel. Shezor*.

תרנגולא עילאה.

JOseph. *Antiq*. lib. 12. cap. 18. Ἄρβηλα πόλις τῆς Γαλιλαίας. De ea mentio *Hoseæ Cap*. 10. 14. At sunt qui varie admodum locum istum interpretantur: scil. *Chaldæus Paraphrastes*, R. *Solomon*, *Kimchi*; quos vide.

Erat inter *Zipporim* & *Tiberiada*, *Juchas*. fol. 65. 1.

Inde *Nittai Arbelites*, qui Præfecturam gessit cum *Josua ben Perabiæ*, *Avoth*, cap. 1. hal. 6.

בקעת ארבל *Vallis Arbelis* memoratur a *Talmudicis*, *Hierosol. Taanith*, fol. 69. 2.

Ita etiam סאה ארבלית. *Modius Arbelitanus*, *Hierosol. Peah*, fol. 20.

*Juchas*. fol. 68. 1. *Prope Zephath in superiori Galilæa erat oppidum, nomine Shezor*, שזור, *unde R. Simeon Shezori: ibi ille sepultus. Memoria etiam est R. Ismaelis Shezorei, qui forte fuit ejus frater*.

In Schemate isto, quod initio hujus operis exhibuimus, e *Gemaristis Hierosolymitanis*, limites terræ sub Templo secundo delineantibus, observas inter alia locorum nomina mentionem loci, qui vocatur תרנגולא עילאה דלמעלה מן קיסרין. Ego reddo, *Geber*, vel *Gabara*, *superior, quæ supra Cæsaream*. Quare תרנגולא reddam *Geber*, facillime percipient versati in *Talmudicis*, quippe qui-

quibus *Gallus Gallinaceus* indifferenter vocetur, *Chaldaice* תרנגולא, & *Rabbinice* גבר. Nec deest exemplum versionis nostræ: nam *Targum Jonathanis* in *Num.* 33. 35. 36. *Ezion Geber* reddit כרך תרנגולא: meminitque ipse ipsissimum hunc locum, de quo agimus, *Num.* 34. 8. תרנגולא עד קיסרין. Et *Targum Hierosolymitanum*, ibi, תורנגלא דקיסריון. *Cæsarea* autem ista, quam volunt, est *Cæsarea Philippi*, quæ ad fontem *Jordanis*: *Gabara* autem ista vocatur תרנגולא עילאה, *Gabara superior*, distinctionis ergo, ab aliis ejusdem nominis civitatibus. *Josephus in vita sua*, pag. 634. & 640. T*iberiada*, *Sipphorim*, & *Gabaram*, vocat tres maximas urbes *Galilææ*. Memorat etiam *Ibid. pag.* 642. Γαβαρὼθ κώμην, & *Ibid. pag.* 628. Γαβαραγανάιυς, qui ab eo cum *Gadarenis*, & T*yriis* connumerantur.

*Hierosol. Demai*, מתרנגול קיסרין *A Gabara Cæsareæ, & inferius, sicut terra Israelitica*, quoad *Demai*.

## C A P. LXXXVI.

*Discrepantia morum quorundam Galilæorum a Judæis.*

QUibusnam incolis primum a reditu *Babylonico* plantatæ fuerint *Galilæa* & *Peræa*, non injusta est quæstio, cum apud libros *Ezræ* & *Nehemiæ* de his mentionem vix reperias, sed de iis solum, qui *Judæam* incoluerunt & *Benjamitidem*. At quicunque illi fuere, sive puri *Israelitæ*, sive maculosiores, sive aliqui e decem Tribubus; multum certe quibusdam ritibus, & non parum linguæ Dialecto, diversi fuerunt *Galilæam* habitantes ab habitantibus *Judæam*.

Discrepantiam inter hos variam observant Pandecta *Judaica*: quibus hæc pauca producimus exempla, vice plurium.

*Hierosol. Chetbub.* fol. 29. 2. agitur de forma & modo scribendi donationem dotalem: *Sic & sic*, inquiunt, *scripserunt Hierosolymitani, & Galilæi etiam scripserunt sicut Hierosolymitani: ast incolæ Judææ aliquid variarunt, &c.* Ubi *Gemaristæ*, *Galilæis curæ fuit de fama, non de nummo: incolis Judææ curæ fuit de nummo, non de fama*, &c.

*Pesachim*, cap. 4. hal. 5. *Dicunt Sapientes. In Judæa opera servilia fecerunt vesperis Paschatis, usque ad meridiem, in Galilæa non omnino.*

*Nedarim*, cap. 2. hal. 3. חא" סתם תרומה ביהודה אסורה ובגליל מותרת *Sapientes dicunt, Generale Trumæ in Judæa ligatur, in Galilæa solvitur*, שאין אנשי גליל מכירין תרומת הלשכה *nam Galilæi non norunt Trumam Pastophorii.* Sensus Traditionis hic est. Cum quis votum generalibus terminis enuntiaret, sic dicendo, Hoc mihi esto sicut *Truma*, non nominata quali *Truma*, *Galilæus* sic dicens a voto solutus erat, quia ille præ distantia loci (ut Glossa) non novit *Trumam* thesauri sacri: at *Judæam* habitans sic dicens voto ligabatur.

Additur & eodem Textu, סתם חרמים ביהודה מותרין ובגליל אסורין. *Si generaliter quis vovet per Anathemata, in Judæa solvitur; in Galilæa ligatur, quia Galilæi non norunt Anathemata Sacerdotum*. Ubi Glossa. *Non erant inter Galilæos Sacerdotes: cum Anathematizarent ergo, Anathematizarunt nonnisi Deo.* Et *Gemara Hierosolymitana*. *Quia assueti illi erant Anathemati Achanis, dicitur quod ligantur: ast in Judæa, quia non assueti erant Anathemati Achanis, dicitur quod solvuntur*.

Tosapht. ad *Chetub.* cap. 1. *Dicit Rabbi Judah. in Judæa examen habuerunt de sponso & sponsa tribus diebus ante nuptias; at in Galilæa non ita. In Judæa permiseruut privatum consortium sponso cum sponsa per horam unam ante nuptias; at non sic in Galilæa. In Judæa mos fuit, ut essent duo* שושבינין *amici maritatorum, unus e fœmina sponsi, alter e familia sponsæ; ast non sic in Galilæa. In Judæa amici isti dormierunt eodem loco, ubi dormierunt sponsus & sponsa: at in Galilea non ita, &c.*

## C A P. LXXXVII.

*Dialectus Galilæorum discrepans a Judaica.*

A'ληθῶς καὶ σὺ ἐξ αὐτῶν εἶ, καὶ γὰρ ἡ λαλιά σου δῆλόν σε ποιεῖ, *Matth.* 26. 73. Pro commentario hæc sunto, quæ traduntur a Magistris.

*Babylon. Erubin*, fol. 53. *Hominibus Judææ, qui accurati fuerunt in lingua sua, confirmata est Lex eorum in manibus ipsorum: hominibus Galilææ, qui non accurati fuerunt in lingua sua, non confirmata est Lex eorum in manibus ipsorum*. Glossa. *Accurati fuerunt* (homines *Judææ*) *in lingua sua, ut loquerentur sermone, non sordido*.

*Hominibus Judææ, qui de lingua sua sunt accurati, & statuunt sibi certa signa, confirmata est Lex eorum in manibus ipsorum: hominibus Galilææ, qui de lin-*

*lingua sua non sunt accurati*, *nec statuunt sibi signa*, *Lex eorum non confirmata est in manibus ipsorum*. Glossa, *Accurati fuerunt de lingua sua*, *eadem scilicet verba reddendo*, *quæ audierant a Magistris suis*: *& quoniam oraliter sunt edocti*, *auditione post auditionem*, *statuerunt sibi de iis signum post signum*: *ideoque*, *quia erant accurati de lingua sua*, *norunt sibi signa apta statuere*, *ne oblivis cerentur*.

*Homines Judææ discunt ab uno Magistro*, *& Lex eorum confirmatur in manibus ipsorum*: *Galilæi non discunt ab uno Magistro*, *& Lex eorum non confirmatur in manibus ipsorum*. Glossa. *Galilæi audierunt a Magistro uno lingua una*, *ab alio alia*, *& diversitas linguæ*, vel *enuntiationis*, *eos confudit ita*, *ut oblivi scerentur*. Et paulo post.

*Dixit R. Abba*, *Si interroget quis homines Judææ*, *qui accurati sunt de lingua sua*. מבבריץ תנן או מעבריץ תנן *Num* מעבריץ *dicunt cum* ע *an* מאבריץ *cum* א? *Num* עבוזו *an* אבוזו? *Respondebunt*, *Sunt*, *qui* מאבריץ *proferunt* (cum א), *suntque*, *qui* מעבריץ (cum ע). *Sunt*, *qui* אבוזו, *& sunt*, *qui* עבוזו. Et paulo post.

*Galilæus quidam dixit*, אמר למאן אמר *responderunt ei*, *O Galilæe fatue*! חמר למירכב: עמר למילבש: חמר למישתי: אימר לאיתכסארה. Sensus est, cum *Galilæus* quæreret אמר למאן *Cujusnam est* אמר? Literam primam in voce אמר tam vage & incerte pronuntiavit, ut nescirent auditores, an חמר vellet, id est, *asinum*; an חמר, id est, *vinum*; an עמר, id est, *lanam*; an אימר, id est, *agnum*.

*Galilæa quædam*, *cum vicinæ sua dicere oporteret*, תאי דאוכליך חלבא *Veni*, *& ego præbebo tibi lac* (vel *pingue* aliquid) *comedendum*, *dixit*, אמיליה שלוכתי תוכליך לבא Glossa. *Literas non distinxit*, *sed confudit*: *nam*, *cum dicere oporteret* שלובתי *eum* ב, *quod vicinam denotat*, *dixit* שלוכתי *cum* כ *Caph. Pro* תאי דאוכליך חלבא, *Veni*, *& cibabo te lacte*, *dixit* תוכליך לבא, *quod imprecationem sonat*, *id est*, *devoret te leo*.

*Mulier quædam coram Judice dixit*, מרי כירי תפלא הות לי וגנבוך מיך וכדו הות דכד שדרו לך עילוה לא מטי כרעיך אארעא Illud, quod dicere voluit, hoc fuit, Δεσπότα Κύριε, *Tabula mihi fuit*, *quam furati sunt*: *eaque tanta fuit*, *ut si te in eam collocarent*, *non attingerent pedes tui terram*. Ast ea pronuntiatione sua rem ita fœdavit, ut, interprete Glossatore, hunc sensum proferret, *Domine*, *serve*, *tignum mihi fuit*, *& te furati sunt*: *fuitque illud tam magnum*, *ut si te in illo suspenderent*, *non attingerent pedes tui terram*.

Vides inter alia, in Dialecto hac *Galilæa*, confundi admodum pronuntiationem gutturalium, quam utcunque corrigant in verbis allegatis *Judæi*; ipsis tamen non erat infrequens, ita ut *non distinguerent doctores mystici inter Cheth & He*. Verba sunt *Hierosolymitanorum*, *Shabb.* fol. 9. 2. & hæc quoque *Babylonicorum*, *Beracoth*, fol. 32. 1. *Scholæ R. Eleazar ben Jacob pronuntiarunt Aleph Ain*, *& Ain Aleph*.

Exemplum unum istiusmodi confusionis observavimus ante, cum quidam sic docens מי בצעים אין מכשירין intelligi voluit de מי ביצים, at incerta pronuntiatione decepit auditores.

Aliud habes, *Hierosol. Avod. Zarah*, fol. 39. 3. *Rabb dixit* עידיהן. *Samuel dixit*, אידיהן. *Rabb dixit*. מאברים. *Samuel dixit*, מעברים. *Rabb dixit*, יאותו. *Samuel dixit*, יעותו.

Perlegens versionem *Samariticam* Pentateuchi alternationem gutturalium adeo frequentem invenies, ut non promptiorem istius linguæ clavem adipiscaris, quam variationem istam observando.

## CAP. LXXXVIII.

### גלגל *in Deuter.* 11. 30. *quisnam locus.*

OBscurum adeo est, quod dicitur a *Mose*, *Gerizim & Ebal fuisse* מול הגלגל. *Deuter.* 11. 30. ut vox מול etiam in contrarias significationes reddatur ab Interpretibus. Quidam in eo sensu accipiunt, ac si foret סמוך לגלגל, *prope Gilgalem*: *Babylon. Sotah*, fol. 33. 3. Quidam רחוק מן הגלגל, *longe a Gilgale*: *R. Sol. Deuter.* 11. *Targumistæ*, *coram Gilgale*. Dum, ut mihi videtur, scrupulum non tangunt; qui non tam in significatione vocis מול latet, quam in ambiguitate vocis גלגל. Hi omnes *Gilgalem* istam intelligere videntur, quæ populum *Israeliticum* excepit, nocte prima post transitum *Jordanis*, *Josuæ* 4. 19. quæ, referente *Josepho*, *Antiq.* lib. 5. cap. 1. distabat a *Jordane* stadiis tantum quinquaginta: at quam *Gemaristæ*, quinquaginta milliaribus ampliusque distitisse hariolantur. Nam, juxta *Kimchium*, in *Jos.* 4. *dicunt*, *quod iter istius diei fuit plus quam sexaginta milliarium*, *a Jordane scilicet ad Gilgalem*. Atque hoc dicunt, ut *Gilgalem* prope *Gerizim* & *Ebal* statuant; ubi prima nocte post introitum in terram *Canaanitidem*, populum castra-metatum fuisse opinantur, ex verbis *Mosis*, *Deutero-*

*teron.* 27. 2. *Die quo pertransieris Jordanem, eriges tibi lapides magnos, & calce lævigabis eos, &c.* Lapides autem isti, inquiunt, erecti sunt in *Gerizim* & *Ebal*. Hinc illud *Gemaristarum*, *Babylon. Sanhedr.* fol. 44. 1. in *Glossa*. *Dixit Dominus, Dixi ego, cum transieritis Jordanem, erigetis lapides; at vos exspatiati estis usque ad 60. milliaria.* Et *Sotah*, fol. 36. 1. *Gerizim & Ebal distabant 60. milliaribus a Jordane.*

At certe *Gilgal* ista, de qua *Moses* in verbis istis, *Nonne Gerizim & Ebal sunt* מול הגלגל, alia intelligenda est ab ea, quam *Josua* eo nomine insignivit, *Josuæ* 5. 9. Nam, cum *Moses* verba ista proferret, nomen *Gilgalis* istius prope *Jerichunta* non erat in rerum natura: nec *Gilgali* isti, cum nomen istud sortita esset, applicari potest illud, quod in libro *Josuæ* dicitur de גוים לגלגל *Nationibus Gilgalis*, *Josuæ* 12. 23. Videtur ergo utroque in loco per *Gilgal Galilæa* intelligenda, idque tum ex cognatione vocum; nam גלגל & גליל ejusdem sunt radicis & etymi, tum ex ipso sensu locorum. Nam, cum apud *Josuam* enumerentur Reges quidam particularium aliquarum in *Galilæa* civitatum, *Kedesh*, *Jokneam*, *Dor*, *&c.* additur & Rex *Nationum Gilgalis*, vel *Galilææ*, qui nempe pluribus dominatus est urbibus & regionibus in *Galilæa*.

Sic etiam optime reddi possunt verba *Mosis* in parem sensum, „Nonne „ isti montes *Gerizim*, & *Ebal* sunt „ ultra *Jordanem*, *ex adverso Gilgal*, „ vel *Galilææ?*

Conjecturam nostram firmant, I. Versio LXX. qui גוים לגלגל reddunt Γεῖ τῆς Γαλιλαίας. II. Collatio *Josephi* cum libro *Maccabaicō*, in historia de *Demetrio*. *Castrametatus est ille*, inquit *Josephus*, Ἐν Ἀρβήλοις πόλει τῆς Γαλιλαίας; at I. *Macc.* 9. 2. Ἐπορεύθησαν ὁδὸν τὴν εἰς Γάλγαλα, καὶ παρενέβαλον ἐπὶ Μεσαλὼθ τὴν ἐν Ἀρβήλοις. *Arbela* huic est in *Galgala*, vel *Gilgal*; illi in *Galilæa*.

## C A P. LXXXIX.

*Oppida varia nomine* צור *TYRI insignita.*

PRæter *Tyrum*, nobile emporium *Phœniciæ*, occurrunt varia ejusdem nominis loca, & apud *Talmudicos*, & apud *Josephum*.

Nominant illi, *Hierosol. Demai*, fol. 22. 4. צור *Tyrum* unam in ipsis terræ limitibus, quæ tenebatur ad solvendas decimas; atque aliam pariter in limitibus, quæ non tenebatur: verba eorum exhibebimus postea. Inque his, quæ sequuntur, exemplis, aliisque quæ adduci possent, plurimis, in medio relinquunt, an de *Tyro Phœniciæ* sit sermo, an de loco ejusdem nominis aliquo alio.

Idem *Kiddushin*, fol. 64. 4. *Jacob Navoriensis profectus est Tyrum* (לצור) *& quædam illic docuit, pro quibus eum plagis afflictum voluit R. Chaggai.*

Idem *Avodah Zarah*; fol. 42. 1. *R. Meno adiit Tyrum* (לצור): *quem illic invenit R. Chaija bar Ba, profectusque dixit R. Jochanani quæ ille docuerat.*

Ibid. fol. 44. 2. *R. Issa ivit Tyrum* (לצור) *& vidit eos bibentes vinum, &c.*

*Josephus Antiq.* lib. 12. cap. 5. de *Hyrcano*, fratre *Simonis* Pontificis. *Condidit ille locum munitum inter Arabiam & Judam trans Jordanem*; καὶ τοιοῦτον ἀπεργασάμενος τύπον Τύρον ὠνόμασεν, *& Tyrum vocavit.*

Idem in *vita sua*, de *Joanne ben Levi*. Cum ille *Gischalitas*, jugum *Romanum* jam excutere aggredientes, retinere conatus esset, frustra id fecit: τὰ γὰρ πέριξ ἔθνη, Γαδαρηνοὶ, καὶ Γαβαραγανοῖοι, καὶ Τύριοι, *nam circumhabitantes populi, Gadareni, & Gabaraganæi, & Tyrii, multa vi militum collecta, Gischalam invadunt.* Hoc *Tyrios* vix e *Tyro Phœniciæ* adventasse supponere potes; sed ab alio aliquo loco, cui idem nomen. Ea ratione, qua plurima in terra *Israelitica* oppida nomine *Ramæ* insignita sunt; quia nempe loco edito sita erant; eadem etiam plurima nuncupata sunt nomine צור *Tyri*; quia scilicet ædificata fuerunt in loco petroso.

## C A P. XC.

### *C A N A.*

DE situ hujus loci parum certi habemus. Hoc tantum de *Cana* a *Josepho* discimus, distitisse scilicet eam a *Tiberiade* tanto spatio, quantum ipse cum exercitu emetiri potuit una nocte. Nam, cum ei per literas nuntiatum esset, *Justum* hostem *Tiberienses* a fide sua erga eum retrahere conari, *Ego*, inquit, in *vita sua*, pag. 631. *tunc temporis eram in oppido Galilææ, vocato Cana; ducens ergo mecum ducentos milites, per totam noctem progressus sum: nuntio præmisso, qui adventum meum Tiberiensibus indicaret: mane autem, cum urbi appropinquarem, a populo mihi obviam itum est, &c.*

De

De *Cana* etiam mentionem habet in eodem libello *de vita sua*, his verbis, pag. 653. *Sylla*, *Dux Regis Agrippæ*, *castra ponens stadiis quinque a Juliade*, *custodiis vias obsepit*, Τήν τε εἰς Κανᾶ ἀγȣ́σαν, καὶ τὴν εἰς Γάμαλα τὸ φρȣ́ριον, *& eam*, *quæ ducit ad Canam*, *& eam*, *quæ ad Gamalam castellum*. Jam vero, cum *Julias* & *Gamala* absque omni dubio forent trans *Jordanem*, quæri etiam potest, an *Cana* ista non etiam foret ab eadem ripa. At quæ sequuntur, videntur hoc negare: nam vias obsepit, ὑπὲρ τȣ̃ τὰς παρὰ τῶν Γαλιλαίων ὠφελείας τοῖς ἐνοίκοις ἀποκλείειν, *Ut hoc modo subsidia omnia a Galilæis proventura recluderet*. Nota illud, *A Galilæis proventura*, id est, *a Cana*, locisque *Galilææ* aliis *Canæ* adjacentibus.

*Julias* ista, quam *Sylla* obsidione cinxit, erat *Julias-Betharamphtha*, (de qua postea) quæ sita erat ad ripam *Jordanis* ulteriorem, cum jam influxurus is esset in mare *Genesariticum*. Videtur ergo *Cana* ex opposito jacere cis *Jordanem*; quam longe ab eo remotam non dicimus, at, ut conjectari licet, non multum: tantoque spatio distitisse a *Tiberiade*, quantum excepit tota longitudo maris *Genesaritici*.

## CAP. XCI.

### *PERÆA.* עבר הירדן.

JOsephus de bello, lib. 3. cap. 4. *Peræ longitudo erat a Machærunte ad Pellam, latitudo a Philadelphia ad Jordanem*.

*Hierosol. Scheviith*, fol. 38. 4. *Montanum ejus erat Mons Macvar, & Gedor, &c. Planities ejus Heshbon cum omnibus suis civitatibus, quæ in planitie, Dibon & Bamoth-Baal, & Beth-Baal-Meon, &c. Convallis ejus est Beth-Haran, & Beth-Nimrah, & Succoth, &c.*

Memoria *Montium Machmar* occurrit *Tamid*, cap. 3. hal. 8. & *Babylon. Joma*, fol. 39. 2. in hyperbolica ista Traditione *R. Eliazaris ben Diglai*, dicentis, *Capras* בהרי מכמר *in montibus Machmar sternutasse a nidore suffitus Thymiamatis in Templo*. A מכמר vox *Machmarus*.

Tota Regio Trans-Jordanica *Peræa* quidem audiit: at divisa tamen ita erat, ut pars ejus Australis singulatim *Peræa* vocaretur; pars reliqua *Batanæa*, *Auranitis*, *Trachonitis*. Sic dicitur a *Josepho*, *de bello*, lib. 2. cap. 9. quod, donante *Augusto*, cederet *Herodi Antipæ* Ἡ τε Περαία καὶ Γαλιλαία· *Philippo* autem Βαταναία τε, καὶ Τράχων, καὶ Αὐρανῖτις.

בשן: Pro idiomate *Syro* ש in ת permutante, in *Batanæam* transiit, בתנין, interpreti *Samaritico*: *Targumistis* מתנן, *Mem* & *Beth* alternantibus, quod non inusitatum.

Urbs hujus regionis præcipua *Golan*, *Josuæ* 20. 8. unde *Gaulonitis*: eaque Γαυλονιτικὴ ἄνω & κάτω. vide *Josephum*, ubi prius, cap. 13.

Τράχων: *Judæis* טרכונא דמתחם לבוצרה *Trachon, quæ terminatur ad Bozram*. *Hierosol. Scheviith*, fol. 36. 3. Non *Bozram Edomæam*, *Esaj*. 63. 1. nec *Bezer Rubenitarum*, *Josuæ* 20. 8. sed aliam: nempe *Bosorram*, vel *Bosor*, in *Gileaditide*. De qua vide *Josephum*, *Antiq*. lib: 12. cap. 12. & librum primum *Maccabaicῶn*, Capite 5.

Dum de differentia inter *Bezer* & *Bozram* loquimur, præterire non possumus exemplum signale de hac re propositum a *Babylonicis*, *Maccoth*, fol. 12. 1. *Princeps Romæ* (Gloss. *Samael*, angelus mortis) *tripliciter olim errabit*, *sicut scriptum est*, Quis venit ab Edom, vestibus tinctis e Bozrah? *In hac re errat*, *quia refugium non est nisi in Bezor*, *& ille se recipit ad Bozram*, *&c.*

*Joseph*. *Antiq*. lib. 17. cap. 2. Βαταναία ὁμόρει τῇ Τραχωνίτιδι.

*Auranitis*. *Josephus*, ibid. lib. 15. cap. 13. aliquando eam vocat *Abranitim*. *Cæsar*, inquit, *donavit Herodi* (*Magno*) Τράχωνα, καὶ Βατανέαν, καὶ Ἀβρανῖτιν· idque, ut ille latrones cohiberet, & domaret; qui regiones istas miserrime vexabant; &c.

## CAP. XCII.

### *ADAM, & ZARETAN*; *Josuæ Cap.* 3.

DUplicem in Tabulis nonnullis errorem suspicor, dum duo hæc oppida in *Peræa* collocant; multo magis, dum parum distantia collocant.

Non diffitemur quidem civitatem *Adam* in *Peræa* fuisse; at *Zaretan* non ita. De *Adam* mentio, *Josuæ* 3. 16. ubi agitur de excisione, vel dissectione aquarum *Jordanis*; ut transitum præberent *Israeli* קמו נד אחד הרחק מאד באדם. Pro lectione Textuali מאדם, marginalis habet באדם. Utramque applices aptissime.

*Adam* fuit centrum partitionis aquarum: hic statio Arcæ fœderis, *Jordanem* jam introituræ. Hinc *Psaltes*, באדם

אהל שכן באדם *Tentorium*, *quod fixerat in Adam*, *Psalm.* 78. 60. Bene ergo obtinet lectio Textualis באדם, *in Adam*; quia illic centrum dissectionis aquarum: at lucem insuper addit marginalis מאדם, *ab Adam*; quia longe supra eam earum exacervatio.

*Hierosol. Sotah*, fol. 21. 4. *R. Jochanan dicit*, *Adam est civitas*, *& Zaretan est civitas*, *distantque a se invicem XII. milliaribus*. Ab *Adam* ad *Zaretanam* erant aquæ arefactæ, a *Zaretana* & supra erant coacervatæ. *Adam* erat in *Peræa* ex adverso *Hierichuntis*, *Zaretan* erat in *Manassitide* cis *Jordanem*. Vocatur ea, *Zarthanah*, 1. *Reg.* 4. 12. & prope *Beth-Sheanam* definitur, quæ erat ultimus *Manassitidis* limes versus Septentrionem. Dicuntur vasa ænea Templi fusa fuisse in planitie *Jordanis*, in terra argillacea inter *Zaretan* (cis *Jordanem*) & *Succoth* (ultra) 1. *Reg.* 7. 46. Verba ergo citata apud *Josuam*, הרחק מאד מאדם העיר אשר מצד צרתן sic intelligenda sunt, ut non tam vicinitatem *Adam* & *Zaretan* denotent, quam ut accumulationem aquarum juxta *Zaretan* fuisse innuant. In hunc sensum sunt reddenda, *Et constiterunt aquæ descendentes a desuper: exsurrexerunt in acervum unum*, *longa valde distantia a civitate Adam*, *nempe*, ad distantiam istam, *quæ est juxta Zaretan*.

*Adam* & *Zaretan* erant hinc illinc remotæ aliquantum a *Jordane*; at nominantur illæ in ista historia, quia agitur ibi de tempore, cum *Jordanes* seipsum intra alveum suum non continuit, sed ripas excesserat.

## C A P. XCIII.

### *JULIAS-BETH-SAIDA.*

DUplex erat *Julias*, utraque in *Peræa*: una ab *Herode* condita, *Beth-aramphtha* ante dicta, de qua *Joseph. Antiq.* lib. 18. cap. 3. Ἡρώδης Βηθαραμφθᾶ δὲ, πόλις ἦν δὲ αὕτη, τείχει περιλαβὼν Ἰουλιάδα ἀπὸ τοῦ αὐτοκράτορος ἀγορεύει τῆς γυναικός· altera a *Philippo*, olim *Beth-saida*, de quo idem, ibid. Φίλιππος κώμην δὲ Βηθσαϊδὰν πρὸς λίμνῃ τῇ Γεννησαρίτιδι πόλεως παρασχὼν ἀξίωμα, πλήθει τε οἰκητόρων, καὶ τῇ ἄλλῃ δυνάμει, Ἰουλίᾳ θυγατρὶ τοῦ Καίσαρος ὁμώνυμον ἐκάλεσεν.

Tabulæ unam tantum *Juliada* depingunt; non male, quia pro altera nomen *Beth-saidæ* substituunt: at de situ utriusque non bene sentiunt. *Julias-Betharamphtha* sita erat ad ipsissimum influxum *Jordanis* in lacum *Genesariticum*. Nam sic *Josephus*, *de bello*, lib. 3. cap. 35. *Jordanes a lacu Samochonitide centum alia stadia emensus*, μετὰ πόλιν Ἰουλιάδα διεκτέμνει τὴν Γεννησὰρ μέσην. Nonne hæc arguunt *Jordanem*, jam nunc in lacum *Genesaritidis* ingressurum, *Juliada* ante præterlabi? Cui consona sunt quæ & ab eodem, in *vita sua*, dicuntur. *Sylla*, inquit ille, *castrametatus est stadiis quinque a Juliade*, *viasque obturavit*, *eam scilicet*, *quæ duxit ad Canam*, *& eam*, *quæ duxit ad Gamalam castellum*. *Ego autem*, *hæc intelligens*, *bis mille armatos mitto*, *sub duce Hieremia*; οἱ δὲ καὶ χαρακωθέντες ἀπὸ σταδίου τῆς Ἰουλιάδος πλησίον τοῦ Ἰορδάνου ποταμοῦ. Nota illud: Cum distarent stadio tantum a *Juliade*, parum absunt a *Jordane*. Tabulæ remotius eam pingunt ab influxu *Jordanis* in *Genesariticum*, quam patientur hæc verba.

*Julias-Beth-saida* non sita erat in *Galilæa*, ut apud Tabulas; sed ultra mare *Galilææ*, in *Peræa*. Hoc dicimus fide *Josephi*, *de bello*, lib. 2. cap. 13. *Philippus*, inquit ille, *Cæsaream condidit in Paneade*, καὶ ἐν τῇ κάτω Γαυλανιτικῇ Ἰουλιάδα. Nota illud, *Juliada* (quæ olim erat *Beth-saida*) *in inferiori Gaulonitide*. Jam vero, non est, qui non novit *Gaulonitin* fuisse in *Peræa*. Hæc certe est ista *Julias*, quam *Plinius*, *Natural. Hist.* lib. 5. cap. 15. collocat ab Oriente lacus *Genesaritici*: (nam *Julias* altera vix erat juxta mare omnino) atque ista, de qua *Josephus*, *de bello*, lib. 4. cap. 27. cum ait; *Montanum quoddam trans Jordanem procurrere a Juliade ad Somorrham*.

## C A P. XCIV.

### *GAMALA. CHORAZIN.*

GAmalæ situm hæc definiunt. I. Erat ἐν κάτω Γαυλονῖτι, in qua, ut vidimus, erat *Beth-saida*; *Joseph. de bello*, lib. 4. cap. 1. II. Erat ὑπὲρ τὴν λίμνην (Γεννησαρίτιδα). III. Erat Ταριχαιῶν ἄντικρυς. Confer Tabulas, num in ejus dispositione cum his conveniant. Idem, *Antiq.* lib. 18. cap. 1. Hic natus est *Judas*, vulgo *Gaulonites* dictus, ac vulgo etiam *Galilæus*. Sic *Petrus*, & *Andreas*, & *Philippus*, erant *Gaulonitæ*, e *Beth-saida*, *Joan.* 1. 45. & tamen dicti sunt *Galilæi*.

De *Beth-saida* dum loquimur, subit memoria τῆς *Chorazin*, cum ea conjunctæ, in verbis *Christi*, *Matth.* 11. 21. ut & in miraculorum ejus participatione,

tione, atque in æquali ingratitudine. Situm hujus loci si quæras, ubi invenies? Cis *Jordanem* illam collocant Tabulæ nonnullæ, trans *Jordanem* aliæ; at quanam autoritate nituntur, & hæ, & illæ? Mera, ni fallimur, conjectura. Liceat & nobis etiam conjectari.

Vox חורשין, *Chorashin*, *Loca Saltuosa* denotat, & apud paginas Sacras, & *Rabbinicas*. Inde dictam arbitramur *Chorazin*, quæ sub manibus, quod scilicet loco sita foret aliquo saltuoso. Istiusmodi locis claruit *Nephtalitis* præ aliis Tribubus; quo spectant verba *Jacobi*, *Nepthali Cerva emissa*, *Gen.* 49. id est, "*Nepthali* ferina abundabit, " sicut *Asher*, (de quo mentio in " verbis præcedentibus) pane & ferculis regalibus: atque ista *Talmudicorum*, *Hierosol. Bava Bathra*, fol. 15. 1. *Communiter pecora pascere licet* בחורשין אפילו שבט יהודה בשבט נפתלי *in saltuosis locis*, *etiam Tribui Judæ in Tribu Nepthali*. Inde etiam *Harosheth Gentium* dicta, *Judic.* 4. 2. quæ in ista Tribu. His rationibus ductus *Chorazin* nostram in *Galilæa* fuisse suppono potius, quam, ubi eam locant Tabulæ pleræque, in *Peræa*.

At mirum cum videatur, locum hunc tam celebrem præsentia frequenti, & miraculis *Chisti*, nusquam alibi in historia *Evangelica* mentionem obtinere, nisi in nuda ista ejus memoria in verbis *Christi*, *Væ tibi Chorazin*, *&c.* cum *Beth-saida* & *Capernaum* (cum ea ab eo memoratæ) obtineant; quid si sub hoc nomine, *Cana*, concludatur & regiuncula aliqua ei adjacens, quæ a situ in Saltu *Chorazin* diceretur, id est, *Saltuosa*? Celebratur *Cana* frequenti præsentia *Christi*, & miraculis. Sed absit nimia andacia conjecturæ.

## C A P. XCV.

*Oppida quædam ad ipsos terræ limites.*
*Ex* Hierosol. *Demai*, fol. 22. 4.

IN loco citato agitur de decimatione olerum ac seminum quorundam, Oryzæ scilicet, nucum, ceparum, fabarum *Ægyptiarum*, &c. & quæritur quid de earum decimatione statuendum, si nascantur in locis, quæ videntur extra terram, & hæc subinde inferuntur.

אילו עיירות אסורות בתחום צור שצת ובצרת ופי מצובה חנותה עלייתה וחנותה תחתייה ובירת בדיא וראש מיא ואמיך ומזי : אמר ר' מנא הדא דאתאמר בראשונה אבל עכשיו יש סוסיתה : עיינוש ועיך תרע ורס בריך ועיון ויעדוט וכפר וחרוב ונוב וחספיה וכפר צמח : אילו עיירות שהן מותרות בתחום נבי צור וצייר ונשמיי וזיויין ויגדי הטם ורבב חרבתיה וכרכה.

*Istæ urbes prohibentur in limitibus*, *Tsur*, *Sezeth*, *&* *Bezeth*, *Pi Mazobah*, *Chanothah superior & inferior*, *Beth Badia*, *Rosh Maja*, *Amon & Mazi*. (R. *Mena dicit*, *Sic dicta est antiquitus*, *ac nunc Susitha*.) *Ainosh*, *En Teraa*, *Ras*, *Berin*, *Jion*, *Jadot*, *Caphar*, *Charob*, *Chaspia*, *&* *Caphar Tsemach*. *Istæ civitates permittuntur in limitibus*, *Nebi*, *Tsur*, *Tsijar*, *Gasmi*, *Zivian*, *Jagdi*, *Chatam*, *Debab*, *Charbatha & Cheraccah*, (vel *Debab*, & solitudo ejus, & munitio ejus.)

Vides hic nomen צור *Tsur* (de quo diximus ante) semel iterumque: addamus & hæc ex *Hierosol. Kilaim*, fol. 22. 3. *Ambulabo coram Domino in terris viventium*. *Et nonne sunt aliæ terræ viventium*, *præter Tsur & socias ejus*, *& Cæsaream & socias ejus?*

De כפר צמח est etiam mentio loco primum citato, col. 3. his verbis: *Rabbi solvit Bethshan*. *Rabbi solvit Cæsaream*. *R. solvit Beth-Gubrim*. *Rabbi solvit Caphar Tsemach*: (ab obligatione, ut videtur, דמאי *Demai*.) *Rabbi permisit recipere olera*, *in exitu anni septimi*; *ast omnes contrariati sunt ei*. *Dixit ille iis*, *Venite*, *& rem judicemus*. *Scriptum est* (de *Ezekia*) Et contulit æneum serpentem. *Quid? Annon erat quis justus a Mose ad ejus usque tempora*, *qui hoc faceret? At Deus reservavit ei coronam istam*, *ut ea coronaretur*: *& nobis etiam reservavit hanc coronam Deus*, *ut nos ea coronemur*. Egregium vero factum, & spolia ampla, *&c.*

## C A P. XCVI.

*Consessus nobiliores*: *ex Babylon. Sanhedrin*, fol. 32. 2.

TRadunt *Rabbini*, *Justitiam*, *Justitiam persequere*. *Ito ad* (*Beth-Din*) *consessum nobilem*, *ad R. Eliazarum ad Lyddam*, *Ad Rabban Jochanan ben Zaccai* לבריר חיל: *Traditio*. *Sonus molarum* בבורני, *in Burni*. *Septimana filii*, *septimana filii*. *Candela in* ברור חיל. *Convivium illic*, *convivium illic*.

Obscuriora sunt hæc & requirunt lucem.

ברור חיל videtur locum designare: sed quemnam? Synhedrium certe *R. Jochananis* erat in *Jasne*, at distinguendus videtur Consessus ejus, בית דינו, a Synhe-

Synhedrio. Sic educatus est *Paulus* ad pedes *Rabban Gamalielis:* at non in Synhedrio ejus, sed בבית דינו in Confessu, vel in Schola ejus. Sic conjecteris *Rabban Jochananem*, præter quod Præses sederet summi Synhedrii, Confessum suum peculiarem etiam habuisse in ipsa *Jafne*, vel loco aliquo vicino.

Quod sequitur, *Traditio vox molarum*, &c. a Glossatoribus illustretur. *Vox molarum in Burni signum erat, quod illic erat Circumcisio; ac si publice clamatum foret, Hebdomas infantis hic exspirat. Et sonus molæ signum erat, quod commolerentur aromata, vulneri Circumcisionis applicanda. Erat autem tempus persecutionis, quo prohibitum est circumcidere: timuerunt ergo publica voce notum facere de circumcidendo; at signum hoc statuerunt.*

*Candela in Beror Chel.* Glossa. *Lux candelæ interdiu, aut multæ candelæ lucentes nocte, signum exhibuerunt, ac si quis publico præconio edixisset, Convivium Circumcisionis illic,* &c.

Glossa altera. *Lucernas accendere soliti sunt ad Circumcisionem. Mos etiam fuerat, mappam ad ostium expandere: hinc illud; Mos invaluit Hierosolymis, ut, quamdiu expanderetur mappa ad ostium, itinerantes intrarent.*

*Aruch, in* אור. *Tempore persecutionis non potuerunt celebrare publicas nuptias, nec publicam Circumcisionem: clanculum ergo hæc præstiterunt: ubicunque ergo erant candelæ lucentes in superliminari, noverunt quod illic foret convivium nuptiale; atque ubicunque sonus molarum, ibi Circumcisio.*

*Hierosolymitani Chetubb.* fol. 25. 3. addunt, אף על פי שבטל השמר המנהג לא בטל *Quamvis cessaret persecutio, non tamen cessavit ista consuetudo.*

Pergunt *Babylonici. Ito ad* R. *Josuam* לפקיעין *ad Pekiin. Hierosolymitanis* est בקיעין *Bekiin*, in ista historia.

*Chagigah*, fol. 75. 4. R. *Jochanan ben Bruchah*, & R. *Eliezer cœcus, profecti sunt a Jabneh ad Lyddam, atque exceperunt* R. *Josuam in Bekiin*, בבקיעין.

*Ito ad* Rabban *Gamalielem ad Jabnen.*

*Ito ad* R. *Akibam ad Bene Barak.*

*Ito ad* R. *Mathiam ad* Romam.

*Ito ad* R. *Chananiam ben Teradion ad Sicai.*

*Ad* R. *Josen ad Zipporin.*

*Ad* R. *Judam ben Betirah ad Nisibin.*

*Ad* R. *Josuam ad captivitatem*, videl. ad *Pombedithan.*

*Ad* Rabbi *ad Beth-shaaraim.*

*Ad Sapientes in conclavi Gazith.*

## C A P. XCVII.

### *Civitates Leviticæ.*

DE iis vide *Numer.* Cap. 35. & *Josuæ* Cap. 21.

*Maimon.* in *Shemittah Vejobel*, cap. 13. *Suburbana urbium Leviticarum erant* 3000. *cubitis ab unoquoque latere, a mœnibus scilicet urbis & extra: sicut dicitur*, A mœnibus urbis & extra mille cubiti: & mensurabitis ab exra urbem bis mille cubitos, *Num.* 35. 4. 5. *Mille priores suburbana erant, & bis mille posteriores erant pro agris & vineis. Unicuique harum civitatum locum sepulturæ statuerunt extra hosce terminos; nam intra istos terminos non licuit mortuum sepelire.* Rationem quæris? Non tam ad evitandam pollutionem, quæ contrahi potuit a sepulchro, quam ob curiosam *Scribarum* interpretationem Legis dicentis, Suburbana prædia harum civitatum *Levitis* data esse, pro pecoribus & jumentis, ולכל חיתם *Num.* 35. 3. *Pro vivis*, ergo inquiunt illi, non pro mortuis, aut pro sepultura.

Idem, in R*etzeah*, cap. 8. Omnes civitates *Levitarum* erant civitares refugii; at cum hac distinctione a sex istis, quæ proprie sic vocabantur: quod sex istæ refugium præberent cuicunque in ea habitanti, reciperetne sese illuc eo fine, necne; at reliquæ civitates *Leviticæ* non ita. Itemque, quod homicida incautus, ad sex istas fugiens, gratis habitabat absque data mercede pro domo, in reliquis civitatibus *Leviticis* non gratis.

Quadraginta octo civitates istæ *Levitarum* erant tot Academiæ, quo tribus Ministerialis, turmatim distributa, studio Legis incubuit, docta evasit, atque inde per totam gentem disseminata, doctrinam & scientiam Legis per omnes Synagogas seminavit.

Duo non immerito hic observanda, quæ ab omnibus forte, serio satis non observantur. I. Statum Ministerium Ecclesiæ *Israeliticæ* non fuisse Prophetas, sed Sacerdotes & *Levitas*, *Mal.* 2. 7. Nam erat non raro, cum non forent Prophetæ, atque ipsi Prophetæ populum ad Sacerdotes mittunt instruendum, *Hagg.* 2. 11. *Mal.* ubi ante. II. Concessas esse Sacerdotibus & *Levitis* Decimas, non ad Altare, aut in Templo ministrantibus solum; sed & studentibus in Academiis, & concionantibus in Synagogis.

En methodum divinæ institutionis. Popu-

Populum peculiarem *Iſraelem* ſibi eligit Deus: populo electo dat Legem & Clerum: Clero præcipit Legis ſtudium: Studiis aptat Sodalitia, Academiis donat prædia & Decimas: Synagogis donat Decimas & Academicos.

Erant & Scholæ Prophetarum Academiolæ quædam, & collegia ſtudioſorum. Rectorem habuere venerabilem aliquem Prophetam, Spiritu Sancto afflatum, & participem revelationum. Diſcipulos, non ſpiritu quidem eodem Prophetico afflatos, ſed Prophetica ab ore Magiſtri imbibentes. Illis revelavit ille ſibi revelata, de voluntate Dei, & ſtatu populi, de temporibus & eventibus *Iſraelis*, & ſupra omnia de myſteriis Evangelicis, de *Meſſia*, ejus adventu, temporibus, morte, reſurrectione, & ab eo præſtandis.

In his Academiolis de *ſalute accurate inquiſiverunt Prophetæ*, (quod ait Apoſtolus *Petrus*) *qui vaticinati ſunt de gratia ventura: perſcrutantes quodnam & qualenam tempus illud eſſet, quod a Spiritu Chriſti, qui in iis erat, fuit indigitatum, cum paſſiones Chriſti prædiceret & gloriam ſubſecuturam*. Hæc, mero & nudo Legis ſtudio non expiſcanda, hic docebantur, & ſic conjuncta ſtudia Legis & Evangelii completum reddideruut Miniſtrum verbi Divini.

## C A P. XCVIII.

*Miſcellanea quædam faciem terræ ſpectantia.*

ORdiamur a Canone iſto de lectione libri *Eſtheræ* in Feſto *Purim*. *Megill.* cap. 1. hal. 1. כרכים המוקפין חומה מימות יהושע *Oppida mœnibus cincta a diebus Joſuæ eum legunt decimo quinto die* (menſis *Adar*) כפרים ועיירות גדולות *Villæ, & civitates magnæ, eum legunt die decimo quarto*, אלא שהכפרים מקדימין ליום הכניסה *Niſi quod villæ anticipent, ad diem congregationis*.

Vides tripartitam urbium & oppidorum diſtinctionem. I. כרכים Munitiones, vel oppida mœnibos cincta a diebus *Joſue*. At unde ea dignoſcas? Ea ſcilicet, quæ memorantur in libro *Joſuæ* פסקי הראש artic. 2. *Quæ utcunque temporibus ſubſequentibus muris cincta non eſſent, ſub claſſe tamen eorum, quoad lectionem iſtius libri, ſunt numerata*. *II.* עירות גדולות *Civitate magnæ*. Civitas magna ea vocabatur, in qua erat Synagoga; ſic definitur a *Piske Toſaphoth*, artic. 2, עיר גדולה הויא שיש בה י' בטלניז *Civitas magna eſt ea, in qua ſunt decem homines otii, orantes & legentes Legem*. Vide quid de his dicimus ad *Matth. Cap.* 4. *verſ.* 23. cum agimus de Synagogis. III. כפרים villæ. Iſtæ ſcilicet ubi non erat Synagoga. Imo, inquit *Piske Harosh*, כרך שאין בו י' בטלניז נדין ככפר *Oppidum munitum, in quo non ſunt decem homines otii* (vel *ceſſationis a mundanis*, hi autem conſtituerunt Synagogam) *reputatur ut villa*, &c.

Quod additur in textu *Mishnico*, *Niſi quod villæ anticipent ad diem congregationis*, ſic explicatur a Gloſſatoribus. *Cum oppida mœnibus cincta librum Eſtheræ legerent die decimo quinto, & non cincta mœnibus decimo quarto*: vide *Eſther.* 9. 21. *Et tamen dicatur antea* (in Textu eodem *Mishnico*) *quod liber iſte legitur die undecimo, duodecimo, decimo tertio, licentiam villis conceſſerunt Sapientes, lectionem præoccupare, die ſcilicet, quo conventum eſt in Synagoga: nempe, vel ſecundo die Hebdomadis decimum quartum menſis antecedente, vel quinto Hebdomadis; qui dies conventus erant, in quibus villæ ſe in civitates receperunt ad judicium. Nam, diebus ſecundo & quinto Hebdomadis, ſederunt Conſeſſus judiciarii in civitatibus, ex inſtitutione Ezræ. Jam vero periti lectionis non erant pagani; neceſſe ergo erat, ut aliquem in civitate lectorem haberent*, &c.

II. Obſerventur Canones, & cautiones de ſpatiis aut locis, quam proxime urbem aut oppidum adjacentibus, e *Bava Bathra*, cap. 2. hal. 5.

I. מרחיקין את השובך מן העיר חמשים אמה. *Columbarium non conditum erat intra quinquaginta cubitos ab urbe*: idque, ne columbæ hortos ſatos injuria aliqua afficerent.

II. מרחיקין את האילן מן העיר כה" אמה. *Non permiſerunt arborem intra viginti quinque cubitos ab urbe. Atque hoc* (ut Gloſſa) *ob decorem urbis*.

III. מרחיקין את גורן קבוע מן העיר נ' אמה. *Non permiſerunt aream* horrei *intra quinquaginta cubitos ab urbe*: ne ſcilicet, dum ventiliaret, cives offenderent paleæ.

IV. *Non permiſerunt cadavera, aut ſepulchra, nec officinam coriariam, intra quinquagintv cubitos ab urbe*: (ob fœtorem ſcilicet) *nec officinam coriariam omnino permiſerunt, niſi a latere urbis Orientali. R. Akiba dicit, A quovis latere, excepto Occidentali; aſt ad diſtantiam quinquaginta cubitorum*.

III. Ab urbibus in arva & agros progrediamur.

Videres hic alicubi ficubus quibusdam signalia quædam appensa, quibus demonstraretur cujusnam anni forent fructus in ficu pendentes: *Hierosol. Sheviith*, fol. 35. 4. vide qaæ dicimus ad *Matth.* 21. 19. Videres alibi arbores aliquas infrugiferas stigmate aliquo pudefactas. *Hierosol.* Ibid. col. 3. *Arborem, quæ fructus sucs excutit immaturos*, סוקרין אותו בסיקרא *colore rubro notant, & lapidibus onerant.*

Videres agrorum arationem, & messionem, vinearum pastinationem, & vindemiationem, normis Scribarum peragi æque, ac arte agricolæ, aut vinitoris. Ea enim erat Patrum Traditionalium cura & solicitudo, de decimandis frugibus, & fructibus, de angulo pauperibus relinquendo, de vitando sationem Heterogeneorum, & de non transgrediendo Legem de anno septimo; ut non arandum, nec serendum, nec metendum foret, nisi secundum regulam Traditionalem: hinc infinitæ istæ disputationes in codicibus *Peah*, *Demai*, *Kilaim*, *Sheviith*, de quali & quota anguli portione relinquenda, & ex quibus rebus debeatur talis angulus, *Peah*, cap. 1. De agrum partientibus ita, ut duplicem angulum debeat pauperibus, *Ibid.* cap. 2. An debeatur angulus ex areis frugum inter oleas nascentium, an ex agro variegatæ sationis & messionis, *Ibid.* cap. 3. Quænam sunt arbores, quarum fructus sunt *Demai*, *Demai*, cap. 1. De quibus sit decimatio τȣ̃ *Demas*; *Ibid.* cap. 2. Quousque eadem areola variis seminibus seri possit ita, ut non peccetur contra legem de Heterogeneis, *Kilaim*, cap. 3. Quot vites constituant vineam, de earum ordinibus, vineæ areolis, satione intra torcular; &c. *Ibid.* cap. 4. & 5. Atque innumeræ istiusmodi decisiones, quæ agricolam adeo intra limites coercuerunt, ut non pro arbitrio suo terram suam coleret & meteret, sed pro norma tradita. *Hierosol. Peah*, fol. 18. 2. *Incolæ Beth-Namer pauperibus angulum emensi sunt funiculo, atque angulum dederunt ex unaquaque serie. Abba Saul dicit, Mentionem de iis faciunt in laudem & in vituperium: in vituperium, quia dederunt unam portionem e centum; in laudem, quia metientes funiculo collegerunt, & dederunt angulum ex unaquaque serie*: id est, funiculo mensurario metientes, centesimam partem agri concesserunt pauperibus, eamque ex unaquaque serie manipulorum.

## CAP. XCIX.

*Subterranea. Metallo-fodinæ. Speluncæ.*

Post superficiem terræ aliquantum observatam, subterranea etiam paulum rimemur. Ea in tria partiaris, *Mettallo-fodinas*, *Speluncas*, & *Sepulchreta*.

Insigniter *metallo-fodinis* nobilitata erat hæc terra, ita ut *lapides ejus*, in locis quam multis, *forent ferrum*, & *ex montibus ejus effoderetur æs*; *Deut.* 8. 9. Ab his *Judæis* lucrum, at *Christianis* non raro servitus & miseria; quippe qui damnati huc frequenter a Tyrannis: sic *Eusebius* lib. 8. cap. 15. de *Ædesio*, Τοῖς κατὰ Παλαιστίνην δέδοται μετάλλοις. *Ad metalla in Palæstina est damnatus*: & rursus de aliis, *Ibid.* cap. 17. Εἶτ' ἐπὶ τὰς λοιπὰς μεταβὰς ὁμολογητὰς, τοῖς κατὰ φαινὼ τῆς Παλαιστίνης χαλκοῦ μετάλλοις τὰς πάντας παραδίδωσιν. *Deinde ad reliquos Christi Confessores digressus, omnes ad æris metalla, quæ erant in Phœno Palæstinæ, condemnat, &c.*

A parte terræ Septentrionali erant *Mettallofodinæ* in *Aseritide*: hinc illud *Deut.* 33. 25. *Calcei tui erunt ferrum & æs.* A Meridionali, in deserto *Zin*, extremo limite *Judææ*; hinc ועבר צנה: *Numer.* 34. 4. *Targumistæ Hierosolymitano* est עבר בטור פרזלא; *Jonathani*, לציני טור פרזלא. *Ad palmas montis ferri*: atque apud *Talmudicos*, *Succah*, cap. 3. hal. 1. ציני הר ברזל כשרות. *Palmæ montis ferri sunt idoneæ*, ad conficiendum fasciculum, manu gestandum, in festo Scenopegiæ. Ab Orientali *Peræa* ora, erat etiam Σιδηρῶν ὄρος, *Mons ferreus*, teste *Josepho*, *de bello*, lib. 4. cap. 27. Erant & aliæ, absque dubio, hinc inde sparsæ, istiusmodi *fodinæ* in aliis terræ istius partibus, quarum mentio non occurrit.

De hisce terræ excavationibus minime mireris, cum utilitatem lucrumque tantum secum ferrent, & ad vitam humanam forent tam necessariæ: at quid de speluncis & antris in petris & montibus dicendum, unde non lucrum, ut videtur, effossum, sed periculum potius sæpe locis vicinis oriens? Nam quidnam hæc, nisi latibula ferarum & latronum? Infinita harum cavearum mentio, & apud Paginas Sacras, & apud alias, præsertim vero *Josephum*: apud quem memorantur ὑπόνομοι & σπήλαια infinities. Erantque plurimæ ex his speluncis capacitatis immensæ, & vix creden-

dendæ; ea præſertim apud *Talmudicos*, quæ vocatur *Spelunca Zedekiæ*, menſuræ non paucorum milliarium.

At num opera naturæ excavationes iſtæ, an humanæ manus & induſtriæ? Exemplo uno e *Joſepho* dato, res determinetur. Referens ille hiſtoriam, de condito ab *Hyrcano* caſtello in *Peræa*, ſic ait inter alia, *Antiq.* lib. 12. cap. 5. Ἐκ δὲ τῆς κατ' ἀντικρὺ τοῦ ὄρους πέτρας διατεμὼν αὐτῆς τὸ προέχον, σπήλαια πολλῶν σταδίων τὸ μῆκος, κατεσκεύασεν. Et paulo poſt, Τὰ μέν τοι στόμια τῶν σπηλαίων, ὥς τε ἕνα δι' αὐτῶν εἰσιέναι, καὶ μὴ πλείους, βραχύτερα ἤνοιξε. καὶ τοῦτ' ἐπίτηδες ἀσφαλείας ἕνεκα, τοῦ μὴ πολιορκηθεὶς ὑπὸ τῶν ἀδελφῶν κινδυνεῦσαι ληφθεὶς κατεσκεύασε. Exciſæ ergo e montibus, & petris erant hæ ſpeluncæ in uſus bellicos, ut refugia forent & munimenta. Et probabile eſt *Caananæos*, gentem bellicam & *Giganteam*, plurima ex his antris effodiſſe, ante ingreſſum *Iſraelitarum* in iſtam terram; *Iſraelitas* quoque numerum eorum auxiſſe. Vide de iſtiusmodi ſpeluncis, *Joſuæ* 10. 16. *Judic.* 6. 2. 1. *Sam.* 22. 1. & 24. 3. 1. *Reg.* 18. 13. *Eſajæ* 11. *verſ.* 19. &c.

## CAP. C.

### *De Sepulchretis.*

Erant ſepulchra vulgaria, & ſepulchra nobiliora. Vulgaria erant in cœmiteriis publicis, ſicut apud nos; aſt erant ea extra urbem. *Maſſech. Semahhoth*, cap. 14. *Ac per iſtum locum non derivandus erat canalis aquarum; non dncenda per eum via publica; non paſcenda illic pecora; nec colligenda illinc ligna.*

*Babylon. Berac.* fol. 18. 1. *Nec erat inter ſepulchra ambulandum cum Phylacteriis capiti affixis, nec libro Legis brachio appenſo.*

Sepulchra quædam extraordinaria erant (id eſt, quoad locum ſitus;) ut I. קבר הנמצא. *Sepulchrum inventum: Babylon. Sanhedr.* fol. 47. 2. & *Hieroſ. Nedarim*, fol. 57. 4. id eſt, cum ſepelitur in agro cujuſvis, eo neſciente; at tandem detegitur ſepulchrum. II. קבר המזיק את הרבים. *Sepulchrum publice nocens:* id eſt, eſtoſſum juxta locum publicæ ambulationis, aut itinerationis; a cujus vicinitate contrahitur pollutio a prætereuntibus.

Sepulchra nobiliora exciſa erant in petra, in propriis prædiis, non modico ſumptu & artificio. Deſcriptam eorum formam habes, *Bava Bathra*, cap. 6. hal. ult. his verbis.

*Qui vendit proximo locum ſepulchreti, quique recipit a proximo locum ſepulchreti, conficiat interiora ſpeluncæ quatuor cubitis & ſex cubitis: atque aperiat intra eam* ח' כוכין *octo ſepulchra.* Non ſoliti ſunt, inquiunt Gloſſemata, ſingulatim, aut ſparſim, hic illic, homines ejuſdem familiæ ſepelire, ſed omnes una in eadem ſpelunca: unde, ſi vendat quis proximo ſuo *Sepulchretum*, vendat ei ſpatium pro duabus ſpeluncis, aut cavitatibus utrinque, atque area in medio. כוך eſt ipſiſſimus locus, ubi reponitur mortuus.

Pergit Traditio. נ' כוכין מכאן. *Tria ſepulchra ſunt hinc, & tria illinc, & duo juxta ea. Et ſepulchra iſta ſunt longitudinis quatuor cubitorum, altitudinis ſeptem, latitudinis ſex.*

Ingredientibus in ſpeluncam ſepulchralem, & feretro ſubeuntibus, erat primo area, ubi ſteterunt ipſi, ac feretrum depoſuerunt, inde demiſſuri in ſepulchrum: ab hoc ac illo latere erat ſpelunca, vel excavatio, area iſta quatuor cubitis profundior, in quam cadaver demiſerunt, paratis ibi ad varia cadavera recipienda variis loculis. *R. Simeon dicit, Concavum ſpeluncæ conficitur ſex cubitorum atque octo cubitorum: atque aperit intra eam tredecim ſepulchra, quatuor hinc, & quatuor illinc, & tria coram iis, unumque a dextra oſtii, atque alterum a ſiniſtra. Conficiturque area intra introitum in ſpeluncam quadraturæ, ſecundum dimenſiones feretri, ac ſubeuntium: atque aperit ab ea ſpeluncas duas: hinc unam, aliam inde. R. Simeon dicit, Quatuor ad quatuor ejus latera. Rabban Simeon Ben Gamaliel dicit, Totum conficiendum eſt ſecundum conditionem ſoli.*

Tractantur hæc a *Gemariſtis* & Gloſſatoribus ſumma curioſitate & prolixitate, quos vide. Ex his, quæ dicta ſunt, plurima planius intelligas, quæ referuntur de ſepulchro *Salvatoris*; qualia hæc ſunt.

*Marci* Capite decimo ſexto, verſu quinto, *Introeuntes fœminæ in monumentum viderunt juvenem ſedenteu a dextris.* In ipſa area illico poſt introitum in ſpeluncam.

*Lucæ* Capite viceſimo quarto, verſu tertio, *Ingreſſæ non invenerunt corpus*, &c. verſu quinto, *Dum inclinarent faciem in terram:* verſu decimo ſecundo, *Petrus occurrit ad monumentum*, &, *cum ſe inclinaſſet*, *vidit lintea:* id eſt, fœ-

fœminæ, *Petruſque* poſt eas, in area ( בחצר ) ſtantes, inclinant facies, & deorſum ſpectant in locum, ubi erant ipſa ſepulcha, ( למערת הכוכין ) qui area, ut diximus, profundior erat quatuor cubitis. *Joannis* Capite viceſimo, verſu quinto, *Diſcipulus, quem amavit Jeſus, venit prior ad monumentum; &, cum incurvaſſet ſe*, ( in area ſtans, ut in ipſum ſepulchretum deſpiceret ) *vidit lintea poſita, non tamen introivit: at Petrus introivit*, &c. id eſt, ab area deſcendit in ipſam ſpeluncam, ubi ( כוכין ) ſepulchrorum ordines; ( in quæ tamen non adhuc recondita fuerant aliqua cadavera, præter corpus *Jeſu* ) eo etiam poſt *Petrum* deſcendit *Joannes*. Et verſu undecimo, *Maria vero plorans ſtabat ad monumentum foris. Dum ergo fleret, incurvavit ſe in monumentum, & conſpexit duos Angelos in albis ſedentes, unum ad caput, alterum ad pedes, ubi poſitum fuerat corpus Jeſu.*

*Stabat ad monumentum foris*: intra ſpeluncam quidem in area; at extra ſpeluncam iſtam profundiorem, ubi diſpoſita ipſa ſepulchra, ( vel, כוכין ) inclinans ſe, ut illuc deſpiceret, vidit duos Angelos, ad caput & pedes iſtius כוך ubi reconditum fuerat corpus *Jeſu*.




JOAN-



# JOANNIS LIGHTFOOTI
# DECAS CHOROGRAPHICA,
## LOCA QUÆDAM TERRÆ ISRAELITICÆ PERLUSTRANS;
### *EA PRÆSERTIM QUORUM MENTIO APUD*
# S. MARCUM.

CUM mentionem habeat Evangelista hic noster, quem tractandum suscepimus, locorum quorundam in *Canaanitide*, quorum situs est obscurior, & a vulgari notitia remotior aliquantum, penso meo non adesse viderer, si ista insalutata præterirem, & non aliqua illustratione, quantum in me est, elucidarem: quod hic in ipso limine facere, duxi congruentissimum, partim ne intersertione harum dissertationum, filum commentationis, qualis qualis ea est, nimis abrumperetur, partimque ut idem hic facerem, quod feci ante animadversiones meas ad Sanctum *Matthæum*.

Loca quæ hic tractantur, hæc sunt.

I. *Idumæa*, Marc. 3. 8.
II. Ἔρημος. 1. 4.
III. Γαζοφυλάκιον. 12. 41.
IV. Ἡ κώμη ἡ κατέναντι. 11. 2.
V. *Dalmanutha*. 8. 10.
VI. Ὅρια Τύρου καὶ Σιδῶνος. 7. 24.
VII. *Regio Decapolitana*. 7. 31.

Atque ut compleatur *Decas*, adduntur

VIII *Emensurationes quædam*.
IX. *Loca nonnulla sparsim notata*.
X. *De aliquibus terræ incolis*.

Quod in loca alia exspatiatus fuerim, præter ea apud *Evangelistam*, lectoris gratia id feci; cui non iagratum futurum spero, talia audire, quæ vel secum utilitatem aliquam ferunt, vel jucunditatem, vel saltem quæ non vulgo audiuntur.

## CAP. I.

I. *Idumæa*. II. *De Pelusio pauca*. III. *Casiotis*, כס-יה, Exod. 17. 16. IV. *Rhinocorura*, *Arabs notatus*. V. *Avæorum regio*, *pars novæ Idumææ*. VI. *Tota Simeonitis*, *intra Idumæam*. VII. *Tota regio Australis Judææ*, *intra Idumæam*. VIII. *De Palæstina salutari*.

§. I. *Idumæa*. Marc. 3. 8.

Erat cum distinctæ non solum forent *terra Israelitica* & *Idumæa*, sed muro quasi ferreo disjunctæ armorum & hostilitatis: at irrepsit, nescio quo-

quonam modo, *Idumæa* tandem in *Judæam*, etiam vix relicto nomine suo domi, sed absorpto eo in *Arabia*.

Vera erant quæ *Plinius* dicit, *Nat. Hist.* lib. 5. cap. 12. isto tempore quo ea diceret, *Arabia finitur a Pelusio* LXV. *M. pass. Mox incipit Idumæa, & Palæstina ab emersu Sirbonis lacus*. At falleris, O *Secunde*, dicerent sæcula vetustiora; nam *Idumæa* finitur a *Pelusio*, LXV. M. pass. Mox incipit *Palæstina* ab emersu *Sirbonis*.

*Straboni* debemus, quod rationem transmigrationis & gentis, & nominis novimus. Nam sic ille *Geogr.* lib. 16.

Τῆς Ἰουδαίας τὰ μὲν ἑσπέρια ἄκρα, τὰ πρὸς τῷ Κασίῳ, κατέχουσιν Ἰδουμαῖοί τε καὶ λίμνη. Ναβαταῖοι δέ εἰσιν οἱ Ἰδουμαῖοι. Κατὰ στάσιν δὲ ἐκπεσόντες ἐκεῖθεν, προσεχώρησαν τοῖς Ἰουδαίοις, καὶ τῶν νομίμων τῶν αὐτῶν ἐκείνοις ἐκοινώνησαν.

*Judææ extrema Occidentalia, Casio proxima, Idumæi occupant & lacus (Sirbonis) Idumæi quidem Nabatæi sunt: Per seditionem autem inde ejecti, Judæis se adjunxerunt, & leges eorum amplexi sunt.*

Omnibus notum est, quænam fuerit terra *Edom* vel *Idumæa* apud paginas sacras Veteris Testamenti: at non eadem paginis Novi. Et si nomen suum retinuerit vetus illa, (quod vix fecit, quin absorptum foret sub nomine *Arabiæ*) distinctive tunc nuncupata est Ἰδουμαία μεγάλη *Joseph. de bello*, lib. 4. cap. 30. *Idumæa minor*, vel *nova*, est ea quam quærimus, & de qua S. *Marcus*, pars scilicet non parva *Judææ*; sic nuncupata, vel a vicinitate ad *Idumæam* proprie sic dictam, vel potius ob *Idumæos* eo transmigrantes, & eam occupantes, & proselytos factos legi & moribus Judæorum. Talis erat *Herodes Ascalonita*. Cum ergo dicitur ab Evangelista, *Quod Jesum sequuta est multitudo magna, a Galilæa, & a Judæa & Hierosolymis, & ab Idumæa*; vel de Judæis loquitur, istam partem *Judææ* incolentibus, quæ tunc temporis *Idumæa* audiit, vel saltem de *Idumæis* qui eam habitarunt, tralati jam in religionem Judæorum. De regione, jam sub isto nomine comprehensa, dicemus illico, prementes antea vestigia *Plinii* paululum, a loco quo ille progressionem suam orditur, nempe a *Pelusio*.

## §. II. *De Pelusio pauca.*

APud *Ezech.* 30. 15. 16. סין, *Sin* Interpreti vulgari est *Pelusium*: quem ibi sequitur *Latinus* Interpres *Chaldæi Paraphrastæ*. Nec immerito. Nam סין & טין Chaldæis est *lutum*. Vide Targ. in Esaj. 57. 21. Et *Pithom* & *Raamses*, Exod. 1. 11. Targumistis *Hieros.* & *Jonath.* sunt טניס ופילוסין, *Tanis & Pelusium*. Inde *ostia Nili Taniticum* & *Pelusiacum* apud *Ptolæmeum* & Tabulas. Jam vero regionem, aut locum istum, quem Syri & Chaldæi vocarunt סין, id est *lutosum*, Græci *Pelusium* vocarunt, a Πηλός, *lutum*. Et *Tanis* a טין derivari quis non videt?

Et hic in gratiam tyronum animadvertere liceat, *Pelusium* apud Talmudicos vocari קפוטקיא, quam quis non illico interpretaretur *Cappadociam*?

*Chetubb.* fol. 110. 2. & 120. 2. נשא אשה בקפוטקיא וגירשה בקפוטקיא נותן לה ממעות קפוטקיא, Nonne quispiam sic redderet? *Si uxorem ducat in Cappadocia, eamque dimittat in Cappadocia, det ei nummum Cappadociæ*. Ast audi *Rambamum* in locum. קפוטקיא, inquit ille, *est Caphtor, vocaturque ab Arabibus* טמיאטי, *Damiata*: quam eandem esse cum *Pelusio* omnes norunt.

Hinc *Targ. Hieros.* & *Jonath.* & Interpres *Syrus* in *Genes.* 10. 14. pro כפתורים, legunt קפודקאי; ast Arabs, *Damiatenos*. Et LXX. in *Deuteron.* 2. 23. pro *Caphtorim exeuntes e Caphtor*, habent Οἱ Καππάδοκες ἐξελθόντες ἐκ Καππαδοκίας.

*Targ. in Hierem.* 47. 4. pro שארית אי כפתור, habet שאר נגוה קפוטקאי, ubi Kimchius. *R. Saadias interpretatur Caphtor* דמיטא, *Damiata*.

*Babyl. Bava Bathra*, fol. 58. 2. כתיב אפיתחא דקפוטקיא אנפק אנבג אנטל, *Inscribebantur portæ Pelusii hæc verba: Anpak*, &c. Quæ nomina erant quarundam mensurarum, ut innotesceret omnibus secundum istam mensuram emendum ac vendendum esse.

## §. III. *Casioris*.

PErgimus jam a *Pelusio* ad montem *Casium*. Sic Plinius. *A Pelusio Chabriæ castra, Casius mons. Delubrum Jovis Casii, Tumulus magni Pompeji*, &c. *De Chabria* vid. *Diodor. Sicul.* pag. mihi 347. *Strabo* ubi ante. *Tabbi Asiæ* cap. 5.

Distabat *Casius a Pelusio* circiter CCC. stad. (*Antonino* XL. M. pass.) *Sirbonisque* a *Casio* XXXVIII. M. pass. sic exurgunt Plinii LXV. M. pass. a *Pelusio ad finitam Arabiam*.

*Casius* Ptolemæo scribitur Κάσσιον & Κασσιῶτις, *Sigma* duplicato, sic etiam Dio-

*Dioni Caſſio*, lib. 42. qui hanc addit hiſtoriam.

*Pompejus ad montem Caſſium interiit, ea ipſa die qua quondam de Mithridate & Piratis triumphaverat:* Καὶ εἰς πάντας τοὺς πολίτας τοὺς Κασίους ὑπὸ χρησμοῦ τινὸς ὑποπτεύοντας, &c. *Quumque omnes cives de gente Caſſia, ex oraculo quodam ſuſpectos habuiſſet, a nemine Caſſio inſidiis petitus eſt, ſed ad montem ejuſdem nominis, & cæſus eſt, & tumulatus.*

Torquent Interpretes verba iſta *Moſis*, *Exod.* 17. 16. יד על-כס יה : a LXX. reddita Ἐν χειρὶ κρυφαίᾳ πολεμεῖ Κύριος, ab aliis omnibus fere verſionibus in hunc ſenſum, *Manus ſuper ſolium Domini*. Sic Samarit. Syr. Arab. Vulg. & Rabbini, i. e. *Deus juravit*.

Quid ſi כס-יה ſit *Caſiotis?* Nam erat regio iſta, regio *Edomæorum*, ſpeciatim vero *Amalechitarum*, de quibus agit *Moſes* in iſta hiſtoria. Audacter nimis, nolumus a communi omnium ſuffragio recedere, ac modeſte humiliterque hanc conjecturam proponimus: quæ ſi obtineat, abſque omni ſcrupulo & nodo ſic ibi reddi poſſint verba in hunc ſenſum, *Manus Domini eſt contra Caſſiotim*, (regionem Amalechitarum, nam) *Bellum eſt Domino cum Amalecho a ſæculo in ſæculum.*

§. IV. *Rhinocorura. Arabs notatus.*

PErvenimus jam ad fluvium *Sichor*: *Fluvium Ægypti* dictum, non quod intra ditiones *Ægyptiacas* foret, ſed quod *Judæis* foret limes verſus *Ægyptum*. Ibi olim *Rhinocorura*, unde LXX. in *Eſaj.* 27. 12. עד-נחל מצרים, *uſque ad fluvium Ægypti*, reddunt Ἕως Ῥινοκορούρων. Eos imitatum arbitror Interpretem *Arabem*, & primitus ſcripſiſſe כורור, *Corura*; aſt irrepſiſſe tandem punctulum in literam ultimam, atque ita eam ab *r* in *n* mutatam, ita ut jam legamus כורון, Interpret. Lat. *Coronis*.

§. V. *Avæorum regio; pars novæ Idumææ.*

TRanſito fluvio, intramus in *Idumæam novam*, regionem olim *Avæorum*. *Hazerim* Paginæ Sacræ; *Deuter.* 11. 24. Interpretibus Orientalibus *Raphiam*. Plin. *Rhinocorura & intus Raphia Shur* etiam aliquando Paginæ Sacræ, atque pro ea, illis *Chagra*. Unde *montis Angaris* nomen, de quo Plin. *Gaza & intus Anthedon Mons Angaris*. Nam dum Syri *Chaggara* pronunciarent, Græci duplex *Gamma* per *n g* efferrent & dicerent *Angara*.

*Shur* etiam ab Orientalibus aliquando redditur חלוצה, *Chaluzzah*: ut *Targ. Hieroſ.* in *Geneſ.* 16. 7. & *Jonath* in *Exod.* 15. 22. Arabs *Gerarim* ita reddit, *Geneſ.* 20. 1. & Jonath. *Bared*, *Geneſ.* 16. 14. *Bared* quidem, quæ *grandinem* ſignificat, *Græce* reddis χάλαζα: atque an Targumiſtæ Græco vocabulo utantur, cum reddunt *Chaluzzah*, judicet lector.

*Shur*, Interpreti *Syro* aliquando eſt שור, *Sud*: ut *Exod.* 15. 22. puncto notificativo in litera ultima male diſpoſito, in *Geneſ.* 16. 7. *Shur*, & 14. *Bared* ab eo redduntur *Gedar* pro *Gerar* eodem errore. *Bared* Arabi, ibi eſt *Jared* duobus punctulis ſub litera prima, pro uno tantum ſubjectis.

Finiebatur *Avæorum* regio, quocunque eam nomine nuncupaveris, ad *Gazam*: protenſa illuc longitudine, a *fluvio Ægypti* 44. M. paſſ. At non ibi terminabatur *Idumæa* quam quærimus, verum exporrigebatur ea ulterius in *Judæam*, totam latitudinem terræ, a Mari Mediterraneo ad *Sodomiticum*, pro protenſione ſua ſub iſto nomine abſorbens.

§. VI. *Tota Simeonitis inter Idumæam.*

ABſorpſit primo totam *Simeonitin*, cujus magna quidem pars concluſa erat intra regionem *Avæorum*, at non parva etiam protenſa ulterius in *Judæam*. Memorantur urbes ejus *quatuordecim*, *Joſ.* 19. ſi ſingulatim numeres; & computantut tantum tredecim, *verſ.* 6. ubi LXX. numerum æquum expediunt, dum שרוחן non pro urbe accipiunt, ſed reddunt οἱ ἀγροὶ αὐτῶν, ac ſi legiſſent שדיהן: ſed videtur potius *Sheba* concludi in unam cum *Beersheba*, & ſic æquatur numerus.

§. VII. *Tota regio Auſtralis Judææ intra Idumæam.*

ABſorpſit etiam totam regionem *Judææ* Auſtralem, quæ generalius duobus nominibus inſigniebatur דרומא עילאה ותתאה *ſuperioris & inferioris*. Specialius vel diffuſius, ut nonnullis *Judæorum* placet, ſeptem: 2. דרום 2. נגב 3. תימן 4. ים 5. ימין 6. הדר 7. סינים vel סינינים. Et aliquando מדבל הרים. *Hieroſ. Sanhedr.* fol. 18. 4. *Beresh. Rabba*. §. 52.

Ita ut, cum Pagina Sacra Auſtrum *Judææ* diſterminet ab *Idumæa*, *Numer.* 34.

34. & *Jos.* 15. rupta jam sit linea ista terminationis, & totus Auster *Judææ* audiat etiam *Idumæa*. Atqui hic obiter, non possum non Interpretem Arabem notare, qui *Edom* in *Jos.* 15. 1. reddit אל רום, *Romam*. Quo jure, ipse videat, & *Judæi*, qui Romanos vulgo vocant *Edomæos*.

Quantum se intra *Judæam* intruserit *Idumæa* hæc nova, non est definiendum, cum quidem limites nullos admiserit, nisi ubi non potuerit, vel vis, vel fraus istius gentis seipsam ulterius protrudere. Si *Josephum* adeas, hic illic de ea loquentem, credas eam ad *Hebronem* fere exporrectam. Inde forsan conatus isti quorundam, *Montanum Judææ eximendi a decimatione*. *Hieros. Demai*, fol. 24. 4. Cujus conaminis aliam rationem vix concipere possumus, quam quod regio ista jam nimis Ethnicissarit, & non exigerentur decimæ ab Ethnicis. Nam erant hi Idumæi tantum non Ethnici; in ritus quidem Judaicos transierant, at nec amici Judæorum, nec religionis.

§. VIII. *De Palæstina tertia, aut salutari*.

DUm *Idumæam* hanc novam cogito, subit suspicio, an *Palæstina tertia*, quæ & *salutaris* dicitur in Notitia Imperii Orientalis, non intelligi possit de ipsissima hac parte *Palæstinæ*. Et dum illud cogito, subit iterum ambiguitas de partitione *Palæstinæ* in dichotomiam apud *Codicem Justinian. & Theodos.* & in trichotomiam apud *Notitiam*.

In Edicto Theodosii & Valentiniani, *Cod. lib. 1. tit. de Judæis & cœlic.* §. 17. hæc habentur. *Judæorum Primates, qui in utriusque Palæstinæ Synhedriis dominantur, vel in aliis Provinciis degunt, periculo suo anniversarium Canonem de Synagogis omnibus, Palatinis compellentibus, exigant ad eam formam, quam Patriarchæ quondam, coronarii auri nomine postulabant*, &c.

Mentio *utriusque Palæstinæ*, tripartitionem videtur plane excludere, aut saltem concludere, Synhedria in tertia parte non fuisse: nam tertiam partem absque omni scrupulo exhibet *Notitia Imperii*, apud quam disponuntur

*Sub dispositione viri spectabilis Comitis Orientis Provinciæ infra scriptæ*
*Palæstina.*
*Phœnice.*
*Syria.*
*Cyprus.*
*Palæstina secunda.*
*Palæstina salutaris.*
*Phœnice Libani*, &c.

Et Justinianus, *Novell.* 103. *Cum una prius tota Palæstina esset, ea deinde in tres divisa partes*.

Primæ caput assignat idem Imperator *Cæsaream*. Guillj. Tyrius, *Hierosolymam*. *De bello sacro*, lib. 13. cap. 2. Et de secunda & tertia non convenit ei & Pancirolo. Nam Metropolis secundæ Tyrio est *Cæsarea*, & tertiæ *Scythopolis*. Pancirolo secundæ *Samaria*, & tertiæ *Hierosolyma*.

Primam, fide *Justiniani*, merito opineris istam fuisse, cujus caput *Cæsarea*: secundam, ipsa quidem ratio suadebit fuisse *Hierosolymitanam*: & ubi tertiam quæras, ego profecto nescio, si non in hac nostra *Idumæa*. Dissimulandum certe non est, quod apud Notitiam Imperii, in schemate Præsidiorum Romanorum picturis effigiato, pingitur *Jordanes* inter ea interfluens, quinque hinc dispositis atque octo illinc: ita ut videri possit tertiam partem fuisse *Trans-Jordanicam*. At vero, an ea partim sub duce *Syriæ* non sit ordinanda, aut *Arabiæ*, non hic disputabitur; at sunt quædam quæ tali sententiæ videntur arridere; partim apud ipsam *Notitiam*, præsertim vero apud authores allegatos.

Si ergo dabitur conjecturæ nostræ locus de *Idumæa* hac *nova*, est quod respondeatur de Synhedriis *utriusque Palæstinæ*, non negata interim Trichotomia. Perpendendum quidem est, Synhedria fuisse sub temporibus *Theodosii & Valentiniani*: erantque olim in *Palæstina*, cujus caput *Cæsarea*, & in *Palæstina*, cujus caput *Hierosolyma*; at non in *Idumæa* ista de qua loquimur, cujus caput, an statuas *Gazam*, an *Ascalona*, an *Eleutheropolim*, de qua tam frequenter Hieronymus, & forsitan Beresh. Rabba in sect. 42. non decernimus.

Mentio quidem occurrit apud Talmudicos de זקני דרום, & דרומאי, *Rabbinis Australibus*: at non ita dictis, ideo quod in ultimis partibus *Judææ* Australibus habitarent; nam de *Jafnensibus* & *Lyddanis* est titulus; sed quod Judæa ab Austro foret Galilææ. Nam *Tiberienses* illos isto titulo insigniunt.

At qnænamcunque tandem fuerit *Palæstina* ista *tertia*, non minor insuper emergit scrupulus, quare ea vocata *Salutaris*.

Pancirolus vult, a salubribus aquis: easque *Emmaunte* in Judæa fluere, didicit ille a *Sozomeno*, lib. 5. cap. 21. Fon-

Fontem scilicet ubi Christus lavit pedes Discipulorum, *unde aqua*, ut verbis ejus utar, *facta est diversarum medicamen passionum*.

At præterquam quod fabulam satis sapit ista historia, decepit primum ejus authorem, me judice, vox *Emmaus*, quæ quidem aliquando pro *Ammaus* scribitur, *Thermas* denotante, & vocem *Chammath* in Græcanicam pronunciationem traducente: at vix compererat author historiæ, quicunque is primus fuit, oppidum Judææ *Emmaus* apud Judæos scriptum עמאוס, sed חמת, vel אמאוס, longissime a significatione *Thermarum*.

His adde etiam, quod apud eandem Notitiam est mentio *Galatiæ Salutaris*, & distinctio *Macedoniæ* & *Macedoniæ Salutaris*, *Phrygiæ Pacatianæ* & *Phrygiæ Salutaris*, *Syriæ Euphratensis* & *Syriæ Salutaris*. In quibus omnibus locis aquas salubres invenire erit difficilius: & exempla quæ de aliquibus earum profert author allegatus, adeo squallent incredibilitate, ut ea pudeat post illum referre.

Dictas hasce regiones ego mavelim a Cohortibus & Alis Militiæ Romanæ *salutaribus*; nam memoratur ab eadem Notitia, *Ala salutis*; ut *Ala secunda salutis* sub Duce Phœnices, & *Cohors prima salutaria* sub Duce Palæstinæ: vel forte Præsidia Romanorum munitissima robustissimaque, & quæ maxime ad salutem & pacem totius regionis conduxerunt, erant hic sita. Et in *Idumæa* hac nostra, quam *Palæstinam Salutarem* vel *Tertiam* supponimus, dispositi erant, idque e laterculo majori.

*Equites Dalmatæ Illyriciani Berosabæ*, vel in *Beersheba*.

*Equites Scutarii Illyriciani Chermulæ*, vel in *Carmelo*, ubi habitavit *Nabal*.

*Equites Promoti Indigenæ Zodecathæ:* quam suspicor esse *Speluncam Zedechiæ*, de qua Talmudici.

*Equites Sagittarii Indigenæ Zoaræ*. Sed hæc in medio relinquantur.

Et jam ut illuc redeatur, unde excitata est tota hæc dissertatio, cum dicitur a S. *Marco*, *Quod Jesum secuta est multitudo magna a Galilæa & Judæa, & Hierosolymis, & ab Idumæa, & a trans Jordanem*, notam ille & vulgarem tunc temporis terræ Israeliticæ partitionem retinet, licet non iisdem terminis. Partitio erat in *Judæam* יהודה, & *Galilæam* גליל, & *Trans-Jordanicam* עבר הירדן. *Galilæam* & *Trans-Jordanicam* habet ille in terminis. Et pro *Judæa* in genere, nominat ille partes, *Hierosolymas*, & *Judæam* ut distinctam ab *Idumæa*, & *Idumæam* ut partem meridionalem *Judææ*.

## CAP. II.

### Eremus. Marc, 1. 4. 12.

I. Ἔρημος *variæ significationis*. II. מדבר יהודה, *Eremus Judæ*. III. *Schema Asphaltitis, & Eremi Judæ, vel Idumææ adjacentis*. IV. Ἔρημος Ἰουδαίας, *ubi Joannes Baptista*. V. Μέλι ἄγριον, *Marc.* 1. 6. VI. Περίχωρον τοῦ Ἰορδάνου, *Matth.* 3. 5.

IN Eremo nos sistit vox Ἔρημος, adeo variæ ea & dubiæ significationis.

I. Aliquando *agros* vel *rus* tantum denotat in Antithesi ad urbem: quod observavimus ad *Matth.* 3. 1. ubi si cui displiceat quod *Seam Eremi* reddidi *Seam rusticam*, cum reddi posset, & forsan deberet, Seam qua usi sunt Israelitæ cum castrametarentur in Eremo, pro isto aliud, si vult, habeat exemplum.

*Schabb.* fol. 45. 2. & *Bezah*, fol. 40. 1. אין משקין השוחטין את המדבריות, *Non potant & mactant pecora Eremi*. (Gloss. usitatum erat pecora potare ante mactationem, ut facilius excoriarentur.) אבל משקין את הביתיות, *At potant pecora domestica*. *Et hæc sunt* מדבריות, *Pecora Eremi, ista quæ exeunt pastum tempore Paschatis, & domum redeunt ad pluviam primam*, i. e. mense Marcheshvan. *Rabba dicit, hæc sunt pecora Eremi*, כל שרועות אפרב, *nempe omnia quæ pascuntur in pratis, & ad domos non accedunt*. Gloss. מדבריות הבדייתות, *Pecora Eremi ea sunt quæ foras sunt in agris*.

II. Vox מדבר, Ἔρημος, regionem campanam denotat, ubi non distinguitur sepibus ager hujus ab agro illius.

*Bava Kama*, fol. 79. 2. *Non alunt pecora minutiora in terra Israelitica, at in Syria alunt*, ובמדברות שבאי, *& in Eremis terræ Israeliticæ*.

Gloss. *Non alunt pecora talia in terra Israelitica, ne depascantur agros: agri autem in terra Israelitica sunt absque dubio alicujus Israelitæ*. At vero in desertis paverunt, id est, ubi non distinguebatur ager ab agro, sed totum erat communis juris. Hinc intelligas quid denotetur per *desertum Ziph*, *Maon*, *Tekoæ*, &c. nempe regio vel rus, urbibus adjacens, ubi etiam erant sparsæ domus, præsertim vero, vel *le champagne*, ubi non distinctio sepium, vel montanum, & quod incultius.

III. Non necesse est loqui de desertis omnino incultis, & non habitatis, qualia sunt deserta *Arabiæ*, *Lybiæ*, &c.

## §. II. מדבר יהודה.

CAchinno forsan excipietur, si distinguam *Eremum Judæ* ab *Eremo Judææ*. Et risum quidem merebatur olim talis distinctio: at cum absorpsisset, ut ostendimus, nomen *Idumææ*, magnam partem *Judææ*, tum non solum tolerandum erat, sed etiam necessarium, ut distingueretur inter *Eremum Judæ*, de qua *Jos.* 15. 61. & *titulus Psalmi* 63. & *Eremum Judææ* ubi baptizavit *Johannes*.

Psalmi istius titulus in fonte Hebræo, sic se habet. מזמור לדויד בהיותו במדבר יהודה *Psalmus Davidis cum esset in Deserto Judæ*. At Græci interpretes reddunt, Ψαλμὸς τῷ Δαβὶδ ἐν τῷ εἶναι αὐτὸν ἐν τῇ ἐρήμῳ τῆς Ἰδουμαίας. Et Vulg. *Psalmus David cum esset in Deserto Idumææ*. Non bonos quidem interpretes agentes, at non malos tamen Paraphrastas. Sic *Hierem.* 9. 26. על יהודה ועל ארום, Ἐπὶ Ἰδουμαίαν καὶ ἐπὶ Ἐδώμ.

Si quæras, ubinam fuerit *David* cum Psalmum istum compingeret: respondetur a I. *Sam.* 24. 1. In *eremo Engaddana*. Sique locum peculiarem ulterius investiges, erat illic, ubi postea conditum est *Masada castellum*. Nam parum dubito, locum istum, prout eum describit *Josephus*, *de bell.* lib. 7. cap. 31. eundem fuisse cum צורי היעלים, *rupibus hircorum silvestrium*.

Provoco hic Tabulas earumque authores, apud quos *Engedi* & *Masada* (& *spelunca Lothi*) statuuntur non adeo longe ab extrema ora *Asphaltitis* Septentrionali. Dicant an eo usque protensa fuerit *Idumæa*. Si non, corrigant interpretes quos nominavimus. Et quamvis ita, demonstrent illi qua authoritate loca ista ibi statuunt, & me amice corrigant longe alibi collocantem.

## §. III. *Schema Asphaltitis & Eremi Judæ, vel Idumææ adjacentis.*




Extra limites quidem nostros jam sumus; at ut speramus non extra limites veritatis: verbo ergo uno & altero, situs quem locis his attribuimus, sic confirmatur.

I. In *Genes.* 10. 19. ex parallelo statuuntur *Gaza & Sodoma*.

II. *Lasha* est *Callirrhoe*. Sic *Jonath.* עד לשע reddit עד קלרוהי, *usque ad Callirrhoen*. Sic & *Bereshith Rabba*, & *Hierosolymitani*, *sect.* 37. *Megill.* fol. 71. 2.

Situm ejus habes apud *Plinium*, *Natur. Hist.* lib. 5. cap. 17. ab eadem ora qua *Macherus*. *Prospicit Asphaltiten*, inquit ille, *ab Oriente Arabia Nomadum*, *a Me-*

*a Meridie Machærus --. Eodem latere eſt calidus fons medicæ ſalubritatis Callirrhoe.*

Et jam obſervetur e *Geneſeos* loco allegato, eodem modo quo diſponuntur *Sidon* & *Gaza*, limites ab iſta parte Occidentali, ita & ſtatui *Sodomam & Laſham* ab Orientali, illam a Meridie, hanc ab Aquilone, reliquaſque urbes hoc ordine ſtetiſſe. A *Laſha* verſus Meridiem *Zeboim*, poſt eam *Adamam*, poſt eam *Gomorrham*, & poſt eam in ultima ora Auſtrali, *Sodomam*.

III. Longitudine extenditur *Aſphaltitis*, inquit *Joſephus*, *de bello*, lib. 4. cap. 27. Μέχρι Ζοάρων τῆς Ἀραβίας. Et *Deuteron.* 34. 3. *Moſes* a monte Nebo, *Zoarem* proſpexit ab extremitate terræ ab iſta parte, ſicut extremitates ejus proſpexerat ab aliis.

IV. Engedi eſt *Hazezon Tamar*. Targ. Onkel in *Geneſ.* 14. 7. Vide 2. *Paralip.* 20. 2. & *Tamar* erat ultimus limes Auſtralis, *Ezech.* 47. 19. עין גדי תמריה. *Bereſh. Rabb.* ſect. 26.

V. *Judææ terminus*, ait Solinus, cap. 38. *erat Maſada Caſtellum; & ipſum haud procul Aſphaltite*. Conf. *Plin.* lib. 5. cap. 17.

Dicit quidem *Joſephus*, *de bello*, lib. 4. cap. 24. hoc Caſtellum fuiſſe ὀ πόῤῥω Ἱεροσολύμων, quod diſpoſitioni iſti, quam ei aſſignamus, videtur adverſari.

At præterquam quod litigare liceret de iſta lectione, Hiſtoricis cum ſit uſitatiſſimum, vocibus ὀ πόῤῥω & ἐγγὺς uti ſenſu latiſſimo & laxiſſimo, vix quicquam ſuper illud ſuperſtruxeris. Sic Solino, ubi ante, *Callirrhoe eſt fons Hieroſolymis proximus*, cum tamen heu quantum diſtaret! Et Straboni, *Geograph.* lib. 8. *Lechæum* eſt, Λιμὴν τῆς Ἰταλίας ἐγγὺς, cum tamen diſtaret pluribus milliarium centuriis.

*Maſada*, Hebraice eſt מצדה, quæ *Munitionem denotat*, idque merito, cum Caſtellum illud foret munitum ad miraculum fere uſque. Deſumitur nomen a 1. *Sam.* 23. 14. & 24. ubi LXX. Syrus & Arabs videntur legiſſe מצרה per ר *Reſh*, non ד *Daleth*. Nam illi in loco priori legunt, Ἐν τοῖς στενοῖς: & in poſteriori, Ἐν Μασερὲμ (alii Μασερὲθ) ἐν τοῖς στενοῖς. Syr. & Arabs, *Maſroth*; ac ſi legiſſent in fonte במצרות. Sic *Joſephus*, *Antiq.* lib. 6. cap. 14. Αὐτὸς (Δαβίδης) μετὰ τῶν σὺν αὐτῷ εἰς τὴν Μασθήρων ἀνέβη στενήν.

§. IV. *Eremus* Ἰουδαίας, *ubi Joannes Baptiſta*.

HUc uſque provecti ſumus in *Eremum Judæ* vel *Idumææ*, idque lubentius, quod in ea deſcribenda, deſcripſi etiam aliquam partem *novæ Idumææ*, de qua agebatur Capite antecedente. Jam quærimus Ἔρημον Ἰουδαίας, de qua Evangelia, in hiſtoria Baptiſtæ.

I. Et primum, ſine obſervatione præterire illud non poſſumus; quod *non ſine Prophetica prædictione* ſolum comparuerit ille primum, prædicans in Eremo, *Eſaj.* 40. 3. ſed *non ſine myſterio* etiam. Nam cum mundus Ethnicus frequentiſſime apud Prophetas vocetur *Eremus*, promittatque Deus ſe magnifica facturum iſti *Eremo*, ſtagna aquarum illic producturum, fertilitatem omnimodam illuc introducturum, atque horridum deſertum immutaturum in amœnitatem Paradiſi, (quæ omnia ſenſu ſpirituali erant præſtanda per Evangelium) optime quadrabat hiſce promiſſionibus, ut Evangelium initium ſuum ſumeret in eremo, etiam ſecundum literam.

II. Natum Baptiſtam ego quidem arbitror *Hebrone*, civitate *Aaronitica*, in montano *Judææ*, Joſ. 21. 11. Luc. 1. 5. 39. ipſum utroque parente *Aaronitam*. Oſtenditur alibi peregrinantibus domus ejus incunabulorum; de qua quære, an *Beth Zacharia*, cujus mentio apud Joſephum, *Antiq.* lib. 12. cap. 14. & librum primum Maccabaικῶν, Cap. 6. 33. iſti traditioni non præbuerit fundamentum. Diſtabat ea a *Bethſura*, ut colligere eſt ex eodem *Joſepho*, 70. tantum ſtadiis aut circiter: (per quam vocem LXX. reddunt *Bethel* Auſtralem in 1. *Sam.* 30. 27.) & an conveniat ſitus, quærat cui talia placent.

Oſtenditur & cellula ejus ulterius in eremo, ut dicitur *Judææ*, rupe exciſa, una cum cubili, & fonte juxta fluente; quæ credulis relinquimus: eremus certe ubi prædicans baptizavit, longe alias eſt inveſtiganda.

III. Dicit *Lucas*, quod *factum eſt verbum Domini ad Joannem in eremo*, καὶ ἦλθεν εἰς πᾶσαν περίχωρον τοῦ Ἰορδάνου. Migravit ille ab eremo in eremum. In eremo, in montano *Judææ* juventutem tranſegerat, ut vir privatus; non ut eremita, ſed in opificio aliquo aut ſtudio verſatus, nec quidquam auſteritatis ſuæ ſibi aſſumens, præter *Naziræatum* ante annum ætatis tricesimum.

Tunc

Tunc invasit eum Spiritus Prophetiæ, & *factum est ad eum verbum Domini*, de functione & munere ejus eum edocens, de victu & vestimentis instruens, & ad locum ubi inchoandum ejus ministerium dirigens.

Erat iste locus regio *Hierichuntina*, vel illa quæ inter urbem istam & *Jordanem* erat interjecta, & sic hinc & illinc eodem spatio, nec non cis *Hierichunta*, versus *Hierosolymas*. Regio, & titulo quem tribuunt Evangelistæ, consonantissima, & ministerio Joannis commodissima. Nam

I. Eremosa satis superque erat, secundum quod dicitur, *Venit Johannes prædicans in eremo*.

*Spatium*, inquit Josephus, *de bello*, lib. 4. cap. 27. *a Jerichunte ad Hierosolymas, desertum est & petrosum. Ad Jordanem vero & Asphaltiten planius quidem, at æque desertum est & sterile*.

Et *Salignacus*, Tom. 9. cap. 5. *Iter ab Hierusalem difficillimum est, lapidosum ac asperrimum, cui simile me vidisse non memini. Hiericho distat a Jordane, decem fere milliaribus*, &c.

II. Distinctive potuit hæc regio dici *Eremus Judææ*, quia aliæ regiones *Judææ* denominationes alias suas habuerunt. Ut *Montanum Regale - Planities Austri. Planities Lyddæ. Convallis ab Engedi. Betharonis* περίχωρος, &c. *Hieros. Sheviith*, fol. 38. 4.

III. Eremosa adeo, licet foret regio ista, multitudine hominum tamen abundavit maxime. Nam præterquam quod frequentes hic illic sparsæ essent in ea villæ. 1. Ipsa *Hiericho* erat urbs *Hierosolymæ* dignitate proxima. *Hieros. Taanith*, fol. 67. 4. 2. Erant semper in ea 12000. viri ex *Ephemeriis* sacerdotalibus. 3. Terebatur assidue via ista a turba numerosissima, partim inter civitates istas itinerantium, partim ex aliis tractibus *Judææ*, itemque ex *Ephraimitide* in *Peræam* tendentium, & e contra. 4. Ministerium suum inchoavit *Joannes* circa tempus Paschatis, cum turba illac conflueret longe numerosior.

IV. Commodissima erat hæc regio, victui & escæ ejus, quoad mel agreste, de quo pauca.

### §. V. Μέλι ἄγριον. *Marc.* 1. 6.

CUm toties iteretur in Sacra Pagina, Deum dedisse populo Israelitico *terram fluentem lacte & melle*; hinc I. concluderes, totam terram sic fluxisse, & II. hinc expectares infinita apum alvearia. At audi quid de his Talmudici.

*Hieros. Biccurim*, fol. 64. 2. *Dicit* R. Jonah, *Terra fluens lacte & melle, est terra cujus aliqua pars fluit lacte & melle*. Et partem istam ajunt esse in *Galilæa*; nam sic ajunt, *Per sedecim milliaria undiquaque a Zippore est terra fluens lacte & melle*: de qua re & regione dicturi sumus alibi.

*Biccurim*, cap. 1. hal. 15. *R. Jose Galilæus dicit, Non afferunt primitias e regione quæ trans Jordanem, quia ea non est terra fluens lacte & melle*. Et oportuit primitias offerentem, dicere, *Deus dedit nobis hanc terram fluentem lacte & melle, & jam attuli primitias terræ, quam tu, O Domine, dedisti mihi*. Deuter. 26. 9. 10.

Quomodo autem fluxit melle, ea pars quæ fluxit?

Disce a *Rambamo* in locum, ורצה מאמרו ודבש דבש של תמרים, *Cum dicit, & melle*, inquit ille, *intelligit mel palmarum. Nam palmæ quæ sunt in planitie & in convallibus, abundant melle admodum*.

Erat & mel distillans a ficubus.

*Chetubb*. fol. 111. 2. *Dicit R. Jacob ben* דוסתאי, *Dosithei, Profectus sum tempore quodam a Lydda ad Ono ante diluculum, ad talos usque in melle ficuum*.

Hec est Μέλι ἄγριον, de quo ut victu Baptistæ Evangelistæ: & quam commoda huic rei regio *Hierichuntina foret, quæ regio Palmarum audiit, cuivis oculo est conspicuum. Diodorus Siculus*, lib. 19. de gente quadam Arabum hæc ait. Φύεται αὐτοῖς τὸ πέπερι ἀπὸ τῶν δένδρων, καὶ μέλι πολὺ τὸ καλούμενον ἄγριον, ᾧ χρῶνται ποτῷ μεθ' ὕδατος. An & æque commoda venationi locustarum, non dicimus: certe in hac re etiam regioni nulli cessit, si vel sterilitas vel fertilitas istis gignendis conveniret; nam erat *Hiericho* & regiuncula adjacens ut hortus amœnitatis, in medio deserti. Commodissima certe fuit grandi isti operi a Baptista præstando, baptizationi in *Jordane*.

### §. VI. Περίχωρος τοῦ Ἰορδάνου. *Matth.* 3. 5.

HIc non inutile est illud *Borchardi*, cap. 7. 26. *Scias quod ab ortu Jordanis sub Libano, usque ad solitudinem Pharan, fere per centum milliaria, ipse Jordanes in utroque littore, campos habet latos & amœnos, qui retro circumdantur altissimis montibus*. Cujus rei veritatem, si oculi ejus non experti fuissent,

sent, discere potuisset a *Josepho*, qui hæc ait: *de bello*, lib. 4. cap. 27.

*Imminet Hierichunti montanum, protensum, Aquilonem versus, usque ad terram Scythopolitarum, & versus Austrum, ad regionem sodomiticam atque ultimos fines Asphaltitis: salebrosum autem est & non habitabile propter sterilitatem. Ex adverso procurrit Montanum juxta Jordanem, incipiens a Juliade & regione Aquilonari, & protensum versus Austrum usque ad* Gomorrha, *in quæ terminat Petram Arabiæ. Medium inter duo hæc montana vocatur* Μέγα πέδιον, *Magna planities, ab oppido Ginnabri, extensa usque ad Asphaltiten, Longitudine* Mcc. *stad. latitudine* Cxx. Καὶ μέσον ὑπὸ τοῦ Ἰορδάνου τέμνεται: *atque in medio interscinditur per Jordanem*. Planities Jordanis ante eversionem Sodomæ, *&c. Genes.* 19. est περίχωρος in LXX.

Docent ista quæ sit περίχωρος Ἰορδάνου: & adjecta vox πᾶσα ab Evangelista, suadere potest & ulteriorem etiam ripam comprehendi posse, præsertim vero, si perpendatur quam nihil fere distantiæ fluvius interposuerit. Adeo modicum spatium excepit, ut referant Gemaristæ, *Incendium in hac ripa accensum ad alteram transvolasse*: & supponunt aquam ab hac ripa, ad illam posse spargi in cautione ista; *Ne accipiat quisquam aquas purificationis & cineres purificationis, & transvehat trans Jordanem: nec stet in hac ripa, & spargat in aliam. Hieros. Bava Kama*, fol. 5. 3. *Babyl Jevamoth*, fol. 116. 2.

Utcunque: non ea latitudine fuit fluvius, quin quod duo ex adversis ripis stantes, potuerint se invicem intueri, aliquid ab hac ad illam trajicere, imo & confabulari: & tum cogita, an non & ulterioris ripæ incolæ etiam ad Baptistam confluxerint, tam prope eum existentes, & quasi intra conspectum.

Discutiunt Magistri, an *Jordanes* sit æstimandus *ut limes* terræ Israeliticæ, an *ut ipsa terra*: & occasio istius disputationis, oritur ex quæstione alia, nempe ista; Grex hominis unius separatur & dividitur in duas partes, pascuntur istæ duæ partes in locis distantibus; quæritur, an decimatio habenda sit ut de grege uno, an duobus? Hinc dilabitur discussio ad *Jordanem*: una pars gregis est cis *Jordanem*, altera trans. Si *Jordanes* sit æstimandus pro limite terræ, tum una pars est intra terram, altera extra. Si vero ipse, pro ipsa etiam terra, sit æstimandus, tum res se habet aliter. Inter alia in hac disputatione.

*Becoroth*, fol. 55. 1. *Dicit Rabbah Barbar Channah, dicit R. Jochanan*, אין ירדן אלא מבית ירחו ולמטה, *Non est Jordanes, nisi intus ab Hierichunte & infra*. Urinatore longe me peritiori opus est, ut arcanum hoc petat e fundo. *Jordanes non est Jordanes supra Jerichuntem*, paradoxum est quod ipsos Glossatores torquet, me ergo multo magis. Unus secundum meram literam rem intelligit; nam *qui vovet*, inquit, *se non bibiturum? Jordane, bibere potest supra Jerichunta*. Alius de *Jordane* ut limitante, imo ut nominato limite infra *Jerichunta* solum, *Jos.* 18. 20. Rei non immoramur. At si limitatio talis *Jordanem* occuparet, ut non esset *Jordanes* super *Jerichunta*, eadem limitatione intelligenda etiam est ἡ περίχωρος Ἰορδάνου, ut non sit nisi infra. Vide LXX. in *Genes.* 13. 10. 12.

Magistri hanc rem ventilantes, ex uno scrupulo alterum etiam cient, nam hæc inquiunt: *Jordanes effluit e spelunca Paneadis, pergit per mare Sibbechæum, per mare Tiberiadis, per mare Sodomæ*. והולך ונופל לים הגדול, *Et pergit & labitur in mare magnum*: ואין ירדן אלא מבירת ירחו ולמטה, *At non est Jordanes, nisi intus a Jerichunte & infra*. Demonstret aliquis mihi ubi fluat *Jordanes* e mari Sodomitico in mare Mediterraneum. Fluvius *Shibor*, *nigrorem* nomine suo ferens, pro eo censeri posset, si quis alius; at nec de eo hoc liquet.

Dum turbas vides ad *Joannem* congregatas, & lætanter in *Jordane* baptizatas, absque metu, absque periculo; heu! quantum *Jordanes* mutatus ab illo, in historia ista *Saligniaci!*

*Salign.* tom. 9. cap. 6. *Jordanes*, inquit ille, *quo loco Christus baptizatus fuit, ruinoso ædificio est insignis. Hic ergo flumen sanctum omnes peregrini ingressi, & corpora lavimus & animas; illa a sordibus, has a peccatis, res summi gaudii atque salutis, nisi tristis casus gaudia nostra turbasset: nam Medicus quidam Gallus, nostræ societatis, vir probus, cum flumen paulo longius ingrederetur, captus Crocodilo, ( Draconem dicas an bestiam, incertum ) absorptus fuit, non sine communi fratrum nostrorum tristitia*.

Eremus etiam, ubi tentatio Salvatoris Quadragesimalis, ab eadem *Jordanis* ripa erat, qua Baptizatio *Joannis*, attestante Sancto *Luca*, quod *Jesus* jam baptizatus, ὑπέστρεψεν ἀπὸ τοῦ Ἰορδάνου, *reversus est a Jordane*, ab eodem scilicet tractu quo illuc perrexerat.

CAP.

## CAP. III.

Γαζοφυλάκιον. *Marc.* 12. 41.

*I. Corbonæ variæ*. II. שופרות, *Cistulæ Corbanicæ*. III. *Corbona* לשכה. IV. *Ubinam* Γαζοφυλάκιον V. נר יוך *in Templo*. VI. *Hierosolyma*, *Herodoto est Cadytis*. VII. *Plateæ Hierosolymitanæ*. VIII. *Platea ducens a Templo versus Olivetum*.

ILlud quod dicunt Talmudici de rebus aliis nonnullis, *Shevuoth*, cap. 1. halac. 1. *Zebachin*, fol. 54. 2. שתים שהן ארבע, quod *duæ fuerunt*, *quæ quidem evaserunt quatuor*, locum etiam habere potest quoad *Corbonas*, vel thesauros sacros. Duæ fuerunt quoad finem, at quatuor quidem quoad expeditionem in istum finem.

I. *Shekalim*, cap. 5. halac. 6. Erat *Corbona* לבדק הבית, *ad restaurationem* & refectionem ipsius ædificii Templi; & *Corbona* לעכורת המקדש, ad parandum ea quæ necessaria erant ad cultum divinum, in Templo. Utraque etiam duplex.

Duplicitatem prioris habes in hac Traditione.

שתי לשכות היו במקדש, *Duo Conclavia erant in Templo*: לשכת חשאים, *Conclave silentum*, vel clandestinorum, *ubi viri pii obtulerunt clanculum*, *unde enutrirentur filii piorum parentum etiam clanculum*. Id est, Eleemosynas secreto contulerunt in pium hunc usum, ut non innotesceret quis contulerit. Sunt qui hos חשאים, arbitrantur eosdem fuisse cum *Essæis*; de qua re hic non disputabitur, nec hunc thesaurum charitativum inter *Corbonas*, de quibus agitur, numeramus, quippe quod nihil conferret ad res Templi. Sed pergit Traditio.

ולשכת הכלים:, *Et erat Conclave vasorum*, *ubi quicunque vas aliquod obtulit*, *illud projecit*. *Et post triginta dies Thesaurarii Conclave aperuerunt*, *&* *quodcunque vas in eo repertum est*, *quod commodum foret ad restaurationem ædificii*, *repositum est in istum usum*: *&* *quodcunque non commodum*, *vendebatur*, *&* *pretium ejus cessit* ללשכת ברק הבית, *Conclavi pro reparatione ædificii*.

Advertis ut fuerit *Corbona vasorum*, vel instrumentorum ferreorum, æneorum, argenteorum, &c. & *Corbona nummorum*: utraque in eundem finem, nempe in refectionem ædificii & structuræ Templi & atriorum, si quo modo collaberentur, aut male se haberent injuria temporis, tempestatum aut pluviarum.

Addit *Maimonides in Shekalim*, cap. 4. פרוכת של היכל, *Vela Templi etiam proveniunt e Conclavi pro restauratione ædificii*; *at vela ostiorum ex Corbona* לשכה, *de qua postea*.

### §. II. שופרות, *Cistulæ Corbanicæ*.

DUplex etiam erat *Corbona*, unde suppetiit sumtus pro rebus ad cultum divinum necessariis. Prima erat שופרות, vel *cistulæ* quædam, de quibus sic Magistri.

*Shekalim*, cap. 6. halac. 5. *Joma*, fol. 55. 2. יג שופרות היו במקדש, *Tredecim arculæ erant in Templo*, *quibus inscriptum erat* שקלין חדתין, *Sicli novi*, i.e. anni præsentis: עתקלן שקיין, *Sicli veteres*, vel anni præteriti: קינין, *Turtures*, &c.

Fusius planiusque *Maimonides*, ubi ante, cap. 2.

*In Templo fuerunt tredecim arculæ formatæ instar tubarum*, id est, angustiores superius, inferius dilatatæ.

*Prima erat pro Siclis anni præsentis*.

*Secunda erat pro Siclis anni præteriti*.

*Tertia*, *ei cui incubuit oblationem adducere duorum turturum aut columbarum*, *unam pro Holocausto*, *alteram pro sacrificio pro peccato*, *pretium ejus projecit in hanc cistam*.

*Quarta*, *ei qui alias oblationem debebat ex avibus*, *pretium ejus projecit in hanc cistam*.

*Quinta*, *ei qui nummum voluntarie obtulit ad coemenda ligna pro altari*.

*Sexta*, *ei qui nummum obtulit ad coemendum thus*.

*Septima*, *ei qui aurum obtulit pro propitiatorio*.

*Octava*, *pro quod supererat de sacrificio pro peccato*. *Cum scilicet nummum dicaverit quis pro sacrificio pro peccato*, *coemeritque inde sacrificium*, *&* *supersit aliquid*, *illud projiciat in hanc cistam*.

*Nona*, *pro quod supererat de sacrificio pro transgressione*.

*Decima*, *pro quod supererat de columbis pro profluviosis &* *puerperis*.

*Undecima*, *pro quod supererat de oblationibus Naziræi*.

*Duodecima*, *pro quod supererat de sacrificio leprosi*.

*Decima tertia*, *ei qui nummos offert pro Holocausto e jumentis*.

*Atque unicuique cistæ inscriptum erat illud*

*illud cui destinatus erat nummus qui in ea reconditus.*

In unam harum arcularum minuta sua duo projecit vidua laudata a Salvatore: ubinam autem istæ fuerint sitæ, quæremus illico.

§. III. *Corbona*, לשכה.

ERat & conclave, in quo in tres cistas evacuabatur quidquid nummi colligebatur in his de quibus diximus, quod Talmudicis vocatur emphatice & κατ' ἐξοχὴν לשכה, vel τὸ *Conclave*.

*Joma*, fol. 64. 1. *Tres cistæ erant, unaquæque continens tres Seas in quibus evacuant Corbonam, & iis inscriptum erat* א ב ג. *Et quare, inquit* R. Jose, *inscriptum erat Aleph, Beth, Gimel? Nempe ut dignosceretur quænam inter eas primum repleretur, ut ea primum evacuaretur.* R. Ishmael, *Shekalim*, cap. 3. *dicit, inscriptio erat Græce, Alpha, Beta, Gamma.*

Cistæ istæ de quibus hic agitur, eæ erant, in quas evacuatum est e tribus majoribus, quæ semper immotæ steterunt in conclavi: cujus evacuationis modum accipe a verbis glossematis in locum allegatum.

*Cistæ istæ in quibus repositus erat nummus, continebant Seas viginti septem,* ( unaquæque novem ) *& coopertæ erant linteo. Ingressus est ille qui evacuaturus erat cum cistulis tribus continentibus novem Seas. Replevit primo cistulam istam cui inscribebatur* א, *e prima inter tres cistas magnas; & deinde cooperuit eam linteo suo. Deinde discooperuit cistam secundam inter magnas, atque ex ea replevit cistulam secundam cui inscriptum erat* ב; *& rursus cooperuit eam. Deinde discooperuit cistam tertiam e magnis, & cistulam replevit cui inscriptum erat* ג: *sed alteram non iterum cooperuit*, &c.

De modo porro & tempore hujus evacuationis hæc Magistri.

*Shekalim*, cap. 3. *Ter in anno*, תורמין, את הלשכה *curant de conclavi*, ( nam liceat mihi hoc loco ita reddere ) id est, ut *Gloss.* ( E tredecim cistulis transtulerunt quicquid in illis fuerat collectum in tres magnas istas quæ in hoc conclavi, ac pariter eas evacuarunt in minores istas de quibus antea ) פרוס, הפסח *A spatio semestri ante Pascha, ante Pentecosten, & ante Scenopegiam*: vel *in initio mensis Nisan, & mensis Tisri, & quindecim diebus ante Pentecosten.*

Et hic non possumus non verba Glossatoris in locum Talmudicum, de quo quo jam agitur, exscribere, quippe quod locum apud Evangelistas non parum illustrant.

*Publicarunt*, inquit ille, *& notum fecerunt, quod oporteret eos adducere oblationem Domini*, ( Hemisiclum ) *illos qui propius erant*, ( Hierosolymam ) *ad Pascha, & illos qui remotius, ad Pentecosten, & qui remotissimi, ad Scenopegiam.* הלין רקריבי בפרוס פסח והלין דרחיקין בפרוס עצרת והלין דרחיקין מנהון בפרוס החג.

Hæc facem præbent historiæ apud Sanctum *Matthæum*, Cap. 17. de collectoribus *Didrachmæ* vel Hemisicli, eam exigentibus a Christo *Capernaumi*, cum jam longe præterierat festum Paschatis: sed pergimus.

*Is qui in conclave ingressus est, ut cistas evacuaret, non ingressus est cum veste complicata, nec cum calceis, nec cum sandaliis, nec cum Phylacteriis, nec cum amuletis*, &c. Ratioque erat, ut abesset & amoveretur opportunitas ac suspicio suppilandi, atque aliquid nummorum sub his abscondendi.

Cessit nummus inde petitus ad coemendum sacrificium juge, & libamina, salem, lignum, thus, panes propositionis, vestes Sacerdotum, & verbo uno, quicquid necesse erat ad cultum & ministerium Templi.

Imo *Rabb Asai*, *Chetubb.* fol. 105. 1. *dicit*, נוזרי נזירות בירושלם, *Judices de rebus raptis qui erant Hierosolymæ, stipendium suum nonaginta & novem Manas acceperunt* מתרומת הלשכה, *ex reditu conclavis.*

§. IV. *Ubinam* Γαζοφυλάκιον.

REs perquisivimus, loca jam investigemus.

I. Arculas istas tredecim quæ שופרות, vel *Tubæ* dictæ sunt, in *Atrio mulierum* statuimus absque omni hæsitatione: idque fide *Josephi*, *de bello*, lib. 5. cap. 14. Αἱ δὲ στοαὶ, inquit ille, de atrio loquens, *μεταξὺ τῶν πυλῶν, ἀπὸ τοῦ τείχους ἔνδον ἐστραμμέναι πρὸ τῶν γαζοφυλακίων, σφόδρα μὲν καλλοῖς καὶ μεγάλοις ἀνέχοντο κίοσιν.* *Porticus procurrentes inter portas, a muro interius protensæ ante Gazophylacia, pulchris & grandibus sustentabantur columnis.* His addamus verba Evangelistæ, *Joan.* 8. 20. Ταῦτα τὰ ῥήματα ἐλάλησεν ὁ Ἰησοῦς ἐν τῷ Γαζοφυλακίῳ. Si dictum foret κατέναντι τοῦ Γαζοφυλακίου tantum, quod ait *Marcus*; de Conclavium aliquo, de quibus diximus, potuisset intelligi: quem sensum sequi videtur interpres Arabs, qui reddit, quod *sederet*

*Jesus* ענר באב, *ad ostium* Gazophylacii. At cum dicatur, quod verba ista locutus est Ἐν τῷ Γαζοφυλακίῳ, omnimodo Conclavia ista excluduntur, in quæ Christum ingredi permissum fuisse, ridiculum foret opinari.

At nota Γαζοφυλακίων apud *Josephum* numero plurali, eumque de atrio mulierum loqui, & minime dubitaveris eum sub voce Γαζοφυλακίων, respexisse has arculas: Atque æque non dubitaveris, *Marcum* eodem respexisse, cum observaveris de fœmina apud eum esse sermonem, ut & eam, aliosque nummum injecisse εἰς τὸ Γαζοφυλάκιον, quod, ut ex his patet quæ ex Talmudicis protulimus, in alias *Corbonas* nec solitum, nec permissum.

Vocatur quidem hoc atrium vulgo apud Scriptores Judaicos עזרת הנשים, *Atrium mulierum*, non quod mulieres solæ illud ingrederentur, sed quod mulieribus non liceret ulterius progredi: eodem sensu quo Atrium exterius vocatur *Atrium Gentium*, non quod Ethnici soli illud intrarent, sed quod iis non liceret porro pergere. Dictum erat & istud vulgatissime הר הבית, *Mons Templi*: ita & hoc de quo agimus, Γαζοφυλάκιον.

Cum itaque dicatur a Sancto *Marco*, quod *Jesus sedit* κατέναντι τοῦ Γαζοφυλακίου, huc redit, quod sedit sub porticu ante quam positæ erant istæ arculæ. Et cum dicit *Joannes*, *Hæc locutus est Jesus* Ἐν τῷ Γαζοφυλακίῳ idem est ac si dixisset, Hæc locutus est *in Atrio mulierum*: Imo in isto loco ubi erant istæ arculæ, ut distingueretur locus iste ab aliis quæ erant in illo Atrio. Nam in unoquoque istius Atrii angulo erat & atriolum, unumquodque nomine proprio nuncupatum, ut patet ex *Middoth*, cap. 7. halac. 5. *Joma*. fol. 16. 1.

II. Situm ruliquarum *Corbonarum* de quibus mentionem fecimus investigare, non illud est quod jam agitur: nam quod propositum est ut pensum nostrum, expedivimus: At hoc, lectoris gratia, non monere non possumus; A latere Atrii Israelis Aquilonari fuisse portam, quæ vocabatur *Porta Corban*: imo collatis verbis Magistrorum, videntur fuisse duæ portæ eodem nomine, quarum unam si assignes לשכה׳ τῆ, *Corbonæ* isti, in quam evacuabatur nummus ex tredecim arculis, & alteram לשבת בדק הבית τῆ, *Corbonæ* isti quæ erat in refectionem aut restaurationem ipsius ædificii, forsan non aberraveris. *Middoth*, ubi supra, halac. 6. Certe probabiliorem aliquem locum apud Scriptores istos non inveneris.

§. V. גר יון *In Templo*.

IN Codice Talmudico *Zavim*, cap. 1. halac. 5. hæc occurrunt, obscura satis: ראה אחד, מרובה כשלש שהיא כמין גר יון לשילוח *Videt unam multiplicatam* (vel continuatam) *instar trium*, *quæ sunt sicut a Gad Javan ad Siloam*.

Res de qua agitur, est de detectione fluxionis alicujus profluviosæ. Exempli gratia. Detegit quis in se talem distillationem profluviosam, jam unam, mox aliam, illico tertiam; disputatur quanta aut quantilla temporis intercapedo sit assignanda, ut habeatur pro profluviositate una aut duplicata, & consequenter ad quantam aut quantillam oblationem teneatur pro ejus purificatione. Eo spectat traditio quam adduximus: nempe, si una vice talem fluxionem videat, quæ adeo continuatur, ut trium detectionum spatium excipiat, tantum scilicet quanto quis ambulare potest *a Gad Javan ad Siloamum*, הרי זה זב גמור, *Ecce homo talis est complete profluviosus*.

Docent nos Glossatores & Aruch quid fuerit גר יון, *Gad Javan*. Audi ipsos. גר יון, *est Phrasiologia deducta a verbis istis* הערכים לגר שלחן (*Esaj*. 65. 11. ubi LXX. Ἑτοιμάζοντες τῷ δαιμονίῳ τράπεζαν. Vulg. *Qui ponitis fortunæ mensam*. Interlin. *Jovi mensam*). *Et est locus ubi Reges Græci erexerunt Idolum: Sicut dicitur in codice Avodah Zarah, In angulo ortum æstivum spectante, Asmonæi abdiderunt lapides altaris, quod profanaverant Græci, Idolis suis*.

An Interpretes autem hi nostri *Gad Javan* supponunt esse conclave istud ubi latuerunt isti lapides, ab *Asmonæis* illic repositi cum altare restaurarent, de quo loco vide, si lubet, *Midd*. cap. 1. hal. 6. aut locum ipsum, ubi stetit Idolum, quære. At quantum inde spatii, quaque via inde processum ad *Siloamum*, O utinam definiissent. Hoc tantum de re ista dicunt, בדי ב׳ טבילות וכשני סיפוגין, quod *erat tantum spatii*, *quantum quis ambularet*, *dum quispiam se bis in balneo lavaret*, *& bis se abstergeret*.

In Templo jam existentes non possumus non nomen ejus observare apud Magistros usitatum בירה, hoc est, ut Aruch, *Palatium*.

*Ibid*. hal. 8. *Si casus nocturnus* (vel gonorrhæa) *cuiquam Levitarum obtingeret*, *egressus* והולך לו במסיבה ההולכת הבירה,

תחת הבירה *descendebat in Crytoporticum quæ sub Sanctuario deducebatur, ad balneum*, &c. Hæc referuntur de Templo secundo. Ast alibi, cum disputatur, an homines sub Templo primo, an secundo meliores essent, determinat *Rabbah*, *Joma*, fol. 9. *Hoc docere potest* בירה שחזרה לראשונים ולא חזרה לאחרונים, *Birah*, *quæ adfuit prioribus*, *ast non adfuit posterioribus*. Si per בירה intelligendum est ipsum Templum, affuit illud & prioribus & posterioribus. Si aliqua pars Templi, particularis, affuit ea etiam, ut liquet ex allegatis, posterioribus. At videtur ex filo dissertationis, loco citato, quod per בירה, *Rabbah* non intelligit ipsum Templum, sed gloriam Templi, & dotes istas divinas, *Ignem cœlestem*, *Arcam*, *Urim*, &c. quæ primo adfuerunt, abfuerunt autem a secundo. Nam illico dilabuntur in sermonem de cessatione Prophetiæ sub Templo secundo, & succedente, ejus vice *Bath. Kol.* Vox בירה est in ore *Davidis*, 1. *Paral.* 29. 19. לבנית הבירה אשר הכינותי.

### §. VI. *Hierosolyma Herodoto est Cadytis*.

SAlutemus & *Hierosolymam*, idque nomine suo gloriosissimo *Urbis Sanctæ*. Eodem eam indigitat *Herodotus*, si non plurimum fallamur, sub nomine *Cadytis*.

Ἀπὸ Φοινίκης, inquit ille, *in Thalia*, cap. 5. μέχρι οὔρων τῆς Καδύτιος πόλιος, ἣ ἐστὶ Συρίων τῶν Παλαιστινῶν καλεομένων.

*A Phœnice usque ad montes Cadytis, quæ est urbs eorum Syrorum qui Palæstini vocantur*.

*Hierosolymam* sub hoc nomine ab eo indigitari hæc suadent.

I. Vocabatur ea vulgo קדושה, *Sancta*. Moneta Judaica ubicunque dispersa, hunc titulum urbis enuntiavit. Jam vero cum Syrorum Dialecto usitatissimum foret ש in ת commutare, quam facile erat apud eos, atque apud exteras eos imitantes, *Cadysha*, in *Cadyta* & *Cadytis* transire, ut חדשה, *Nova*, in חדתא.

II. Comparat ille *Cadytin* magnæ urbi *Sardis*. Nam Ἀπὸ δὲ Καδύτιος, pergit ille, ἐούσης πόλιος, (ὡς ἐμοὶ δοκέει) Σαρδίων οὐ πολλῷ ἐλάσσονος, *Ab urbe Cadyti, non multo quam Sardis minori, ut ego arbitror*. Jam vero nulla omnino urbs intra *Palæstinam* digna erat quæ cum *Sardis* conferretur, nobilissima olim Metropoli, præter *Hierosolymam*.

III. Hæc ille etiam de *Necho* Rege Ægypti, *in Euterpe*, cap. 159. Καὶ Σύροισι πεζῇ ὁ Νεκὼς συμβαλὼν ἐν Μαγδόλῳ ἐνίκησε. Μετὰ δὲ τὴν μάχην Κάδυτιν πόλιν τῆς Συρίης ἐοῦσαν μεγάλην εἷλε· *Necus autem terrestri acie congressus cum Syris in Magdalo, victoria potitus est: Et postea Cadytin magnam Syriæ urbem cepit*.

Quæ si conferantur cum historia sacra de *Pharaone Necho Josiam* prælio debellante in valle *Megiddo*, & de throno Judaico disponente, 2. *Reg.* 23. 33. 34. rem statuunt extra omnem controversiam.

Pergit *Herodotus*. Ἀπὸ ταύτης (Καδύτιος) τὰ ἐμπόρια τὰ ἐπὶ θαλάσσης μέχρι Ἰηνύσου πόλιός ἐστι τῆς Ἀραβίης. Ἀπὸ δὲ Ἰηνύσου αὖτις Συρίων μέχρι Σερβωνίδος λίμνης. *A Cadyti emporia maritima usque ad Jenysum urbem, sunt Arabiæ; a Jenyso porro ad Serbonidem lacum sunt Syrorum*. Obscura satis, præsertim vero quænam fuerit urbs *Jenysus*. Memorant quidem Talmudici, *Hieros. Demai*, fol. 22. 4. עיינוש inter oppida quæ dicunt esse בתחום, Ἐν ὁρίῳ, sed non convenit situs: at rem non exagitabimus hoc loco.

### §. VII. *Plateæ Hierosolymitanæ*.

*Plateæ Hierosolymitanæ verrebantur in dies.*
שוקי ירושלם עשויין להתכבר בכל יום.

INde *Nummi qui reperti sunt in Hierosolyma coram mercantibus pecora, semper sunt decimæ. In monte Templi reperti, sunt*, חולין, *profani* vel communes. *In Hierosolyma cæteris diebus anni sunt communes; at tempore festorum, omnes sunt decimæ. At dicit R. Shemaja, Quanam hoc ratione? Cum plateæ Hierosolymitanæ verrantur quotidie*. *Pesachin*, fol. 7. 1. & *Mezia*, fol. 26. 1.

Gloss. *Semper sunt decimæ, & tempore festorum, & tempore non festorum. At in monte Templi nummi reperti, erant communes, etiam tempore festorum. Nam supponitur eos ab iis excidisse* (vel perditos fuisse) *in monte Templi, atque inde sunt communes. At quare in Hierosolyma tempore festorum erant decimæ? Et quare non dicitur, quod ab iis illic exciderant ante festum, sicut dicimus de monte Templi? Quia plateæ Hierosolymitanæ verrebantur in dies, & si illic perditi fuissent nummi ante festum, ii qui plateas verrebant, invenissent antea. At monti Templi non opus fuit ut verreretur quotidie, nam lutum & pulvis illic non hæsit, quia mons erat declivis: atque insuper non licuit cuiquam illuc ingredi cum calceis suis, aut pulvere in pedibus suis*.

Omittere non poſſum quæ dicit præterea.

*Plurimum carnis quæ comedebatur Hieroſolymis* ( tempore feſtorum ) *erat e Decimis* ( ſecundis ) *Nam vix morabatur quiſpiam illic donec omnes decimas ſuas comediſſet , at nummos decimarum dedit vel pauperibus , vel amicis ſuis in urbe . Et plerumque nummis decimarum coemerunt ſibi ſacrificia euchariſtica.*

### §. VIII. *Platea ducens a Templo verſus Olivetum.*

PEſachin, fol. 26. 1. *Rabban Jochanan ben Zaccai*, היה יושב בצלו של היכל , *Sedit ſub umbra Templi* , *&* *docuit populum per totum diem.*

Gloſſ. *Cum Templum fuerit altitudinis centum cubitorum , umbram projecit in longinquum valde , in plateam iſtam quæ erat coram* הר הבית , *Monte Domus . Atque ideo quod platea iſta ſpatioſa foret , & magnam hominum multitudinem poſſet continere , Jochanan illic docuit ob calorem . Nam nulla Synagoga potuit continere auditores.*

Platea iſta quæ erat *coram monte Templi* , ſecundum uſitatam loquendi formam , iſta erat per quam pergebatur ad Templum, ad portam Orientalem , de qua platea & populo illic ab *Hezekiah* congregato , prout *Jochanan* auditores ſuos illic congregavit, mentio habetur in 2. *Paralip.* 29. 4. Exiit hæc platea in vallem Kidronis per *portam Aquarum* . Et hac exiit Sacerdos vaccam rufam combuſturus in *Oliveto*. Et hac introiit magnus Pontifex noſter cum Palmis & *Hoſanna* . Vocatur hæc *Platea Templi*, Ezr. 10. 9.

## C A P. IV.

Ἡ κώμη ἡ κατέναντι. Marc. 11. 1.

I. *Iter Sabbaticum*. II. *Tabernæ in monte Oliveto* . III. מרחץ בית היני . IV. *Migdal Eder prope Hieroſolymam*. V. *LXX. Interpretes notati* . VI. *Pompa offerentium primitias*.

OTε ἐγγίζουσιν εἰς Ἱερουσαλὴμ, εἰς Βηθφαγὴ καὶ Βηθανίαν. Sic etiam *Lucas* ; cum per ordinem hiſtoriæ dicendum potius arbitreris, Εἰς Βηθανίαν καὶ Βηθφαγή. Nam in itineratione ſua acceſſit Chriſtus ad *Bethaniam*, atque ibi pernoctavit , *Joann.* 12. & ab oppido iſto perrexerat , jam per ſpatium fere milliaris, antequam pertingeret ad *Bethphagen & Bethaniam*, ut demonſtraretur hiſtoriam intelligendam eſſe, de loco ubi ſe mutuo contingunt *Bethania* & *Bethphage : Matthæus* ergo *Bethphagen* nominat ſolam.

Demonſtravimus alibi fuſius ex Talmudicis hæc duo, non parum in hujus rei elucidationem facientia.

I. Tractum vel partem unam montis *Oliveti* dictam fuiſſe *Bethaniam*, non ab oppido iſtius nominis , ubi habitavit *Lazarus*, ſed oppidum a tractu iſto ita dictum fuiſſe, tractumque a *dactylis* aut *palmis* illic naſcentibus בית היני.

II. Nullum fuiſſe omnino oppidum nomine *Bethphage*, ſed tractum alium *Oliveti* ita dictum fuiſſe, ob *groſſos* illic naſcentes בית פגי, vicumque aut plateam extimam *Hieroſolymorum* proxime ei adjacentem , eodem nomine fuiſſe nuncupatam.

Obſervavimus etiam locum iſtum in monte *Oliveti*, ubi ſe mutuo contingerent hi duo tractus *Bethania* & *Bethphage* , diſtitiſſe ab urbe , *itinere Sabbatico*, aut circiter : quod ut ad rem præſentem, quam tractamus , illuſtrandam applicetur, pauca dicantur de tali itinere.

Quouſque extenſi fuerint limites Sabbatici itineris, neminem latet. Et hoc etiam non lateat , emenſuratum fuiſſe iſtud ſpatium undiquaque extra urbes , ut certi ſtatuerentur termini , ne erraretur, & ſigno aliquo evidenti , notatum terminum , ne dubii hæſitarent in re, in qua ſitum erat apud eos tantum religionis.

Hæ regulæ Magiſtrorum , de emenſuratione bis mille cubitorum ab unoquoque urbis latere.

*Maimon. in Schabb.* cap. 28. *Civitatem quæ longa eſt vel quadrata, cum ei ſint quatuor anguli juſti, ſinunt eſſe ut eſt, & menſurant ei bis mille cobitos ab unoquoque latere.*

*Si ſit rotunda, formant ei quadraturam, & menſurant a lateribus iſtius quadraturæ.*

*Si ſit triangularis , formant ei quadraturam , & metiuntur a lateribus quadraturæ*, &c.

Et poſtea. *Non menſurant niſi funiculo quinquaginta cubitorum , eoque de lino.*

Et de ſignis limitum innuitur per Canonem iſtum.

*Bezah*, fol. 36. 2. *Non equitant ſuper beſtiam* (Sabbato & die feſto.) *Ne ſcilicet exeant ultra limites* . Ubi Gloſſ. *Quia non pedibus ambulat*, אינו רואה את סימני תחומין *Non videt ſigna limitum* .

Dicitur a *S. Marco* , quod Diſcipuli duo

duo a Christo missi, Ἐ͂υρον τὸν πῶλον δεδεμένον ἐπὶ τῦ ἀμφόδυ. Liceat conjectari, fuisse eo loci, ubi statum erat signum itineris Sabbatici ab urbe, ubi se mutuo contingerent via Sabbatica ab urbe, & via communis inde in rus.

### §. II. *Tabernæ in monte Oliveti.*

TAbernæ *filiorum Chanan*, חניות בני חנן, *vastatæ fuerunt, triennio ante excidium Templi. Hieros. Berach.* fol. 16. 1.

*Babyl. Mezia*, fol. 88. 1. *Et quare vastatæ sunt Tabernæ* ( חניות של Τῆς בית הינו ) Τῆς *Beth Heno triennio ante excidium Hierosolymæ? Quia facta sua stabilierunt super verba Legis*, &c.

Gloss. *Illud quod probibitum fuit per verba Sapientum, illi permissum invenerunt per verba Legis.*

Eadem est historia utrobique: Priori loco nominantur Tabernarii; posteriori, Tabernarum locus. Tabernarii erant בני חנן, Filii *Chanan*, vel *Jochanan*, ( nam Hierosolymitanæ linguæ, *Chanan* & *Jochanan* sunt idem. ) Locus erat בית הינו, *Beth Heno*, quam ego non vereor asserere eandem esse cum *Bethania*. Ratio audaciæ, duplex est. I. Quia Talmudici *Bethaniam* vocant בית חיני, *Beth Hene*, ad quam prope accedit *Beth Heno*? II. Quia aperta apud eos est mentio *Tabernarum in monte Oliveto*.

*Hieros. Taanith*, fol. 69. 2. *Duæ cedri*, inquiunt, *erant in monte Oliveto: sub una earum erant quatuor tabernæ, ubi vendebantur omnia ad purificationes necessaria. Ex altera earum produxerunt quadraginta Seas columbarum unoquoque mense, unde suppetebat fœminis purificandis*. Quatuor tabernæ sub una, & quot sub altera, unde tot columbæ? Aut aliam aliquam ergo villam ostende inter oppidum *Bethaniam* & primam fimbriam τῆς Βηθφαγῆς, aut permitte credere hanc eam fuisse ad quam missi sunt duo Discipuli, & quæ, tunc cum mitterentur, erat κώμη ἡ κατέναντι ὑμῶν: aut villam scilicet ex variis istis tabernis solis constantem; aut villam cujus pars erant istæ tabernæ.

### §. III. מרחץ בית היני, *Lavatorium Bethaniense.*

IGnosce vocabulo ex necessitate facto, ne si *Balneum* vel *Lavacrum* dixissem, sensum rei, ea nimium coarctarent. Erat locus iste de quo agimus, stagnum aliquod, aut collectio aquarum, ubi lavari est solitum, & convenit optime cum iis quæ ante dicta sunt de purificationibus. Hic se lavare poterant immundi aut immundæ, atque illico coemtis in tabernis propinquis, quæ ad purificationem erant necessaria, ad *Hierosolymas* se conferre, & purificari in Templo.

De hoc loco lotionis, qualiscunque fuerit, loquuntur *Gemaristæ* in historiola ista; *Babyl. Cholin*, fol. 53. 1. דרס שועל רחל במרחץ בית היני, *Dilaceravit vulpes ovem ad Lavatorium* τῆς *Beth Hene*, & *adducta est causa coram Sapientibus*, & *illi dixerunt* אין דרוסה, *Non est dilaceratio*. *Beth Hene* non dubitamus esse *Bethaniam*. Et causa hæc est inde adducta coram Sapientibus *Hierosolymæ*, ut ii edocerent an de cadavere istius ovis liceret vesci, cum prohibita foret comestio bestiæ dilaceratæ. Distinctionem eorum inter טריפה & דריסה, vide si lubet loco citato, ubi fuse eam discutiunt.

Loquuntur peregrinantes, de cisterna prope *Bethaniam oppidum, juxta quam ostenditur in campo locus ubi Domino Bethaniam venienti occurrit Martha*: verba sunt *Borchardi* Monachi. An res ipsa, cum hac de qua loquimur, conveniat, in incerto est relinquendum.

### §. IV. *Migdal Eder.* מגדל עדר

OCcasione horum locorum a Talmudicis nobis patefactorum, non possum non alium ex iisdem etiam observare, ab alio urbis latere, non longius ab urbe distantem, quam iste de quo egimus, si modo distabat tam longe. Est ille *Migdal Eder*, vel *Turris gregis*, alia ab ista, de qua mentio, *Genes.* 35. 21.

*Hierosolymitani de hac nostra sic in Kidd.* fol. 63. 1. בהמה שנמצאת מירושלם ועד מגדל עדר לכל רוח, *Jumenta quæ reperiuntur ab Hierosolymis usque ad Migdal Eder, ab unoquoque latere*, &c.

*Babyl. Kidd.* fol. 55. 1. *Babylonici*, plenius, *Jumenta quæ reperiuntur ab Hierosolymis usque ad Migdal Eder, atque eodem spatio ab unoquoque latere, mascula, sunt holocausta, fœminea, sunt sacrificia pacifica.*

Agitur eo loci & disputatur a Magistris, an liceat fœminam desponsare, oppignorata in rei fidem re sacrata. Et de jumentis repertis inter *Hierosolymam*, & *Migdal Eder*, atque eodem spatio undiquaque circa *Hierosolymam*, concludunt, reputanda ea pro sacratis. *Quippe quod*, ut Gloss. *supponi potuit, ea ex* Hie-

*Hierosolymis fuisse evagata, plurima enim jumenta inde exeuntia erant sacrificanda.*

Non dissimilem traditionem habent, ut diximus ante, de nummis repertis intra *Hierosolymam*. *Bava Mezia*, fol. 26. 1. *Nummi qui reperti sunt in Hierosolyma coram mercantibus pecora, semper sunt decimæ*, &c.

At ad rem nostram. E verbis allegatis elicimus, fuisse turrim vel locum nomine *Migdal Eder*, modico admodum spatio a *Hierosolyma*, eumque situm a latere urbis Meridionali. Modico, inquam, spatio ab *Hierosolyma:* nam gravamen fuisset incolis urbem circum habitantibus non ferendum, si errabundi quavis occasione boves eorum, aut pecora, atque in vagatione sua deprehensa, illico transirent in sacrata, nec amplius essent de proprio jure possessoris. At videtur hæc turris adeo vicina urbi sita, ut nullum intra illud spatium foret oppidum, undiquaque. Dicimus etiam turrim istam fuisse ab ora urbis Meridionali: idque fide dicam, an errore LXX. Interpretum?

## §. V. LXX. *Interpretes notati.*

Ænigma hic tibi solvam, Lector, apud LXX. in *Genes.* 35.

APud *Mosen* sic se habet historia *Jacobi* isto in loco. Profecti sunt a *Bethele*, cumque jam foret spatium exiguum ad *Ephratham*, peperit *Rachel*, &c. Et postea: *& profectus est Israel, & tetendit tabernaculum suum trans turrim Eder.*

Ordinem historiæ invertunt LXX. & castrametationem Jacobi *trans Migdal Eder* statuunt ante accessionem ejus ad locum ubi mortua est *Rachel*. Ita enim illi. Ἀπάρας δὲ Ἰακὼβ ἐκ Βαιθὴλ, ἔπηξε τὴν σκηνὴν αὐτοῦ ἐπέκεινα τοῦ πύργου Γαδέρ. Ἐγένετο δὲ ἡνίκα ἤγγισεν εἰς Χαβραθὰ τοῦ ἐλθεῖν εἰς τὴν Ἐφραθᾶ, ἔτεκε Ῥαχὴλ, &c.

Subolet mihi, ni fallat conjectura, ordinem historiæ eos invertisse, intentis oculis in istam *Migdal Eder*, quæ vicinissima *Hierosolymis*. Nam proficiscenti *Jacobo* a *Bethele*, ad locum sepulturæ *Rachelis*, prætereunda primum erat arx ista, priusquam ad locum illum perveniretur; cumque *Jacobus* in itinere suo tenderet ad Austrum, ab ea urbis ora fuisse turrim istam est verisimillimum.

Erat quidem *Migdal Eder* prope *Bethlehemum*, erat & hæc prope Hierosolymam, & erant forsan plures ejus denominationis in terra *Israelitica*. Nam ut vox ipsa *Turrim Gregis* denotat, sic videntur turres istæ exstructæ fuisse, in custodias gregum, ut scilicet illic in promtu essent pastores, etiam nocte, atque in promtu pastoribus essent tela, queis greges tutarentur non a feris solum, sed a latronibus. Et in hunc sensum sumendam esse arbitramur Phrasiologiam istam מגדל נוצרים, *Turris custodientium* in locutione ista ממגדל נוצרים עד עיר מבצר, *A Turre custodientium ad civitatem munitam*, 2. *Reg.* 17. 9. & 18. 8.

Hinc Targumista *Jonathan*, ut *Migdal Eder Bethlehemiticam* ab aliis omnibus distinguat, verba *Mosis* sic παραφράζει. *Et profectus est Israel, & tabernaculum suum tetendit trans Migdal Eder, locum unde revelandus est Messias in fine dierum.* Quæ optime conveniunt cum historia *Luc.* 2. 8. De eadem an loquatur *Michæas*, Cap. 4. 8. quære.

## §. VI. *Pompa offerentium primitias.*

EGimus de locis propinquissimis urbi, excitata nobis earum mentione a triumpho Christi asino insidentis, & acclamantis populi: excitant & hæc memoriam pompæ illius, quæ primitiarum adductionem comitata est, a locis etiam urbi vicinis. Eam habe verbis Magistrorum.

*Biccurim*, cap. 3. *Qualinam modo adduxerunt primitias suas? Omnes urbe* שבמעמד *quæ erant unius stationis* (i. e. ex quibus prodiit una ἐφημερία Sacerdotum) *collectæ sunt in urbem stationariam, & pernoctarunt in plateis. Mane is qui primus inter eos fuit, dixit, Exurgite, ascendamus ad Zionem, ad domum Domini Dei nostri.*

*Bos antecessit ante ipsos, cornibus deauratis, & corona in capite oleagina.* (Gloss. Bos iste erat in sacrificium pacificum) *Cecinit & tibia ante eos usque dum appropinquarent Hierosolymæ. Cum appropinquatum foret Hierosolymæ, coronarunt primitias suas* (i. e. speciosas quantum fieri potuit, conspectui exposuerunt.) *Et prodierunt in occursum iis Primates & summi Officiarii, & Thesaurarii Templi, idque in honorem accedentium:* וכל בעלי אומנות, *Atque omnes opifices in Hierosolyma exurrexerunt iis* (in officinis suis) *atque eos salutarunt hoc modo, O fratres nostri incolæ urbis N. grati advenistis.*

*Tibia coram iis cecinit usque dum perventum foret in montem Templi. Cum perventum foret in montem Templi*, אפי׳

אנ יפס המלך *Etiam ipse Rex Agrippa canistrum suscepit in humerum suum, & progressus est dum perveniret ad Atrium. Cum perveniret ad Atrium, Levitæ occinuerunt, Exaltabo te, Domine, quia exaltasti me, & non lætificasti inimicos meos de me* Ps. 30. 1. *Dum adhuc canistrum est in humero ejus, recitat Periochen istam*, ( Deuter. 26. 3. ) *Profiteor hodie Domino Deo meo*, &c, R. *Judah, dicit. Cum hæc verba recitat, Aramæus periturus erat pater meus*, &c. vers. 5. *demittit canistrum ab humero, & labiis tenet, dum Sacerdos illud huc illuc agitat: Recitata tota periocha* ad vers. 10. *canistrum disponit juxta altare, & adorat & exit.*

## C A P. V.

*Dalmanutha*. Marc. 8. 10.

I. *Schema Maris Genesaritici & locorum adjacentium*. II. בית דאלמנותא, *Zalmon. Inde Dalmanutha.*

MAtth. 15. 39. Ἦλθεν εἰς τὰ ὅρια Μαγδαλά.

Marc. 8. 10. Ἦλθεν εἰς τὰ μέρη Δαλμανουθά.

Una eademque est historia, atque una eademque ista regio: at nomina *Magdala* & *Dalmanutha* non ita confundenda, ac si urbs *Magdala* vocaretur etiam *Dalmanutha*; sed supponenda est *Dalmanutha*, fuisse locum aliquem particularem intra limites *Magdalenses*. Observo Interpretem Arabem editum in Bibliis Polyglottis *Londinensibus*, pro *Dalmanutha* apud *Marcum*, legere *Magdalam*, prout est apud *Matthæum*: sensu non falso, sed interpretatione non vera. Ast Arabs editionis *Erpenianæ*, legit *Dalmanutham*. *Annotat Erasmus*, inquit *Beza* in locum, *quendam Græcum Codicem habuisse Magdala. Augustinus autem scribit, plerosque Codices habuisse Mageda. Sed in nostro vetustissimo, & alio præterea Codice, pro* εἰς τὰ μέρη Δαλμανουθά, *scribitur* εἰς τὰ ὅρια Μαδεγαδά.

Si nomen & situs *Magdalæ* apud Talmudicos, Interpretibus hisce fuissent nota, vix puto, in tot incertitudines impegissent. De ea fuse & plane egimus alio volumine, ex istis authoribus. Ex iisdem, ni hallucinemur, aliquid etiam erui potest, quod lucem præbeat textui *Marci* de *Dalmanutha*. Quam rem priusquam aggrediamur, non ingratum forsan lector fuerit, si mare Genesariticum, locaque ei adjacentia, secundum situm eorum, quem ex Scriptoribus Hebræis colligimus, delineatione aliqua, rudi licet; describamus.

### §. I. *Schema Maris Genesaritici, & locorum adjacentium.*



Collata hac Tabella mea cum aliis, cum eam tam grandi differentia in diversum ire videris, expectabis ut situm locorum probe probem & illustrem, aut tulero ignominiam. Id feci, ni fallat sententia, jam pridem in Capitibus quibusdam in Centuria Chorographica. Summam totalem paucis lineis hic expediam.

I. *Chammath sic dicta est propter Thermas Tiberiadis, a qua tantillum distabat, ut quoad iter Sabbaticum Tiberienses & Chammathenses constituerent civitatem unam*. *Megill.* fol. 6. 1. *Hierof. Erubbin*, fol. 23. 4. *Hierof. Kiddush*. fol. 64. 3. *Hierof. Shev.* fol. 36. 3.

Vocatur חמתא דגדר, *Chammath Gudaræ*, non solum ut distinguatur ab חמרת דפחל, *Chammath Pellæ*. id est *Callirrhoe*, sed quod pars etiam ejus condita foret in Ripa *Gadarena*, ut & pars altera in ripa *Nepthalitica*, vel *Tiberiensi*, interjacente ponte: quod ostendetur illico.

*Tiberias* stetit contigua mari, *nam ab uno latere mare erat ei pro muro*. *Megill.* supra.

*Genesaritis erat locus vicinus Tiberiadi, ubi horti & paradisi*. Verba sunt *Aruch*.

*Capernaumum* collocamus intra regionem *Genesaritin*, fide Evangelistarum, *Matth.* 14. 34. & *Marc.* 6. 53. collatorum cum *Joann.* 6. 22. 24.

*Josephus*, in vita sua. *Tarichæa* distabat *Tiberiade* 30. stad. *Bethmaus* 4. stad.

*Magdala* erat ultra *Jordanem*, nam vocatur מגדל גדר, *Magdala Gadaræ*. Et illud quod a Talmudicis dicitur, *Hierof. in Erubb.* ubi ante. *Licuit Gadarensibus, permittente R. Juda Nasi, descendere in Chammatham Sabbato, atque eam perambulare usque ad vicum extimum, usque ad pontem:* ab ipsis ibidem exprimitur & explicatur, *Quod Magdalenses, permittente R. Juda Nasi, ascenderunt in Chammatham*, &c. E qua una traditione elicias, I. *Magdalam* fuisse in ripa *Gadarena*. II. Non distitisse a *Chammatha* ultra iter Sabbaticum. III. Ab ista scilicet parte *Chammathæ* quæ condita erat ab eadem ripa *Gadarena*, per quam porrectum est ad pontem supra *Jordanem*, qui eam junxit parti alteri in ripa Galilææ.

*Josephus*, in vita sua. *Distabat Hippo Tiberiade* 30. stad. Qua cum mensura confer hæc quæ dicuntur de *Susitha*, quam eandem esse cum *Hippo*, & vocum notatio, & alia evincunt.

*Bereshith Rabb.* sect. 13. *R. Juda* dicit. *Monoceros non intravit in Arcam Noachi, sed catuli ejus intraverunt*. *R. Nehemiah* dicit, *Nec ipse, nec catuli ejus intraverunt, verum Noachus eum alligavit ad Arcam*, והיה מתליםם תלמיורת, *atque is sulcavit sulcos in undis* כמין טבריה לסוסיתא, *per quantum spatii est a Tiberiade ad Susitham*.

Et rursus, *ibid.* sect. 32. *Arca Noachi natavit super aquas sicut super duo tigna* כמין טבריה לסוסיתא, *per quantum spatii est a Tiberiade ad Susitham.*

Distabat *Gadara* Tiberiade, sexaginta stadiis *Josephus*, ubi ante.

*Idem, de bello*, lib. 2. cap. 13. *Bethsaida* erat in τῇ κάτω Γαυλανιτικῇ, trans Jordanem in *Batanæa*: ostenditur ea peregrinantibus ad littus *Genesaritici* maris in Galilæa; atque inde haustus error tabularum. Audi *Biddulphum* nostratem, qui loca ista invisit circa annum 1600. Anglice quidem loquentem, at quem Latio sic donamus.

*Martii* 24. *equitavimus juxta mare Galilææ, quod* Joann. *6. binomium est, mare scilicet Galilææ & Tiberiadis: Galilææ, quia est in Galilæa; & Tiberiadis, quia juxta illud condita erat urbs Tiberias: itemque Bethsaida urbs alia antiqua. Ambarum vidimus aliquas mœnium ruinas. Dicitur autem in isto capite* Joann. *6. 1. quod Jesus transfretavit mare Galilææ. Atque alibi, quod abiit trans lacum. Et* Luc. *9. 10. dicitur quod discessit in locum desertum vicinum urbi Bethsaidæ. Quem textum Joannis, ego intuendo melius intelligere didici, quam unquam potui legendo. Nam cum Tiberias & Bethsaida forent ambæ ab eodem littore maris, abieritque Christus a Tiberiade, ad, vel prope Bethsaidam; inde ego colligo, quod Salvator noster Christus, non transfretarit longitudinem aut latitudinem maris, sed quod sinum aliquem transierit, quantum distat Tiberias a Bethsaida. Quod & inde astruitur, quod alibi dicitur, quod turba magna eum illuc sequuta est pedibus: quod facere non poterat, si is totum mare transfretasset ad aliud littus inter Gergasenos, quod est extra terram sanctam.* Hæc ille.

At cave, vir dignissime, ne duces tui, qui loca ista sub illis nominibus ostendunt, tibi imponant. Si ducem *Josephum* sequi velis, docebit ille, *Antiquit.* lib. 18. cap. 3. *Philippum oppidum Bethsaidam restaurasse, eamque de nomine Juliæ, filiæ Cæsaris, vocasse Juliada*; istamque *Juliada* fuisse ἐν τῇ κάτω Γαυλανιτικῇ. *Idem*, ubi ante. Nec valet argumentum, *Aliter non potuerunt eum pedibus sequi*. Nam a *Capernauma* & *Ti-*

& *Tiberiade* erat via tritissima & frequentatissima, per pontem *Chammathæ* in regionem *Gadarenam*, atque ita ad *Bethsaidam*.

*Idem*, *in vita*, pag. 631. *Cana* distabat longe a *Tiberiade*: totam noctem insumsit *Josephus* ab illa ad hanc itinerans cum exercitu. Sita erat ex adverso *Juliadi Betharampthæ*, ut ex eodem colligi potest, *ibid*. pag. 653. *Julias* autem ista sita erat ad ipsum influxum *Jordanis* in mare *Genesariticum*.

Hæc susius pandi & illustrari poterant; sed veremur a prolixitate, idque magis, quia copiose de his actum est alibi. Satis hæc erunt æquo lectori, cujus judicio ea subjicimus: & jam pergimus ad *Dalmanutham*.

### §. II. בירת דאלמנות, *Zalmon. Inde Dalmanutha*.

SI de nomine *Dalmanutha* lusitare aliquantum liceat, audi Traditionem Talmudicam.

*Bava Bathra*, fol. 98. 2. *Qui vendit fundum vicino suo, aut qui accipit locum a vicino suo*, לעשות לו בירת חתנות לבנו ובירת אלמנות לבתו, *ut faciat sibi domum sponsationis filio suo, aut domum viduitatis filiæ suæ, ædificet eam quatuor cubitis hac, & sex illac*.

Gloss. בירת אלמנות לבתו, *Domum viduitatis filiæ suæ, cujus maritus mortuus est, atque ea jam redit ad domum patris sui*.

Animus traditionis hic est. Cum filius cujusvis uxorem duxerat, cum socero suo cohabitare non est solitus, sed usitatius erat, ut pater ejus domunculam ei ædificaret domui suæ vicinam. Sic etiam cum mortuus esset maritus, rediretque filia jam vidua ad patrem, in more etiam fuit, ut pater domunculam ei strueret, in qua, ea sola quidem habitaret, at patri vicinissima.

Jam ergo, a domo aliqua ejus generis notabiliori, viduæ alicui celebri constructa, aut a pluribus istiusmodi confertim illic stantibus dici potuit locus forsan דאלמנותא, *Locus viduitatis*; & *si non aliqua probabilior notatio nominis occurreret, huc posset respici non immerito*.

Ast aliunde deductum nomen arbitramur, nempe a voce צלמון, *Zalmon*, צ *Tsade* in ד *Daleth* immutato, quod Syris & Arabibus non est alienum.

De *Zalmon* occurrit mentio, *Judic*. 9. 48. monte scilicet aut tractu aliquo in monte, prope *Sychemum*: verum longissime aberat iste locus ab eo de quo jam agimus. At memoratur a *Talmudicis* locus *Zalmon*, qui optime congruit cum *Dalmanutha*.

*Jevamoth*, fol. 122. 1. *Historia est*, inquiunt, *de homine quodam in* Zalmon, *qui dixit*. *Ego* N. Filius N. *morsus sum a serpente, & ecce morior. Abierunt & non invenerunt eum: abierunt ergo, & duxerunt uxorem ejus*. Gloss. *Audierunt vocem clamantis, & dicentis, Ecce ego morior; at non invenerunt talem hominem in* Zalmon.

Et rursus, *Kilaim*, cap. 4. hal. 9. *Bava Bathr*. fol. 82. 2. *Historia est in* Zalmon *de homine quodam, qui plantavit vineam suam sedecim & sedecim cubitos, & portam duorum ordinum vitium, vertit jam ab hoc latere, & anno insequenti ab alio, & aravit utrobique. Et adducta est causa coram Sapientibus, atque illi approbarunt*.

Nemo suspicabitur hanc *Zalmon* eandem esse cum ea prope *Sichemum*, cum dictum sit quod *adduxerunt causam coram Sapientibus: nam quid Samaritæ* cum Sapientibus *Judæorum?* Quin potius credas fuisse locum aliquem vicinum *Tiberiadi* (ubi Academia Sapientum) notum satis, & vulgaris famæ, & in Traditionibus citatis memoratum, ut ita notum. Sic memorantur a *Talmudicis* varia loca circa *Tiberiada*, ut notissima, quæ tamen extra paginas *Talmudicas* vix uspiam inveneris. Talia sunt *Chammath*, *Magdala*, *Beth Meon*, *Paltathah*, *Caphar Chittaia*, &c. de quibus diximus alio in loco. Erant & מזגה, *Mizgah*, Sedes *Simeonis* ben *Lachish*, & אילטיס דטבריא, locus prope *Tiberiada* auræ insalubris, & בוטיטה דטבריא, *Spelunca Tiberiensis*, & בר סליני *Bar Selene*, aliaque quæ nuspiam, nisi apud hos authores, occurrunt memorata, at apud eos notissimi nominis. Vide *Beresh. Rabb*. §. 34. *Ibid*. §. 31. *Hieros. Horajoth*, fol. 48. 1. Ex isthoc numero arbitramur fuisse hanc *Zalmon*, locum adeo *Tiberiadi* vicinum, adeoque notum, ut sat foret iis nominasse tantum. Jam vero, dum *Hebraizans* quisquam pronuntiaret Zalmon & Zalmanutha, *Syrissans* proferret Dalmon & *Dalmanutha*.

## CAP. VI.

Ὅρια Τύρε καὶ Σιδῶνος. Marc. 7. 24.

I. *Tabulæ nimis officiosæ:* II. כבול, Ὅριον. III. *Interpretes Græci notati*. IV. *Phœnicia Mediterranea*. V. *De Fluvio Sabbatico*.

VIdes in Tabulis nonnullis, pingi fœminam *Syrophœnissam* Salvatori supplicantem, pro filia sua dæmoniaca, ad portas fere *Sidonis*. At quo jure, vereor ne solide satis non dixerint authores.

In una *Adrichomii*, pingitur fœmina tantum, nulla addita inscriptione. At in Belgica *Doeti*, cum hac, *Hier badt de Cananeische Vrou voor haer dochter*, Matth. 15. In *Getlkirchiana*, his ascriptis verbis, *Porta Sidonis, ante quam mulier Canaanæa filiæ suæ dæmoniacæ a Domino salutem obtinuit*, Matth. 15.

*Ante januam Sidonis*, inquit *Borchardus*, Monachus, cap. 2. §. 8. *ad ortum constructa existit Capella, in loco ubi Chanaanæa, pro filia dæmoniaca precata est Salvatorem: de qua sic legimus*, Matth. 15. *quod egressa a finibus* Tyri *&* Sidonis *venit ad Jesum*.

Duo sunt quæ plane cum situ, & sententia ista pugnant.

I. Quod non sit credibile, Christum unquam limites terræ Israeliticæ excessisse. Nam cum de se dixerit, *Ego missus sum ad oves perditas Israelis tantum;* & Discipulis, *Ne eatis in viam Gentium; & si hæc opera miraculosa facta fuissent in* Tyro *&* Sidone: nunquam persuaseris, eum unquam ad ipsas portas *Sidonis* perrexisse.

II. Dicitur a *S. Marco*, quod post sanatam istam puellam, Christus pervenit *a finibus* Tyro-Sidonis *ad mare* Galilææ, *per medios fines* Decapoleos. Quid? a porta *Sidonis* ad mare *Galilææ* per mediam *Decapolin*? Aptius diceretur, *per mediam Galilæam*: & hinc, ut videtur, moti, statuerunt nonnulli *Decapolim* intra *Galilæam*, nullo jure. Nos eam comperiemus alio in loco, Capite proxime sequenti, locoque tali, ut non facile concipias, quonam modo potuerit Christus ad mare *Galilææ* per eam tendere, a porta *Sidonis*.

### §. II. כבול. Ὅριον.

UT de Ὁρίοις Τύρε καὶ Σιδῶνος, in hac historia determinetur, hoc primum Lectori proponimus.

Dicitur in 1. *Rg.* 9. 11. 12. quod Solomon *dedit Regi* Tyriorum *Hiramo viginti civitates in* Galilæa, quas cum vidisset ille, & non placerent, *vocavit terram* כבול, Chabul, *in hunc usque diem*. LXX. reddunt, Ἐκάλεσεν αὐτὰς Ὅριον, *Vocavit eas* Terminum. Jam dicat mihi, quæso, aliquis linguarum peritus quidnam cognationis inter כבול, & Ὅριον, unde moti *Septuaginta*, ut ita redderent.

Talmudici varia de voce כבול: at sensus & significatio vocis Ὅριον, longissime abest ab eorum mente.

*Hierosolymitani* sic, *Hieros. Schabb.* fol. 7. כבול ארע שאינה עושה פירות, Chabul *terram significat quæ non fert fructus*.

*Babylonici* sic, *Babyl. Schabb.* fol. 54. 1. *Quid sibi vult terra* Chabul? Rabh Houna *dicit*, *Quia incolæ ejus* מכובלין בכסף ובזהב, *erant involuti argento & auro*. *Dicit ei* Abba, *An ita? Ecce scriptum est, quod non placuerunt ei urbes. An displicerent ei quod involuti forent argento & auro? Dicit ei, imo, nam quia opulenti & delicati erant, non erant idonei ad opera Regis*. Rabb. Nachman *bar* Isaac *dicit*, חומטון היתה, *Terra salsa & fissuris hians erat*. *Quare vocatur* Chabul? דמשתנדא בה כרעא עד כבלא, *Quia mergitur in ea crus usque ad periscelides*.

*Josephus*, Ἔκτοτε προσηγορεύθησαν χαβαλῶν γῆ. Μεθερμηνευόμενον γὰρ τὸ χαβαλῶν κατὰ Φοινίκων γλῶτταν, ὀυκ ἀρέσκον σημαίνει.

Hæc illi, sensum vocis, quantum possunt, investigantes; at de sensu Ὅριον, ne somnium quidem apud eos.

Præterire non possum, quin animadvertatur Glossatorem ad locum, apud *Babylonicos* citatum, hæc dicere בעשרים ושתים, עיר שנתן שלמה לחירם משתעי קרא, *Textus allegatus loquitur de viginti duabus civitatibus, quas dedit* Solomon Chiramo. Numerat ille *viginti duas*, cum in fonte Hebræo, atque in omnibus versionibus, memorentur tantum *viginti civitates*. An lapsus sit memoria, an hoc dicat ex instituto, quis definierit?

Minus prætereunda sunt verba ista Spiritus Sancti 2. *Paralip.* 8. 2. והערים אשר נתן חירם לשלמה בנה שלמה אותם. Grammatica interpretatio est facillima, *Atque urbes quos dedit* Hiramus Solomoni, *condidit* Solomon; at interpretatio historica non adeo facilis. Nam quæritur, an istas urbes dederit *Hiramus* de proprio, an istas reddiderit, quas dederat ei *Solomon*, non bene

ne placentes. Et sunt versiones nonnullæ, quæ vocem נתן non reddunt *dedit*, sed *reddidit*, in hunc sensum, urbes quas Hiramus Solomoni *reddiderat*, Solomon condidit; ac si *Hiramus* viginti istas urbes, in terra *Chabul*, ideo quod displicerent, retinere noluisset, sed *Solomoni* reddiderit cum aliqua indignatione.

Rectius *Kimchius* in locum. *Optime exponitur*, inquit, *quod dedit Hiramus civitates Solomoni in terra sua, & locavit ille illic Israelitas ut se roboraret. Et dedit pariter ille civitates Hiramo in Galilæa, & hoc, ut fœdus inter eos roboraret. In libro Regum memoratur, quid dederit Solomon Hiramo: & in hoc* (Paralip.) *quid Hiramus Solomoni*. Verissime certe. Nam *Hiramum* urbes aliquas in ditione sua dedisse *Solomoni*, ex illo patet ultra omnem controversiam, quod *Solomon* dicitur condidisse *Tadmor* in eremo: 1. *Reg.* 9. 18. Quisnam autem iste locus *Tadmor*? Docebit *Josephus*, *Antiquit.* lib. 8. cap. 2. Θαδαμόρον, inquit ille, Ἕλληνες προσαγορεύουσι Παλμυράν. Et Interpr. Vulg. *Ædificavit Palmiram*. Nequaquam ergo censeas, *Hiramum* urbes sibi a *Solomone* datas rejecisse, utcunque non placerent, sed pro suis retinuisse, quod & fecit *Solomon* cum iis, quas dedit ei *Hiramus*. At unde locum istum כבול Interpretes Græci redderent Ὅριον, cum nulla omnino inter significationes vocabulorum sit affinitas?

## §. III. *Interpretes Græci notati.*

Soliti sunt Interpretes Græci, nomina locorum reddere, non raro, non eo nomine quo vocantur in textu Hebræo, sed quo nuncupabantur temporibus posterioribus sub Templo secundo: quod & a Chaldæis Targumistis est etiam factum non raro. Hujus farinæ sunt Καππάδοκες pro *Caphtorim*, Ῥινοκόρουρα pro *Fluvio Ægypti*, de quibus diximus ante; & inter plurima quæ proferri possent exempla, locum unum ex Talmudicis cum iis conferamus.

*Hierosolymitani*, urbes quasdam, quarum mentio in *Jos.* 19. & vetustis & præsentibus nominibus appellantes, sic ajunt ad vers. 15.

*Hieros. Megill.* fol. 70. 1. קטת קטונית, *Kattath est Katonith.* LXX. reddunt Κατανάθ.

נהלל מהלול, *Nahalal est Mahalol.*

שמרון סימונייה, *Shimron est Simonia.* LXX. reddunt Συμοών.

יראלה חירייה, *Irala est Chiriah.* LXX. reddunt Ἰεριχώ.

Plurima occurrent observanti. Atque ex hac ipsissima re subolebit forsan tibi, versionem istam non redolere vetustatem temporum *Ptolemæi Philadelphi*.

Idem quod facere soliti sunt illi alias, factum & hic ab iis arbitramur, eosque rejecto pristino nomine, quo vocabatur regio ista *Galilææ* sæculis vetustioribus, nempe *Chabul*, nomen & titulum, quo jam vulgo audiit, ei indidisse, Ὅριον, *Terminum*.

תחום ipsissimum idem denotare suspicio mihi est, in traditione ista apud *Hierosolymitanos*, *Hierosol. Demai*, fol. 22. 4. אילו עיירות אסורות בתחום, *Istæ urbes prohibentur* ἐν τῷ Ὁρίῳ, *Tsur*, *Shezeth*, & *Bezeth*, &c. אילו עיירות שהן מותרות בתחום, *Et istæ urbes permittuntur* ἐν τῷ Ὁρίῳ, *Nebi*, *Tsur*, *Tsijar*, &c. Permissio & prohibitio de qua agitur, quantum conjectura e scopo loci elicere licet, est quoad decimationem: & determinatur, a quibus istarum urbium exigendæ & accipiendæ essent decimæ, & a quibus non. Ab Israeliticis exigendæ, ab Ethnicis non: quæ res optime convenit cum terra *Chabul*, ubi mixtæ & quasi intertextæ videntur fuisse urbes hujus & illius juris.

## §. IV. *Phœnicia Mediterranea.*

Erat *Phœnicia Mediterranea*, æque ac erat *Phœnicia Maritima*. Maritimam norunt omnes. De Mediterranea sic *Ptolomæus*.

Φοινίκης μεσόγειοι πόλεις Ἄρκα, Παλαιόβιβλος, Γάβαλα, Καισάρεια Πανίας. *Phœniciæ civitates Mediterraneæ sunt Arca, Palæobiblus, Gabala, Cæsarea Paniæ. Tab. Asiæ*, pag. 139.

An *Phœnicia Mediterranea* & *Syrophœnicia* sint convertendæ, hæsito dubitans. Mallem equidem *Phœniciam* tripartiri in *Maritimam*, *Mediterranem* & *Syrophœniciam*, quam nude bipartiri in *Phœniciam* & *Syrophœniciam*. Ratioque est, quia quæro an tota *Phœnicia Mediterranea* dici potuerit *Syrophœnissa*: & quæro insuper, an tota *Syrophœnicia* reputanda fuerit intra fines *Tyro-Sidonios*. *Nicetas* certe *Choniates*, civitates *Syrophœnissas* usque ad *Antiochiam* memorat. Nam ille in historia *Joannis Comneni* hæc habet.

Ἔγνω προσβαλεῖν ταῖς παρὰ τὴν Ἀντιόχου ἱδρυμέναις καὶ Ἀγαρηνῶν κατεχομέναις Συροφοινίσσαις πόλεσι. *Antiochiæ finitimas*

*Syrophœniſſas urbes*, *quæ ab Agarenis tenebantur*, *aggredi ſtatuit*. *Nicet. Chon.* pag. 30. Jam vero, an urbes iſtas ad *Antiochiam* uſque, intra ditionem *Tyro-Sidoniam* numerabis? At certe nihil prohibet, quo minus iſtas, quæ a Ptolemæo *Phœniciæ Mediterraneæ* habentur, ita æſtimes, niſi hæreat ſcrupulus ſolum de *Cæſarea Paniæ*, quæ *Cæſarea Philippi:* eaque, ut videbimus, erat de *Decapolitanis*, & abſque ullo abſurdo ſtatui poteſt intra iſtam ditionem *Tyri & Sidonis*, quod & *Leshem* olim, quæ urbs eadem. *Judic.* 18. 28.

Addatur Talmudicorum clauſula una, & tunc ea quæ dicta ſunt, in epitomen compingantur. Illi limites terræ ſub templo ſecundo definientes, cum ad oras Aquilonares perveniunt, pro limite ſtatuunt תרנגולא עילאה דלמעלה מן קיסרין, *Tarnegolam ſuperiorem quæ eſt ſupra Cæſaream*. *Hieroſ. Sheviith*, fol. 36. 3. Adverte *Cæſaream* eſſe urbem *Phœniciæ Mediterraneæ*, ſecundum Ptolemæum; & tamen *Tarnegolam*, quæ magis vergit in Aquilonem, eſſe intra terram *Iſraeliticam* ſecundum Hebræos.

Ita ut hoc ſenſu, Chriſtus potuerit eſſe intra Ὅρια Τύρου καὶ Σιδῶνος, & tamen eſſe intra limites terræ Iſraeliticæ. Arbitrandum ergo, idque non ſine ratione, eum, cum ſanaret puellam Dæmoniacam, fuiſſe I. In regione iſta in extremis Galilææ oris, quæ olim *Chabul*, τοῖς LXX. Ὅριον, Talmudicis תרום audiit, quæ olim data fuit a *Solomone* Regi Tyriorum, & ex iſta conceſſione in ſæcula ſubſequentia juris & ditionis *Tyro-Sidoniæ* erat, utcunque intra terminos iſtos quibus ab initio circumſcribebatur terra Iſraelitica, imo quibus ſub Templo ſecundo. II. Fuiſſe eum arbitramur non longe a fontibus aut fluento *Jordanis*, quo trajecto, non potuit ad mare *Galilææ* pervenire, niſi per regionem *Decapolitanam*.

## §. V. *De Fluvio Sabbatico*.

NOon longe, cum de Syrophœnicia loquimur, inde abſumus, ubi vel erat, vel eſſe fingebatur *Fluvius Sabbaticus*: & ignoſces ſpero, lector, ſi extra metas jam noſtras aliquantum exſpatiemur, viſuri Fluvium Sabbatizantem, nam quis a via ſua non declinaret, ut rem videat tam ſtupendam?

Et tamen, ſi Plinio credimus, extra cancellos non ſumus, nam ſtatuit ille hunc fluvium intra Judæam. *In Judæa*, inquit, *rivus Sabbatis omnibus ſiccatur*. *Natur. Hiſt.* lib. 31. cap. 2. Joſephus aliter, *de bello*, lib. 7. cap. 13. *Titus*, inquit, (Antiochiam tendens) *vidit in itinere fluvium cognitione digniſſimum*. *Is fluit medius inter Arcæos & Raphanæas Agrippæ regni civitates*. *Habet autem peculiarem naturam*. *Nam cum ſit, quando fluit, multus, nec ſegniter labens, tamen totus a fontibus per ſex dies deficiens, ſiccum exhibet locum*. *Deinde, quaſi nulla mutatione facta, ſeptimo die ſimilis exoritur*. *Atque hunc ordinem eum ſemper ſervare pro certo compertum eſt*. *Unde etiam Sabbaticus appellatus eſt*, *a ſacro ſeptimo die Judæorum*.

Utri credis, lector? *Plinio*, Rivus iſte eſt in *Judæa*; *Joſepho*, non. *Plinius* Sabbatis ſiccari ait; *Joſephus* fluere. Conſentiunt cum *Plinio* Talmudici, & non convenit *Joſepho* cum ſuis.

In Tractatu *Sanhedrin* Babylonico, fol. 65. 2. introducitur *Turnus Rufus* hoc quærens a *R. Abibab*: מי יימר דהאידנא שבתא *Quis probaverit quod hic dies eſt Sabbatum?* (Gloſſ. Nam forte dies aliquis e reliquis eſt Sabbatum.) R*eſpondit R. Abibab*: נהר סבטיון יוכיח, *Fluvius Sabbaticus hoc probabit*, בעל אוב יוכיח, *Pythonicus hoc probabit*, וקברו של אביו יוכיח, *Et ſepulchrum patris hoc probabit*.

Gloſſ. *Fluvius Sabbaticus probabit*. *Iſte eſt fluvius ſaxoſus, qui omnibus diebus ſeptimanæ fluit & labitur, at Sabbato intermittit & quieſcit*. *Pythonicus probabit*. *Nam Pytho non aſcendit Sabbato*. *Et ſepulchrum patris Turni Rufi omnibus diebus anni emiſit fumum, quia judicatus fuit & traditus igni: at tranſgreſſores in Gehenna quieſcunt Sabbato*. Sepulchrum ergo ejus non emiſit fumum Sabbato.

Nonne ſubolet tibi, lector, unde & quare excogitatum eſt hoc commentum? Nempe cum jam ortus eſſet ſplendor Sabbati Chriſtiani, creſceretque indies, ad monſtra hæc vel magiæ, vel fabularum eſt recurſum, quibus obſcuraretur Sabbati noſtri gloria, & illuſtraretur Judaici. Veritatem hiſtoriæ in ſuſpicionem inducunt, variæ & quidem contrariæ Hiſtoricorum relationes.

## C A P. VII.

*Regio Decapolitana quænam.* Marc. 7. 31.

I. *Ea a nonnullis male diſpoſita.* II. *Scythopolis, olim* ביתשאן, *una ex urbibus Decapolitanis.* III. *Item Gadara & Hippo.* IV. *Et Pella.* V. *Caphar Tſemach. Beth Gubrin. Caphar Carnaim.* VI. *Cæſarea Philippi.* VII. *Urbs* ערבו.

### §. I. *Regio Decapolitana a nonnullis non bene diſpoſita.*

OCcurrit frequens mentio *Decapoleos* apud Evangeliſtas, ut & apud exteros authores: at nuſpiam majori cum ſenſus difficultate, quam apud verba iſta *S. Marci*, *Cap.* 7. ubi de Chriſto ſic dicitur: Καὶ πάλιν ἐξελθὼν ἐκ τῶν ὁρίων Τύρȣ ϗ Σιδῶνος, ἦλθε πρὸς τὸν θάλασσαν τῆς Γαλιλαίας, ἀνὰ μέσον τῶν ὁρίων Δεκαπόλεως. Difficultas in hoc latet, quod ſuppoſito, quod, per fines *Tyro-Sidonios*, intelligendus eſt locus prope portas *Sidonis*, de quo antea, vix concipi poteſt quomodo Chriſtus per mediam *Decapolim* perrexerit ac mare *Galilææ*, niſi ſuppoſito etiam quod *Decapolis* fuerit intra *Galilæam*.

Hinc ducti certe videntur *Borchardus* cap. 6. §. 6. aliique eum ſequuti; ut hæc oppida *Galilææ* pro *Decapolitanis* numerent, *Tiberiada*, *Sephet*, *Kedesh-Nephthali*, *Hazor*, *Capernaum*, *Cæſaream Philippi*, *Jetopatam*, *Bethſaidam*, *Chorazin*, *Scythopolin*. Vide *Salignia-cum*, tom. 9. cap. 2. Quorum fide Baronius, ad annum Chriſti 31. *Erat*, inquit, *in eadem Galilæa, poſita provincia Decapolios, dicta quod in ea decem eſſent civitates, inter quas una annumerabatur Capharnaum.*

Fidenter quidem ſatis, at ſine fundamento, longe aliter *Plinius*, Nat. Hiſt. lib. 5. cap. 18. *Jungitur*, inquit, *ei latere Syriæ Decapolitana regio, a numero oppidorum, in qua non omnes eadem obſervant. Plurimi tamen Damaſcum & Opoton riguas amne, Chryſorrhoa, fertilem Philadelphiam, Raphanam, omnia in Arabiam recedentia, Scythopolim, antea Nyſam, a Libero patre, ſepulta ibi nutrice, Scythis deductis: Gaddaram Hieromiace præfluente, & jam dictum Hippon Dion, Pellam aquis divitem, Galaſam, Canatham. Intercurſant cinguntque has urbes Tetrarchiæ, regnorum inſtar ſingulæ, & in regna contribuuntur, Trachonitis, Panias, in qua Cæſarea cum ſupradicto fonte, Abila, Arca, Ampeloeſſa.*

Quibuſnam credendum? *Borchardus* & ſui, totam *Decapolin* intra *Galilæam* ſtatuunt, tota longitudine *Galilææ* extenſam atque *Jordani* adjacentem & littori maris *Geneſaritici*. *Plinius* & ſui, totam in *Trans-Jordanica*, excepta ſolum *Scythopoli*.

In *Scythopoli* utræque partes conveniunt, & ego in hac cum utriſque. Aſt in aliis vix ego in ullis cum *Borchardo*, nec in omnibus cum *Plinio*. Apud illos incongruum eſt, nobiliſſimas urbes *Galilææ* numerare pro *Decapolitanis*, cum & apud ſacros & profanos authores, plane diſtinguatur *Galilæa* a *Decapoli*. Apud hunc, impar congreſſus videtur *Damaſco* & *Philadelphiæ*, Μητροπόλεσιν olim *Syriæ* & *Ammonitidis*, cum urbeculis *Gadara* & *Hippo*.

Cum *Plioio* & ſuis, in quibuſdam urbibus *Decapolios* enumerandis conſentit etiam *Joſephus*. Nam ille *Juſtum Tiberienſem* truci proſequens oratione, hæc ait.

Σὺ δὲ ϗ πάντες Τιβεριεῖς ȣ̓ μόνον ἀνειλήφατε τὰ ὅπλα, ἀλλὰ ϗ τὰς ἐν τῇ Συρίᾳ Δεκαπόλεις ἐπολεμεῖτε. *Joſeph. in vita ſua*, pag. mihi 650.

*Tu quoque, atque omnes Tiberienſes, non ſolum arma ſuſcepiſtis, ſed & urbes Decapolitanas in Syria oppugnaſtis.* Nota illud, urbes Decapolitanas ἐν Συρίᾳ, nequaquam in *Galilæa*.

Σὺ γȣ̃ν τὰς κώμας αὐτῶν ἐνέπρησας. *Tu urbes earum in flammas immiſiſti.*

Et non multo poſt. *Poſtquam Veſpaſianus Ptolemaida perveniſſet*, οἱ πρῶτοι τῶν τῆς Συρίας δέκα πόλεων. *Viri primarii Decapoleos Syriæ Juſtum Tiberienſem acriter incuſarunt*, ὅτι τὰς κώμας αὐτῶν ἐνέπρησεν, *quod oppida eorum incenderat. Ibid.* pag. 654.

Quænam autem oppida iſta *Decapolitana* fuerint, innuit ille alibi his verbis. *Tunc ſuadens Juſtus concivibus ſuis ut arma caperent, & nolentes cogens, cumque omnibus his egreſſus*, Ἐμπίμπρησι τὰς τε Γαδαρηνῶν ϗ Ἱππηνῶν κώμας, *in ignem mittit villas Gadarenorum, atque Hippenorum. Ibid.* pag. 6. 8.

Vides ut cum *Plinio*, Joſephus *Decapolitanam* regionem lateri *Syriæ* adjungat, atque ut cum eo *Gadaram* & *Hippon* numeret pro *Decapolitanis*: & tamen in omnibus, ut diximus, non placet *Plinius*. Illud vero quod apud eum ridiculum maxime & abſurdum videri poſſet, nempe quod *Scythopolin* quæ cis Jordanem, cum reliquis urbibus numeret, quæ omnes trans, hoc placet maxime. Nam ab iſthac ipſa urbe, innoteſcit nobis qualeſnam fuerint reliquæ ur-

urbes, & quare tam ſingulari nomine & nota clareſcerent. Conditione *Scythopolios* primum obſervata, facilius erit judicare de reliquis.

§. II. *Scythopolis, olim* ביתשאן *Bethshan, una ex urbibus Decapolitanis.*

TAlmudici frequentiſſime exemplum ſingulare proponunt urbis *Bethsheanis*, quæ & dicta *Scythopolis*, vide LXX. in *Judic.* 1. 27. eamque ſemper ſtatuunt diverſa conditione a cæteris urbibus terræ Iſraeliticæ.

*Hieroſ. Demai.* fol. 22. 3. *Rabbi*, inquiunt, *ſolvit Bethsheanem, Rabbi ſolvit Cæſaream, Rabbi ſolvit Beth Gubrin, Rabbi ſolvit Caphar Tſemach a Demai*, id eſt, a decimatione rerum dubiarum. *Jarchius* hæc citans, iſta inſuper addit, *R. Solom. in Demai*, cap. 1. halac. 3. *Non omnia iſta loca erant paria Bethsheani, quam ſubjugarunt Iſraelitæ aſcendentes ex Ægypto; at non ſubjugarunt aſcendentes e Babylone.*

*Cholin*, fol. 6. 2. *R. Meir*, inquiunt, *comedit folia olerum* (non decimatorum) *In Bethsheane, & exinde Rabbi ſolvit totam Bethsheanem a decimatione.* In quam hiſtoriam, ſic *Jarchius* iterum. *R. Meir comedit folia in Bethsheane non decimata, quia decimatio non adhibetur extra terram Iſraeliticam.* Nota, quæſo, hoc bene, *Bethsheanem*, quæ plane fuit intra terram Iſraeliticam, haberi tamen pro urbe quæ extra terram Iſraeliticam, vel pro urbe Ethnica: ratioque redditur, quia quamvis fuerit intra terram, ceſſeritque Iſraelitis in ſubjugatione ejus prima, non ceſſit tamen iis in ſubjugatione ſecunda, ſed ſemper habitabatur ab Ethnicis. Ipſiſſimum idem judicamus merito de reliquis urbibus *Decapoleos*, quod quidem forent intra limites terræ Iſraeliticæ, at quas uſurparant, & jam tum poſſederunt Syri vel Ethnici. Enumeratis quibuſdam earum, res patebit clarius.

At ſi quæras obiter, quinam incolæ *Bethsheanis* fuerint, cum aſcenderent Judæi e *Babylone*, quique a Judæis noluerunt, nequiverunt ſubjugari, obſcurioris eſt inveſtigationis. *Scythas* autumares e vocis etymo, & verbis *Plinii*, *Scythopolin, antea Nyſam, deductis Scythis.* At ſi *Herodotum* adeas, *in Clio*, cap. 105. 106. de imperio *Scytharum* in *Aſia*, & ſpeciatim in *Palæſtina*, differentem, comperies extinctum fuiſſe imperium iſtud, cum vix natus foret *Cyri* avus: ut magis mirum videatur adeo viguiſſe nomen *Scythopoleos*, cum Judæi ſub *Cyro* ad propriam terram remearent. Sed de hac re plus moleſtiæ vel lectori, vel nobis ipſis non ciebimus.

§. III. *Gadara & Hippo urbes Decapolitanæ.*

SIc *Plinius* & *Joſephus* verbis ex iis modo allegatis: Sic & non obſcure Evangeliſtæ de *Gadara*. Nam Marcus, *Cœpit prædicare in Decapoli;* Lucas, *Abiit prædicans per totam urbem Gadaram.*

Et *Gadaram* fuiſſe Ethnici juris, præter quod colligi poteſt ex verbis iſtis *Joſephi*, aſtruere licet etiam ex eo quod porci illic tanto numero alerentur, *Matth.* 8. quorum nutritio *Judæis* prohibita per Canones Talmudicos, æque ac comeſtio per legem *Moſaicam*. Hinc in animadverſionibus in *Marc.* 5. non veremur Dæmoniacum iſtum *Gadarenum*, Ethnicum pronuntiare, idque, ſi non fallat conjectura, bono nixi fundamento.

*Hippon* pariter fuiſſe Ethnici juris, arguere ſatis poſſunt teſtimonia *Judæorum* de urbe *Suſitha*: quæ ut ejuſdem eſt ſignificationis cum voce *Hippo*, ſic omni abſque dubio eſt idem locus. Sic illi de ejus Ethniciſmo.

*Hieroſ. Sheviith*, fol. 36. 1. *Terra Tobh, ad quam fugit Jephta, eſt Suſitha. Et quare vocatur nomen ejus Tobh?* (bona) *Quia immunis eſt a decimis.* Atque unde immunis a decimis? Quia Ethnicæ poſſeſſionis. Nam non erat decimatio extra terram, id eſt, e loco aliquo qui erat Ethnicorum.

Atque iterum. *Si prodeant ambo teſtes e civitate cujus major pars conſtat e Gentilibus, ut Suſitha. Idem, Rosh Hashanah*, fol. 54. 4.

§. IV. *Pella urbs Decapolitana.*

PEllam etiam inter urbes *Decapolitanas* numerat *Plinius*: Sic & *Epiphanius, de menſur. & ponder.* cap. 15. eamque ejuſdem fuiſſe conditionis, ſub qua poſitas arbitramur reliquas urbes Decapolitanas, habitatam nempe ab Ethnicis, planum faciunt verba *Joſephi*, *Antiquit.* lib. 13. cap. 23. *Moabiticas has urbes recuperarunt Judæi ab hoſtibus: Heshbonem, Medebam, Lembam, Oronas, Telithona, Zara, Cilicium, Aulona, Pellam.* Ταύτην δὲ κατέσκαψαν, &c. *Pellam autem exciderunt, ideo quod non tolerarent incolæ ejus in patrios mores transformari.* Ecce tibi cives *Pellæ* ſtrenue Ethnicos, adeo ut martyrium quoddam,

ſi ita

ſi ita dicere liceat, paſſa ſit urbs eorum ob retentum Ethniciſmum. Cumque reſtauraretur ſub *Pompejo*, reddita eſt iiſdem civibus, teſtante eodem *Joſepho*, *ibid.* lib. 14. cap. 8.

At cave, Lector, ne verba ejus tibi imponant de ejus ſitu, qui ſic de *Pera*, *de bello*, lib. 3. cap. 4. Μῆκος μὲν αὐτῆς ἀπὸ Μαχαιροῦντος εἰς Πέλλαν - - Καὶ Πέλλη μὲν τὰ πρὸς ἄρκτον ὁρίζεται. *Longitudo Peræa eſt a Machærunte ad Pellam, & fines Septentrionales terminantur ad Pellam*: id eſt, *Peræa* ut diſtinctæ a *Trachonitide* & *Batanæa*. Nam erat *Pella* ultima ora Aquilonaris *Peræa*, & erat ora Meridionalis *Trachonitidis*. Hinc *Joſephus* eam connumerat & coordinat cum *Hippo*, *Dio*, *Scythopoli*. Loco ante citato, *Antiquit.* lib. 24.

Urbes plures *Decapoleos* trans *Jordanem* numerare non eſt opus: hæc quæ dicta ſunt, ſatis faciunt in ſententiam noſtram, & de ſitu locorum, & de natura. Hæc tantum addamus, dum jam verſamur trans *Jordanem*, & circa *Pellam*.

*Ammon & Moab*, inquiunt Gemariſtæ, *Jevamoth*, fol. 16. 1. *decimant decimam pauperum anno ſeptimo*, &c. Ubi Gloſſ. *Ammon & Moab ſunt Iſraelitæ, qui habitarunt in terra Ammon & Moab, quam cepit Moſes a Sichone: & ſancta erat terra iſta ſecundum ſanctitatem terræ Iſraeliticæ. At vero ſub Templo ſecundo, ſanctitas ejus ceſſavit. Serunt ergo eam anno ſeptimo, & ſtatuunt inde decimam primam & decimam pauperum anno ſeptimo, ob ſuſtentationem pauperum: quibus non eſt angulus agri relictus, nec ſpicilegium iſto anno. Illuc ergo ſe recipiunt pauperes, atque illic habent angulum relictum, & ſpicilegium, & decimam pauperum.*

Hæc adducimus, hiſtoriæ iſtius ergo, quæ refert Chriſtianos ab obſidione & clade *Hieroſolymæ* fugiſſe *Pellam*. Et eccur ad *Pellam*? Certe ſi verum illud ſit quod obtinet apud *Judæos*, excidium Hieroſolymitanum fuiſſe בשביעית, *Anno ſeptimo*, (qui erat annus relaxationis) cum citra *Jordanem* nec aratrum foret, nec ſatum, trans *Jordanem* vero foret meſſis & Decimatio pro pauperibus, &c. probabiliorem hinc petas rationem iſtius hiſtoriæ, quam reddunt ipſi Hiſtorici. Pauperes ſcilicet iſtos Chriſtianos illuc ſe recepiſſe victus & alimoniæ ergo, cum iſto anno ceſſaſſet agricultura in *Judæa* & *Galilæa*. Sed hiſtoriam miramur, potius quam in hac ratione acquieſcimus.

### §. V. *Caphar Tſemach. Beth Gubrin. Caphar Carnaim.*

OMnes *Decapoleos* urbes, ejuſdem conditionis cum *Bethsbeane*, recenſere nec audemus, nec quidem poſſumus. Has tres tamen ſub eadem claſſe cum ea, ſtatuunt ordinantque *Hieroſolymitani* verbis iſtis quæ allegata antea, excepta *Caphar Carnaim*, de qua poſtea.

I. כפר צמח, *Caphar Tſemach*. Aliquid obſervetur de ejus nomine ex R. *Solomone*.

1. *Hieroſolymitanis* eſt כפר צמח: At R. *Solomon* eos citans legit כפר עמס, *Caphar Amas*: quod mireris. At hoc non adeo alienum ab idiomate *Chaldaico* & *Syro*, cui uſitatiſſimum eſt צ in ע immutare, ita ut *Rabbinus* in prolatione hujus vocis עמס, in prima litera Syriſſet, & Græciſſet in ultima, vocabulum terminans in ס pro ח.

2. De ſitu loci nihil audemus fidenter pronuntiare: hoc tantum de eo diximus antea, quod ab *Hieroſolymitanis* numeratur inter עיירות אסורות בתחום, *Urbes prohibitas in limite*: forſan ἐν Ὁρίῳ de quo antea; ſed nihil ſtatuimus.

II. בית גוברין, *Beth Gubrin*. Latet etiam ſitus hujus loci. Erat *Gabara* quædam ſupra *Cæſaream Philippi*, Rabbinis תרנגולא עילאה: ſed non audemus voces & loca confundere. Celebratur ob *R. Jochananem, de Beth Gubrin, qui dixit, Sunt quatuor linguæ nobiles, &c. Hieroſ. Megill.* fol. 71. 2.

III. *Idem*, *Demai*, fol. 22. 3. כפר קרנים כבית שאן, *Caphar Carnaim*, *inquiunt Hieroſolymitani, eſt ejuſdem conditionis cum Bethsbeane*, id eſt, juris Ethnici.

An hæ fuerint urbes ex Decapolitanis, jam judicet Lector. Fuerint, nec ne, quod non decernimus, nec ſolliciti quidem de iſta re ſumus: hoc quod maxime urgemus, per loca quæ antea nominantur, ut puto patet, urbes *Decapolitanas*, fuiſſe quidem intra limites terræ Iſraeliticæ, at habitatas a Gentilibus. Habitabant quidem cum iis Judæi, at numero pauciores, dominio inferiores, & poſſeſſione & privilegiis non adeo immunes. Rationemque ſi quæris, quare in tali inferioritate vellent cohabitare cum Ethnicis, hanc accipe.

*Babyl. Chetubb.* fol. 110. 2. *Tradunt Rabbini. Semper habitet quis in terra Iſraelitica, ſit licet in civitate, cujus pars maxima ſunt Ethnici. Et ne habitet extra terram, imo non in urbe,* cu-

*cujus pars maxima ſunt Iſraelitæ ; nam qui habitat in terra Iſraelitica , Deum habet . At qui extra terram , eſt ac ſi Deum non haberet : ſicut dicitur , ad dandum vobis terram Canaanis , ut ſit vobis Deus* , &c.

Vis plures?

*Ibid.* fol. 111. 1. *Quicunque habitat intra terram Iſraeliticam , abſolvitur ab iniquitate . Et quicunque ſepelitur intra terram Iſraeliticam , eſt ac ſepeliretur ſub altari.*

Unum habe pro omnibus . Gloſſ. *in Babyl. Sanhedr.* fol. 5. 1. *Viri Iſraelitici ſunt admodum ſapientes , nam ipſum clima ſapientificat .* O ſapientiſſimos Rabbinos!

## §. VI. *Cæſarea Philippi*.

EST & urbs iſta apud Talmudicos ejuſdem claſſis cum *Betsheane* : atque ut eam inter *Decapolitanas* numeremus , animat præterea *Ptolemæus* , qui eam numerat inter urbes *Phœniciæ Mediterraneæ* ; & *Joſephus* , qui Syros ejus incolas fuiſſe innuit in vita ſua . Corrigimus hic , quod alibi excidit , Interpretem ſcilicet Arabem , dum *Cæſaream* reddit pro *Hazor* , Joſu. 11. 1. poſſe de *Cæſarea Stratonis* intelligi , cum potius videatur hanc *Cæſaream* reſpicere.

Et jam ex omnibus quæ dicta ſunt, cogita tecum , Lector , quid ſtatuendum ſit de verbis iſtis *S. Marci* : *Jeſus pervenit a finibus Tyro-Sidonis ad mare Galilææ , per medios fines Decapoleos* . Cogita , inquam , & judica , an per *fines Tyro-Sidonios* intelligi poſſit locus aliquis ad ipſas portas *Sidonis* : an non potius locus aliquis non remotus admodum a *Cæſarea Philippi* . Et judica iterum , an *Decapolis* ſtatuenda ſit intra *Galilæam* , an non potius ( cum *Plinio* & *Joſepho* ) magna pars ejus ſaltem , in *Trans-Jordanica* , & ſi qua in *Galilæa* , in extrema ejus ora Aquilonari , excepta ſolum *Scythopoli* , vel *Betbsbeane*.

## §. VII. Urbs ערבו.

EX mentione *Bethsheanis* non poſſumus non ſubjungere mentionem urbis ערבי , ex verbis *R. Judæ*.

*Beresh. Rabb.* ſect. 33. R. Judah dicit עורבים, *attulerunt panem & carnem mane , & veſpere ad Eliam :* עיר היא בתחום בירת שאן ושמה ערבו , *Urbs iſta erat in limitibus Bethsheanis , & vocabatur Orbo.*

Scrupulum cient Judæi quidam , an corvi panem & carnem contulerint *Eliæ*, an homines qui vocantur עורבים . Sic *Kimchius* in locum : *Sunt qui per* עורבים *intelligunt mercatores , ſecundum illud quod dictum eſt* , עורבי מערבך , Ezech. 27. 27. Hinc rationem odorari potes , cur Arabs reddiderit *Orabimos* . In quem ſenſum & *Rabbinus* noſter *Judah* , qui non corvos , ſed incolas urbis *Orbo* Eliæ miniſtraſſe arbitratur . At valet hic objectio Kimchii . *Juſſit Eliam Deus*, inquit ille , *ut ſeipſum abſconderet , neu quis eum cognoſceret illic exiſtere . Et videmus etiam quod Achabus eum perquiſivit undique* , &c.

At omiſſa nugacitate ſomnii , rem chorographicam nos indagamus : & ſi quid veri ſit in verbis *R. Judah* , quod fuerit urbs quædam nomine ערבו , *Orbo*, prope *Bethsheanem* , vel ſitum torrentis *Cherith* invenimus , vel ſaltem ubi ille eum fluxiſſe eſt opinatus.

Latuiſſet æternum in tenebris torrens iſte , ni juxta eum latuiſſet *Elias* : at locus ejus & adhuc latet!. Sunt Tabulæ quæ eum ultra *Jordanem* ſtatuunt, & ſunt quæ cis ; aliæ hic , aliæ illic incerto & vagabunde . Præſertim vero *Joſephum* miror , qui dicit quod Ἀνεχώρησεν εἰς τὰ πρὸς νότον μέρη , ποιούμενος παρὰ χειμάῤῥῳ τινὶ τὴν διατριβήν . *Antiquit.* lib. 8. cap. 7. Cum Deus planis verbis dicat , ופנית לך קדמה , Et convertes te , vel *tendes verſus Orientem* : nam jam tum erat in *Samaria*.

Addit Deus , *Abſconde te ad torrentem Cherith* , אשר על פני הירדן , *qui eſt coram Jordane* . Sic , inquies , erat unuſquiſque torrens qui fluxit in *Jordanem :* At ſenſus verborum, *qui eſt coram Jordane* , hic eſt , qui ut pergis ad *Jordanem* , eſt citra *Jordanem* , in eum fluens . Ita ut quamvis de creaturis *Eliam* paſcentibus hallucinetur Rabbinus , de loco torrentis forſan non hallucinetur adeo.

De Ὁρίοις Τύρου καὶ Σιδῶνος , & de *Regione Decapolitana* differendi occaſionem præbuit , hiſtoria fœminæ *Syrophœniſſæ* Chriſto ſupplicantis pro filia ſua dæmoniaca , & receſſionis Chriſti inde per *Decapolin* ad *mare Galilææ* . Et jam expedita locorum perluſtratione , de ipſa fœmina verbum unum . Dicitur a *Marco* Ἑλληνὶς Συροφοίνισσα , quod abſque omni ſcrupulo eſt : at cum dicitur a *Matthæo* Χαναναία , eſt obſcurius . Si ea , quæ ad locum iſtum diximus in Animadverſionibus noſtris *in Matthæum* , cuiquam non placent , hæc addantur , I. Quod *Canaan* & *Phœnicia* τοῖς LXX. aliquando

do convertuntur. *Josu.* 4. 1. 12. *&c.* II. Si dixerim quod Ἑλληνις & Χαναναία etiam convertuntur, risum forsan crearet, at non apud Judæos, qui omnes servos & famulas qui non sunt Hebræi sanguinis, vocant *Canaanæos*. Trita est distinctio inrer עבד עברי, *servum Hebræum*, & עבד כנעני, *Servum Canaanæum*; atque ita in sexu fœmineo. Jam vero *servus Canaanæus*, inquiunt, est servus ex quavis gente, præter Hebræam. Conjice hanc fœminam fuisse talem, & nihil obscuri est in ejus agnominatione: quod nempe fuerit fœmina servilis, origine Ethnica, atque inde vulgo apud Judæos nota titulo שפחה כנעניה, *Ancillæ Canaanææ*.

## C A P. VIII.

*Emensurationes quædam.*

I. *Mensuræ Judæorum*. II. *Eorum emensuratio terræ per dietas*. III. *Et emensuratio latitudinis terræ intra Jordanem*. IV. *Ptolemæus consultus & emendatus*. V. *Plinius corrigendus*. VI. *Longitudo terræ ex Antonino*. VII. *Latitudo viarum*. VIII. *Distantia sepulchrorum ab urbibus*.

### §. I. *Mensuræ Judæorum*.

OBtinuit apud Judæos, *Gloss. in Bava Mezia*, fol. 28. 1. *Terram Israeliticam fuisse quadraturæ quadringentarum Parsarum*. Et delectantur, nescio qui & quare, hoc numero & mensura.

*Megill.* fol. 3. 1. *Jonathan ben Uzziel interpretatus est ab ore Haggæi, Zachariæ & Malachiæ*, ונזדעזעה א״י ד׳ מאות פרסה על ד׳ מאות פרסה; *Et commota est terra Israelitica quadringentis Parsis undiquaque*.

*Bava Kama*, fol. 82. 2. *Cum porcus sursum traheretur super muros Hierosolymæ, atque ungues iufigeret, quassata est terra Israelitica per quadringentas Parsas undiquaque*.

*Parsa*, פרסה, continuit intra se quatuor milliaria.

*Decem Parsæ*, inquit Glossa *in Pesachin*, fol. 93. 2. *sunt quadraginta milliaria*: quod & fuse probari posset aliunde, si foret opus. Ita ut *quadringentæ Parsæ* (vel Parasangæ) fuerint mille & sexcenta milliaria, Quam mensuram cur terræ *Israeliticæ* ascripserint ab unoquoque latere quadraturæ suæ, an ab emensurationibus *Ezechielis*, an aliunde, hic non quærimus. At hoc non observare non possumus, eundem numerum memorari, & forsan eandem mensuram intelligi, *Apocal.* 14. 20. *Exivit sanguis e lacu usque ad frænos equorum per stadia mille sexcenta*. Ubi Arabs, אמיאל אלף וסתמאירה, *Per spatium milliariorum mille sexcentorum*.

Mensurant Talmudici, aliquando per *milliaria*, aliquando per *Parsas*, aliquando per *dietas*. Unamquamque harum comperies apud eos frequentissime.

De milliari Talmudico, hanc accipe ipsorum commonefactionem.

*Bava Mezia*, fol. 32. 1. אחר משבע ומחצה במיל והדה הוא ריס, *Constitisse* nempe *illud* (non octo, ut Græcum & Romanum, sed) *septem stadiis & dimidio*. Nam qua alia voce vertenda sit ריס, nec quidem novi, nec alia arbitror esse vertendam.

Et hanc etiam de *dieta*.

*Pesachin*, fol. 93. 2. *Dicit* R. *Jochanan*. כמה מהלך אדם ביום, *Quantum est iter hominis die uno?* י׳ פרסאירה *Decem Parsarum. A prodeunte primum aurora ad ortum solis, quinque milliaria: ab occasu solis, donec appareant stellæ, quinque milliaria*. פשו לה, תלתין חמיסר מצפרא לפלגא יומא, *Restant triginta; quindecim a mane ad meridiem*: וחמיסר מפלגא דיומא לאורתא, *Quindecim a meridie ad vesperam*.

En tibi iter diarium, uno sensu quadraginta milliarium, id est, quantum uno die confici potest; & alio sensu triginta, id est, quantum usitatissime confici solet: ubi & ab iis etiam es monendus, computari hæc כיום בינוני, *secundum diem æquinoctialem*.

Comminiscuntur *Saulum* uno die sexaginta milliaria peragrasse, ut & *Israelitas* a *Jordane* ad montem *Gerizim*: at vulgatissime de dieta dijudicant, secundum quod est dictum, nempe sub ea comprehendi triginta milliaria. *Midr. Till.* fol. 7. 4. *Gloss. in Sanhedr.* fol. 44. 1.

Et huc adducantur ista *Pesachin*, ubi supra. אי זו היא דרך רחוקה, *Quænam est via longinqua?* מן המודיעים ולחוץ וכמדתה לכל רוח, *A Modin* (sepulchris *Maccabæorum*) *& porro, & secundum hanc mensuram ab unoquoque latere. Dicit ultra. A Modim ad Hierosolymam erant quindecim milliaria*.

Disputatur super illud, *Num.* 9. 10. ubi præcipitur ut unusquisque celebret Pascha mense primo, nisi sit immundus, או בדרך רחוקה, *aut in via longinqua*, & concluditur, per *viam longinquam* intelligendam esse distantiam quin-

quindecim milliarium ad minimum, quæ erat dimidium dietæ vulgaris.

§. II. *Judæorum emensuratio terræ per dietas.*

QUærunt Magistri, *Bava Mezia*, fol. 28. 1. *Quamdiu tenetur quisquam ad manifestandum publico præconio, de aliqua re reperta? R. Judah dicit. Tribus festis & septem diebus post festum ultimum. Nempe ut triduo quis domum redeat quæsitum an aliquid perdiderit, triduo redeat* (Hierosolymam) *& supersit adhuc dies unus publico præconio.* (Gloss. Ut ipse præconium edat, Ego tale quid perdidi, & hæ sunt ejus notæ.) *At objiciunt, Tertio die mensis Marheshvan orant pro pluviis. Rabban Gamaliel dicit, septimo istius mensis, qui est dies decimus quintus a festo Scenopegiæ: nempe ut postremus inter Israelitas* (qui ascenderant ad festum) *accedat ad Euphratem, & non prehendant eum pluviæ.*

Præsumitur ex hac Traditione, ultimum limitem terræ *Israeliticæ* fuisse intra iter triduanum ab *Hierosolyma*, nec prave; atque sub eadem conditione reputantur ultimi termini *trans Jordanicæ*, nempe quod distantiam istam non excesserint: at quantum ad eam non accesserint in dubio relinquitur. Rem istam hic loci decernere non est instituti nostri: illud quod prosequimur est, ut latitudinem terræ intra *Jordanem* emetiamur.

§. III. *Talmudicorum emensuratio latitudinis terræ intra Jordanem.*

CElebris apud eos erat Traditio, & gentis consuetudo, de qua mentionem aliquam habuimus alibi, כרם רבעי היה עולה לירש' מהלך יום אחר לכל צד, *Ut Vinea quadriennis ascenderet Hierosolymam itinere diario ab unoquoque latere. Maasar Seni*, cap. 5. halac. 2.

Sensus Traditionis hic est. Decimæ secundæ aut ipsæ comedendæ erant *Hierosolymis*, aut venundatis iis domi, afferebatur nummus *Hierosolymas*, unde coemta sunt quædam, quæ ibi comedebantur. Jam vero cautum est hoc canone, ut decimæ vinearum quæ erant intra dietam ab urbe, non venundarentur, sed ipsæ apportarentur *Hierosolymas*, atque ibi comederentur.

At אי זו היא תחומה, *Quinam sunt limites, inquiunt, itineris istius diarii?* אילת מן הדרום:, *Elath ab Austro*. עקרבת מן הצפון:, *Acrabatti ab Aquilone*.

לוד מן המערב:, *Lydda ab Occidente*. ירדן מן המזרח:, *Jordanes ab Oriente*.

Sic *Mishnah* utraque. At *Gemara Babylonica*, *Bezah*, fol. 5. 1. *Rosh Hashanah*, fol. 31. 2. legit, אילת מן הצפון ועקרבת מן הדרום, *Elath ab Aquilone*, *Acrabatti ab Austro*. Qua ratione & quo sensu hæc conveniunt, enodare nituntur Commentatores obscure satis: sed non tanti est ut immoremur.

*Elath* in mentem revocat quædam, quæ dicuntur a *Notitia Imperii* Orientalis. Ubi, *sub dispositione viri spectabilis Ducis Palæstinæ*, substituitur inter alios, *Præfectus Legionis Decimæ Fretensis Ailæ*. Ubi Pancirolus. *Ailam in littore maris rubri positam fuisse D. Hieron. in* Cap. 47. Ezech. *ita scribit. Lingua maris rubri, in cujus littore Aila posita est, ubi nunc moratur Legio & præsidium Romanum. Idem de loc. Hebr. Aila, inquit, in extremis finibus Palæstinæ, juncta Meridianæ solitudini, & mari rubro, unde ex Ægypto in Indiam, atque inde in Ægyptum navigatur. Sed & ibi legio Romana cognomento Decima.*

Non audemus tanto oraculo contrariari; aliter ad *Elath* hanc nostram recurrerent cogitationes meæ, idque hac præsertim ratione, quod duriusculum videatur, præsidium ad mare rubrum substituere *sub Duce Palæstinæ*, cum tantum distaret illud a *Palæstina*, foretque Dux *Arabiæ* (in qua *Elath* ad mare rubrum) æque ac *Palæstinæ*.

Vides Patres Traditionum emensurantes a *Lydda* per *Hierosolymam* ad *Jordanem* duplici diario: sed & hic iterum in incerto nos relinquunt de latitudine terræ; quippe quod *Lydda* non foret ad extremam terræ oram ab isto latere. Ni forte dixeris, quod quodcunque spatii intercessit inter *Lyddam* & mare, erat מדינת הים, æstimatum ut terra Ethnica, cum *Caphar Lodim*, quæ in interstitio isto erat sita, nec longe a *Lydda*, meliorem notam non subierit, *Gittin*, cap. 1. halac. 1. Certiores ergo calculos & radium fideliorem, si fieri possit, acquiramus.

§. IV. *Ptolemæus consultus & emendatus.*

LAtitudinem hujus terræ ubique eandem esse, ridiculum foret vel somniare: cum maria utrinque terminantia,

tia, hinc *Mediterraneum*, illinc *Sodomiticum*, *Genesariticum*, *Samochoniticum*, atque inter ista labens *Jordanes* non possint non flexuosa sinuositate sua spatium reddere admodum inæquale.

Probatum hoc habe e *Ptolemæo* in littore Mediterranei, *Tab. Asiæ*, capit. *6*.

Sic ille.

| | |
|---|---|
| Καισάρεια Στράτωνος | ξς' δ |
| Ἰόππη, | ξέ γ' |
| Ἰαμνειτῶν λιμὴν, | ξέ |
| Γαζαιῶν λιμὴν, | ξέ ς' |
| Γάζα, | ξέ γ' ιβ' |

Sic Latina ejus versio.

| | |
|---|---|
| *Cæsarea Stratonis*, | 66 15 |
| *Joppa*, | 65 40 |
| *Jamnetorum portus*, | 65 |
| *Gazæorum portus*, | 64 45 |
| *Gaza*, | 65 26 |

Et plura ejusdem variationis.

De ultimis, *Gazæorum* scilicet *portu*, & *Gaza* ipsa, est cur merito hæsites. Ipsi *Ptolemæo*, ut vides, *Gazæorum portus* est in ξέ ς'. *65*. 45. Interpres autem Latinus habet *64*. 45. Nec quidem sine ratione, cum ipsa *Gaza* sit tantum in *65*. *26*.

At quidem e converso probabilius est *Gazæorum portum* statuendum esse in *65*. *26*. & *Gazam* ipsam in *65*. 45. ubi per *portum* minime intelligendus est iste locus quo applicantes naves sese exonerarunt, sed totus sinus intra promontoria, in mare se protrudentia, comprehensus. Cujus protrusionis ultimum apicem concipias in grad. *65*. *26*. Ab urbe 19. minutis.

Si *Ptolemæum* ergo cum hac emendatione sequi velis in emensuratione latitudinis terræ inter *Gazam* & *Asphaltiten*, rem sit accipe.

Esto *Gaza* in grad. *65*. 45. Et illi etiam Ἀσφαλτίτιδος τὸ μέσον ἐπέχει μοίρας ξς' ν'. Latin. vers. *Asphaltitis medium continet gradus 66*. 50. A *Gaza* ergo ad medium *Maris mortui*, erit totus gradus ἕς & 5. minuta, quibus respondent LXV. M. pass. & 5. minut. Unde si medietatem Asphaltitis detraxeris, supererunt lv. M. pass. aut circiter, ab ejus littore ad *Gazam*.

§. V. *Plinius corrigendus*.

HIc etiam non possum vel emendare lectionem *Plinii*, vel saltem emendandam ostendere, apud quem jam sic legimus.

*Natur. Hist.* lib. *6*. cap. 28. *Deinde Nabatæi oppidum incolunt Petram nomine, in convalle, paulo minus* 2. M. *pass. amplitudinis, circundatum montibus inaccessis, amne interfluente. Abest a Gaza oppido littoris nostri* D. C. M. *A sinu Persico* CXXII. M. *Huc convenit utrumque bivium, eorum qui Syriæ Palmyram petiere, & eorum qui ab Gaza venerunt*. Verba ista, *Abest a Gaza*, &c. ea sunt quibuscum nobis res est.

Quid? D. C. M. Sexcenta milliaria a *Gaza* ad *Petram* Metropolin Moabitarum? Miror doctiss. *Heidmannum*, *Palæst*. cap. 7. §. *6*. hæc tam molliter absorpsisse, atque absque ulla nauseatione.

At liceat mihi conjectari, *Plinium* in Autographo suo sic scripsisse, *Abest a Gaza oppido littoris nostri* CX. M. Ast incuria librariorum, literam numericam X dissectam fuisse in dichotomiam hoc modo ɔc, sinistramque ejus medietatem coaluisse tandem cum C præcedente in hunc modum cɔ & sic in D evasisse. Dextramque pro C, vel numero centenario reputatam mansisse.

Utcunque in conjectura hac nostra hallucinari possumus, at certe de spatio numeroque milliarium non hallucinamur adeo. Nam datis xxxviii, aut circiter, milliaribus, inter *Petram* & *Asphaltitin*, & concessis xx. aut circiter, milliaribus latitudini istius maris, (ut aliqualiter medium incedamus inter *Plinium* & *Josephum* de ejus latitudine) tum supersunt e CX. M. quæ nos supponimus scripsisse *Plinium*, LII. aut circiter, ab isto mari ad *Gazam*. Quod non longe quidem a scopo aberrat. At toto quidem cœlo aberratur, dum assignantur DCM. pass. a *Gaza* ad *Petram*. Supputationi certe nostræ favebis, & conjecturæ de injuria *Plinio* a librariis illata, cum observaveris primum littus *Gazæ*, *Ptolemæo* esse, ut diximus, in grad. *65*. *26*. & *Petram* esse tantum in grad. *66*. 45.

Demus igitur LII. aut LIII. aut circiter milliaria latitudini terræ a littore *Mediterranei maris* ad *Asphaltiten*; plura necesse est ut tribuas, inter littus *Mediterranei*, & *Jordanem*; quippe quod, quo latior *Asphaltitis*, eo ipsa terra minus lata: & sic etiam de mari *Ge*-

*nesaritico* & *Samochonitico* est dicendum. Nec ab iis dilatatis solum coarctata est *Galilæa*, sed & ditionibus *Tyro-Sidoniis* intercurrentibus inter eam & mare.

Ita ut frustra foret latitudinem terræ ubique exactam investigare: & ridiculum foret, una aliqua mensura aut extensione metiri.

Bene est, si hic illic commoda aliqua conjectura vel rem prope attingas, vel non multum aberres. Certior videtur determinatio de terræ longitudine, dum per oppida emensuratur & urbes, a *Sidone* ad fluvium *Ægypti*: at hic nec omnibus idem spatium, & alibi etiam emensuratio longe incertior.

§. VI. *Longitudo terræ ex Antonino.*

Sic *Itinerarium Antonini*.

| | | |
|---|---|---|
| A Sidone Tyrum, | M. P. XXIV. | Phœnicia. |
| Ptolemaidam, | M. P. xxxii. | |
| Sicamina, | M. P. XXIV. | |
| Cæsarea, | M. P. xx. | |
| Betaro [a], | M. P. XVIII. [a] | Palæstina. |
| Diospoli, | M. P. xxii. | |
| Liamnia, | M. P. xii. | |
| Ascalona, | M. P. xx. | |
| Gaza, | M. P. xvi. | |
| Rapa, | M. P. xxii. | |
| Rhinocolura, | M. P. xxii. | |
| | CCXXXII. | |

Emensuravimus alibi hoc spatium funiculis *Plinii* & *Strabonis*, tredecim milliaribus hoc numero minus: ubi si quid erroris in computum irrepserit, crimen ferat *Guilj. Tyrius*, qui limites *Phœniciæ* quatuor aut quinque milliaribus tantum protendit a *Tyro* versus Austrum.

At quid dicendum de Itinerario alio, quod an *Antonini* sit, definire non audeo, ubi sic habetur.

A Cæsarea Betaron, M. P. xxxi.

Diospolin, M. P. xxxviii. Supputatione priorem excedente XXIX milliaribus.

Est & ibidem, quod quomodo cum *Josepho* reconciliemus, non est in promtu: nam dicitur.

| | |
|---|---|
| A Neapoli Æliam, | M. P. xxx. |
| Eleutheropolim, | M. P. xx. |
| Ascalonem, | M. P. XXIV. |

Ubi ab *Ælia* vel *Hierosolyma* ad *Ascalonem* excurrunt tantum XLIV. M. P. Cum de *Ascalone* dicatur *Josephus*, *de bello*, lib. 3. cap. 2. quod erat τῶν Ἱεροσολύμων εἴκοσι πρὸς τοῖς πεντακοσίοις ἀπέχουσα σταδίους· *distans Hierosolymis* DXX. *stad.* vel LXV. M. P. Chasma quidem aliquantum ab hoc repletur, quod *Ascalon nova* propior erat ab *Hierosolyma* quam vetus, sedecim milliaribus, referente *Benjamino*.

An *Betaron* eadem fuerit cum ביתר, ubi horrenda ista strages sub Ben *Cozba*, non hic disputabitur: *Liamniam* prave scriptam pro *Jamnia* minime dubitandum. Et jam sequamur *Antoninum* ad *Pelusium*.

| | |
|---|---|
| Rhinocolura, | |
| Ostracena, | M. P. XXIV. |
| Cassio, | M. P. XXVI. |
| Pentascino, | M. P. xx. |
| Pelusio, | M. P. xx. |

Quæ quomodo conveniant cum *Plinio* qui LXV. M. P. tantum numerat a *Pelusio* ad *finitam Arabiam*, videl. ad *Sirbonem*, cui confinis *Rhinocolura*, ego non dixerim. Hoc alias dixerim, quod mirum est Tabulas aliquas, *Sirbonem* statuisse inter *Casium* & *Pelusium*, cum contrarium & hic, & apud *Plinium* & *Strabonem* pateat apertissime. Errorem hauserunt forsan a *Ptol.* vel saltem ejus Interprete, cui *Cassium* est in latitud. grad. 31. 15. Eruptio autem *Sirbonidis* in 31. 10.

§. VII. *Latitudo viarum.*

TRadunt *Rabbini*, *Bav. Bathra*, fol. 99. 2. *Via privata* (דרך היחיד) *est quatuor cubitorum. Via ab urbe in urbem est octo cubitorum. Via publica* (דרך הרבים) *est sedecim cubitorum. Via ad civitates refugii est triginta duorum cubitorum. Via regis non habet mensuram: nam rex potest sepes perfringere, ut sternat sibi viam. Et via ad sepulcrum non habet mensuram*, משום יקרא דשכבי *ob honorem mortui*. Confer *Matth.* 7. 13. 14.

Inter *viam ab urbe ad urbem*, & דרך הרבים, *viam publicam*, hoc erat discriminis: quod *via publica* ea erat, per quam omnes urbes transierunt; *via ab urbe ad urbem*, ea erat, per quam transiit hæc urbs ad istam, atque ista ad hanc; sed non urbs aliqua alia istac transiit.

Via *ista ab urbe in urbem*, *erat octo cubitorum*, inquit Gloss. *Ut si forte duæ quadrigæ occurrerent, daretur spatium transeundi*.

Via ad sepulcrum mensuram non habuit, ne comitantes feretrum, ob angustiam viæ, segregarentur.

Addunt,

Addunt, המעמד דייני צפורי אמרו בית ד' קבין, *Statio, ut dicunt Judices Zipporienſes, eſt quantum recipit quatuor cabos.*

*Per Stationem* intelligunt locum, ubi a ſepulcro redeuntes, circumſtant lugentem, ut eum ſolentur.

*Beracoth*, fol. 16. 2. עברים ושפחות אין עומדין עליהם: *Pro ſervis & ancillis non ſtant, nec pro iis dicunt benedictionem lugentium.* Gloſſ. *Cum redirent a ſepulcro*, היו עושים שורות, *ſteterunt ſeriatim circa lugentem, ſolantes eum. Et ſeries iſta conſtitit non e paucioribus quam decem.*

Gloſſ. *in Chetubb.* fol. 8. 2. *Sedere eum fecerunt, atque ipſi ſteterunt circum.*

בית ד' קבין, *Fundus recipiens quatuor cabos ſeminis*, inquit Gloſſa, *eſt triginta tres cubitos & duos palmos latus, & quinquaginta longus.*

### §. VIII. *Diſtantia ſepulcrorum ab urbibus.*

SEpulcreta *non erant prope urbes*, לא היו בתי קבורות סמוכין לעיר: verba ſunt Gloſſatoris in *Kiddushin*, fol. 80. 2. idque ſuper hanc traditionem. *Per omnes triginta dies effertur in ſinu matris, & ſepelitur a fœmina una, & duobus maribus; at non a viro uno, & duabus fœminis.* Senſus hic eſt. Infans moriens ante triceſimum ætatis diem, feretro opus non habet, ſed in ſinu matris effertur ad ſepulturam, comitantibus duobus viris; at non effertur a duabus fœminis comitante uno tantum viro. Ratioque hæc redditur: Quia cum longius ab urbe diſtarent cœmiteria, fieri poterat ut ab uno viro allicerentur duæ fœminæ ad ſcortationem, cum jam diſtarent a conſpectu hominum: at non tam promte conſpirarent duo viri ad conſtuprandam unam fœminam.

Proferunt exempla. *Fœmina quædam*, inquiunt, *infantem vivum extulit, ac ſi mortuum, ut mœcharetur cum eo qui eam comitatus eſt ad ſepulcretum.* Et *decem viri fœminam vivam extulerunt, ac ſi mortuam, ut eam conſtuprarent.* Oblitus tui certe es, *O Judæe*, dum modo dicis, Duos viros vix conſpiraturos in ſtuprationem ejuſdem fœminæ; modo, Decem conſpiraſſe.

Cœmiteria diſtabant a civitatibus Leviticis bis mille cubitis, ab omnibus aliis civitatibus multo ſpatio, ſi non eodem: Quantum cum iis hac in re conveniret aut non conveniret *Hieroſolyma*, alias obſervandum.

## CAP. IX.

### *Loca quædam ſparſim notata.*

I. *Præſidia Romana.* II. *Zin* צין, *Cadesh* רקם. III. אונו *Ono.*

DE locis quibuſdam hinc inde ſparſim notatis dicturi, ordiamur a Præſidiis Romanis, quæ erant ſparſa per totam terram: idque facimus eo lubentius, quod *Notitia Imperii*, unde ea exſcribenda, non adeo vulgariter in manibus omnium teratur.

### NOTITIA.

*Sub Diſpoſitione viri Spectabilis Ducis Palæſtinæ.*

Equites Dalmatæ Illyriciani Beroſabæ.
Equites Promoti Illyriciani Menoide.
Equites Scutarii Illyriciani Chermulæ.
Equites Mauri Illyriciani Æliæ.
Equites Thamudeni Illyriciani Bitſanæ.
Equites Promoti Indigenæ Sabaiæ.
Equites Promoti Indigenæ Zodocathæ.
Equites Sagittarii Indigenæ Havanæ.
Equites Sagittarii Indigenæ Zoaræ.
Equites primi Fælices Sagittarii Indigenæ Palæſtinæ Saburæ, ſive Veterocariæ.
Equites Sagittarii Indigenæ Mohaile.
Præfectus Legionis Decimæ Fretenſis Ailæ.
Et quæ de minore laterculo emittuntur.
Ala prima miliaria Sebaſtena Aſuadæ.
Ala Antana Dromedariorum Admathæ.
Ala Conſtantiniana Tolohæ.
Ala Secunda Fælix Valentiniana apud Præſidium.
Ala Prima miliaria haſtæ.
Ala Idiota conſtitutæ.
Cohors Duodecima Valeria Afro.
Cohors Decima Carthaginenſis Carthæ.
Cohors Prima Centenaria Tarbæ.
Cohors Quarta Phrygum Præſidio.
Cohors Secunda Cratiana Jehybo.
Cohors Prima equitata Calamonæ.
Cohors Secunda Galatarum Arieldelæ.
Cohors Prima Flavia Moleahæ.
Cohors Secunda Cretenſis juxta Jordanem fluvium.

Co-

Cohors Prima Salutaria inter Æliam & Hierichunta.
Officium autem habet ita.
Principem de Schola Agentium in rebus.
Numerarios & Adjutores eorum.
Commentarienfem.
Adjutorem.
A libellis, five Subfcribendarium.
Exceptores & cæteros Officiales.

*Hæc* NOTITIA.

§. II. *Zin* צין, *Cadesh* רקם.

NOminantur hæc loca in linea terram a Meridie terminante, *Num.* 34. & *Jof.* 15.

Docent nos *Judæi* nuncupatum fuiffe *Defertum Zin* a monte iftius nominis, montemque fic vocatum a *Palmetis*: nobilemque eum fuiffe *ferrifodinis*. Nam verba ifta *Numer.* 34. 4. ועבר צנה a *Targ. Hierof.* redduntur, ועבר טוור פרזלא, *Et tranfit limes per montem ferri*. *A Jonath.* ועבר לציני טוור פרזלא, *Et tranfit ad palmas montis ferri*.

ציני Talmudicis funt *Palmæ minores*. *Bava Bathra*, fol. 69. 2. *Rabb Judah dicit*, *Qui vendit vicino fundum*, *neceffe habet ut fcribat*, *Poffide tibi* דקלין ותאלין והוצין וצינין. Interpretes pro nobis efto *Aruch*.

דקלין *Sunt palmæ celfiores*.
תאלין *Sunt reliquæ arbores majores*.
הוצין *Sunt reliquæ arbores minores*.
צינין *Sunt palmæ minores*.

Et Talmudici rurfus, *Succah*, cap. 3. halac. 1.

ציני הר ברזל כשרים, *Palmæ montis ferri funt idoneæ*, ad conficiendum fafciculum manu geftandum in fefto Scenopegiæ. Ubi Gloff. ציני *Sunt palmæ minores*.

Videtur ergo montanum aliquod hoc fuiffe, ipfis terræ Ifraeliticæ limitibus viciniffimum, palmis humilioribus atque ferrifodinis celebre, a palmis dictum צין, & a nomine ifto regionem adjacentem, quæ eremofa, denominans.

*Cadesh*, Interpretibus Orientalibus רקם, erat terræ limes, ipfa tamen fere ac fi extra terram. Hinc ifta, *Gittin*, cap. 1. halac. 1. & *Jevam* fol. 16. 1. *Qui libellum reportat a loco Ethnico*, &c. *Imo qui a Rekam*. Et *omnes maculæ quæ veniunt a Rekam*, *funt mundæ*. Gloff. *Maculæ aliquæ in veftibus* (profluviofæ fcilicet) *quæ venerunt a Rekam*, *mundæ erant*, *quia non determinarunt de maculis alienigenarum*.

Gloff. alia. *In Rekam fuerunt Ifraelitæ*, *& tamen maculæ venientes a Rekam funt mundæ*, *quia Ifraelitarum funt*, *atque Ifraelitæ abfcondunt maculas fuas*, &c.

*Cades*, referente *Breidenbachio*, Arabibus dicitur *Cavvatha*: nam fic ille: *Tandem in regionem quandam venimus*, *quæ lingua Arabica Cavvatha appellatur*, *fed Latina Cades*. Quæ dum legimus, fubeunt ea quæ differit vir admirandæ eruditionis, Cl. *Eduardus Pocokius*, S. T. D. de voce *Kavva*, in doctiff. fuis *Notis Mifcellan.* pag. 48. 49. &c. quod fignificet *vociferationem*, *clamorem*, &c. cui an vox נועה & נועה, qua *Rekam* etiam denominatur, quæ *mugitum* denotat, ullo modo refpondere poffit, magni iftius linguarum oraculi eft judicare potius, quam tenuitatis noftræ.

§. III. אונו *Ono*.

DIftabat *Ono tribus milliaribus a Lydda*. *Dixit* R. Jacob ben דוסתאי, *Dofithei*. *A Lydda ad Ono funt tria milliaria*, *egoque tempore quodam*, *ante diluculum illuc profectus fum*, *ad talos ufque in melle ficuum*. R. Simai *&* R. Zadok *profecti funt intercalatum annum in Lydda*, *& Sabbatizarunt in Ono*. *Juchaf.* fol. 39. 2. *Babyl. Chetubb.* fol. 3. 2. *Cholin*, fol. 56. 2. *Hierof. Megill.* fol. 70. 1.

Muris cinctam hanc urbem opinantur Talmudici, jam inde a diebus *Jofuæ*; at flammis abfumtam in bello *Gibeitico*: quia dicitur, *Omnes etiam civitates ad quas pervenerunt*, *miferunt in ignem*, *Judic.* 20. 48. Reædificatam vero ab *Elpaal Benjamita*, 1. *Paralip.* 8. 12. Dicit *R. Lazar* ben *R. Jofah*. *Excifa erat in diebus concubinæ in Gibeah*; *at proftitit Elpaal*, *atque eam reftauravit*.

Conjungitur cum *Lod* & *Ono*, etiam גיא החרשים, vel *vallis fabrorum*, *Nehem.* 11. 35. quam quidam e *Judæis*, urbem fingularem putant; eamque mœnibus cinctam a diebus *Jofuæ*. *At dicit* R. Chananiah *nomine* R. Phineas, לוד ואונו הן גיה החרשים, *Lod & Ono*, *ipfæ funt vallis fabrorum*.

Ifte *R. Chananiah erat* איש אונו, *civis urbis Ono*, celebris inter Rabbinos, *unus e quinque doctis qui judicarunt coram Sapientibus*. *Hi fuerunt*, *Ben Azzai*, *Ben Zuma*, *Chanan*, *& Channiah*, *& Ben Nanas*. *Juchaf.* ubi ante.

Cur Tabulæ *Lod* & *Ono* difpofuerint prope *Jordanem*, non longe a *Jerichunte*, non alia occurrit mihi ratio, quam quod

quod apud *Josephum* reperiatur oppidum *Adida*, non longe inde dissitum, connumereturque *Hadid* cum *Lod* & *Ono* in *Ezr.* 2. 33. compinguntunturque *Lod* & *Hadid* in vocem unam Λοδαδὶ, *Ezr.* 2. 33. & Λοδαδὶδ, *Nehem.* 7. 37. a LXX. Interpretibus. At plura erant loca nomine *Adida* nuncupata, ita ut vacillet ratio ista, si ista fuerit ratio. Nam erat Αδιδὰ ἐν τῇ Σεφήλᾳ, *Adida in valle*. 1. *Macc.* 12. 38. Et Αδιδὰ πόλις ἐπ' ὄρους κειμένη, *Urbs Adida in monte*, ὑφ' ἧς ὑπέκειται τὰ τῆς Ἰουδαίας πεδία, *Joseph. Antiquit.* lib. 13. cap. 13. Et *Adida in Galilæa, coram planitie magna*, si ea non eadem fuerit cum Αδιδὰ ἐν τῇ Σεφήλᾳ, 1. *Maccab.* 13. 13.

De *Lydda*, quam prope jam sumus, cum de *Ono* agimus, illud animadvertatur in gratiam tyronum, quod monet Gloss. in *Taanith*, *Lyddam vocari etiam* לודקיא *Lodiceam*: & frequens quidem occurrit mentio de הרוגי בלוד, *martyribus in Lydda*, quod & profertur aliquando הרוגי בלודקיא, ut in ista historia, *Taanith*, fol. 18. 2. inter loca alia, כשנקש טוריינוס להרגו ארת לולינוס ופפוס אחיו בלודקיא, *Cum conaretur Tyrannus* ( vel Trajanus ) *interficere Lolienum* ( forsan *Julianum* ) *& Papum fratrem ejus, in Lodicea*, &c. ( Gloss. לודקין היא לוד ) *Dixit iis, si vos de populo Aaaniæ, Michaelis, & Azariæ estis, veniat Deus vester, & vos liberet e manu mea.*

Celebratur admodum fratrum horum martyrium, quod subierunt propter filiam Regis, quæ reperta est interfecta, & dixerunt hostes *Judæorum*, quod *Judæi* eam interfecerant, & hi fratres, ut *Israelem* liberarent, dixerunt, Nos eam interfecimus, eos ergo solos Rex interfecit. Sic Gloss.

Mentio est de סנדל לדיקי, in Tractatu *Kelim*, cap. 26. halac. 1. quod an eundem locum spectet, & reddendum sit *Sandalium Lyddense*, non patet. Cum eo memoratur etiam סנדל עמקי, *Sandalium Emkæum*: a כפר עמקי, *Caphar Imki* dictum, cujus loci memoria est in Tractatu *Taanith*, ubi dicitur, *Civitas e qua sunt quingenti pedites, ut Caphar Imki, &c.* Sic locum citant & nomen urbis proferunt *Aruch* & *R. Solomon*, כפר עמקי; at in textu Talmudico est כפר עמיקי, *Taanith*, fol. 21. 1. De qua re non litigabimus.

## CAP. X.

### *De variis terræ incolis.*

I. *Ea, terra Hebræorum, antequam Canaanæorum.* II. *Unde Canaan pars tantum Canaanis. Judic.* 4. 1. III. *Perizzæi quinam.* IV. *Kenæi.* V. *Rephaim.*

### §. I. *Terra Hebræoram ea, antequam Canaanæorum.*

DIcitur *Abrahamus* עברי, *Hebræus*, tum solum, cum bello inter eum decernendum foret, & *Elamitas*. Ratioque cognominationis est ab ipsa re petenda quæ tum transigebatur.

I. Jus hæreditarium terræ sanctæ, quæ dispositione divina erat terra *Semi*, merito vendicabat *Elam Semi* primogenitus, nec erat quisquam de *Semi* filiis, ad quem judicio humano, æquius justiusque devolveretur. Ast alio eam designaverat judicium consiliumque divinum, cessuram scilicet, familiæ *Arphaxadicæ* atque *Heberieæ*, e qua familia *Abrahamus*. Illum ergo contra exercitum *Elamiticum* roborat Deus, & victoria stupenda hæredem declarat: quod & facit pariter ipse *Semus*, illi benedicens, quamvis filios suos *Elamitas*, primogenito suo *Elamo* natos, prælio stravisset. Agnovit scilicet vir sanctissimus, vates idem maximus, nobilissimusque, consilium Deí, cui ob cædem suorum tam minime adversatur, ut e contra victori benedicat, nobilissimosque terræ suæ fructus, panem & vinum, ei exhibeat, non solum in sui militumque suorum refectionem, sed & forsan, potius in signum resignationis, & collationis juris hæreditarii in eum, quem tam signali nota hæredem demoastraverat Deus. Meritissime ergo exinde *Abrahamus* vocatur *Hebræus*, ut digito quasi monstraretur, devolvere velle Deum hæreditatem istius terræ a familia *Elami* ad familiam *Heberi*, a primogenito ad postmodum genitum, quod etiam postea factum est cum *Reubeno*, & *Josepho*.

II. Præteriri absque observatione nec debet, nec quidem potest, regionem *Pentepolitanam*, adjacentesque, subditas & tributarias fuisse *Chedorlaomero*, *Regi Elam*. Quid? Regi *Persarum* subdi partem aliquam *Canaanitidis*, cum inter eam & *Persiam* tot interjacerent reges & regiones? Scrupulus quidem & nodus non inanis, nec, quantum novi, lai-

aliter solvendus, quam quod *Elamus* primogenitus *Semi*, sive *Melchizedechi*, hæres jure primogenituræ suæ fuerit istius terræ, quam jure & diplomate divino possedit pater ejus *Semus*, filiique *Elami* & nepotes usque ad *Chedorlaomerum*. Nam cum dicitur quod urbes & regiones istæ *duodecim annis* inservierant *Chedorlaomero*, tempora regni ejus numerari videntur, potius quam anni regiminis *Elamitici*. Non quod istæ gentes duodecim tantum annis subditæ fuerant sceptro *Elamitarum*, sed quod duodecimus tantum fuerit iste annus *Chedorlaomeri*. At jam transfert Deus hæreditatem ad familiam *Heberi*, *Hebræam* antea dictam, at jam singularius & honorificentius, cum ex omnibus *Semi* familiis ista modo emineret. עבר *Hebræos* denotat, prout אשור *Assyrios* in verbis istis *Bileami*, *Numer.* 24. 24. וענו אשור וענו ברוע.

Somnium est nonneminis inter *Rabbinos*. *Quod cum distribueretur universa terra inter septuaginta nationes, a confusione linguarum, nulli cessit Canaanitis: sese ergo illuc receperunt Canaanæi, & non solum vacuam repertam, sed & nulli sorte collatam, pro sua usurparunt*. *Shem tobh*, *in* Psalm. 48.

At quid tum dicendum de *Melchizedecho*, quem omnes jam agnoscunt pro *Semo*? Num probabilius, illum intrusisse inter *Canaanæos* jam terram habitantes, an eos in illum intrusisse? Nonne ei & suis hæreditaria potius erat ista terra, quam per injuriam & intrusionem usurpata? Et nonne ille, dirigente Spiritu Dei, eo se contulit potius, quam aut vagans incerte, aut ambitionis agitatus œstro, aut usurpationis? vix credo ego, vel *Canaanæos* ante confusionem linguarum illuc concessisse, vel *Semum* ad id temporis illinc abfuisse. At diu illum multumque *Canaanitida* (ut postea vocabatur) habitasse, ante ingressum in eam *Canaanæorum*, idque privilegio divinæ concessionis, quæ huc eum posterosque suos destinaverat: *Canaanæosque* postea huc irrepsisse, & fmiliæ *Semi*, cujus primogenitus *Elam*, subditos primum fuisse, at tandem excussisse jugum.

Cum ergo omnes primævæ istæ nationes a confusione linguarum nomina sua illico sortitæ fuerint, a stirpis suæ patribus, ut *Assyrii* ab *Assur*, *Elamitæ* ab *Elam*, &c. idem etiam sentiendum est de gente *Hebræa*, eam scilicet ab isto tempore *Hebræam* etiam dictam ab *Hebero*. Eamque, *terram Hebræorum* dictam fuisse, antequam diceretur *terra Canaanæorum*. Nam nec opinari possum anonymum fuisse genus *Hebræorum* per trecentos fere annos post confusionem linguarum, usque dum transitus *Abrahami* e Chaldæa nomen ei inveniret, quod volunt nonnulli. Nec consonum mihi videtur, *Abrahamum* ideo *Hebræum* dictum, quod e *Chaldæa* pergens in *Canaanitida* transierit *Euphratem*, cum & eadem ratione & *Canaan* ipse, atque omnium fere gentium patres Occidentalium, *Hebræi* etiam dicerentur, nam & ipsi transierunt *Euphratem* emigrantes e *Chaldæa*. Cumque *Josephus Patriarcha*, ipse vocetur a Domina sua, *servus Hebræus*, Genes. 39. 17. & a servis *Pharaonis*, Cap. 41. 12. atque ipse de se dicat, quod abreptus fuerit *e terra Hebræorum*, Genes. 40. 15. vix probabile est, totam terram istam aliis regionibus sub isto nomine notam fuisse, ob familiam unam illic jam habitantem, advenam, peregrinam, ab incolis periclitantem: quin potius isto nomine insignitam a sæculis antiquis, etiam antequam diceretur *Terra Canaanæorum*: Nec si litem moveremus contra sententiam istam, quæ linguam *Canaanæorum* atque *Hebræorum*, unam eandemque esse asserit, quicquam nos moveret istud argumentum, quod oppida & urbes *Canaanæorum* nomina, quæ etiam *Hebræa* sunt, gestarint; nam loca ista nomina sua *Hebræa* recipere potuerunt a *Semo*, *Hebero*, & suis, antequam forent loca *Canaanæorum*.

Vixit *Heberus*, cum confunderentur linguæ & spargerentur gentes, & cum nemo, *Hebræos* fuisse filios *Heberi*, negaverit; (imo quis negaverit terram istam fuisse terram *Heberi*?) quanam ratione, & illi & illa nomen suum ab eo non reportarent, eodem modo, quo aliæ gentes a patre suo, a confusione linguarum?

### §. II. *Unde Canaan*, *pars tantum Canaanis*. Judic. 4. 2.

CAnaan cum suis a *Babylone* vagans, post confusas linguas, transito *Euphrate* per *Syriam*, perrexit versus *Palæstinam*, atque in Aquilonarem ejus partem, recta eum deduxit via primum. Et quod de *Abrahamo* illuc itinerante dicunt Judæi, de isto etiam, quoad hoc, potest dici.

*Beresh*. *Rabba*, sect. 39. *Dixit Deus Abrahamo*, inquiunt illi, לך לך, *vocibus duplicatis*, *ob duplex iter*, *unum ab*

*ab Aram Naharaim, aliud ab Aram Nachor. Dum versaretur Abrahamus in Aram Naharaim, & Aram Nachor, vidit homines edentes, bibentes & ludentes. Dixit ergo, Ne sit portio mea in terra ista. At postquam venit* לסולמה של צור*, Ad Scalam Tyriorum, vidit homines operam dantes pastinationi, vindemiationi, atque agriculturæ: & tum dixit, Sit portio mea in hac terra.*

Nota, ut *Abrahamus* in *Canaanitida* adveniens, introducatur primum in partem ejus Borealem, nam ibi *Scala Tyriorum*. *Canaan* pariter cum filiis suis, a *Babylone* pergens, eadem tendit, & partes primum Septentrionales occupat & extra *Canaanitida* & ipsius *Canaanitidis*.

Observentur primo sedes horum filiorum ejus quatuor extra *Canaanitida*.

I. *Arvadi*, ארודי. Quæ vox versionibus fere omnibus legitur ut *Aradi*: & ejus sedes facile dignoscuntur in *Arado* & *Antarado*.

*Jonath.* pro ארודי legit לוטסאי *Lutasæos*: qui, ubinam gentium? Quum quæro apud *Aruch*, quid sibi velit vox לוטס, ille hæc citat e *Bereshith Rabba*: *Mulier quædam e familia* טברינוס, *Tiberini nupta est* ללוטס אחד: Cumque adeo *Bereshith Rabbam*, scriptum ibi reperio.

*Nupta est* ללסטים אחד, *latroni cuidam*.

Si scriptum apud *Jonathanem* foret לטוסאי vice לוטסאי, suspicarer oculum ejus fuisse intentum in *Latavin* locum *Phœniciæ*; de quo mentio in *Notitia Imperii*, ubi Præsidia Romana sub *Duce Phœnices* sunt *Otthara*, *Euhara*, *Saltacha*, *Latavis*, &c.

II. צמרי, *Zemari* Targumistis *Hierof.* & *Jonath.* est חמצי, *Chamatsi*. Sic & Arabi & Gemaristis *Hierosolymitanis*, nec non & *Bereshith Rabbæ*: quæ eos dictos צמרי vel arbitratur, vel ludit שעושין בצמר, *quod operam navarent in lanificio*. *Chamats* autem & *Apamia*, *Hierosolymitanis* convertuntur, ימא דאפמיא ימא דחמץ, *Mare Apamiæ*, inquiunt illi, *est mare Chamats*. *Hierof. Megilla*, fol. 71. 2. *Beresh. Rabba*, sect. 37. *Hierof. Chetubb.* fol. 35. 2. Jam vero *Apamiam* istam, ostendimus alibi, eandem fuisse cum *Sepham*, ora extrema terræ Israeliticæ versus Septentrionem, & ortum æstivum.

III. ערקי *Arki*. ערקי ארקס דליבנן, *Archæus est Arcas Libani*. *Beresh. Rabba, ubi ante*. *Paneas, in qua Cæsarea cum supradicto fonte, Abila Arca,* &c. *Plin. Natur. Hist.* lib. 5. cap. 19. *Borchard.* cap. 2. fol. 15. *In terminos* (lege *Inter*) *Libani & Antilibani offendimus castrum Arachas, ex Arachæo filio Canaan, exacto diluvio constructum.*

חמתי, *Hamathi*. Targ. *Hierof.* *Antiochia*: & non multum ab isto sensu *Bereshith Rabbah*, quamvis verbis diversissimis. סיני ארתוסייה, *Sinæus*, inquit, & *Arethusia*. חמתי פיפניה, *Chamathi est Epiphania*.

*Plin. Natur. hist.* lib. 5. cap. 23. *Reliqua Syria habet, exceptis quæ cum Euphrate dicentur, Arethusios, Beræenses, Epiphanenses.*

Vides *Syriam Antiochenam* & *Syrophœniciam* occupatam a *Canaanæis*, & tamen adhuc perventum non est in *Canaanitida*.

Pergamus ergo porro cum *Canaane*, & filiis ejus reliquis. *Canaanæorum fines*, inquit Sacra Pagina, *erant a Sidone ad Gerarem, etiam usque ad Gazam*, Genes. 10. 19. Erant ab *Antiochia*, inquies, & extrema *Phœnicia*, & ingenti parte *Syriæ*. Vere quidem, ut vidimus, plantatæ erant istæ regiones a filiis *Canaanis*; at eos non *Canaanæos* dicit Scriptura, sed ubi desinunt istorum oræ versus Austrum, inde incipiunt *Canaanæi*. Tractus ergo, vel regio ab iis prima, peculiari cognominatione vocatur *Canaan*, ut distincta a reliqua *Canaanitide*, *Judic.* 4. 2. ubi *Jabin Rex Hazor* vocatur *Rex Canaan*, (id est Aquilonaris oræ *Canaanitidis*.) Atque inter septem gentes anathemati atque excisioni a Deo ipso devotas, numerantur semper *Canaanæi*, cum omnes quidem forent *Canaanææ*, idque ratione, ut videtur, duplici: partim quod regio ista distinctive sic nuncuparetur, ut alia, & peculiaris alicujus diversitatis a regionibus istis habitatis a filiis *Canaanis*, de quibus diximus: partim quod *Canaan* ipse pater, ut probabile est, sedes ibi suas fixerit, & inde & regio ista *Canaan* sit dicta, & tota porro terra *Canaanitis*.

### §. III. *Perizzæi quinam*.

FIlios *Canaanis* numera in *Genes.* 10. & ubinam tandem *Perizzæi*? Et tamen, quod mireris, nunquam non connumerantur isti in atro isto Catalogo, septem gentium excidendarum.

Novi, supponi a quibusdam dictos eos *Perizzæos*, quasi dicas *Paganos*, eo quod in villis & pagis degerent non munitis: quod quidem a notatione vocis

cis non est admodum alienum. At superfluum certe est, quum omnes familiæ *Canaaniticæ* enumerantur, quæ totam terram occuparunt, addere *Paganos* insuper, qui satis includebantur inter istam enumerationem.

At quod apud *Israelitas* factum novimus, apud *Canaanæos* etiam factum jure supponimus: nempe, quod quædam familiæ *Canaaniticæ* stirpis, denominatæ fuerint, non ab ipsissimo immediato filio *Canaanis*, a quo originem deduxerunt, sed a famoso ac memorabili aliquo homine istius stirpis. Nec nuda conjectura hoc dicimus tantum, sed exemplis plurimis inter *Israelitas*, & quidem inter alias gentes, & hoc, in gente ipsa ista de qua loquimur.

*Genes. 36. Zibeon* erat filius *Seir*, vers. 20. vocabaturque tota gens & terra, *gens & terra filiorum Seir*. Jam vero *Seirum* istum fuisse originis *Canaanææ*, satis ex hoc patet, quod filius ejus *Zibeon* vocetur *Hivæus*, vers. 2. Eodem ergo modo quo *Seiritæ*, qui sanguine erant *Canaanæo*, denominati sunt a *Seiro* nobili *Canaanæo*, ita denominatos non dubito *Perizzæos* a *Perez*, aliquo magni nominis homine, in stirpe aliqua *Canaanæa*.

## §. IV. *Kenæi*.

Ejusdem classis erant *Kenæi*, *Kenizzæi*, *Cadmonæi*, origine quidem *Canaanæi*, at ita denominati, a *Caino* aliquo, & *Kenazo*, & *Cadmono*, famosi nominis hominibus in istis familiis. Si modo *Cadmonæi* ita dicti non fuerint ab antiquitate, vel potius ab habitatione eorum versus Orientem: quam notationem subeunt *Saraceni* a *Saracon*, *Oriens*.

Non convenit inter Magistros Traditionum, quid de hisce gentibus statuendum. Apud *Hierosolymitanos* hæc habes.

*Hieros. Kiddushin*, fol. 61. 4. *Patres vestri possiderunt septem gentes, at vos possessuri estis terram decem gentium. Tres postremæ sunt istæ, Kenæi, Kenizæi, Cadmonæi. R. Juda dicit. Hi sunt Salmæi, Sabæi, Nabathæi*. R. Simeon *dicit Asia*, אסטטירה, *& Damascus. R. Lazar ben Jacob dicit. Asia & Cartagena & Turkia. R. dicit Edom & Moab, & primitiæ filiorum Ammon*.

Apud Babylonicos ista.

*Baba Bathra*, fol. 56. 1. *Dicit Samuel. Omnis ista terra quam Deus ostendit Mosi, tenetur ad decimas. Ad excludendum quid? Ad excludendum Kenæos, Kenizzæos, Cadmonæos. Traditio*, *R. Meir* dicit. *Hi sunt Nephtuchæi, Arabes & Salmæi. R. Judah* dicit, *Mons Seir, Ammon & Moab. R. Simeon* dicit ערדיסקים, *Asia & Hispania*.

*Beresh. Rabba*, fol. 28. 2. *Hæ gentes non traditæ sunt Israeli in hoc sæculo, at tradentur in diebus Messiæ*.

*Maimon. in* רוצח, cap. 8. *In diebus Messiæ, adjicient tres alias civitates refugii. Ast unde? De civitatibus Kenæorum, Kenizzæorum & Cadmonæorum: de quibus promissionem exhibuit Deus patri nostro Abrahamo, verum illæ non sunt adhuc subjugatæ*.

Lucem de gentibus hisce mutuari licet a verbis istis *Mosis*, Genes. 10. 18. *Postea familiæ Canaanæorum sunt dispersæ*. Replerunt primo *Phœniciam*, & Septentrionalem regionem *Canaanitidis*; gradatim, totam *Canaanitida* intra *Jordanem*. Deinde se dilatarunt in terram quæ postea *Edomæorum* erat, & dictæ sunt ibi *Horitæ* a monte *Hor*, & *Filii Seir* a *Seiro* istarum familiarum patre, ipso *Canaanæo*. Ab Oriente in regiones istas quæ postea *Moabitarum*, *Ammonitarum*, *Midianitarum*; & dicti sunt isti *Kenæi*, *Kenizzæi*, *Cadmonæi*, a *Caino* quodam, *Kenazo* quodam, & forte *Cadmono*, patribus suarum familiarum, si modo *Cadmonæi* dicti non fuerint ex causis ante dictis.

Mentio *Caini* cujusdam, in mentem vocat oppidum vel urbem *Cain*, quam in Tabulis vides sitam non longe a *Carmelo*. In ea *Doeti*, Belgica pictura, decoratam dicam, an deformem? hominis unius, alium sagitta impetentis cum hac inscriptione, *Cain vvert geschoten van Lamech*, Genes. 4.

Egregium vero monumentum! Obscurus certe est iste locus, *Genes*. 4. & variis Interpretum sententiis factus obscurior, & te pessimam ex omnibus eligere, o *Doete*! Si verba *Lamechi* sunt e textu enucleanda, (quod si non e contextu feceris, unde enucleabis?) hæc secum portant sensum planum & innodem. Introduxerat ille bigamiam; vastaverat ea etiam universum mundum, *Genes*. 6. Ob scelus tam nefarium, & exemplo suo homines infinitos perdens, percutit & pungit eum justitia & vindicta divina, horrore & aculeo conscientiæ, ita ut gemens & ejulans coram bigamis suis *Adah & Zillah*, queratur & fateatur se homicidam esse *Caino* longe cruentiorem. Is enim unum *Abelem* tantum occiderat, ille autem juvenes sensi-

nesque exemplo suo scelerato infinitos.

§. V. רפאים, *Rephaim*.

INterpres *Samaritanus* hos semper reddit *Asæos*. In *Genes.* 15. 20. Scriptos cum *Cheth*. At in *Deuteron.* 2. 20. cum *Aleph*. Si illi, ut ab eo, sic ab aliis omnibus Syriace & Chaldaice loquentibus, vocarentur *Asæi*, non novi unde vox *Asia* aptius deducatur, quam a memoria stirpis hujus Giganteæ in medio fere *Asiæ* degentis, & præ omnibus Asiaticis, monstrosæ & stupendæ: Τιτᾶνας eos vocant LXX. 2. *Samuel.* 5. 18. 22. Vox a *Samarita* adhibita, *Medicos* denotat, & sic a me ipso redditur in Bibliis polyglottis, *Londini* nuper editis, *Deuteron.* 2. partim ut verbum verbo redderetur, præcipue vero ut observaretur quonam sono, & quali pronuntiatione ille legerit vocem רפאים. Sic eam LXX. reddunt Ἰατροὶ, *Esai.* 26. 14. &c.





# JOANNIS LIGHTFOOTI CHOROGRAPHICA PAUCA IN S. LUCAM

## CAPUT I.

### *De Locis*. Luc. III. *memoratis*.

I. *Historica quædam de Dominiis Herodis, & Tetrarchiis filiorum*. II. *An Peræa vocetur etiam Galilæa*. III. *Quædam de Transjordanina generalius*. IV. *Trachonitis*. V. *Auranitis*. VI. *Ituræa*. VII. *Abilene*. VIII. 2. *Samuel*. 20. 18. *notatur*.

### SECTIO I.

*Historica quædam de Dominiis Herodis, & Tetrarchiis filiorum*.

ANtequam ad particularem regionum istarum investigationem accedamus, quarum mentio *Luc*. 3. 1. non incongruum erit, pauca prælibare historice & generalius.

*Joseph. Antiquit*. lib. 15. cap. 13. *Cæsar Augustus filios Herodis*, *Alexandrum & Aristobulum*, *Romam adventantes accepit omni cum humanitate*, καὶ δίδωσιν Ἡρώδη τὴν βασιλείαν ὅτῳ βούλεται βεβαιοῦν τῶν ἐξ αὐτοῦ γεγονότων. *Et concedit Herodi*, *cui vellet filiorum suorum*, *regnum firmare*. Καί χώραν ἔτι τήν τε Τράχωνα, καὶ Βατανέαν, καὶ Ἀβρανῖτιν, *Deditque ei insuper regionem Trachonitin*, *& Batanæam*, *& Abranitin*. Omittitur mentio *Peræ* (peculiarius sic dictæ) cum tamen ea foret sub jure *Herodis*, unde alias ab eo conditum *Herodium*, ubi & ipse est sepultus, etiam in extremis *Peræ* limitibus versus Austrum.

De *Peræa* etiam silet *Lucas*, cum loquitur de Tetrarchia *Herodis Antipæ*, cum tamen dicat Josephus *de bello*, lib. 2. cap. 9. Ἐγένετο ὑπὸ τούτῳ (Ἀντίπα) ἥτε Περαία καὶ Γαλιλαία, *sub Antipa erat Peræa & Galilæa*.

Cur de *Peræa* sileat *Josephus*, cum loquitur de regno patris, & *Lucas*, cum de Tetrarchia filii, cum planum sit eam fuisse sub Dominio & patris & filii; res est obscura, & non sine animadversione prætereunda.

Hæc etiam idem Josephus de Tetrarchia *Philippi*.

*De excid*. lib. 2. cap. 9. Βαταναία τὲ καὶ Τράχων, Αὐρανῖτις τὸ καὶ μέρη τινὰ τοῦ Ζήνωνος οἴκου τὰ περὶ Ἰαμνίαν, πρόσοδον ἔχοντα ταλάντων ἑκατὸν ὑπὸ Φιλίππῳ τέτακτο. *Batanæa*, *& Trachonitis*, *& Auranitis*, *& partes quædam domus Zenonis circa Jamniam, reddentes redditum centum talentorum*, *erant sub Philippo*. Et

An-

*Antiquit.* lib. 18. cap. 6. Τότε δὴ καὶ Φίλιππος τελευτᾷ τὸν βίον, εἰκοστῷ μὲν ἐνιαυτῷ τῆς Τιβερίου ἀρχῆς. *Tunc moritur Philippus viceſimo anno imperantis Tiberii, cum ipſe annis triginta ſeptem præfuiſſet* τῆς Τραχωνίτιδος, καὶ Γαυλανίτιδος, καὶ τῶν Βαταναίων ἔθνους πρὸς αὐτοῖς. *Trachonitidi, Gaulanitidi, atque inſuper genti Batanæorum*. Omittitur hic ab eo, ut vides, *Auranitis*, & inſeritur *Gaulanitis*, ut & apud *Lucam* mentio nulla vel *Batanææ*, vel *Gaulanitidis*, vel *Auranitidis*, ſed earum vice *Ituræ*. Eſt in his *Joſephi* verbis, nodus Chronologicus non facilis ſolutionis: ſed talia non ſunt hujus operis.

An Ζήνωνος οἶκος, *Domus Zenonis*, relationem aliquam habeat ad *Zenodorum* latronem, non facile dictu. De eo loquitur *Joſephus*, loco ante citato, & dicit quod *Auguſtus* eo potius *Batanæam*, *Trachonitin & Auranitin* regno *Herodis* magni adjecit, ut ſuppprimeret ille furta & latrocinia *Zenedori* cujuſdam & *Trachonitarum*. Cujus *Zenodori* mentionem etiam habet *Strabo*, lib. 16. ſic inquiens: *Nunc minus fiunt latrocinia*, καταλυθέντων νυνὶ τῶν περὶ Ζηνόδωρον τῶν λῃστῶν, *ſublatis latronibus Zenodorianis*.

At ſi vernacula lingua nomen ſic ſcribatur, בית צינון, *Beth Zenun*, ſignificare poteſt locum aut *regionem frigoris*: & denotare regionem aliquam contiguam nivibus *Libani*, vel partem aliquam טור תלגא, *Montis nivis*: quod ego magis credo.

## SECTIO II.

*An Peræa vocetur etiam Galilæa.*

Quamvis tota Transjordanina merito dici potuerit Περαία, ob hoc ipſum, quod fuerit trans fluvium; diſtinguitur tamen vulgo de regionibus, atque illa vocatur ſpeciatim *Peræa*, quæ erat olim regnum *Sichonis*, poſtea habitatio *Reubenitarum*, & aliquorum *Gaditarum*.

Unde illud *Ptolemæi*, quod Ἀπ' ἀνατολῶν τοῦ ποτ' Ἰορδάνου, memorentur ab eo tantum hæ civitates.

Κόσμος, *Coſmus*.
Λιβιὰς, *Livias*.
Καλλιῤῥόη, *Callirrhoe*, olim *Lasha*.
Γάζωρος, *Gazorus*.
Ἐπίκαιρος, *Epicærus*.

Loca alia quæ erant trans *Jordanem*, nominat ſub aliis diſtributionibus, ut quædam ſub *Cœleſyria*, quædam ſub *Batanæa*.

Res de qua jam quærimus, eſt an *Transjordanina* unquam uſquam vocata fuerit *Galilæa?* Quæſtione hinc ſuſcitata, quod Evangeliſta noſter totam Tetrarchiam *Herodis* cenſeat ſub nomine *Galilææ*, cum magna pars ejus foret *Peræa*.

In affirmativum nos propendimus hiſce rationibus: & primum, quod pars ſuperior Transjordanicæ appelletur *Galilæa*, ſupponimus

I. Ex Matth. 4. 15. Ὁδὸν θαλάσσης πέραν τοῦ Ἰορδάνου, Γαλιλαία τῶν ἐθνῶν, *Via maris trans Jordanem, Galilæa Gentium*. Nonne loca iſta trans mare *Genneſariticum*, vocantur hic *Galilæa Gentium*, diſtinctive a *Galilæa* proprie ſic dicta, cis *Jordanem?*

II. *Judas*, dux ſeditionum contra cenſum Romanum, *Gamalieli* eſt Ἰούδας ὁ Γαλιλαῖος, *Judas Galilæus*, Actor. 5. 37. qui tamen *Joſepho* eſt Γαυλονίτης ἀνὴρ ἐκ πόλεως ὄνομα Γαμάλα, *Homo Gaulonita, ex civitate Gamala*. Antiquit. lib. 18. cap. 1. Cum ſat notum ſit *Gaulonam & Gamalam* fuiſſe trans *Jordanem*.

III. Supponimus etiam *Peræam* ſpecialius ſic dictam, nuncupatam etiam fuiſſe *Galilæam* hiſce argumentis.

I. Sub Dominio *Herodis magni* erat tota *Canaanitis*, & citra *Jordanem*, & ultra. Jam quadripartita tota iſta regione in quatuor Tetrarchias, ut prima ſit *Judæa*, ſecunda *Samaria*, quæ utraque jam erat ſub regimine *Pilati*, tertia *Ituræa* & *Trachonitis*, ſub *Philippo*, quarta erit *Galilæa* cis *Jordanem*, & *Peræa* trans. Cum ergo *Lucas* duas has ultimas Tetrarchias dividens, *Galilæam* tantum nominet pro Herodiana, planum eſt quod *Peræam* etiam concludat ſub nomine *Galilææ*, & loquatur ut in re nota & recepta.

II. In *Luc.* 17. 11. dicitur quod *Jeſus Hieroſolymam tendens, tranſiit per medium Samariæ & Galilææ*. Aptius dictum videretur, *Per medium Galilææ & Samariæ*. Nam cum ab *Hieroſolymis* ad ſua rediret, tranſiit primo per *Samariam*, & ſic in *Galilæam*. Cum vero a ſuis *Hieroſolymam* tenderet, tranſiit primo per *Galilæam*, & tum per *Samariam*. Jam vero in iſto itinere certum eſt, tranſiiſſe eum in *Peræam*, tranſita prius *Samaritide*. Unde probabile admodum fit, *Peræam* ibi dici ab Evangeliſta *Galilæam*, eo modo quo eam etiam concluſerat ſub nomine *Galilææ*, Cap. 3. 1.

III. In cœna iſta funeſta, in qua ferculum ultimum erat caput decollati Ba-

Baptistæ, illi qui convivati sunt cum *Herode* dicuntur fuisse *Magnates Galilææ*, *Marc. 6. 21.* Cum autem cœna ista fuerit in *Herodio* in extremis *Peraæ* limitibus versus Austrum, nonne Magnates illi *Galilææ* erant Magnates *Peraæ*?

IV. Mentio est de גלילות הירדן, *Geliloth Jordanis*, *Josu.* 22. 11. cum sermo est de *Peræa*: unde regio ista etiam bene dici potuit *Galilæa*.

## SECTIO III.

*Quædam de Transjordanina generalius.*

De Tetrarchiis *Herodis* & *Philippi*, hoc, ut opinor, determinare licet absque præjudicio, quod nihil sub eorum regimine erat, quod non erat intra limites terræ Israeliticæ proprie sic dictæ. (Quæ objici possunt de *Ituræa* trutinabimus suo loco.) Regiones ergo earum speculantibus, res maxime erit in Transjordanina, nam cis *Jordanem* erat tantum *Galilæa*, de qua non opus est scrutamine, quia de ea nulla difficultas.

Transjordaninam a remotissima vetustate, nisi fallar, divisam habes in historia ista, Genes. 14. 5. *Chedorlaomer & qui cum eo reges, percusserunt Rephaim in Ashteroth karnaim, Zuzim in Ham, Emim in Shaveh kiriathaim, Hormi in monte Seir.*

Hæc duo hinc concipias. I. Quod *Basanitis* habitata est a *Rephaim*, *Peræa* (altera pars Transjord.) a *Zuzim*, *Moabitis* ab *Emim*. II. Quod *Ashteroth karnaim*, *Ham*, *Shaveh kiriathaim* non erant singulæ totius regionis nomen, sed locorum tantum peculiarium in regionibus: forsan ubi pugnatum est, & debellatus populus regionis.

De *Ashteroth karnaim*, quod foret intra *Basanitidem* parum scrupuli, cum latior regio vocetur *Ashteroth*, & *karnaim* additur tantum ad distinguendum & limitandum: vide Deuter. 1. 4. *Og rex Basan habitavit in Ashteroth, in Edrei.*

De loco ipso sic Magistri in *Succah*, fol. 2. 1. עד כ' אמה יושב אדם בצל סוכה, *Ad viginti cubitos homo sedet in umbra tabernaculi sui*, (viz. in festo Scenopegiæ) *ultra viginti cubitos non sedet in umbra tabernaculi, sed in umbra laterum ejus.* (id est, si tectum vel operimentum tabernaculi sit ultra viginti cubitos altum) *Abai dicit ei, jam ergo si quis faciat tabernaculum in Ashteroth karnaim, nonne ita etiam est tabernaculum?* Ubi Gloss. *Ashteroth karnaim erant duo montes magni, valle interjacente, & propter altitudinem montium, sol nunquam oriebatur valli.*

Quare Samarita pro *Ashteroth karnaim*, habeat עפינית קרניה, *Aphinith karnajah*, cum ipsam vocem *Ashteroth* alibi retineat, non facile solvitur, nisi relationem aliquam habeat ad עפין, *Rames*, ob locum ramis atque umbris densum: sed ea est in lingua Samaritana gutturalium confusio, ut vix quicquam certi hic statueris.

Quod *Zuzim* habitarent *Peræam* ut distinctam a *Basanitide*, ex ipso aciei victricis progressu liquet; nam cum planum sit quod *Rephaim* habitarunt in *Basanite*, atque *Emim* in *Moabite*, Deuteron. 2. 10. 11. planum etiam satis est, quod *Zuzim* quos exercitus devicit post *Rephaim*, atque ante *Emim*, in regione intermedia inter eos habitarunt, quæ erat *Peræa*.

Atque hinc corrigendi sunt illi, qui hic lectionem corrigendam volunt, & legendum pro הזוזים בהם, *Zuzim in Ham*, זוזים בהם, *Zuzim cum iis*, ut Gr. & Vulg. &c. ac si *Zuzim* fuissent inter *Rephaim*, cum distincti fuerint & natione & habitatione. Samarita certe בהם sumit pro loco, cum reddit בלישה, *in Lishah*.

Cum terram ingrederentur Israelitæ ex *Ægypto* exeuntes, divisa fuit tota Transjordanica in hanc dichotomiam, *Regnum Sichonis*, & *Regnum Og. Sichonis* erat *Peræa* stricte sic jam dicta, *Og* erat totum reliquum sub nomine *Basan*. At post reditum Israelitarum e Babylone, ita subdivisa est *Basan*, ut *Batanæa* vel *Basan* fuerit pars ejus tantum, & reliqua exceperint *Trachonitis* & *Auranitis*, imo, si vis, & *Gaulonitis*; nam distinctionem talem habes apud *Joseph.* de excid. lib. 3. cap. 4. Has igitur omnes propriis finibus & limitibus circumscribere, quæro an humanum jam non excedat ingenium? Certus sum quod meum.

Illud ergo quod in hac re acturi sumus, hoc tantum est, ut pauca de locis ita separatis, quantum conjectura assequi licet, candido lectoris judicio candide summittamus. Atque ordiamur primo a *Trachonite*.

## SECTIO IV.

*Trachonitis.*

ARGOB, *Deuter.* 3. 14. Targumistis est טרכונא & טרגונא *Trachona*, & sic *Jonath.* 1. Reg. 4. 13. Sama-

maritano eſt רינבאה, *Rigobaah*, cui germana videtur רגב, *Regab* apud Talmudicos.

*Menachoth*, fol. 85. 2. *Tekoah primas obtinet propter oleum. Abba Saul dicit*, שניה לה׳ רגב בעבר הירדן, *Secunda poſt eam, eſt Ragab trans Jordanem.*

Nomen deductum vult *Gulj Tyrius a draconibus:* nam ſic ille.

*De bell. ſacr.* lib. 16. cap. 9. *Videtur autem nobis* (Trachonitis) *a draconibus dicta. Dracones enim dicuntur occulti & ſubterranei meatus, quibus iſta regio abundat. Nam pene univerſus illius regionis populus in ſpeluncis & cavernis habitat, & in draconibus habet domicilia.*

Alia dici poſſent de notatione vocis: ſed ſitum regionis quærimus, non Etymologiam nominis. Et primum quod de ſitu quærendum, eſt an regio longitudine extenſa fuerit ab Auſtro ad Septentrionem, an ab Occidente in Orientem. Ratio diſquiſitionis eſt partim propter *Auranitim*, de qua dicturi ſumus in ſequentibus, & partim propter verba iſta *Joſephi.*

*Antiquit.* lib. 17. cap. 2. Ὡρίζετο δὲ αὐτὴ (Βαταναία) τῇ Τραχωνίτιδι, *Terminabatur Batanæa Trachonitide.* Quomodo autem illud? An quod *Batanæa* interjaceret inter *Peræam* & *Trachonitin*, ab Occidente extenſa in Orientem? An quod *Batanæa* interjaceret inter *Trachonitin*, & *Galilæam* proprie ſic dictam, extenſa longitudine ab Auſtro in Aquilonem? Poſterius ſupponimus, & *Trachonitin* diſponimus in ultimis Transjordaninæ regionibus verſus Orientem: Utrumque his rationibus conjunctis.

I. Quod Gemariſtæ Peripheriam terræ deſcribentes, ab Aquilone, nominent תרנגולא עילאה דלמעלה מן קיסרין וטרכונא דמתחם לבוצרה, *Tarnegolam* (vel *Gabaram*) *ſuperiorem quæ eſt ſupra Cæſaream* (Philippi) *& Trachonam quæ extenditur ad Boſram.* Hieroſ. Sheviith, fol. 36. 3. ubi extenſio *Trachonæ* non eſt ad *Boſram* aliquam in limite iſto Aquilonari, ſed ad *Boſram* vel *Boſorram* quandam in limitibus *Peræa*: (de qua *Joſeph. Antiquit.* lib. 12. cap. 12.) & ſic procurſum regionis innuit, a Septentrione in Auſtrum.

II. *Ptolem.* cap. 15. prope finem. Βαταναίας χώρας, ἧς ἀπ' ἀνατολῶν ἡ Σακκαία, καὶ ταύτης ὑπὸ τὸ Ἀλσάδαμον ὄρος, οἱ Τραχωνῖται Ἄραβες. *Batanææ provinciæ, a cujus Orientali parte eſt Saccæa, & hujus ſub Alſadamum montem, ſunt Trachonitæ Arabes.* En *Trachonitas* ab Orientali parte *Batanææ.*

III. *Joſeph.* de excid. lib. 3. cap. 4. ἥτε Γαμαλιτικὴ καὶ Γαυλανῖτις, Βαταναία τε καὶ Τραχωνῖτις. At nonne & ipſa *Gamalitica* & *Gaulanitis* erant intra *Batanæam?* Veriſſime. At per hanc diſtinctionem partitur & diſtinguit inter *Batanæam* qua erat *Galilææ* vicinior, & qua remotior. Regionem ejus, iſti viciniorem ab urbibus celebribus *Gamala* & *Gelan*, denominat *Camaliticam* & *Gaulonitin*; at remotiorem, nomine ſuo proprio *Batanæam*, & poſt eam ulterius *Trachonitin.*

Erat cum tota iſta regio, quæ modo in has diſtinguebatur, uno & generali nomine *Baſan* audiret: quæ vox ut in *Bathan* vel *Batanæam* tranſierit, ut & Targumiſtis & Samaritæ in *Bathnin* & *Mathnin*, linguæ Syræ aliqualiter peritus facile agnoſcet.

## SECTIO V.

### *Auranitis.*

AURANITIN denominationem ſuam ab *Hauran* deduxiſſe, vix quiſpiam dubitaverit, præſertim ſi obſervet, אשר אל גבול חורן, *Ezech.* 47. 16. reddi a Græc. Αἵ εἰσιν ἐπάνω τῶν ὁρίων Αὐρανίτιδος.

Nominatur חורן, *Hauran* inter montes illos, e quorum vertice, per flammas elevatas, factum eſt indicium novi anni.

*Roſh haſhanah*, cap. 2. hal. 2. *Undenam extulerunt flammas?*

מהר המשחה לסרטבא, *A monte Oliveto ad Sartabam:* ומסרטבא לגרופינא, *Atque a Sartaba ad Gryphenam:* ומגרופינא לחורן, *Atque a Gryphena ad Hauran:* ומחורן לבית בלתין, *Atque ab Hauran ad Beth Baltin: atque a Beth Baltin non receſſit ille qui flammas extulit, ſed huc illuc, ſurſum deorſum agitavit, donec videret totam captivitatem flammis coruſcantem.*

Quærit Gemara, *Quidnam eſt Beth Baltin? Rabb dicit, eſt Biram. Quidnam eſt captivitas? Rabb Joſeph dicit, eſt Pombeditha.* Ubi Gloſſ. *Senſus hic eſt, Quod Biram erat de terra Iſraelitica.* Inane? *Beth Baltin* idem cum *Biram*, & *Biram* intra terram Iſraelis? Cum tamen in Gemara Hieroſ. *Rabb Honna dicit, cum huc venimus, aſcendimus in verticem Beth Baltin, & vidimus palmas in Babylonia.* Res ſi vera, perpendenda Geographis, *proſpici poſſe Babyloniam e terra Iſraelitica.* Eorum autem ſenſu veriſſima, qui per *Babyloniam* intelligunt vulgo omnes iſtas regio-

giones, in quas deportata est captivitas Babylonica, non *Chaldæam* solum, sed & *Mesopotamiam* & *Assyriam*. Limitantes ergo terram Israeliticam fluvio *Euphrate*, quod & facit Scriptura, contiguam eam faciunt *Mesopotamiæ*, interlabente tantum isto fluvio: & *Beth Baltin* statuunt non longe a citeriori ripa istius fluvii.

Fatentur Gemaristæ, elevatas fuisse flammas in montibus aliquibus inter hos quos nominant intervenientibus; at nominantur hi tantum ut celebriores. Jam vero *Hauran* quem nominant, probabile est fuisse montem, unde denominata illa de qua agimus *Auranitis*: & suspicari licet, fuisse aliquam partem *Antilibani Hauran* dictam, vel a voce Syra חוור, *Havar*, quæ *album* denotat, vel ab Hebr. חור, *Hor*, quæ speluncam: & convenire potest monti utraque significatio, nivibus *albo*, & subterraneis meatibus *cavo*.

Utcunque, patet ex loco *Ezechielis* allegato, *Hauran* fuisse in extremis terræ oris versus Septentrionem, atque inde dicta, atque ibi sita *Auranitis*: quamvis eam nescio qua authoritate disponat *Guilj. Tyrius* secus mare *Genesariticum*, lib. 22. 26. *Subito enim transcursa Auranitide regione, quæ secus mare Tyberiadis est*, &c.

Fluvium *Orontem* (natum inter *Libanum* & *Antilibanum* juxta *Heliopolin*, ut *Plin.* lib. 5. cap. 22.) nomen suum ab *Hauran* deduxisse, vox ipsa videtur fari. Quamvis nonnulli ab *Eustath. in Dionys.* Περιηγ. citati nomen latinum esse censeant. Ἄλλοι δὲ φασιν, inquit ille, ὅτι Καῖσαρ Τιβέριος ἐκ Δράκοντος αὐτὸν Ὀρόντην μετωνόμασεν, ὃ σημαίνει Ἀνατολικόν. Ac si *Orontes* idem esset quod *Orientalis*. At quid illud ἐκ Δράκοντος sibi velit, obscurius. *Orontes* olim *Typhon* dicebatur, Strabo, lib. 16.

## SECTIO VI.

### *Ituræa.*

PARCAS ulteriori scrutamini licet in investigando ubinam *Ituræa*, si Barradium audies, qui fidenter satis, at fide tantum sua, quantum novi, asserit quod *Regio erat in sorte Tribus Nephthalim, ad Libani montis radices*. Nisi forte *Borchardum* secutus, qui sic fide etiam *Jacobi de Vitriaco*. *Scias regionem Decapolin quam varie in Scripturis denominari. Dicitur enim aliquando Ithuræa, aliquando Trachonitis, nunc Planities Libani, nunc terra Moab, nunc Gabul, nunc Galilæa gentium, nunc Galilæa superior. Est tamen semper eadem regio*. Confuse satis.

*Ituræorum* gentem aliquam collocat Plinius in *Cyrristica* Syriæ,

Lib. 5. 23. *Et inde Cyrristica, Irneates, Gindarenos, Gabenos, Tetrarchias duas, quæ Granii Comatitæ vocantur, Emisenos, Hylatas Ituræorum gentem, & qui ex iis Bætarreni vocantur, Mariamitanos*, &c.

*Strabo*, lib. 16. *Post Macram est Marsyas, habens montana quædam, in quibus est Chalcis tanquam Marsyæ arx. Ejus initium est Laodicea, quæ est ad Libanum*. Τὰ μὲν οὖν ὀρεινὰ ἔχουσι πάντα Ἰτουραῖοί τε καὶ Ἄραβες, κακοῦργοι πάντες. *Montanam totam regionem Ituræi & Arabes habent, malefici omnes*.

*Eupolemus* apud *Euseb.* Præparat. Evang. lib. 9. cap. 30. Στρατεῦσαι δ' αὐτὸν (Δαβὶδ) καὶ ἐπὶ Ἰδουμαίους, καὶ Ἀμμονίτας, καὶ Μωαβίτας, καὶ Ἰτουραίους, καὶ Ναβαταίους, καὶ Ναβδαίους. *David pugnavit cum Edomitis, & Ammonitis, & Moabitis, & Ituræis, & Nabathæis, & Nabdæis*. Dixerat ante, quod *ille debellaverat Syros habitantes ad Euphraten & Commagenem*, καὶ τοὺς ἐν Γαλαδηνῇ Ἀσσυρίους καὶ Φοίνικας, *Assyriosque & Phœnicas qui erant in Galadene*.

*Guili. Tyrius* de bello sacro, lib. 9. cap. 15. *Secus mare Galilææ, viam carpentes, Phœnicem Lybanicam ingressi, Paneadem quæ est Cæsarea Philippi, a dextris prætereuntes, Ituræam ingredientes*, &c.

Et lib. 21. cap. 11. *D. Rex pertransiens Agrum Sydonensem, & montana quædam quæ sunt media inter nostros & hostium terminos conscendens, perrexit ad locum bonis temporalibus commodum fere omnibus, gleba uberem, fontibus irriguum, cui nomen Messabara. Inde in vallem quæ dicitur Bacar descendens, terram reperit, ut legitur, lacte & melle manantem. Hanc regionem existimant quidam dictam fuisse olim Ituræam — Antiquitus autem, viz. tempore Regum Israel, erat saltus Libani nuncupata*.

Ubinam tandem jam *Ituræa*? Num *Philippus* partem aliquam Tetrarchiæ suæ habuit in *Cyrristica* aut *Chalcide* Syriæ? Et tamen ibi erant, si Plinio & Straboni credes, *Ituræi*. Suspicor aliquid latere in etymologia vocabuli, de qua quidem æque hæsites ac de situ regionis.

Si *Bacar*, ut describitur a Tyrio, fuerit *Ituræa*, ab עיתור, *Hittur* bene deduci posset, quæ significat *opulentiam*, vel ab עיטור, quæ significat *coronationem*;

*nem*; idque potiſſimum cum regio coronatur ubertate. Notio Talmudicis ſatis nota.

Vel ſi credere poſſem, *Ituræam* & *Decapolin* idem eſſe, ſupponerem vocabulum עשר, *Decem*, admittere mutationem ש in ת more Syriaco: ſed nec illud credo, & hoc non comperi in iſta voce unquam fieri, quin potius in ס tranſire.

At nonne nomen deductum ab חיתורי, *Hitture*, *ſuffoſſiones*, propter ſubterraneos meatus aut ſpeluncas? Ita ut *Ituræi* idem ſonaret, quod *Troglodytæ*, *inhabitantes cavernas*. Atque ita diſtincti ſunt *Troglodita* qui erant ab Aquilonaribus terræ Iſraeliticæ finibus, a *Troglodytis* qui ab Auſtralibus, *Horæis* ſcilicet in *Idumæa*. Et regiones iſtas de quibus agimus, ſpeluncis celeberrimas fuiſſe, affatim teſtatum habes a *Strabone*, *Joſepho*, *Tyrio*, aliiſque: ſpeluncis frequentibus, atque aliquibus ſtupendis.

Strab. lib. 16. Ὑπέρκεινται δὲ αὐτῆς (Δαμάσκου) δύο λεγόμενοι Τράχωνες, *Sunt ultra Damaſcum duo montes qui appellantur Trachones. Poſtea, Arabiam & Ituræam verſus, ſunt montes aſperi, & altis ſpeluncis inſignes, quarum una quatuor millia hominum recipere poſſit.*

Stupendior *ſpelunca Zedechiæ*, ubicunque ea tandem, quæ erat ſpatii octodecim milliarium, ſi vera ſint quæ de ea referuntur. *Bemidbar Rabb.* fol. 211. 2.

Spelunca erat trans Jordanem *16*. M. P. a *Tyberiade*, quæ habuit inferius, medium & ſupremum cænaculum, vel tres manſiones. *Guili Tyr.* lib. 22. 15. quæ manſiones erant etiam munitiones, nam continuerunt turbam militarem.

Non ſine ratione igitur licet conjectare, *Ituræam* de qua nos agimus, ſic dictam fuiſſe ab חיתורי, ſuffoſſionibus talibus, aut ſpeluncis: & *Plinium*, & *Strabonem*, cum de *Gente Ituræorum*, *in Cyrriſtica* & *Chalcide* loquuntur, non regionem *Ituræam* ibi diſponere, ſed innuere fuiſſe ibi Troglodytas qui habitarent in ſpeluncis.

*Ituræa* ergo Evangeliſtæ noſtri, erat in regione Transjordanina, *Batanæa* ſcilicet & *Auranitis*, vel *Auranitis ſola*, ut patet ex *Joſepho* cum hoc noſtro collato. Nam dicit *Lucas*, *Philippum* fuiſſe *Tetrarcham Ituræ & Trachonitidis*: Joſephus autem, eum fuiſſe *Tetrarcham Trachonitidis*, *Batanææ & Auranitidis*. Aut ergo *Auranitis & Batanæa* Joſephi, ſunt *Ituræa* Lucæ: aut *Batanæa* Joſephi confunditur cum *Trachonite* Lucæ, & ſola Auranitis eſt *Ituræa*. Nam obſervandum eſt illud.

*Joſeph. Antiquit.* lib. 20. cap. 5. Δωρεῖται τὸν Ἀγρίππαν τῇ Φιλίππου Τετραρχίᾳ, καὶ Βαταναίᾳ, προσθεὶς αὐτῷ Τραχωνῖτιν σὺν Ἀβέλλα. *Donat* (Cæſar) *Agrippam Tetrarchia Philippi & Batanæa, addens ei inſuper Trachonitin cum Abella*. Ubi notandum, quod ſit mentio Tetrarchiæ *Philippi*, diſtinctæ a *Batanæa* & *Trachonite*. Quænam autem illa? *Auranitis* certe Joſepho, & forſan ea *Ituræa* Lucæ.

## SECTIO VII.

### *Abilene.*

Joſephus in verbis jam citatis de *Abella* loquens, hæc addit: Λυσανίᾳ δὲ αὕτη ἐγεγόνει Τετραρχία. *Fuerat ea Tetrarchia Lyſaniæ.*

Sic & *Ptolem.* Ἄβιλα ἐπικληθεῖσα Λυσανίου, *Abila cognomine Lyſaniæ*; eamque numerat inter civitates *Cæleſyriæ*, *ſub his gradibus*.

*Heliopolis*. 68. 40. 33. 40.

*Abila*. 68. 45. 33. 20.

De *Abila* in iſta regione loquitur *Plinius*,

*Nat. Hiſt.* lib. 5. cap. 18. *Paneas, in qua Cæſarea, cum ſupradicto fonte* (nempe cap. 15.) *Abila*, *Arca*, *Ampeloeſſa*, *Gabo*.

Non immerito diſtinguitur per relationem ad *Lyſaniam*, nam erant hinc illinc *Abilæ*, vel *Abellæ* aliæ. In talem enim pronuntiationem Græcam tranſiit vox Hebræa אבל, *Abel*, cujus nominis loca plura.

*Abel Shittim*, ubi caſtrametati ſunt Iſraelitæ immediate ante tranſitum *Jordanem*, Joſepho eſt Ἄβιλα, *Abila*, *diſtans a Jordane 60. ſtadiis*. Antiquit. lib. 5. cap. 1. quam etiam nominat cum *Juliade*, κατὰ τὴν Περαίαν. *De excid.* lib. 2. 22. Eſt *Abel Meholah*, *Abel beth Maachah*, &c.

Prope ad ſonum accedit אבלם קליקאי, *Abelas Ciliciorum*. *Targ. Jonath.* in *Nu.* 34. 8.

Ipſiſſima vox אבילין, *Abilene* occurrit in.

*Vajicra Rabba*, fol. 184. 1. ותפול שבא ותקחם, *Irruerunt in eos Sabæi, & rapuerunt eos*, Job. 1. 15. *R. Abin bar Cahna dicit*, יצאו מכפר קריינוס, *Prodierunt ex Caphar karinus*, והלכו את כל האבילין, *Et profecti ſunt per totam Abilenen*, *& venerunt ad* מגדל צבעיא, *Migdal Zabaaia*, *atque ibi mortui ſunt*.

## SECTIO VIII.

2. *Samuel.* 20. 18. *discutitur.*

INter omnes, vel civitates, vel regiones, quæ insigniuntur nomine *Abel*, celebratissima est ista 2. *Samuel.* 20. ob historiam *Shebæ* stolidi, & fœminæ prudentis. Cujus fœminæ hæc verba non parum torserunt Interpretes, דבר ידברו בראשונה לאמור שאול ישאלו באבל וכן התמו.

Græca Versio magis torquet, Λόγον ἐλάλησαν ἐν πρώτοις, λέγοντες, Ἠρωτημένος ἠρωτήθη ἐν τῇ Ἀβὲλ καὶ ἐν Δὰν, εἰ ἐξέλιπον ἃ ἔθεντο οἱ πιστοὶ τοῦ Ἰσραήλ. Ἐρωτῶντες ἐπερωτήσουσιν ἐν Ἀβὲλ, καὶ οὕτως εἰ ἐξέλιπον. Latin. Interpr. *Verbum locuti sunt in primis, dicentes, Interrogando interrogatus est in Abel & in Dan, si defecerunt, quæ posuerunt fideles Israel. Interrogantes interrogabunt in Abel, & ita si defecerunt.*

Si quis ex his verbis sensum vel plausibilem vel probabilem eruere potest, gratum fecerit si docuerit alios, præsertim vero cur addatur *Dan.* Connumerantur quidem *Dan* & *Abel beth Maachah*, ut non admodum distantes, 1. *Reg.* 15. 20. Et si earum vicinitatem ex verbis discas, quid aliud ex iis expiscandum sit, ego quidem non video.

Concordant tamen in hac lectione, editio *Romana* & *Alexandrina*, quæ palmam ferre existimantur inter omnes Editiones Versionis Græcæ. Et dicant jam illi qui correcta volunt Biblia Hebræa per Græca, an hic volunt corrigenda? Patiantur interim, ut ego Hebræis, ut jam sunt, fruar.

Planissimum sensum reddunt Hebræa, si prima vocabula בראשונה דבר ידברו, rite applicentur, nempe ad *Sheba* & suos loquentes. *Cum Sheba & sui huc appellerent, sic certe primum dixerunt, quod inquirerent ab Abel de pace ejus, vel a cujus partibus staret;* וכן התמו, *Et sic rem integram fecerunt*, vel prætexuerunt integritatem. Nam illud quod *Joabo* præcipue satisfactum esse oportuit, hoc erat, Civitatem istam non conjuratam fuisse cum perduellionibus: quod directe fit, si hunc sensum admiseris. Certum enim eum facit prudentissima fœmina, quod *Abeliani* nequaquam vel *Shebæanos* in urbem invitaverint, vel ut in rebellione cum iis consentientes, in urbem admiserint, sed quod fuerint blandis & fallacibus misere decepti eorum verbis, qui placide prætexuerunt se de pace & statu urbis quæsituros tantum. Atque ut dignoscas hæc vera esse quæ dico, projicietur illico tibi caput *Shebæ* a muro.

## CAP. II.

## SAREPTA.

I. *Zarephath*, *Obad.* vers. 20. *ubi.*
II. *Sepharad*, *ubi.*

## SECTIO I.

*Zarephath*, *Obad. vers.* 20. *ubi.*

SAREPTA in historia *Eliæ*, 1. *Reg.* 17. scribitur Hebraice צרפת, iisque literis, *Obad.* vers. 20. Unde quæri potest, an sit utrobique unus idemque locus. Et de identitate quisnam dubitaret, nisi quod Judæi per צרפת vulgo intelligant *Franciam*, & per ספרד, *Sepharad*, quæ apud Prophetam occurrit eodem commate, *Hispaniam*. Verba Prophetæ varie redduntur; sed in tota ista varietate nihil obstat, quominus *Zarephath*, de *Zarephath Sidonia* possit intelligi. Nam sive sermo sit de captivitate detenta in *Zarephath*, sive de captivitate terram possessura ad *Zarephath*, (nam ista præsertim varietate verba explicantur) utrovis sensu bene potest *Sarepta Sidonia* esse scena rei. Quoad prius enim, si conferatur illud de *Tyro* sorore *Sidonis*, Am. 1. 9. & conferatur potentia & dominium *Sidoniorum*, non improbabile erit, captivos Israelitas fuisse in *Sarepta Sidonia*. Et quoad posterius, cum sermo sit in commate præcedente, de possessione montis *Esavi*, agrorum *Ephraim*, *Samariæ*, & *Gilead*, & tum fiat mentio de possessione terræ *Canaanæorum* usque ad *Zarephath*, quis *Zarephath* quæsiverit in *Francia*, & non in loco aliquo vicino, prout loca reliqua nominata erant vicina? Quibus addas, cum hic fiat mentio de possessione terræ *Canaanæorum usque ad Zarephath*, docebunt Interpretes Græci, quinam *Canaanæi*, cum distinguuntur a reliquis gentibus terræ *Canaaniticæ*, *Phœnices* nempe, Judic. 3. 3. Et per *reges Hittæorum*, 1. Reg. 10. 29. & 2. Reg. 7. 4. intellexerim ego pariter Βασιλεῖς τῆς Φοινίκης.

CAP.

## SECTIO II.

*Sepharad, ubi.*

ITalus Interpres pro *Sepharad*, retinet *Zarphath*. Sic enim ille. *Et i transferiti di questo esercito de figlioli de Israel, che sono de Chenahanei, in fino a Zarphath, & i transferiti di Jerusalem, che sono in Zarphath*, &c. An caute nimis, an nimis incaute, ipse videat.

Græca habent Ἐφραθὰ quibuscum concordat Interpres Arabs: at Syrus cum Targumista, *Hispania*. Vulg. *Bosphorus* confuse, & præpositione ב facta radicali. Et tamen hæc Nobilius. *Narrat S. Hieron. cum vocabalo Hebraico Sepharad, quod ipse Bosphorum verterit, cæteros Interpretes concordasse.* Si hoc velit, quod omnes concordarint in agnitione vocabuli *Sepharad*, nil novi refert. At quis concordavit cum vocabulo ejus *Bosphorus?*

*Sepharad* quidem non est locus adeo obvius ac *Zarephath*, nec de ea quid dici potest nisi per conjecturam. Et si conjecturæ sit locus nostræ, quæsiverim ego *Sepharad* in *Idumæa*, potius quam in *Hispania*; idque quia vaticinatur *Obadias* contra Idumæos proprie sic dictos: cumque dicat Israelitas captivos in *Sarepta Phœniciæ* possessuros terram Canaanæorum, probabile est per captivos in *Zarephath*, intelligi ab eo, captivos in *Idumæa* possessuros civitates Austri; *Zarphathani* vel *Sareptani* erant ab Aquilone, *Sepharadani* sint a Meridie inter Ἐρέμβους Homeri Odyss. δ. Οὓς εἰκὸς λέγειν τοὺς Τρογλοδύτας Ἄραβας, *Quos Troglodytas Arabas recte dixeris*, inquit Strabo, lib. 1.

*Horæos* scil. in monte *Seir*: nam *Eremb* ab *Horim* fuisse deformatam ego suspicor.

Cum Judæi per *Edom* vulgo intelligant *Regnum Romanum*, & quidem gentes Christianas in Occidente, facile est perspicere, quare hæc loca *Zarephath & Sepharad* tam remote disponant a Palæstina: nam *Obadia* prophetante contra *Edomæos* proprie sic dictos, mutant illi scenam & personas secundum vulgarem ipsorum constructionem vocis *Edom.*



## SECTIO III.

*Sareptæ situs.*

PLin. lib. 5. cap. 19. *Inde (a Tyro) Ide, ac Sarepta, & Ornithon oppida, & Sidon artifex vitri, Thebarumque Bæotiarum parens.*

Borchard. *A Tyro ad tres leucas admodum breves Eleutherus fluvius mari recipitur. Ab Eleuthero intervallo duarum leucarum est Sarepta. A Sarepta ad duas leucas extat Sidon -- Sarepta hoc tempore vix 8. domibus constat: cujus tamen ruinæ & defectiones, gloriosam extitisse declarant.*

*Zarephath* dictum volunt quod *conflatorium*, ab coquendis & conflandis metallis, præsertim vitro.

*Strabo*, lib. 16. *Inter Acon & Tyrum est littus arenæ tumulis obsitum*, φέρων τὴν ὑαλῖτιν ἄμμον, *quod fert arenam vitrariam. Eam dicunt hoc in loco non fundi: cum vero Sidonem perlata sit, fusioni parere*, &c.

## CAP. III.

### NAIN, *Luc.* 7. 11.

I. *De Naim juxta Thabor, ostensa peregrinantibus*. II. *De Naim Josephi & Rabbinorum*. III. *Versio Græca* τῆς עין נינם, *notata.*

## SECTIO I.

*De Nam juxta Thabor, ostensa peregrinantibus.*

EXemplari Alexandrino עיון, *Ijon* est Ναὶν, 1. *Reg.* 15. 20. Romano est Ἀὶν. Sic *Hazer Enan*, *Numer.* 34. 9. Romano est Ἀρσεναὶν, Alexandrino Ἀσερνᾶιν. Neutra convenit cum Ναὶν nostra. Nam Salvatorem in ista historia, *Luc.* 7. fuisse in *Hazar Enan*, ultimo terræ limite versus *Syriam*, risu dignum est vel concipere. Nec quidem in *Ijon*, cum ex ipso ordine locorum quo disponuntur in textu allegato, videatur *Ijon* fuisse vel ultra *Dan*, vel saltem in extremis terræ ex ea parte limitibus.

De *Nain* nostra sic Borchardus. *A Nazareth duabus leucis, a monte Thabor plus una leuca, contra Austrum est mons Hermon minor, in cujus latere Aquilonari est urbs Nain, ante cujus ingressum Jesus viduæ filium a morte revocavit, ut legimus, Luc.* 7. Sic etiam *Breidenba-*

*bachius*. Sic & Tabulæ nonnullæ quoad situm *Hermonis* juxta *Thabor*, & quoad situm urbis *Nain* juxta *Hermonem*.

Placet quidem quod *Naim* disponant in *Issacharite*, si modo fallacia non sit iis circa montem *Thabor*. Nam cum revera *Thabor* fuerit ultimus terminus *Issacharitidis* versus Aquilonem, Josu. 19. 22. *Joseph. Antiquit.* lib. 5. cap. 1. necesse est ut quicquid fuerit inde contra Austrum leuca una aut binis, reputetur intra istam Tribum. Ast vereor primum, ne *Thabor* iis, & qui jam ostenditur peregrinantibus, vix sit verus *Thabor*: & parum dubito, *Hermonem* istum de quo illi, ex errore creatum fuisse & male concepto sensu *Psalm.* 81. 12. Quare dubitem de *Thabore*, ratio est, quia *Thabor* iste qui ostenditur peregrinantibus, describente *Biddulpho* nostrate qui eum ascendit, & referente etiam mihi amico quodam meo qui etiam ascendit, parum convenit cum descriptione *Josephi*, veri *Thaboris*. Nam sic nostras: *Acclivis aliquantum est mons, ac non altus admodum, nec spatiosus admodum, sed mons speciosus, rotundus*, &c. Ast *Josephus*, de excid. lib. 4. cap. 6. Ἰταβύριον ὄρος τὸ μὲν ὕψος ἐπὶ τριάκοντα σαδίοις ἀνίσχει, μόλις πρόσβατον κατὰ τὸ προσάρκτιον κλίμα, πεδίον δ᾽ ἐςὶν ἡ κορυφὴ σαδίων ἓξ καὶ εἴκοσι. *Mons Thabor altitudine est triginta stadiorum, difficilis ascensus a climate Aquilonari, summitas ejus est planities viginti sex stadiorum.*

Interpres *Persicus* pro Ναῒν habet נאבלס, *Nabelis*, i. e. *Neapolis*, quæ & *Sychem*, qua ratione incertum: & vix creditum est, quantum novi, a quoquam antea, quod defunctus iste viduæ filius quem Salvator resuscitavit, fuerit *Samaritanus*. Erat quidem tantum non Samaritanus iis quam proximus, at longissime a *Sychar*.

## SECTIO II.

*De Naim Josephi & Rabbinorum.*

DE נעים, *Naim* quadam, loquuntur *Darshanim* in.

*Bereshith Rabba*, sect. 98. *Issachar est asinus ossium*, Genes. 49. 14. *Loquitur de ejus terra. Nam sicut asinus est declivis hinc & declivis illinc, & altus in medio: sic in Issacharite est convallis hinc & convallis illinc, & montanum isthinc, cubans inter duos terminos. Hi sunt duæ convalles*, בקעת פסלן, *Vallis Pistan, & vallis Jezreel. Et vidit requiem quod bona*, זו תנעם *Hæc est Tinaam, & terram, quod pulchra*, זו נעים, *Hæc est Naim.*

Vides hic obiter specimen aliquod allegoricarum, & longe petitarum expositionum, quibus luxuriantur & gloriantur egregii hi Commentatores. Sed ob hoc quidem gratias iis hic agimus, quod nos doceant, quod erat *Nain* quædam in *Issacharite*, ab amœnitate situs sic dicta, ( ut & תנעם, *Tinaam* eandem gestat cum ea etymologiam ) quam non sine ratione opineris esse hanc nostram, atque eandem esse *Nain* Josephi.

*Antiquit.* lib. 20. cap. 5. *Usitatum erat Galilæis ad sanctam urbem ad festa tendentibus, itinerari per regionem. Samaritanorum.* Καὶ τότε κάθοδον αὐτοῖς κώμης τῆς Ναῒς λεγομένης. *Et tunc via illis per villam dictam Nain.* ( Obscuriora quidem sunt Græca, sed quæ nos non morentur ) *Quidam vero de Samaritanis, atque incolis magnæ planitiei, conferentes pugnam, multos ex iis interemerunt.*

Ipsissimam eandem historiam repetere eum credas, quamvis circumstantiis nonnullis diversam, in.

*De excid.* lib. 2. cap. 21. *Rursum erat pugna inter Galilæos & Samaritas.* Κατὰ γὰρ τὴν Γεμαὰν καλουμένην κώμην, ἥτις ἐν τῷ μεγάλῳ πεδίῳ κεῖται τῆς Σαμαρείτιδος. *Nam juxta villam vocatam Gema, quæ sita est in magna planitie Samaritidis, multis Judæis ad festum ascendentibus, occiditur Galilæus quidam.*

An una eademque sit historia, non solliciti quærimus, nec an *Gema* sit eadem villa cum *Nain*: sed hoc videtur quidem ex eo colligi posse, quod *Nain* erat in extremis limitibus *Issacharitidis*, contiguis *Samaritidi*, & *Gema* in extremis limitibus Samaritidis versus *Issacharitin*. Et cum descenderant *Galilæi* ab oppido *Nain* Issacharitico in magnam planitiem Samariticam, illico in via habent *Gemam*, atque ibi occurrunt hostes: si modo *Nain* & *Gema* non forent unum idemque oppidum.

## SECTIO III.

*Engannim.*

FErt animus meus opinari, *Naim* eandem fuisse cum *Engannim*, de qua mentio *Josu.* 19. 21. & Cap. 21. 29. Nam I. utraque erat intra *Issacharitin*, *Engannim*, teste Scriptura, & *Naim*, testantibus Magistris, quibus in re tali, non video cur non credamus. II. Utraque vox amœnitatem eloquitur. *Naim* in ipso etymo: *Engannim*,

fon-

fontem & hortos. III. *Engannim*, Joſu. 21. 29. in 1. *Paralip.* 6. 73. eſt ענם, *Anem*, quas literas ſi invertas, quod fit in סרח & חרס, fiet נעם, *Naem.* IV. Addere liceret, quod *Engannim*, ſi fides doctoribus, qui loca oſtendunt peregrinantibus, fuerit directe in via tendente a *Galilæa* Hieroſolymas, ſicut erat, ut patet, *Naim* noſtra. De ea ſic *Biddulphus* noſtras. *Villa vulgo vocata Jenine, aſt olim Engannim, locus hortis, paradiſis & aquis admodum amœnus.*

Quare Græcus Interpres reddat עין, גנים, *Engannim*, Πηγὴ γραμμάτων, *Fons literarum*, Joſu. 21. 29. doctiores inveſtigent. Celebrantur quidem *Iſſacharitæ* ob peritiam ſuam in calculandis temporibus, 1. *Paralip.* 12. 32. Ubi Targumiſta: *Periti in calculandis initiis annorum & Calendis menſium, in intercalandis menſibus & annis*, סופיסטין במולדא דסיהרא, *Sophiſtæ* ( periti ) *de noviluniis*--- איצרולוגין במזליא וכוכביא, *Aſtrologi circa planetas & ſtellas*, &c.

Si Levitas inter *Iſſacharitas* habitantes, ſub nomine *Iſſacharitarum* conſcripſeris, potuit *Engannim* ( quæ erat civitas Levitica ) eſſe Academia talis literaturæ & Matheſews; ſed utrumque incertum: atque æque obſcurum illud, quod idem Græc. Interpr. pto *Remeth & Engannim, & Enbaddah, & Bethpazes. Joſu.* 19. 21. habeat Ῥεμμὰς, καὶ Γεὼν, καὶ Τομμαὼν, καὶ Ἀιμαρὲκ, καὶ Βηρσαφασφής.

## C A P. IV.

### E M M A U S, *Luc.* 24.

I. *Varia de nomine atque ipſo loco.* II. *Ejus ſitus.* III. *Aliqua ejus hiſtoria. Item de Timnath: & de monte Gilead*, Judic. 7. 3.

### S E C T I O I.

*Varia de nomine atque ipſo loco.*

De *Emmaunte* aliquid diximus in *Centur. Chorograph.* cap. 45. Addamus nonnulla.

I. Diſtabat *Hieroſolymis*, teſtante Evangeliſta noſtro, ut & *Joſepho*, *de excid.* lib. 7. cap. 27. *Sexaginta ſtadiis*: computo ſtadiorum vulgarium, VII. paſſ. ½ Judaicorum VIII. M. paſſ. Quonam igitur exemplari *Joſephi* uſus eſt *Beza*, qui ſic in locum? Ἑξήκοντα, *Sic apud Syrum Interpretem, & in omnibus codicibus legitur. Itaque aut hic peccatum eſt in numero, aut apud Joſephum libro de bello Judaico* 7. cap. 27. *non recte ſcribitur ſtadia triginta*. Joſephus noſter plane habet, χωρίον ὃ καλεῖται μὲν Ἀμμαοῦς, ἀπέχει δὲ τῶν Ἱεροσολύμων σταδίους ἑξήκοντα.

II. Interpretes *Syr. Arab.* & *Perſ.* nomen apud Evangeliſtam ſcribunt cum ע ab initio. *Syrus* & *Perſa* עמאוס, ſic & *Syrus* in 1. Maccab. 3. 40. *Arabs* autem עמואס, Talmudici אמאוס cum א inchoante. In Talm. Babyl. quidem in *Erachim*, fol. 10. 1. ſcribitur עימאוס: aſt in *Miſnajoth* ſeorſim impreſſis, eſt ibi אמאוס, ſic eſt in *Succh*, fol. 51. 5.

III. Joſephus vulgo reddit חמת, *Chammath Tiberiadis* ( locum ſic dictum a *Thermis* ) per Ἀμμαοῦς. Verum an *Emmaus* noſtra idem ſubeat etymon, quæras.

Erant ibi quidem aquæ celebres, ſed vix calidas ſuppoſueris, ex ſcriptura vocis apud Talmudicos.

*Midras Coheleth*, fol. 101. 2. *Quinque Diſcipuli erant Rabban Jochanani ben Zaccai, qui dum ille viveret, ſederunt coram eo. At cum ille obiret, receſſerunt ad Jaſnen. R. Eliezer autem ben Erech receſſit ad uxorem ſuam* לאמאוס, *ad Emmaunta*, מים יפים ונוה יפה, *locum amœnarum aquarum, atque amœnæ habitationis*. Eſt in hac hiſtoriola aliquid diſquiſitione non indignum, quoad hiſtoriam Judæorum Scholaſticam, nempe ubi reſideret *Rabban Jochanan*, ſi non in *Jabneh*: quem locum ei attribuunt ſui vulgariter. Sed de rebus iſtiuſmodi non eſt hic diſputandi locus.

Guilj. Tyrius, lib. 7. cap. 24. *Pervenerunt Nicopolim. Eſt autem Nicopolis civitas Palæſtinæ. Hanc, dum vicus adhuc eſſet, ſacer Evangeliorum liber appellavit Emmaus*--- *Ubi noctem illam in aquarum abundantia, & rerum copia victus neceſſariarum egerunt tranquillam.*

Profert ille ibidem verba quædam *Sozomeni in Sexto Tripartitæ Hiſtoriæ*, quæ libro ejus quinto, cap. 20. habentur, quibus aquæ *Emmauntinæ*, non ſolum ob earum abundantiam & amœnitatem, ab eo celebrantur, ſed & ob miraculoſam ſalubritatem: nam ſic ille. *Eſt urbs Palæſtinæ, quæ jam Nicopolis dicitur, cujus quidem ut pagi ( ſic enim jam tum fuit ) divinus Evangeliorum liber mentionem facit*, Καὶ Ἐμμαῦ προσαγόρευε, *eamque Emmam appellat. At Romani capta Hieroſolyma, & parta contra Judæos victoria, eam Nicopolin nuncupabant, nomine ex eventu belli impoſito. Ante hanc urbem, propter trivium ( in quo Chriſtus poſt reſur-*

*resurrectionem a mortuis cum Cleopha incidens, simulabat se ad alterum pagum propere contendere ) est fons quidam salutaris, in quo non homines modo qui ægrotant, loti curantur, verum etiam alia animalia quæ variis morbis laborant. Nam ferunt Christum una cum Discipulis quodam tempore e via ad fontem illum divertisse, inque eo lavasse pedes, & aquam ex eo tempore vim morbis medendi habuisse.*

Fidem rei referenti relinquimus: hoc tantum ex intimatione verborum ejus observantes, quod non mirum erat, si tempore Evangelistarum *Emmaus* foret vicus tantum, cum non ita pridem exusta fuerit a *Varo*. Joseph. Antiquit. lib. 17. cap. 12. & de Excid. lib. 2. cap. 7. Nec mirum, pristinum nomen ejus transierit in nomen alienum, *Emmaus* in *Nieopolim*, cum transierit ipse locus in Coloniam Romanam. Idem, de Excid. lib. 7. eap. 27.

## SECTIO II.

*Situs ejus.*

SI gradibus in cœlo statum vis hujus loci situm, sic habes apud *Ptolemæum*.

*Emmaus* 65. 45. 31. 45.

Si vicinitate Regionum aut locorum adjacentium, sic Hierosolymitani,

*Sheviith*, fol. 38. 4. מביתּ חורון ועד אמאוס הר, *A Beth-horone, ad Emmaunta est montanum:* מאמאוס ועד לוד, שפלהּ *Ab Emmaunte ad Lyddam planities, e Lydda ad mare convallis.*

Si copiosius ex Ptolomæo, sic ille.

*Jammia* 65. 40. 32. 0.
*Lydda* 66. 0. 32. 0.
*Antipatris* 66. 20. 32. 0.



*Emmaus* 65. 45. 31. 45.
*Hierosolyma* 66. 0. 31. 40.

Quamvis computus spatii inter Hierosolymam & *Emmaunta* non congruat hic exacte cum *Josepho* & Evangelista nostro, ad quem cardinem cœli tamen spectarit *Emmaus*, hinc discas, ex locis simul nominatis. Quibus addas & illud

*Joseph. Antiquit.* lib. 12. cap. 11. & 1. Maccab. 4. *Judas Maccabæus* secus *Emmaunta* confligit cum *Gorgia*, & fugiunt *Gorgiani*, & prosequuntur *Maccabæani* μέχρι Γαδάρων ϗ τῶν πεδίων τῆς Ἰδεμαίας, ϗ Ἀζότε, ϗ Ἰαμνείας *Ad Gadaron* (Gezer) *& ad planitiem Idumææ, & Azotum, & Jamniam.*

Hæc ideo notamus, ut appareat *Emmaunta* fuisse *Galilæam* versus, quamvis vergeret ab *Hierosolymis* etiam versus Occidentem. Nam cum pro latitudine *Galilææ* ab Occidente in Orientem extensæ, necesse erat ut variæ essent ab *Hierosolymis* in hanc vel illam ejus partem viæ, hæc per *Emmaunta* erat una, per *Bethoronem* alia, per *Antipatrida* tertia, si illa non coincideret etiam cum *Emmauntina*: nam coincidisse suadere possent verba *Guilj. Tyrii*, qui castrametationes & itinera exercitus cruce signati describens, sic ait

Lib. 2. cap. 22. *Relictis a dextra locis maritimis Antipatrida & Joppe, Eleutheriam pertranseuntes, Liddam, quæ est Diospolis, pervenerunt.* Et

Cap. 24. *Unde assumtis itineris ducibus, viris prudentibus & locorum peritis, pervenerunt Nicopolin;* quæ eadem cum *Emmaunte*.

Non sine ratione igitur supponimus, duos Discipulos ad *Emmaunta* tetendisse, non ut ultimum itineris sui terminum, sed quod illac esset via in *Galilæam*.

## SECTIO III.

*Aliqua ejus historia. Item de Timmath, & de monte Gilead*, Judic. 7. 3.

IN quanam Tribu fuerit *Emmaus*, difficilius foret judicare, propter situm *Bethoronis*, quæ erat in Tribu *Ephraimitica*, Josu. 16. nisi quod Talmudici satis doceant non fuisse de *Samaritide*.

*Erachin*, fol. 10. 1. & *Succah*, fol. 51. 1. *Servi Sacerdotum erant, ait R. Meir. At R. Jose dicit, Erant de familia Beth Pegarim & Beth Zipporia in Emmaunte, matrimonio elocantes filias suas Sacerdotibus.*

Sermo est de fidicinibus in Templo, & disputatur quinam illi, an Levitæ, an Israelitæ, speciatim *Emmauntini*, de duabus istis familiis, quæ ob puritatem idoneæ erant ut conjugarentur cum sanguine sacerdotali: quæ extra omnem controversiam rem ponunt, *Emmaunta* non fuisse in Tribu *Ephraimitica*; nam absurdissimum opinari Samaritissas connubia cum Sacerdotibus contrahere, & Samaritas esse de fidicinibus in Templo. In Tribu *Benjamitica* ergo disponenda est *Emmaus*, quæ quid olim dicta fuerit non datur conjectare.

De hoc loco opinamur mentionem esse in

*Siphra,*

*Siphra*, fol. 9. 4. *Dixit R. Akibah. Interrogavi Rabban Gamalielem & R. Josuam* באטלס של אמאוס, *in macello Emmauntis, cum irent ad accipiendum bestiam in convivium pro filio*, &c. *Rabban Gamaliel* & *R. Josua* erant *Jasnenses*: unde computato situ *Jasnes*, audacius arbitreris eos in *Emmaunte* nostra jam fuisse. Eadem habes *Maccoth*, fol. 14. 1.

Erat illa de civitatibus majoribus: nam sic de ea *Josephus*.

*Antiquit.* lib. 14. cap. 18. Καὶ τέσσαρας πόλεις ἐξανδραποδίζεται Κάσσιος, ὧν ἦσαν αἱ δυνατώταται Γόφνα τε ϗ Ἐμμαοῦς, πρὸς τούτοις δὲ Λύδδα ϗ Θαμνᾶ. *Cassius autem servituti mancipavit quatuor civitates, quarum potentissimæ erant Gophna & Emmaus, & præter eas Lydda & Thamma.*

*Notitia Imper. Orient.*) Sub dispositione Ducis Palæstinæ, inter alias, erat *Ala Antana Dromedariorum Admathæ*, ubi notat Pancirol. *Admatham* ab Hieron. in locis Hebræis vocari *Ammatam*: quæ ob consonantiam nominum, nostra videri possit, nisi quod probabilius est, quod tunc temporis *Nicopolis* potius vocaretur.

Cum observamus ut *Cammath*, חמת, vel *Thermæ Tiberiadis*, vulgo reddatur Græce Ἐμμαοῦς, cumque observamus etiam *Emmaunta* nostram, aquis celebribus quoque nobilem, non recognoscere non possumus *Aquas Nephtoæ*, vel *Fontem Etam*, unde deductæ per tubos sunt aquæ ad Templum: qui quidem erat ab *Hierosolymis* ab eodem cardine cœli, quo & *Emmaus* nostra. Et formari potest Ἐμμαοῦς nostra ab אמת, *Ammath*, *Canali aquarum*, æque ac altera Ἀμμαοῦς, ab חמת, *Chammath*, Thermis. Sed judicet lector.

In memoriam hujus loci ne omittamus hanc historiam.

*Sigebert. Chron.* ad tempora Theodos. & Valentin. *Hoc tempore in castello Judææ Emmaus, natus est puer perfectus. Ab umbilico & sursum divisus, ita ut haberet duo pectora & duo capita: & unusquisque proprios sensus: & unus edebat, & non alter: unus dormiebat, & alter vigilabat: nonnunquam insimul dormiebant, insimul ludebant ad alterutrum: & flebat uterque: & percutiebant se invicem. Porro vixerunt annis ferme duobus, & unus quidem est mortuus, alter vero supervixit diebus quatuor.*

Si biceps hic puer foret filius Judæi alicujus, tum necesse erat ut solveretur ista quæstio quæ proponitur, *Menchoth*, fol. 37. 1. מי שיש לו שני ראשים, *Si quis habeat duo capita*, באיזה מהן מניח תפילין, *in uiro eorum liganda sunt frontalia ejus Phylacteria?* Non vulgaris certe scrupulus. Habe etiam ex Glossatore non vulgarem historiam. *Asmodæus produxit ab infra pavimentum, hominem quendam bicipitem coram Solomone. Atque ille duxit uxorem, & genuit filios sibi similes, bicipites, & similes etiam uxori suæ, cum uno capite. Et cum ventum esset ad dividendum hæreditatem paternam, ille qui habuit duo capita postulavit duas portiones. Et allata est lis dijudicanda coram Solomone.*

De *Thamna* aut *Timnath*, de qua mentionem habuimus apud *Josephum*, disputatur in *Sotah*, fol. 17. 1. Ubi *Rabb asserit, esse duas Timnathas, unam Judææ, alteram Samsonis.* Nemo non novit tertiam, *Timnatham Josuæ viz. Timnatham Serah* in montano *Ephraimitico*, ubi ille sepultus, *Jos.* 24. 30. Permitte hic Rabbinos nugari de inversis nominibus סרח & חרס, & fingere simulachrum solis affixum fuisse sepulchro *Josuæ*, in memoriam miraculosæ retardationis solis: pro more suo agunt. Et certe non multum dispar est illud, quod a Græcis additur Interpr. Ἐκεῖ ἔθηκαν μετ᾽ αὐτοῦ εἰς τὸ μνῆμα, &c. *Ibi posuerunt cum eo in monumento in quo sepelierunt eum ibi, cultros petrinos quibus circumcidit filios Israel in Galgalis, cum eduxit eos ex Ægypto, sicut constituit iis Dominus.* Num hæc olim in textu Hebræo, & exciderunt? Aut an non sapiunt potius glossema Samariticum, aut Traditionem Judaicam?

Tolerabilius aliquanto recedunt a textu Hebræo in eadem historia, cum מצפון להר געש, *Ab Aquilone montis Gaash*, reddunt Ἀπὸ Βοῤῥᾶ τοῦ ὄρους τοῦ Γαλαάδ, *Ab Aquilone montis Galaad*: ubi, quantum judico, non malos agunt Paraphrastas, quamvis non ad literam Interpretes. Memineris obscuri istius, quod non parum torsit Interpretes, in *Judic.* 7. 3. Clama nunc, o *Gedeon*, in auribus populi, quicunque formidolosus est & timidus, ישב ויצפר מהר גלעד, *Revertatur & abeat mane a monte Gilead.* Scena hujus rei erat in, vel prope vallem *Jezreel*, distans a monte *Gilead* Transjordanino, viginti aut triginta milliaribus: & quomodo hisce *Gideonitis* jam recedendum est a monte *Gilead*? Novi quid afferatur in hujus medelam, quod nempe sic intelligatur, Quicunque sunt de monte *Gilead*, revertantur. Targumista in hunc sensum, Quicunque est timidus revertatur, ויתבחר מטורא דגלעד, *& eligatur de monte Gilead*, i. e. eligantur *Gileaditæ*. Sed utrum

trum in animo ejus fuerit, eligantur *Gileaditæ* qui maneant, quia non sunt timidi, non tanti est ut inquiramus.

At nonne per montem *Gilead* hoc in loco intelligitur mons *Gaash*? Certe non discordat situs, & forsan non discordat nomen.

Unde mone *Gilead* trans Jordanem nomen suum duxerit, nemini est ignotum; ab aggere scilicet, & cumulo lapidum, erecto a *Jacobo* in testimonium fœderis inter ipsum & *Labanem*, Genes. 31.

Legimus & de non absimili, erecto a *Josua* prope *Shechemum*, in testimonium fœderis inter populum & Deum, *Jos.* 24. 26. Jam ergo, quis supposuerit *Josuam* sepultum longe a civitate *Sichem*? Nam cum locus iste singularius legatus & designatus a *Jacobo* fuerit filio suo *Josepho*, quisnam jam inter *Josephianos* istam regionem hæreditabit justius quam *Josua*? Sepultus ille ab Aquilone montis *Gaash* in agro proprio. Nonne mons iste etiam dici *Gilead* potuit, ob columnam testimonii ibi erectam prope a *Sichemo*? unde pes montis & mons ipse exurgens, (si versus Aquilonem, quod arbitramur, tum) desinere bene potuit non procul ab isto loco, ubi acta res *Gideonis*. Nam cum campus istius prælii foret in *Manassitide* contignus monti *Ephraimitico*, moneatque *Gideon*, ut discedant quotquot erant timidi a monte *Gilead*, vix meliorem sensum de monte *Gilead* excogitaveris, quam quod pars ista montani Ephraimitici sic dicta fuerit, a columna testimoniali ab Australi ejus parte sita, cum vulgare nomen ejus foret *Mons Gaash*.



JOAN-



# JOANNIS LIGHTFOOTI DISQUISITIO CHOROGRAPHICA

**Loca quædam terræ Iſraeliticæ inveſtigans;**

*Illa præſertim quorum mentio*

APUD

# S. JOANNEM.

## CAPUT PRIMUM.

### BETHABARA, *Joan.* 1. 28.

I. *Variæ Lectiones* Βηθανία *&* Βηθαμαρά. II. *Trajectus Jordanis celebriores*. III. *Ditio Scythopolitana*. IV. Μέγα πεδίον. *Ibi trajectus Scythopolitanus*. V. *Bethbarah*, Judic. 7. 24.

### §. I. *Variæ Lectiones* Βηθανία *&* Βηθαμαρά.

NOTATUR ab omnibus huncEvangeliſtam tractantibus, variari in quibuſdam codicibus Lectionem, & profertur illud.

*Epiphan. Hæreſ.* 51. Ταῦτα ἐν Βηθαβαρᾷ ἐγένετο· Ἐν ἄλλοις δὲ ἀντιγράφοις, Ἐν Βηθανίᾳ.

At Druſius. *Vulgati Græci codices habent in Bethabara, pro quo in Epiphanio, loco citato, ſcriptum, In Bethamara*. Ταῦτα ἐν Βηθαμαρᾷ ἐγένετο. Ἐν ἄλλοις δὲ ἀντιγράφοις, Ἐν Βηθανίᾳ. De qua lectione *Petavius* ſilet.

Parum miror, ſi *Bethabara* tranſierit in *Bethamara*: quod fieri potuit, partim *ex affinitate characterum*, ut inquit ille, *quæ tanta eſt in antiqua ſcriptura, ut vix diſcerni poſſit* μῦ *a* βῆτα, *& contra:* partim quod alternatio *Mem* & *Beth*, in iſtis regionibus fuerit uſitatiſſima.

Et non multum miror, ſi *Bethamara* tranſierit in *Bethania*, cum *Bethamara* ſcripta בית עמרא, ſit *locus lanæ*, & *Bethania* ſcripta בית עאניא, ſit *locus ovium*.

At miror ſerio, unde *Bethabara* migrarit in *Bethania*. De qua re unum horum ſuſpicari licet.

Aut quod *Bethabara* idem eſſe videretur cum בירת הברה, i. e. *Domus explicationis*, vel *Schola*, (quo ſenſu ברייתא & ברייא occurrunt) unde margini aſcriptum eſt ab aliquo illuſtrationis ergo, בי תניא, *Domus Traditionis* vel *Doctrinæ*: ac ſi Evangeliſta ſic interpretandus, *Hæc acta, aut diſputata ſunt in Schola aliqua ultra Jordanem, ubi Joannes erat baptizans*. Quæ vox בי תניא, ut nota & uſitatiſſima, irrepere potuit ex albo in textum, & in uſum, Βηθανία.

Aut forſan ſuſpicio erat de tautologia, ſi *Bethabara*, & Πέραν τȣ̃ Ἰορδάνȣ retinerentur ſimul בית עברה עבר הירדן, cum *Bethabarah* בירת עברה, exiſtimari poſſet idem quod *Locus Trans-Jordaninus*. Subſtituta ergo vox Βηθανία, ſignificatu *Batanææ* vel *Bashan* in hunc ſenſum, *Hæc acta ſunt in Batanæa trans Jordanem*, &c. Sed penſi noſtri eſt inveſtigare ſitum *Bethabaræ*, potius quam ortum *Bethaniæ*.

## §. II. *Trajectus Jordanis celebriores*.

INter varios modos vocem Βηθαβαρά, concipiendi literis Hebraicis, hi duo præcipue laborem perpenſionis merentur; *Beth-barah*. de qua mentio *Judic.* 7. & בירת עברה, *Beth Abarah*, *Locus tranſitus*, vel ubi trajiciebatur Jordanes. Obſervatione utriuſque nobis opus erit in diſquiſitione loci quem quærimus: agamus igitur primum de poſteriori.

Scaphis ubique fere tranſitum fuiſſe Jordanem a ripa ad ripam, prout huc aut illuc evocati ſunt homines a privatis ſuis negotiis, minime eſt dubitandum. At nos trajectus publicos quæramus, & per quos tranſitus erat a regione in regionem.

I. Eſt *pons Jacobi*, ut vocatur, ſuper Jordanem inter lacum *Samochoniten* & *Genneſariticum*, in via ducente ad *Damaſcum*: de quo *Biddulphus* noſtras, qui per eum tranſiit, Anglice in hunc ſenſum.

*Ad pedem montis hujus petroſi fluvius labitur amœnus, Jordanis dictus, qui Syriam diſterminat a Galilæa. Super hunc fluvium ſternitur pons ſplendidus, qui vocatur Pons Jacobi, duplici ratione.* I. *Quod illic congreſſus fuerit Jacobus cum fratre Eſavo*. II. *Quod illic colluctatus fuerit cum Angelo*.

De re ipſa, (i. e.) talem eſſe & fuiſſe pontem in via tam trita, minime dubitamus: at de ratione nominis dubitamus maxime. Verum non eſt hic locus de re iſta diſquirendi.

II. *Jordanes* erat etiam ponte junctus *Chammathæ*, prope *Tiberiadem*, ad ipſum effluxum fluvii e mari *Genneſaritico*, ut oſtendimus alibi ex Talmudicis, contra errorem Tabularum, quæ Tiberiada longe alibi diſponunt. Sententiæ noſtræ ſuffragatur.

*Guliel. Tyrius* de bell. ſacr. lib. 17. cap. 8. *Tam Dominus Rex*, inquit ille, *quam Principes omnes, Tiberiadem uſque perveniunt, ubi circa pontem, unde ex mari Jordanis fluenta ſe dividunt, caſtrametatur*.

Et lib. 18. cap. 21. *Juxta Tiberiadem ſecus pontem, unde de lacu Genezar, Jordanis fluenta ſe dividunt, cum exercitu ſua caſtra locavit*. Lege hæc, & intuere ſitum *Tiberiadis* in Tabulis, & corrige.

III. Celebris & frequentiſſimus erat trajectus iſte a *Jerichunte*, de quo ſæpiſſime mentio in Sacris Literis. Ubi tranſitus videtur fuiſſe per cymbas, potius quam per pontem. Vid. 2. *Sam.* 19. 18. & 2. Reg. 2. 8.

## §. III. *Ditio Scythopolitana*.

ERat & quartus, iſque nobiliſſimus trajectus, *Chammathanum* inter & *Jerichuntinum*, ſed longiſſime diſtans ab utroque. Ad cujus inveſtigationem expendenda ſunt verba iſta, 1. *Regum* 4. 12. *Et omnis Bethshan quæ eſt juxta Zarthanam, deſubter Jezriel*. Et illa 1. *Reg.* 7. 46. *Fuſa ſunt a Rege, in planitie Jordanis, in terra argillacea, inter Succoth & Zarethanam*. Ordiamur a *Bethshane*.

I. *Bethshan*, quæ & *Scythopolis*, erat in *Manaſſitide*, *Judic.* 1. 27. ubi Græc. Καὶ ȣ̓κ ἐξῆρε Μανασσῆ τὴν Βαιθσάν, ἥ ἐςι Σκυθῶν πόλις. Erat ergo intra limites Samariticos, quamvis revera eſſet una de civitatibus *Decapolitanis*, & juris Gentilitii, ut oſtendimus alibi,

II. Erat ultimus limes *Samaritidis* verſus *Galilæam*. *Joſeph. de bell.* lib. 3. cap. 4. *Limes Galilææ, a Meridie erat* Σαμαρὶς τε ϗ Σκυθόπολις μέχει τῶν Ἰορδάνȣ ῥέθρων, *Samaria & Scythopolis, uſque ad Jordanis fluenta*.

III. Diſtabat civitas a Jordane media leuca, ut *Borchardus*; & tamen ditiones ſuas extendit etiam ultra *Jordanem*. Nam nota illud *Æthici* in Coſmograph.

*Fluvius Jordanis*, inquit ille, *naſcitur*

*tur ſub monte Libano, circumpergit ad lacum Tiberiadem, de quo exiens, ſuo curſu accurrit ad Scythopolim, quam ſecans mediam, & ab ea exiens, effunditur mari mortuo.* Jordanis *Scythopolim* ſecuit mediam; non urbem, nam ea diſtitit a fluvio, ſed ditionem, ita ut eſſet de ditione Scythopolitana, & cis Jordanem & trans. Erat illa civitas nobilis Syro-Græcorum, & jus & juriſdictionem habuit non modicam intra *Manaſſitida*, imo quæ ſe extenderet in *Peræam*.

### §. IV. Μέγα πεδίον. *Ibi trajectus Scythopolitanus.*

DE planitie hac magna, frequentiſſima mentio apud *Joſephum*, quæ quidem excepit totam latitudinem *Manaſſitidos*, a Jordane verſus Occidentem, longiſſimo ſpatio.

Ille ſitum & regionem *Ephraimitarum* & *Manaſſitarum* deſcribens, ſic ait.

*Antiquit.* lib. 5. cap. 1. Ἡ δὲ Ἐφραίμου φύλη τὴν ἄχρι Γαδάρων ἀπὸ Ἰορδάνου ποταμοῦ μηκυνομένην ἔλαχεν. Εὐρεῖαν δὲ ὅσον ἀπὸ Βεθήλων εἰς τὸ μέγα πελλατῶ πεδίον. *Tribus Ephraimitica longitudine protendebatur a fluvio Jordane uſque ad Gadaram*, ( *Gazaram*, Joſ. 16. 3. & 21. 21.) *latitudine a Bethele, deſinens ad magnam planitiem.*

Τῆς Μανασσήτιδος οἱ ἡμίσεις, &c. *Dimidiæ Tribus Manaſſæ, longitudine, a Jordane ad civitatem Dor.* Πλάτος δὲ ἐπὶ Βηθσάνων, ἣ νῦν Σκυθόπολις καλεῖται. *Latitudine vero* ( ab Ephraimitide ) *uſque ad Bethshanem quæ nunc appellatur Scythopolis.* Ita ut Μέγα πεδίον illud, pergentibus a *Galilæa*, inciperet a *Bethshane*, & extenderet ſe latitudine ad limites *Ephraimiticos*. Hinc illud apud eundem.

*Ibid.* lib. 12. cap. 12. Ἧκον εἰς τὸ μέγα πεδίον, οὗ κεῖται κατὰ πρόσωπον πόλις Βηθσάνη. *Venerunt, tranſgreſſi Jordanem, in campum magnum, juxta faciem cujus ſita eſt civitas Bethshan*, vel ut 1. *Maccab.* 5. 52. Καὶ διέβησαν τὸν Ἰορδάνην εἰς τὸ πεδίον τὸ μέγα κατὰ πρόσωπον Βαιθσάν. *Tranſgreſſi ſunt Jordanem, in campum magnum, contra faciem Bethshan.*

In libro *Judith*, Cap. 1. 8. vocatur Τὸ μέγα πεδίον Ἐσδρηλώμ, *Magnus campus Eſdrelom*, hoc eſt revera, *Magna vallis Jezrielis*. Sic *Jezriel* loco ante citato, 1. *Reg.* 4. 12. Græc. Interp. eſt Ἐσραέ.

Jam vero, cum dicatur *Judas* cum exercitu ( nam de eo eſt ſermo ) a *Galeatide* rediens, tranſiiſſe *Jordanem*, in magnum hunc campum, idque, ut videtur, non longe admodum a *Bethshane*; clare patet, communem aliquem trajectum *Jordanis* fuiſſe iſthoc loci, qui non ſolum tranſitum præberet *Scythopolitanis* a ditione eorum Cis-Jordanina ad Trans-Jordaninam, ſed & a *Samaritide* ad *Peræam*, ut & ab inferiore *Galilæa* ad *Peræam*.

Hic ego quærerem *pontem Jacobi*, per quem ille *Jordanem* ttanſiit, tendens in *Meſopotamiam*, cum baculo ſuo, atque inde rediens cum familia, & non ubi jam oſtenditur. Illum ſaltem hac via rediiſſe, extra omnem controverſiam ponit, memoria *Succoth*, *Geneſ.* 33. 17. quæ ab altera ripa Jordanis ſita erat, oppoſita *Zarthanæ*, quæ erat ſecus *Bethshanem*. Atque an *Scythopolis* aliquid nominis ſui derivarit a voce iſta *Succoth*, non dico: credo tamen nomen *Scytharum* originem talem redolere: Σκύθαι quaſi Σύκκοθαι, quod habitarent & migrarent a loco in locum in tabernaculis.

### §. V. *Bethbarah.* Judic. 7. 24.

NEc multum diſtitit ab hoc tranſitu *Bethbarah*, de qua *Judic.* 7. 24. *Miſit Gedeon nuncios in omnem montem Ephraim, dicens, Deſcendite in occurſum Midian, & occupate aquas uſque Bethbarah & Jordanem*: quod & fecerunt.

Neſcio an majori cum ratione dixerit *Kimchius*, quod *hæ aquæ non erant aquæ Jordanis*; an minori *Jarchius*, quod *diſterminarunt Syriam a Cananitide*. Erant abſque dubio aquæ aliquæ in valle *Jezrielis*; nam ibi prælium, ſi modo prælium dixerim, ubi ne unus quidem a victore gladius ſtrictus. Vide *Cap.* 6. 33. Cum eſſet fuga hoſtium, excitat *Gedeon* Ephraimitas per nuncios, ut occupent aquas, quas tranſire neceſſe erat *Midianitis*, ut pervenirent ad pontem aut trajectum *Jordanis*, ( de quo jam diximus, ) per quem fugiendum iis erat ad ſua. Cum caſtrametaretur uterque exercitus, *Midianitæ* erant ab Aquilone *Galilæam* verſus, & *Gedeonitæ* ab Auſtro, propius montem *Ephraimi*, Cap. 7. 1. Labebatur fluvius in valle, ( ad cujus aquas, ut probabile eſt, diſcretum eſt a *Gedeone*, inter milites ſuos lambentes, & non lambentes ) qui tandem ſeſe exoneravit in *Jordanem*, ſupra pontem avt trajectum, qui duxit in *Peræam*. Cum ergo *Midianitæ* ab Aquilonari ripa hujus fluvii eſ-

essent, nec possent ad trajectum illum Jordanis pervenire, nisi trajecto prius hoc fluvio, Ephraimitarum erat ripas adversas tueri, ne hostes transirent: idque toto fere spatio, a loco ubi incepta est pugna, usque ad *Bethbarah & Jordanem*.

Sive igitur trajectus iste, de quo diximus, *Bethbarah* dictus fuit a loco isto Jordani vicino, sive *Beth-abarah* ביה׳, עברה ab etymo nostro, ulterior ripa Jordanis, ponti vel trajectui contigua; non incongrue dici potuit *Bethbarah trans Jrrdanem* vel ab hoc', vel illo. Nam Πέραν τȣ Ἰορδάνȣ esse *trans Jordanem*, (utcunque renuat Clar. *Beza*) docebunt Lexica, præsertim vero communis illa trichotomia, יהירה וגליל ועבר הירדן, *Judæa, & Galilæa, & Trans-Jordanina*. Ἀπ' Ἀνατολῶν ποτ. Ἰορδάνȣ, ut exprimit *Ptolemæus*. Et fatetur ipse Beza, *Trans Jordanem esse propriam vocis Græcæ πέραν declarationem, in Matth.* 4. 15.

*Bethabaram* ergo quam quærimus, ubi *Joannes* erat baptizans disponamus in ulteriori ista ripa, in ditione Scythopolitana, ubi habitabant Judæi inter Syro-Græcos, ut in omnibus regionibus Decapolitanis; & ubi tutius aliquantum potuit esse Christo a Scribis & Pharisæis, *Joan.* 10. 40. quippe quod illic exiret aliqualiter ex eorum jurisdictione. Et sic baptizantem habes *Joannem*, primum circa trajectum *Hierichuntinum*, ubi erat concursus populi non tenuis, propter frequentationem viæ; & secundo circa hunc trajectum *Scythopolitanum*, ubi par concursus.

Si & adhuc lusitare luberet cum voce Βηθανίᾳ, supponi posset scribi ביתעאניא, *Bethaania*, quæ idiomate Syro (cui frequentissimum mutare ש, *Shin* in ע, *Ain*) coincidit cum בית שאניא, *Bethshanite*.

## C A P. II.

NAZARETH, *Joann.* I. 46.

I. *Legenda non absimilis isti de Sacello Lauretano*. II. *Situs Nazarethæ*. III. בן נצר, *Ben Nezer*. IV. *Horrenda quædam acta in* כפר נחום, *Capharnachumo*. V. *Pauca de Cana*, Joann. 2. 1.

§. I. *Legenda non absimilis isti de Sacello Lauretano.*

QUoniam in transitu tantum meminit *Nazarethæ* Evangelista noster, & nihil ibi a Christo actum refert, in transitu etiam nos ejus mentionem habebimus, situm ejus obiter investigantes, fusius forsan de eo acturi alibi.

At quid opus est, ut solliciti simus circa situm hujus urbis, cum locus quem præcipue in ea quærimus, domus scil. beatissimæ Virginis, in *Nazaretha* jam non sit, sed in *Italia* in agro *Lauretano*, tralata illuc per Angelos: de qua re inter alios sic *Baronius* ad Ann. Dom. 9. *Porro Domus illa, in qua de Verbi Incarnatione sanctissima Virgo cœleste accepit nuncium, adhuc magno miraculo, non tantum integra perseverat, sed Angelorum ministerio ab infidelium manibus vindicata, in Dalmatiam primum, inde in Italiam translata est in agrum Lauretanum Piceni provinciæ*, &c.

Compensemus* Legendam Legenda.

*Midras Schir*, fol. 2. 2. *Dicunt de R. Chanina, quod vidit concives suos afferentes sacrificia sua ad Hierosolymam, & dixit, Omnes illi ferunt sacrificia, & non est mihi aliquid quod feram: quid ergo ego faciam? Extemplo exiit in eremum urbis suæ, atque ibi invenit saxum. Saxum illud scidit, dolavit atque artificiose formavit, & dixit, O quam vellem lapidem hunc portari Hierosolymam! Abiit conductum homines qui portarent. Di-*

* Calvinianæ sane perfidiæ est frigidum R. Chaninæ commentum cum Lauretanæ Domus mirifica translatione conferre. Multi sunt, qui de S. Lauretana Æde modeste disputant, sed nullus ex iis quos hactenus vidi ausus est, ut Lighfootius rem tam piam ita impie tractare. Innumera, ac quidem probabilissima extant Ecclesiastica monumenta, quæ hujusmodi translationem comprobare videntur, modo Christianus lector intellectum velit in obsequium pietatis captivare. Lauretanum Sacellum ex Judæa in Dalmatiam appulisse, argumenta extant locupletissima, quæ facti veritatem confirmant. Nam an. 1291. Nicolaus Frangipani, qui Dalmatiam Imperatoris nomine gubernabat, cum Sacellum Nazarethicum ibi consedisse conspexerat quatuor probatissimos viros Nazarethum misit, ubi cœlestis hujus sacelli fundamentis funiculo examinatis cum Lauretana domo prorsus convenire experti sunt. Clemens etiam Pontifex VII. tres spectatissimos de sua familia viros in Picenum Dalmatiam, ac Nazarethum misit, qui illo appellentes ejusdem domus situm eadem omnino mensura signatum venerunt accolis, quod factum est fideliter attestantibus. In Archivo Lauretano quamplurima asservantur hujusmodi translationis documenta. Qui uberiora desiderat adeat Benzonii Episcopi Lauretani Apologeticum contra Idolum Lauretanum Petri Vergerii, & Raynaudum Tom. 8. contra Joannem Launojum.

*Dixerunt illi, Da nobis centum aureos, & portabimus. At ille, Vah! unde mihi centum aurei, imo unde tres? Illico paravit ei Sanct. ben. quinque Angelos in specie hominum, qui dixerunt ei, Rabbi, da nobis quinque solidos, & nos portabimus lapidem tuum Hierosolymam, si modo tu ipse manum operi admovebis. Admovit ille manum suam cum iis, atque illico steterunt omnes illi in Hierosolyma. Cum solvere vellet iis mercedem, illi evanuerunt. Rem ergo recitavit ille coram Synedrio in Conclavi Gazith: qui dixerunt, Rabbi, videtur quod isti sunt Angeli qui saxum tuum apportarunt. Dedit ergo Sapientibus nummum, de quo erat ab eo pactum.*

Ego promtius huic historiæ fidem habuerim, quam isti *Lauretanæ*, quippe quod suspicor, *R. Chaninam* istum fuisse *Haninam ben Dusa*, egregium Magum (& affirmat *Juchasin*, fol. 57. 1.) nisi & dixeris Sacellum *Lauretanum* tralatum fuisse per Angelos Magorum.

In *Bemidbar Rabba*, fol. 257. Lapis ingens sponte sua volitat ex terra Israelis, & obturat os speluncæ in Babylonia, ubi erat *Daniel* inter leones. Sed fabularum satis.

## §. II. *Situs Nazarethæ*.

Situs Nazarethæ, secundum *Borchardum*, *Breindebachium* & *Saligniacum*, emensurandus & determinandus est a monte *Thabor*: nam sic illi unanimiter, *A Nazareth duabus leucis contra Orientem est mons Thabor*. Nec est cur, quoad regionem *Galilææ*, qua disponunt hanc urbem, ab iis dissentiamus; cum & alii etiam fere idem sentiant.

Jam vero mons *Thabor* erat in ipso limite disterminante *Isacharitin a Zebulonite*.

*Jos.* 19. 22. *Et limes* (Isacharitis) *extendit se ad Thaborem & Shabazimam*, &c. Quisnam autem limes? Aquilonaris, an Meridionalis? Aquilonaris, testante *Josepho*.

*Antiquit.* lib. 5. cap. 1. Καὶ μετὰ τούτους (Manassitas) Ἰσάχαρις Καρμηλόν τε ὄρος κ̀ τὸν ποταμὸν τȣ̃ μήκȣς ποιησαμένη Τέρμονα, τό τε Ἰταβύριον ὄρος τȣ̃ πλάτȣς. *Post Manassitas est Isacharis, Carmelum montem & fluvium* (Jordanem) *habens longitudinis terminos, & montem Thabor latitudinis*: id est, latitudo Isacharitidis est a Manassitide ad montem *Thabor*, ut plane docet methodus *Josephi* isto in loco.

Erat ergo mons *Thabor*, quasi in medio inter limites *Samariæ* & *Galilææ superioris*: hinc *Isacharitim* habens versus *Samariam*, illinc *Zabulonitin* versus istam *Galilæam*.

Idem, *de bell.* lib. 4. cap. 6. describit *Thaborem*, ubi hæc videntur obscuriora: Ἰταβύριον ὄρος ἐςὶ τῶν μεγάλȣ πεδίȣ, κ̀ Σκυθοπόλεως μέσον. Novimus ubi *Scythopolis*, & novimus ubi Μέγα πεδίον secus *Scythopolim*. At quodnam illud Μέγα πεδίον quod jacet post *Thaborem* versus Aquilonem, ut *Thabor* inter illud sit & Scythopolim? Annon *Zabulonitis* ita apud Josephum audit? Et videtur *Isacharitis* item, aut magna ejus pars, eodem titulo nuncupari, si eundem consulas *ibid.* lib. 3. cap. 4. Ita ut distinctive nominetur ab eo Μέγα πεδίον *Scythopolitanum*, vel *Manassiticum*, Μέγα πεδίον Σαμαρέιτιδος, *ibid.* lib. 2. cap. 21. Et describitur *Galilæa inferior* a Talmudicis, hoc charactere, *Quod ea producit Sycaminos, superior autem non. Sheviith*, cap. 9. hal. 2. Sycamini autem nascuntur Ἐν τῇ πεδινῇ, 1. *Reg.* 10. 27. Hinc ergo videtur nata distinctio *Galilææ*, in inferiorem & superiorem; inferiori sic dicta, quia plana magis esset & campestris; superiori, quia magis intumesceret montibus.

Fallor, aut *superior* emphatice aliquando vocatur *Galilæa*, nec immerito, cum inferior vocari posset Μέγα πεδίον. Sic erat *Cana* nuncupata *Galilææ*, forsan ut distingueretur a *Cana* disterminante *Galilæas*, de qua suo loco. Et verba ista apud Evangelistam nostrum, Cap. 4. 43. 44. *Discessit inde*, (a Samaria) *& profectus est in Galilæam; nam Jesus testimonium perhibuit, quod in sua patria Propheta honorem non habet*. Nonne hæc hoc sonant? Noluit ille ire in *Nazaretham*, sed voluit ire in *Galilæam*, id est, *superiorem*, & pervenit ad *Cana*.

Nazaretha ergo erat in *Galilæa inferiori*, in collimitiis *Isacharis* & *Zebulonis*, atque ut vulgo recipitur, intra *Zabulonitin*, milliaribus distans 16. aut amplius a *Capernaumo*: nam ipse *Thabor* distabat a *Capernaumo* 10. aut circiter.

## §. III. בן נצר, *Ben Nezer*.

Non plene mihi satisfit de vulgari scriptura vocabuli *Nazareth* per נצר: multo minus, quod *Nazarenus* proferatur per נוצרי, id est, Νωζαραῖος, cum Amanuenses sacri dicunt, Ναζωραῖος. At bilem fere movet, cum lego ea,

ea, quæ Judæi ſcribunt de בןנצר, *Ben Nezer*.

*Chetubb.* fol. 51. 2. *Tradunt Rabbini. Capti a Regno, ecce ſunt ſicut captivi: at capti a latronibus, non ſunt ſicut captivi.*

*Traditio eſt diſtinguenda.* מלכות אמלכות לא קשיא, *Quoad regnum, & regnum non eſt difficultas*: id eſt, quoad regna æqualia. *Aſt eſt quoad regnum Ahashueri, & regnum* בן נצר, *Ben Nezer. Quoad latrones & latrones, non eſt difficultas; aſt eſt quoad Ben Nezer*, & ליסטים עלאמא, *latrones mundi*, id eſt, latrones ordinarios. *Illic* (in Palæſtina) *Ben Nezer vocatur Rex*: *hic* (in Babylonia) *vocatur latro*, קרי ליה ליסטים.

Gloſſ. *Ben Nezer latro fuit, & cepit urbes, & regnavit in iis, & factus eſt Dux latronum.*

Nonne ſuſpicionem movet, quod comminiſcantur famoſiſſimum latronem denominatum *Filium Nezer*, נצר, quibus ipſiſſimis literis vulgo ſcribitur urbs *Nazareth*? Proſpice porro, & ſuſpicabere magis.

*Beresh. Rabb.* ſect. 76. *Intuitus ſum cornua, & ecce cornu aliud parvum aſcendit inter ea*, Dan. 7. 8. זה בן נצר, *Hic eſt Ben Nezer.*

*Aruch* hæc citat in voce קרן, hoc modo. *Cornu aliud parvum aſcendit inter ea*, זו מלכות כותיים, *Hoc eſt regnum Cuthæorum*. Quodnam autem eſt regnum iſtud Cuthæorum? Conjice ex

*Midras Schir*, fol. 17. 2. *Præteriit hyems*, Cant. 2. 11. זו מלכות כותיים, *Hoc eſt regnum Cuthæorum*. Et paulo poſt. *Appropinquat tempus regni Cuthæorum ut deſtruatur, & appropinquat tempus regni cœlorum ut reveletur.*

Facile eſt odorari, quid ſibi velint per *regnum Cuthæorum*: Chriſtianorum abſque dubio; (niſi oſtenderint regnum aliquod Samaritarum:) & tum promtum ſuſpicari, qui iis ſit *Ben Nezer*. Demonſtrent velim, unde nomen *Tetrarchiæ Nazerinorum* in Cœloſyria: de qua *Plin.* lib. 5. cap. 23. *Cœloſyria habet Apamiam Marſya amne diviſam. A Nazerinorum Tetrarchia Bambycen, quæ alio nomine Hieropolis vocatur, Syris vero Magog.*

### §. IV. *Horrenda quædam acta in* כפר נחום, *Capharnacumo.*

CUm *Nazaretha* conjugamus mentionem *Capernaumi*, quamvis multis milliaribus diſtantis, quippe quod hæc foret habitatio Chriſti, ſicut illa fuerat natale ejus ſolum. Situm ejus inveſtigavimus alio in Tractatu, in regione *Genneſarethæ*, modicum diſtantem a Tiberiade. Aliam etiam *Capernaumum* habes apud *Gulj. Tyrium*, lib. 10. cap. 26. ad littus maris Mediterranei, prout hæc erat ad littus Genneſaritici. *In loco*, inquit, *qui dicitur Petra inciſa, juxta antiquam Tyrum, inter Capharnaum & Doram oppida maritima.*

In incerto eſt, an vox a נעום derivetur, an a נחום: illa *amœnitatem* denotat, hæc *conſolationem*. Et quamvis noſtra ab amœnitate loci ſic dici poſſit, quam deſcribit *Joſephus de bell.* lib. 3. cap. 35. Orientales tamen interpretes eam ſcribunt poſteriori modo. Occurrit & apud Rabbinos oppidum iiſdem literis כפר נחום, de quo forſan non pœnitebit lectorem hanc audire hiſtoriam.

*Midras Coheleth*, fol. 85. 2. *Chanina filius fratris R. Joſuæ profectus eſt* כפר נחים, *Capharnacumum*, ועברון ליה מינאי מלרה, *& fecerunt in eum hæretici* (vel Magi, nam vox utrumque denotat). *aliquid incantationis. Introduxerunt eum in urbem inſidentem aſino*: Sabbato ſcilic. quod prohibitum. *Abiit ille ad avunculum ſuum R. Joſuam*, ויהב עליו משחא ואתכי, *qui poſuit ſuper eum aliquid unguenti. & ſanatus eſt.* Incantationibus, ut videtur, eum dementaverant, ut alienatus a ſe foret, & ſui oblitus & Sabbati. Sequitur & immediate altera hiſtoria.

*Quidam de Diſcipulis R. Jonathanis fugit ad iſtos hæreticos*: (ut fieret ipſe hæreticus cum iis.) *Jonathan ipſum invenit jam factum caſtratorem avium pecudumque. Miſerunt ad eum*, (Jonathanem) *& dixerunt, Scriptum eſt, Conjice ſortem tuam nobiſcum, atque omnibus nobis erit crumena una. At fugit ille, atque iſti ſunt proſecuti. Dixerunt ei, Rabbi, veni, & præſta officium tuum erga ſponſam. Venit, atque invenit eos* עסוקים בריבא אחרת, *mœchantes cum puella una. Dicit ille iis*, כן ארחהון יהודאי עברין, *Num Judæorum moris eſt ita facere? Reſpondent, Nonne ſcriptum eſt in Lege, Conjice ſortem tuam nobiſcum, nobis omnibus erit crumena una? At fugit ille, atque iſti ſunt proſecuti, uſque dum appelleret oſtium propriæ domus, atque oſtium clauſit contra eos. Dicunt ei, O Rabbi Jonathan, ito, & lætans dic matri tuæ, quod non retroſpexiſti ad nos: nam ſi retroſpexiſſes, magis quam nos fuimus te proſecuti, tu nos fueras proſecutus.*

Dum hæc lego, non poſſum non *Nicolaitas*, aut alios in iſtiuſmodi volutabro

bro volutantes se, in animum revocare. Et certe non indignum est hoc, quod refertur, observatione, circa istas hæreses, & si *Caphar-Nachum* ista, eadem fuerit cum *Capernaumo*, de qua tam frequens mentio apud Evangelistas, quod videtur, *O Capernaum! olim exaltata ad cœlos, quomodo jam detruderis ad infernum?*

§. V. *Pauca de Cana*. Joann. 2. 1.

IN incerto est, quænam sit prima vocis *Cana* litera, an *Caph*, an *Coph*: utrumque comperimus.

I. קנה, litera initiali *Coph*, est civitas in Tribu *Aser*, Jos. 19. 28. ubi Græca pro *Canah* habent Κανθὰν: & MS. Alex. Κανὰ.

II. קיני, vox non admodum absona memoratur a Talmudicis, in *Oholoth*, cap. 18. hal. ult. רבי ובית דינו נמנו על קיני וטהרוהו, *Rabbi & Consessus ejus, numeratis suffragiis de Keni, puram eam pronuntiarunt*, Gloss. *Keni erat locus dubiæ conditionis, æstimatus immundus:* (ut locus scil. gentilium) *ast temporibus R. Judæ Haccadosh, cognitum est de ejus causa, & pronuntiarunt eam mundam.*

III. Est Κανὰ κώμη apud Josephum, sed incerti situs, in Ἀρχαιολογ. lib. 13. cap. 23. *Cadente Antiocho* (dum pugnaret cum Rege Arabe) τὸ στράτευμα φεύγει εἰς Κανὰ κώμην, *exercitus ejus fugit ad oppidum Cana*. Vix credo nostram, sed aliam, ut suadere aliquantum potest contextus *Josephi*.

IV. At loquitur etiam, in *vita sua*, de κώμη τῆς Γαλιλαίας ἡ προσαγορεύεται Κανὰ, *oppido Cana Galilææ*. Cujus situm, quantum datur, ex eo statuimus alio in Tractatu: nempe non longe a loco ubi *Jordanes* influit in mare Gennesariticum. Ita ut inter *Canam* hanc & *Capernaumum* foret fere tota longitudo istius maris.

V. At non omittendum est, quod כנה, inchoante *Caph*, occurrit apud *Juchasin*, fol. 57. 2. cujus hæc verba. *In fine capitis* השוכר את הפועלים, (est caput septimum, *Bavæ Meziæ*) *est Traditio. Abba Calaphtha de Caphar Hananiah dicit nomine R. Meir.* (occurrunt hæc in *Bava Mezia*, fol. 94. 1. ubi & adducitur quod dicit.) ונ"ל כי כפר הנניה היא כפר כנה, *Et videtur mihi* (sunt verba authoris *Juchasin*) *quod Caphar Hananiah est Caphar Cana, sicut probabile est ex capite nono Tractatus Sheviith: nam ibi erat initium Galilææ inferioris.*

Ex loco in *Sheviith* allegato, qui est halac. 2. plane liquet *Caphar Hananiah* fuisse in ipso limite, duas Galilæas disterminante, inferiorem & superiorem. Unde patet quod *initium Galilææ inferioris*, apud authorem nostrum, non est ut pergis a Samaritide in Galilæam, sed e Galilæa superiori in inferiorem. Et an *Cana Galilææ* nostra sic dicta fuerit, ut distingueretur a *Canah* ista disterminante, an a *Canah* Aseritica, quæ non admodum incongrue dici potuit *Sidoniorum*, determinet lector.

Ut & quare Syrus interpres hoc in loco scripserit קטנא, *Katna* pro *Cana*. An quod ei in animo & oculis fuerit קטת, *Kattath*, Jos. 19. 15. quæ vulgari dialecto vocabatur Κατανὰθ, ut reddunt LXX. & asserunt Hierosolymitani, *Megill.* fol. 70. 1. Aut an per ipsam vocem קטנא, minoritatem urbis innuere vellet, q. d. *Cana minor*?

## C A P. III.

Αἰνὼν ἐγγὺς τοῦ Σαλείμ, *Joan.* 3. 23.

I. *Nomina & loca quædam cognati soni cum* Σαλείμ. II. שלמאה, *Salmæus, vel Salamæus, apud Targumistas pro* קיני, *Kenæo*. III. Αἰνὼν, *apud Græc. Interpr.* Jos. 15. 61. IV. *Syrus notatus, & Eustath. super Dionys.* V. *Herodium Regia*. VI. *Machærus castellum*. VII. הר מצער, *Mons Mizaar*, Psalm. 42. 7. VIII. עגלת שלישיה, Esai. 15. 5.

§. I. *Nomina & loca quædam cognati soni cum* ΣΑΛΕΙΜ.

ORdiamur primo a Σαλείμ, atque inde quæramus *Ænonem* vicinantem.

I. Parum ad investigationem nostram faciunt verba *Mosis*, Genes. 33. 17. ויבוא יעקב שלם עיר שכם: quamvis super ea condiderint versiones nonnullæ, & authores tabularum, civitatem nescio quam *Salem*, prope *Sichemum*; quam nec agnoscunt Judæi, nec Samaritani. Nam Judæi reddunt, nec sine ratione, *Et venit Jacobus salvus ad civitatem Sichem*. Onkel. Jonathan, Beresh. Rabb. sect. 79. Shabb. fol. 33. 2. &c. Et textus Samaritanus habet שלום pro שלם, *Et venit in pace*. Nec erant inter mortales qui melius judicare possent, an שלם isto in loco fuerit urbis nomen, necne, quam Samaritæ.

II. Σαλείμ est nomen loci in Codice Romano apud Græc. Interpr. in *Jos.* 19.

19. 22. ubi Hebræa ſic, ופגע הגבול בתבור ושחצומה ובית שמש, *Et pervenit terminus* (Iſſacharitidis) *uſque Thabor, & Shabazimah, & Bethshemesh*. Græca autem, Καὶ συνάψει τὰ ὅρια ἐπὶ Γαιθβὼρ, καὶ ἐπὶ Σαλὶμ κατὰ θάλασσαν, καὶ Βαιθσαμύς.

Docet nota Maſoretica, vocem *Shahazimah* ſcriptam per *Vau*, legendam eſſe per *Jod*, quod & agnoſcunt hi Interpretes, (quod notandum) ſed vocem in binas partiuntur שחץ ימה, i. e. *Sabaz* κατὰ θάλασσαν: at quare *Shabaz* in *Salim* traduxerint, non facile eſt augurari.

Videtur Σελάμη apud Joſephum, quam numerat inter oppida Galilææ a ſeipſo munita, in *vita ſua*, eſſe eadem cum Σαλὶμ hac Interpretum; præſertim vero cum connumeretur ab eo cum monte *Itaburio*, vel *Thabor*.

III. Σαλεὶμ, in Codice Alexandrino, reſpondet Hebræo שעלים, in 1. *Sam.* 9. 4. In Complut. Σαλλὶμ, in Romano Σεγαλὶμ. Ubi Targ. pro בארץ שלישה *In terra Shalisha*, habet בארץ דרומא, *In terra Auſtrali*; & pro בארץ שעלים, *In terra Saalim*, habet בארץ מתברא, *In terra Mathbara*. Quare & hic, & 2. *Reg.* 4. 42. reddiderit בעל שלישה, *Baal Shalisha*, per ארע דרומא, *Terra Auſtralis*, rationem aliquam petere potes a Gemariſtis, qui de iſto loco hæc habent in

*Sanhedr.* fol. 12. 1. *Non erat in tota terra Iſraelitica regio aliqua, quæ citius maturefecit & decoxit fruges ſuas, quam Baal Shalishah.* Jam vero regionem talem in *Menachoth*, fol. 85. 1. vocant שדות המודרמות, *Agros Auſtrales*, vel ad literam, *Auſtrificatos, quia ſuper eos ſol oritur & occidit*. At quare reddiderit ארץ שעלים per ארע מתברא, obſcurius; niſi forte reſpectum aliquem habuerit ad תבור, *Thabor*, cujus mentio Capite ſequenti, *verſ.* 3. ita ut מתברא ſit *Planities Thaborica*.

Et jam, ſi vel ex hiſce locis, quos nominavimus, vel aliquem alium ex ſua lectione eligat lector, videat an ei congrue præfigi poſſit articulus τοῦ, cum nomina urbium & oppidorum utplurimum ſint generis fœminini; at hic apud Evangeliſtam noſtrum ſit τοῦ Σαλείμ. Unde ſuſpicio oriri poteſt, de urbe aliqua non eſſe ſermonem, ſed de re aliqua alia. De qua exercitationis ergo liceat exſpatiari.

§. II. שלמאה, *Salmæus, vel Salamæus apud Targumiſtas pro* קיני, *Kenæo*.

NEmini ignotum eſt, qui Paraphraſtas Chaldaicos evolvit, *Kenæos* ab iis vocari שלמאה, *Salmæos*, vel *Salamæos*.

Ab *Onkeloſio*, *Geneſ.* 15. 19. *Numer.* 24. 21. v2.

A *Jonathante*, *Judic.* 1. 16. & 4. 2. & 5. 24. 1. *Sam.* 15. 6. & 27. 10. Obſervo pariter מעכתי, *Maachathæos*, ab iis vocari אפיקרוס, *Epikeros*, *Deuter.* 3. 14. *Joſ.* 13. 13. Atque hoc, ut videtur, a loco vel regione, ubi olim habitarunt *Maathathæi*, cui nomen, Targumiſtarum tempore, Ἐπίκαιρος, Ἀπ' Ἀνατολῶν ποτ. Ἰορδάνου, in grad. 67. 31. o. *Ptolem.* Tab. Aſiæ 4. ſi modo bene convenit ſitus; quam rem hic non diſcutiemus.

At *Kenæus* non ita dictus eſt *Salamæus*, a loco quopiam ubi habitarunt. Mam *Kenæi* in parte Meridionali Judææ dicti ſunt *Salamæi*, *Judic.* 1. Sic & *Heber Kenæus* in Galilæa, *Judic.* 4. Et *Kenæi* inter Amalechitas, 1. *Sam.* 15. Et *Kenæi*, quorum ſedes trans Jordanem, *Geneſ.* 15. Verum unde ſic dicti, non quærimus: ſat eſt quod vulgari hoc nomine dignoſcerentur שלמאה: cui quam cognatum ſit ὁ Σαλεὶμ, arbiter eſto æquus lector. Quid ſi igitur illud quod Evangeliſta hic vult, hoc ſit, *Jaannes erat baptizans in Ænon prope Salamæum*, vel *Kenæum*: loquente eo cum vulgo, & nomen iſtius gentis adhibente, quo vulgo jam audiit. At ſi daretur id quod proponimus, uter *Kenæus* eſt intelligendus? An is qui in eremo *Judæ*, an ille qui trans mare ſalſum?

§. III. Αἰνὼν *apud Græc. Interpr.* Joſ. 15. 62.

SI *Eſſenus* שלמאה, *Salmæus*, dici poſſit, æque ac *Kenæus*, (& certe meretur, ſi vox *perfectionem* vel auſteritatem vitæ denotet) fidentius ego Σαλεὶμ Evangeliſtæ diſpoſuerim in eremo Judæ: quippe quod illic loci comperiam *Ænonem* apud Græc. Interpr. in *Joſ.* 15. 61. ubi Hebræa in hunc ſenſum: *In eremo Betharabah, Middin, & Secacah, & Nibshan, & civitas ſalis, & Engedi, civitates ſex*. Græca autem, Καὶ Βαδδαργὶς, καὶ Θαραβαὰμ καὶ Αἰνὼν, &c. Ubi plane vides Αἰνὼν pro *Middin*: at qua ratione, obſcurius.

Hoc

Hoc tantum observare licet, quod *Middin* occurrit *Judic.* 5. 10. יושבי על מדין: quod si interpreter, *Qui habitatis juxta Middin*, Kimchium habeo suffragantem, qui sic in locum: *Middin est nomen urbis, cujus mentio occurrit in Josua, Middin & Secacah.* Jam ergo cum Αἰνὼν significet *locum fontium* vel aquarum, adverte quid sequatur, מקול מחצצים בין משאבים, *A voce sagittariorum inter loca ubi hauriuntur aquæ*. Græc. Ἀνὰ μέσον ὑδρευομένων. Ut si quæras ab Interprete Græco, Quare, quæso, reddidisti *Middin* per Αἰνὼν, *locum fontanum*? Respondere habet, Quia *Middin* erat locus ὑδρευομένων.

Successerunt Kenæis Esseni in sedibus suis in eremo Judæ, ut *Plin.* lib. 5. cap. 17. & *Solin.* cap. 38. & successerunt etiam iis in austeritate vitæ, ut de iis testatur *Josephus*, aliique. Et si *Essenum* שלמאה, *Salamæum*, dici permiseris, ut dicti sunt *Kenæi*, reddere potes verba Evangelistæ in hunc sensum, *Joannes erat baptizans in Ænon prope Essenum*. Et supponi posset Baptistam, sicut fuerat inter duas Sectas Judæorum, Pharisæos & Sadducæos, & nonnullos eorum baptizaverat, sic jam se applicare ad tertiam Sectam, Essenos, ut & nonnullos eorum baptizet: sed non determinamus.

### §. IV. *Syrus notatus: & Eustath. super Dionys.*

DUm vocem Αἰνὼν in manibus habemus, non observare non possumus, eam a Syro & Arabe in binas esse dissectam: nam ille legit בעין יון, *In fonte Ion*; hic פי עין נון, *In fonte Nun.*

Nominis notationem videntur prodere ipsa verba Evangelistæ.

Ὅτι ὕδατα πολλὰ ἦν ἐκεῖ. Nam aptiori interpretatione vocem non donaveris, quam *Locus fontium*, vel *aquosus*. Sic & *Nonnus*.

Ὕδατι βαπτίζων βαθυχύμονος ἔγγυθι Σαλήμ.

Quare ergo bipartirentur Interpretes istud vocabulum per se satis planum atque etymologicum?

*Ion* Syri in mentem revocat verba *Eustathii* super hunc *Dionysii* Περιηγ. versiculum

Ἤν τε καὶ Ἰονίην περιναίεται ἠυδάξαντο.

*Dicunt quidam*, inquit ille, *quod totum illud pelagus a Gaza Ægyptum usque, vocatur etiam Jonium, ab Io:* Καὶ τὴν ἐκεῖ δὲ Γάζαν Ἰόνην καλοῦσί τινες. Ἔνθα βοῦς ἦν ἐν ἀγάλματι τῆς Ἰοῦς ἤτοι τῆς Σελήνης. *Atque etiam ipsam Gazam nonnulli vocant Jonem. Ubi bucula est, imagine Ἰοῦς, sive Lunæ.*

*Gazam* dictam fuisse *Jonen*, rarioris est notitiæ. Detur, & mare inde ad Ægyptum dictum Jonium: ego ab *Jo* nomen non deduxerim, quin potius ab *Jonibus*, æneis istis hominibus, de quibus in Ægyptum adventantibus, sedesque suas juxta mare figentibus, non ignobilem narrat historiam Herodotus. *Euterpe*, cap. 152. 154.

At num עין יון, *Ein Jon*, (vel *Javen*, ut placet nonnullis) circa hanc regionem quærenda? Joannem circa *Gazam* quærere, est extra terram Israeliticam quærere, prout tunc temporis definiti erant limites terræ.

### §. V. *Herodium, Regia.*

SI *Ænon* fuerit locus ubi *Joannes* ultimo baptizabat ante suam incarcerationem, tum quærenda est, vel in *Galilæa*, vel in *Peræa*, nam vel hic vel illic familiaritatem iniit ille cum *Herode*. Quamvis enim S. *Lucas* de Herode loquens, memoret tantum Galilæam sub ejus Tetrarchia, *Luc.* 3. 1. docet tamen *Josephus*, quod Ἐγένετο ὑπὸ τούτῳ (Ἀντίπα) ἥτε Περαία, καὶ Γαλιλαία, *Sub eo erant & Peræa, & Galilæa, de bello*, lib. 2. cap. 9. Atque in utra initiabis familiaritatem ejus cum Baptista? Erat cum opinarer, in *Galilæa*: at dum pensatius cogito de *Herodio* in Peræa, atque ejus vicinitate ad *Machærunta*, carcerem Joannis, videri potest illud probabilius.

*Josephus, de bello*, 1. lib. cap. 16. de Herode magno splendidisque ejus ædificiis loquens, hæc habet inter alia. Φρούριον ἐπιτειχίσας τῷ πρὸς Ἀραβίαν ὄρει προσηγόρευσεν Ἡρώδιον ἀφ' ἑαυτοῦ. *Castrum muniens in monte juxta Arabiam, Herodium vocavit de nomine suo.* Ubi per *Arabiam* intelligit *Moabitin*: & conditum videtur hoc Præsidium ab Herode, pro munitione contra Moabiticos Arabas.

Humatus illic est *Herodes* qui condidit, referente eodem *Josepho, de bello*, lib. 1. cap. 21. ubi funeris ejus pompam describens, sic ait, Πεντακόσιοι δὲ

ὑπ' αὐτοῖς τῶν οἰκετῶν καὶ ἀπελευθέρων Ἀρωματοφόροι, *Post eos ibant quingenti de domesticis & libertis ejus Aromatarii*. Σταδίοις δὲ ἐκομίσθη τὸ σῶμα διακοσίοις εἰς Ἡρώδειον, ὅπου κατὰ τὰς ἐντολὰς ἐτάφη, *Latum est corpus ejus ducentis stadiis* ( a Jerichunte scil. ubi expiravit ) *ad Herodium, ubi secundum mandatum ejus est tumulatus*. At vero in

*Antiquit.* lib. 17. cap. 10. ait, Ἤεσαν δὲ ἐπὶ Ἡρώδειον στάδια ὀκτώ. *Venerunt ad Herodium stadiis octo, nam ibi ex ipsius mandato erant funerationes*. Primo intuitu suspiceris esse sphalma. Ast hoc innuitur, quod a *Jerichunte* ad *Herodium* erant ducenta stadia, vel 25. M. pass. ac sepulchrum Herodis distabat octo stadiis ab *Herodio*, prout vulgo sepulchreta erant tanto spatio extra urbes.

§. VI. *Machærus*, *castellum*.

BAptistam ab *Herode Tetrarcha* incarceratum fuisse in *Machærunte* castello, docet idem *Josephus*,

*Antiquit.* lib. 18. cap. 7. Καὶ ὁ μὲν ὑποψίᾳ τῇ Ἡρώδου, δέσμιος εἰς τὸν Μαχαιροῦντα πεμφθεὶς, &c. *Atque ipse quidem* ( Baptista ) *ob suspicionem Herodis mittitur vinctus ad Machæruntem*. Et paulo ante, Μεθόριον δὲ ἐστὶ τῆς τε Ἀρέτα καὶ Ἡρώδου ἀρχῆς, *Est autem* locus iste *terminus regni Aretæ*, ( Arabis ) *& Herodis*.

De situ ejus sic Plin. *Nat. Hist.* lib. 5. cap. 6. *Prospicit* ( Asphaltitin ) *ab Oriente Arabia Nomadum*, ( Moabitis: ) *a Meridie Machærus*, *secunda quondam arx Judææ ab Hierosolymis*. Cujus animus hic est. *Arabia Nomadum* sita ab Oriente *Asphaltitis*, eam prospicit ab Occidente: & *Machærus* ab Aquilone sita, eam prospicit a Meridie. Aliter *Machærunta* dimoveris quam longissime a proprio situ.

Occurrit apud Talmudicos, sub nomine *Macvar*.

*Hieros. Sheviith*, fol. 38. 4. *Montanum Peraæ erat mons Macvar*, *& Gedor.*

*Targum Hieros.* & *Jonath.* in *Numer.* 32. 35. *Pro Atroth Shophan*, *& Jaazer*, habent יזר מכללתא דשופן וירח, מכוור *Maclelta Shophanæ*, *& Macvar*. Et *Jonath.* addit, מכוור גרמתא, *Macvar Garamathæ*.

Planum est cur עטרות, *Atroth*, reddiderint per מכללתא, ( quod & fecit *Onkelosius*. ) Hebræam scil. vocem, quæ significat *Coronam*, transtulerunt per vocem Chaldaicam ejusdem significationis, at quare *Jaazer* per מכוור? *Onkel.* in *vers.* 3. ejusdem Capitis, reddit *Jaazer*, & *Nimrah* per כומרין דבירח נמרין,

quod ego transtulerim *Atratos*, vel *Denigratos de domo Nimrin*. Et commentatur *Ptol.* qui sic in Arabia Petræa. Διατείναι δὲ ἐν τῇ χώρᾳ τὰ καλούμενα μέλανα ὄρη, &c. *Protenduntur in regione montes*, *qui vocantur Nigri*, *a sinu scilicet qui est juxta Pharan*, *quasi ad Judæam*, &c. At vero an מכוור relationem aliquam habeat ad *Nigrorem*, a כור, *Catino* vel *Fornace*, disquirendum relinquimus.

Videmus ergo ubi sita *Herodium* & *Machærus*, in ultimo scilicet *Peraæ* limite versus Austrum vel *Moabitin*, juxta primum littus Asphaltitis.

Naturam loci describit Josephus, *de excid.* lib. 7. cap. 21. Ῥέουσι δὲ καὶ θερμῶν ὑδάτων πηγαὶ κατὰ τὸν τόπον, &c. *Fluunt per locum fontes aquarum calidarum*, *gustu plurimum inter se differentium*. *Nam quædam sunt amaræ*, *quædam dulces*. *Sunt etiam multæ ebullitiones aquarum gelidarum*, &c. Confer *amaras* cum aquis *Nimrim*, Esaj. 15. 6. & reliquas cum aquis *Dimon*, vers. 9. ubi quæras, an *Dimon* non eadem sit cum *Dibon*, ( *Mem* & *Beth* alternantibus ) ast ista pronuntiatione prolata, ut consonaret magis cum דם, *Dam sanguis*, מי דימון, מלאו דם *Aquæ Dimon repletæ sunt sanguine*.

Dum in hac aquosa regione sumus, nonne sumus inter rivos *Arnon*? Affirmat Clar. *Beza*, dum in verba illa *Joann.* 3. 23. Ὅτι ὕδατα πολλὰ ἦν ἐκεῖ, sic commentatur: *Multi videlicet rivi*, *quorum etiam in eo tractu circa Aroer fit mentio in libris Mosis*: & suffragatur ipse loci situs, cum *Machærus* fuerit ultimus terminus terræ Israeliticæ versus *Moabitin*, apud Josephum, sicut *Arnon* est, apud Mosen.

At non hic invenimus locum aliquem qui vocatur *Ænon*, nec aliquem qui *Salim*. Verissime quidem: at locus ipse ob aquositatem bene meretur illud nomen *Ænonis*, quod *locum fontium* denotat: & si *Saleim* idem esse possit cum *Salamæo*, habemus & hic *Kenæum*, seu *Salamæum*, Genes. 15. & Numer. 24. Sed in re tam obscura tutius est nihil decernere: & leniter aget lector cum modesta conjectura. Invia sunt quæ calcamus, & duce opus est, quem adhuc non invenimus.

§. VII. *Mons Mizaar*, הר מצער, Psalm. 42. 7.

A Primis *Moabitidis* finibus versus Aquilonem transeamus, extra limites licet, ad ultimos, versus Meridiem.

*Me-*

*Memor ero tui* (inquit Psaltes) *de terra Jordanis, & Hermonim*, מהר מצער, *De monte Mizaar*. Ast ubi mons iste *Mizaar?*

Omissis quæ dicuntur a *Borchardo* aliisque de *Hermonio* prope *Thaborem*, qua auctoritate nescio; ut & quod הר מצער ab omnibus fere redditur *Mons modicus*, aut *exiguus*; & quod Targumistæ & R. Solomoni est *mons Sinai*, Apollinario *mons Hermon*: videtur plane esse *montanum Zoaris*, quo confugiendum *Lotho* fuisset, si per angustiam temporis licuisset, *Genes.* 19. 10. *Effugiam ad hanc urbem*, הלא מצער היא, *Nonne ea Mizzaar*, vel *parva est?* Nonne ergo pariter הר מצער, *Mons Mizaar*, idem est ac si diceretur הר עיר מצער, *Montanum parvæ civitatis Zoaris?*

Ratio conjecturæ, præter consonantiam nominis, hæc est.

I. Sicut *Hermonium* vel *Hermon* erat juxta fontes Jordanis: sic *montanum Zoaræ* erat juxta extremas aquas Jordanis in Asphaltite. Et videtur Psaltes de *terra Jordanis*, vel Trans-Jordanina loquens, totum Jordanem emensurare a capite ad calcem, a primo fonte ad ultima fluenta.

II. Sicut se recepit *David* in Trans-Jordanicam, *Hermonem* versus, in fuga sua ab *Absalomo*; sic erat, cum se reciperet etiam versus *Zoaram* in *Moabitin*, in fuga sua a *Saulo*, 1. *Sam.* 22. 3. Et sic miseram suam conditionem describit & deplorat eo acerbius, quod exularet & hic & illic, in extremis terrarum quas alluit *Jordanes*.

§. VIII. עגלת שלישיה, *Esaj.* 15. 5.

CUm mentione *Zoaræ* subditur hæc clausula, עגלת שלישיה, in *Esaja*, & cum mentione *Zoaræ* & *Horonaim* in *Jeremia*.

*Esaj.* 15. 5. בריחה עד צוער עגלת שלישיה.

*Græc.* Ἐν αὐτῇ ἕως Σηγώρ. Δάμαλις γὰρ ἐςὶ τριετής.

Vulg. *Vectes ejus usque ad Segor, vitulam conternantem*.

Targ. *Ut fugiant usque ad Zoar, vitulam trimam magnam*.

Angl. *His fugitives shall fle unto Zoar, an heifer of three years old.*

*Hierem.* 48. 34. מצוער עד חורנים עגלת שלישיה.

Vulg. *A Segor usque ad Horonaim, vitula conternante*. Sic & alii. Novi quid in hæc loca Commentatores. Verum nonne potest עגלת שלישיה, *Eglah shelishijah*, esse nomen loci; & dici *Eglah tertia*, respectu duorum aliorum locorum cognati soni; *vel Eglah Ducissa*, aut *Nobilis*, prout שליש significat *Ducem* aut *Tribunum?*

Mentio fit עין עגלים, *Ein Eglaim*, in ista regione, *Ezech.* 47. 10. ubi vox *Eglaim* plane dualizat, atque indigitare videtur duo fuisse loca nomine *Egel*, quorum respectu, hic noster dici potuit *Eglag tertia*. Sic *Ramathaim*, 1. *Sam.* 1. 1. dualizat, & duplicem fuisse *Ramam* plane demonstrar.

Prope accedit sonus τῆς *Necla*, apud *Ptol.* in Arabia Petræa.

| | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|
| Ζωάρα. | *Zoara.* | 67. | 20. | 30. | 30. |
| Θοάνα. | *Thoana.* | 67. | 30. | 30. | 30. |
| Νέκλα. | *Necla.* | 67. | 20. | 30. | 15. |

Vides hic *Zoaram* & *Neclam* apud Geographum, ut *Zoar* & *Eglath* apud Prophetam. Et quam facile fuit τῇ *Eglah*, scriptura Græca transire in Νέκλα: præsertim vero, si aliquis sonus literæ N includatur in litera ע. Et vides apud Geographum, *Zoaram* & *Neclam* distare 15. M. pass. & supponatur sic distitisse *Zoaram* & *Eglam*, interjacente *Horonaimo*, unde non incongrue reddi possent verba Prophetarum,

*Profugi ejus sunt usque ad Zoaram, ad Eglam tertiam*.

*A Zoara usque ad Horonaim, ad Eglam tertiam*.

Fallor, aut Ἄγαλλα apud *Josephum* est *Eglah* nostra.

*Antiquit.* lib. 14. cap. 2. Numerans ille 12. civitates, quas pollicitus est *Hyrcanus* se redditurum *Aretæ* Regi Arabum, quas ab Arabibus abstulerat pater ejus *Alexander*, inter cæteras has nominat: Ἄγαλλα, Ἀθώνη, Ζωάρα, Ὀρώναι. De *Zoara* nullus potest esse scrupulus: nec de Ὀρώναι, quin quod sit *Horonaim*. Et videtur Ἀθώνη consonare cum Θοάνα *Ptolemæi*; & Ἄγαλλα cum ejus *Necla*, & cum ista quam nos supponimus, *Eglah*.

## C A P. IV.

## Σ Υ Χ Α Ρ. *Joann.* 4. 5.

§. I. *Pauca notata de rebus Samaritanorum*. II. *Pauca de versione Pentateuchi Samaritica*. III. *Situs montium Gerizim, & Ebal. Textus Samariticus* in Deuter. 27. 4. *notatus*. IV. *Quare Sychar scripta, & non Sychem*. V. עין סוכר, *apud Talmudicos*.

§. I. *Pauca notata de rebus Samaritanorum.*

1. *De nomine Cuthæorum.*

SAmaritanos a Judæis dictos fuisse *Cuthæos*, ignorat nemo: Οἱ μὲν κατὰ τὴν Ἑβραίων γλῶτταν Χουθαῖοι, κατὰ δὲ τὴν Ἑλλήνων Σαμαρεῖται, *Joseph. Antiquit.* lib. 9. cap. 14.

Ast quare *Cuthæi* dicti, potius quam *Babylonii*, *Hamathæi*, *Avæi*, &c. nam inde deductæ sunt coloniæ in *Samariam*, æque ac a *Cutha*, 2. *Reg.* 17. 24. Imo *Cuthæi* dicti sunt tunc temporis, cum magna pars gentis Samariticæ constaret ex Judæis.

Suspicor virulentum aliquid in ipso nomine. *Cushitarum* nomen apud Judæos erat odiosum & igominiosum: nempe ut gentis non solum hostilis, sed & maledictæ, & visu horrendæ ob colorem nigrum. Vide & quære in titulo *Psalm.* 7. an sub nomine *Cush* non lateat aliquid probrosum. Tale quid suspicor latere sub nomine *Cuthim*. Nam cum vox כותים, eadem esse possit cum voce כושים, litera ש in ת transeunte dialecto *Syra*, facillime mihi persuadere possis, Judæos, cum Samaritanos gentem invisissimam vocarent *Cuthæos*, tacite illis convitiatos fuisse nomine *Cushitarum*.

2. *Josephus titubans.*

*Kiddushin*, fol. 75. 2. *R. Ismael dicit*, כותים גירי אריות הם, *Cuthæi sunt proselyti leonum. R. Akiba dicit*, גירי אמת הן, *Sunt veri proselyti*. Satis nota est historia *de leonibus*, 2. *Reg.* 17. 26. quam sic decolorat *Josephus*.

*Antiquit.* lib. 9. 14. Ἕκαστοι κατὰ ἔθνος ἴδιον Θεὸν εἰς τὴν Σαμάρειαν κομίσαντες, πέντε δ' ἦσαν, καὶ τούτους καθὼς ἦν πάτριον αὐτοῖς σεβόμενοι, παροξύνουσι τὸν μέγιστον Θεὸν εἰς ὀργὴν καὶ χόλον. Λοιμὸς γὰρ αὐτοῖς ἐνέσκηψεν ὑφ' οὗ φθειρόμενοι, &c. *Pestis eos invasit & absumsit*, &c. de leonibus nulla omnino habita mentione. Forsan ab historia ista de internecione exercitus *Sennacheribi* per pestem: phantasia ista de peste inter Samaritas: at unde silentium de leonibus, quisnam dixerit?

3. *Samaria bis colonis plantata.*

Colonias in *Samariam* deduxisse dicuntur *Asnappar*, Azr. 4. 10. & *Esarhaddon*, vers. 2.

*Asnappar* eundem cum *Sennacheribo* esse, eumque octonomium fuisse autumant Judæi, in *Sanhedr.* fol. 94. 1. Primæ quidem nominum syllabæ aliquantum consonant *Sena* & *Asna*: verum, an eundem hominem denotent, in medio relinquimus.

Quicunque tandem fuerit *Asnappar*, sive ipse *Sennacheribus*, seu *Salmanassar*, seu Regis aliquis Satrapa, Dux factus migrationis, videtur certe *Samaria* bis fuisse *coloniis* plantata. Primo confestim post urbem captam, *Cuthæis*, *Avæis*, *Sepharvaitis*, &c. sub *Asnapparo*, sive is Rex fuerit, sive Dux facti tantum. Et cum non pauci eorum devorarentur a leonibus, tum secundo plantata ea *Susanchæis*, *Tarpelæis*, &c. in diebus *Esarhaddonis*, cum quibus ascendit Sacerdos qui doceret cultum Dei. Ut omnia hic confundat *Epiphanius*, vide apud eum, *Hæres.* 8. cap. 9.

4. *De Dosthai Samaritarum Pseudo-Apostolo.*

*Tanchum*, fol. 17. 4. *Cum leones devorarent Samaritas, Rexque Assyriæ rem audiret, accersivit Seniores Israelis, & dixit: Numquid unquam discerpserunt feræ quemquam in terra vestra, dum vos ibi habitaretis? Unde ergo hoc quod nunc fit? Respondent illi, Terra nostra non sustinet gentem ullam, quæ non versatur in Lege, & quæ non circumciditur. Date ergo ex vobis, inquit ille. duos qui eant & doceant populum. Miserunt ergo illuc* ר' דוסתאי בר ינאי, *R. Dosthæum filium Jannæi, &* ר' סבייה, *R. Sabiam, qui docuerunt eos librum Legis scriptæ.*

Itane vero? Num *Dosthai* Samaritanorum oraculum, in temporibus Imperii Assyriaci? Unde ergo ei Græcum nomen suum, & Græcissans nomen *Jannæi* patris? Probabilius longe, *Eulogius* apud *Photium*, Cod. CCXXX. *Plebs Samaritana in contrarias divisa factiones inter se dissidebat, & peregrinis opinionibus se propugnabat. Alii enim Jesum Nave eum esse censuerunt, de quo Moses dixit, Prophetam vobis excitabit Dominus Deus, ut me, ex fratribus vestris.* Οἱ δὲ τοῦτο μὲν παρεγράφοντο, Δοσθὴν δέ τινα τοὔνομα ἢ Δοσίθεον ἀνεκήρυττον, Σαμαρείτην μὲν καὶ αὐτὸν τὸ γένος, συνακμήσαντα δὲ κατά τε τοὺς χρόνους Σίμωνι τῷ Μάγῳ, *Alii, rejecta hac sententia, Dosthen quendam nomine, sive Dositheum prædicarunt, Samaritanum etiam gente, contemporaneum Simoni Mago.*

A *Dosthai* & *Sabia*, *Dostheni* & *Sebuæi*,

*buæi*, sectæ Samaritanæ. *Epiphan.* Hæref. 11. &c.

5. *Lingua Ashdodæa*, Nehem. 13. 24. *an Samaritica.*

*Et filii eorum ex media parte loquuti sunt Ashdodice, & nesciebant loqui Judaice*, Nehem. 13. 24. Quænam tunc temporis lingua *Ashdodæa?*

I. Interpreti Arabi est Chaldaica. At nonne Chaldaice loqui, erat tunc temporis Judaice loqui? Lis esse possit, an foret *tunc temporis*: sed controversiam istam non inimus.

II. Ad quæstionem quæ sub manibus, adduxerim ego verba ista, *Actor.* 2. 11. Κρῆτες καὶ Ἄραβες. Quinam illi Κρῆτες; Quis non illico dixerit, Incolæ insulæ *Cretensis?* Sic ipse deceptus olim. At jam dixerim *Cherethæi*, gens & regio Philistæa. Vide ut Græci Interpretes reddant כרתים per Κρῆτες, *Ezech.* 25. 16. *Zephan.* 2. 5. 6. Et ratio aliqua firmat, eos sic apud *Lucam* intelligendos loco citato, quia conjunguntur cum *Arabibus*.

*Targ.* in 2. *Paralip.* 26. 7. *Et auxiliatum est ei verbum Domini*, על פלשתאי ועל ערבאי דיתבין בגרר, *contra Philistæos, & contra Arabas habitantes in Gerar.*

Nota Arabas in *Gerare*, urbe Philistæa; & notum satis quod Arabia contigua terræ Philistæorum. Et suspicari licet linguam *Ashdodæam* fuisse *Arabicam*, potius quam *Samariticam*; præsertim vero hoc observaio, quod ad ista usque loca, obtinuerit nomen *Idumææ*: & nonne Arabica, lingua *Idumæorum*?

§. II. *Pauca de Versione Pentateuchi Samaritica.*

IN Interprete *Samaritico* (ut ad res chorographicas solum nos contineamus) quoad locorum nomina, tria adverto, & quartum suspicor.

I. Loca nominibus suis satis ignota, ille nominibus aliquando reddit ignotis magis. Consule nomina ab eo usurpata in descriptione fluviorum *Edenis*, & regionum quas alluunt isti fluvii, & quam difficile est istorum nominum invenire alibi vel volam, vel vestigium, excepta *Cophin* tantum, quæ videtur respondere τῇ *Cophene* apud *Plin.* lib. 6. cap. 23. *Strab.* lib. 15.

II. Loca aliquantum notiora, nominat ille aliquando nominibus ignotissimis. Talia sunt חצפו. *Catsphu*, pro *Assyria*, Genes. 2. 14. לילק, *Lilak*, pro *Babel*, Genes. 10. 9. שלמאה, *Salmaab*, pro *Euphrate*, Genes. 15. 18. נפיק, *Naphik*, pro *Ægypto*, Genes. 26. 2.

III. Nomina recentiora adhibet aliquando, & quæ temporibus istis erant maxime familiaria. Talia sunt בניאס, *Banias*, pro *Dan*, Genes. 14. 14. id est, *Panias* fons Jordanis: גינסר, *Gennesar*, pro *Chinnereth*, Num. 34. 11. *Deuter.* 3. 17. ut omittamus *Bathnan* & *Apamiam*, pro *Bashan* & *Shepham*, quæ quidem Syriacam pronuntiationem tantum sapiunt, & *Gebalah*, vel *Gablah*, pro *Seir*, quæ Arabicum idioma.

Jam vero hæc nomina suspicionem mihi movent, versionem istam non ea vetustate canescere, qua coronatur a nonnullis, qui antiquitatem ejus retro ad tempora fere *Ezræ* volunt reducere.

IV. Suspicor itidem, quod cum nomina regionum vel locorum satis notorum reddit nominibus ignotissimis, aliquando non totam regionem intelligit, sed locum aliquem regionis particularem.

Suspicio oritur ex voce *Naphik* pro *Ægypto*, & *Salmaab* pro *Euphrate*.

Per *Naphik* suspicor ego ab eo intellectam fuisse non totam *Ægytum*, sed *Pelusium* solum, ipsum a *Canaanitide* primum limen *Ægypti*. Et rationem habe conjecturæ: nempe quod vox אנפק, *Anpak*, inscripta fuerit portæ istius urbis, ut observavimus alibi; quæ quam conveniat cum *Naphik*, quis non videt?

Suspicor etiam mentionem *Kinæorum* immediate sequentem, memoriam *Salmææ* apud eum excitasse; & non *Euphraten* ipsum eum vocasse *Salmaam*, sed de *Euphrate* locutum, ut locum aliquem alluenti denominatum *Salmaam*.

*Ptolemæo* in cap. de situ Arabiæ desertæ, est Σάλμα, in gr. 78. 20. 28. 30. Et numeratur ab eo inter viginti sex civitates, quas dicit esse ἐν τῇ μεσογέιᾳ, quod ab Interprete Latino redditur, *Juxta Mesopotamiam*. Sic vere habet, quo se tueatur Samarita. Nam si civitates istæ a *Ptol.* nominatæ, forent juxta *Mesopotamiam*, interfluente tantum *Euphrate*, est quo se defendat, dum pro *Usque ad Euphraten fluvium*, reddit *Usque ad fluvium Salmaæ*, id est, Usque ad Euphraten, ubi alluit *Salmam*.

§. III. *Situs Montium Gerizim & Ebel Textus Samariticus in* Deut. 27. 4. *notatus.*

SYchar eundem esse locum cum *Sychem*, vix est cur quis dubitet: & rem satis astruit mons *Gerizim* a fœmina

mina Samaritica digito monstratus. Vaferrimum argumentum, inquiet *Epiphan.* qui sic in

*Hæres. Samarit.* Τῶ γὰρ βουλομένῳ ἀκριβῶς περὶ τοῦ ὄρους Γαριζὶν ἑρμηνεῦσθαι, ἰστέον ὅτι πρὸς τῇ Ἱεριχὼ κεῖται τὰ δύο ὄρη, τό, τε τοῦ Γαριζὶν καὶ τὸ τοῦ Γεβὰλ πέραν τοῦ Ἰορδάνου, πρὸς τῇ ἀνατολῇ τῆς Ἱεριχῶ, ὡς ἔχει τὸ Δευτερονόμιον, καὶ Ἰησοῦ τοῦ Ναυῆ ἡ βίβλος. *Ad Jerichuntem sunt duo montes Gerizim ac Ebal, ultra Jordanem, qui Jerichuntem ab Oriente respiciunt*, &c. Ad *Jerichuntem*, eo judice, fuerunt *Gerizim* & *Ebal*, non ad *Shechemum*: sic & ante eum *Euseb.* de locis Hebraicis, si ille libri istius autor, ut notat *Petavius*.

Phrasiologia מול גלגל, in *Deuter.* 11. 30. hosce sic decepit, ut montes *Gerizim* & *Ebal* removerint ad *Gilgal Jerichuntinam*: & Judæos nonnullos pariter decepit, Ita ut *Gilgal Jerichuntinam* removerint ad *Sichemium*. Male intellecta voce *Gilgal*, pro loco isto, de quo mentio apud *Jos.* 5. cum hic apud *Mosen* denotet *Galilæam*; quod planum fecimus alibi.

In hisce duobus montibus pronuntiatas fuisse benedictiones & maledictiones norunt omnes, ex *Deuter.* 11. 29. & 27. 12. 13. *Jos.* 8. 33. At vah impudentiam Samaritanorum, qui in textu suo in *Deuter.* 27. 4. pro *Eriges lapides, quos ego præcipio vobis hodie*, בהר עבל, *in monte Ebal*, substituerunt, *Eriges lapides*, &c. בהר גריזים, *in monte Gerizim*.

Cum qua fucatione & falsificatione conferamus illud in

*Sotah*, fol. 33. 2. *Dicit R. Eliezer ben Jose, Dixi ego Samaritanis, Falsificastis vos Legem vestram; nam dicitis,* אלוני מורה שכם, *Planities Moreh Shechem*, Deuter. 11. 30. (addunt Sichem de suo.) *Nos etiam fatemur quod planities Moreh est Shechem*, &c.

Cum Samaritanos criminatur, quod falsificarint textum suum, cur non potius illud objicit, quod *Gerizim* subornarint pro *Ebal*, quam minutius hoc peccatillum, quod addiderint *Shechem*, veritate nequaquam læsa? Dum hæc quæro, in animo voluto, an impudens ista & nefaria interpolatio vocis *Gerizim* pro *Ebal*, in textu Samaritico tum foret, cum hæc loquitur Rabbinus noster; an nonne nata post ista tempora. Res non indigna animadversione.

§. IV. *Cur Sychar scripta, & non Sychem.*

SI *Sychem* & *Sychar* eadem urbs, cur non etiam eadem vox?

I. Potest esse ex communi dialecto, cui frequentissimum immutare literas. Inde *Reuben*, Interpreti Syro, est *Rubil*, & Ῥούβηλος *Josepho*. Quo etymo dicat ipse, & expone tu, si potes.

Ἀρχαιολογ. lib. 1. cap. 19. De *Leah* Reubenem pariente sic ille. Καὶ γενομένου παιδὸς ἄῤῥενος, καὶ διὰ τοῦτο πρὸς αὐτὴν ἐπεστραμμένου ἀνδρὸς Ῥούβηλον ὀνομάζει τὸν υἱόν, διότι κατ᾽ ἔλεον αὐτῇ τοῦ Θεοῦ γένοιτο. Τοῦτο γὰρ σημαίνει τὸ ὄνομα. Fallor? an רוב אל sibi vult, q. d. *Auctio Dei*.

Infinitum foret tales literarum in propriis nominibus enumerare variationes. Ast in litera R, cum qua nobis res est, sumamus exempla.

*Nebuchad-nezzar* est etiam *Nebuchadrezzar*: *Belial* est *Beliar*: *Shepham*, Græcis Interpretibus, est Σεφαμάρ, *Numer.* 32. 10. Sic *Sychem*, *Sychar*: idque eo magis, quod nescio quam affinitatem habeat litera R. cum lirera M. ut ut *Dammesek*, & *Darmesek* in Sacro Codice, & *Sarmatæ* sunt *Samatæ* Dionysio Afro, &c.

II. Aut potest esse, quod opprobriose & per ludibrium *Sychem* per *Sychar* vulgariter protulerint Judæi; vel ut Samaritas *ebriosorum* stigmate notarent, ex *Esaj.* 28. 1. vel prout varie scribi vox posset, aliquo alio carbone, ut שקר, *Prævaricatio*: שכר, *Mercenarius*: סוכר, *Sepulchrum*. Nam sic,

*Aruch*, in סכר פירוש קברים סוכרי, *Sochere*, i. e. *Sepulchra*. Locum citat ex *Shabb.* fol. 67. 1. Ubi verba ab eo citata in terminis non habentur, nec ipse sibi constat in interpretatione. At *Munsterus*, סוכר, *Sepulchrum*. Si hoc obtineat, forsan שכם, *Sychem*, סיכר, *Sychar*, dicta est, ob sepultos illic duodecim Patriarchas: & nomine isto sub ea notione gloriari potuerunt Samaritani.

§. V. עין סוכר *apud Talmudicos*.

AUdesne עין סוכר reddere *fons Sychar*? Ejus loci & nominis mentionem habes in

*Bava Kama*, fol. 82. 2. *Erat cum adduceretur manipulus* (primitiarum) מן גנית צריפין, *A Gaggoth Zeriphin. Et duo panes* (offerendi a summo Pontifice) מבקעת עין סוכר *A valle fontis Sychar*; nam detur venia sic vertendi Glos-

Gloss. *Peti solitus est manipulus a locis Hierosolymæ vicinis: jam vero a longinquo petitus est, quia milites & bellum vastaverant fruges.*

Visne totam historiam? *Tradunt Rabbini, Cum familia Asmonæa se mutuo obsideret, Hyrcanus erat intus, & Aristobulus extra. Unoquoque autem die, illi qui erant intus obsessi, denarios in cistula demiserunt per murum, iique qui extra erant, sacrificium juge pro illis retulerunt. Erat inter eos senex quidam sapientiæ Græcorum peritus, qui dixit, Quamdiu illi Liturgiam suam præstant, a vobis non subjugabuntur. Proximo die demiserunt illi denarios in cistula, atque hi reddiderunt eis porcum. Cum ad medium muri perventum esset a porco, infixit ille ungulas suas in muro, & tum quassata est terra Israelitica per quadringentas Parsas undiquaque. Eo ipso tempore dixerunt, Maledictus sit quicunque alit porcos: Maledictus sit qui docet filium sapientiam Græcorum. Et eo ipso tempore petitus est manipulus primitiarum a Gaggoth Zeriphin, & duo panes a valle Ein Sychar.*

Recitatur hæc historia, cum hac adjuncta in

*Menachoth*, fol. 64. 2. *Cum appropinquaret tempus manipuli, non norunt unde manipulum peterent: . Publico ergo præconio inquisiverunt. Venit mutus quidam*, ואותיב חדא ידא אאיגרא, *& manum unam tetendit ad tectum*, וחדא ידיה אצריפה *& manum alteram ad tuguriolum. Dixit iis Mordecai, Estne locus aliquis qui dicitur Gaggoth Zeriphin, aut Zeriphin Gaggoth? Quæsiverunt, & compererunt. Cum duos panes offerre vellent, nec noscerent unde adipiscerentur, publico præconio inquisiverunt. Venit mutus iste*, אותוב ידיה אעיניה, *& manum unam oculo suo admovit*, וחדא ידא אסיכרא *& manum alteram foramini postium ostii, ubi indunt pessulum. Dixit iis Mordecai, Est locus qui dicitur Ein Sychar, aut Sychar Ein? Quæsiverunt, & compererunt.*

At quid *Mordecæo* cum temporibus *Asmonæorum?* Objicit hoc etiam unus de Glossatoribus in locum: & respondent, Quod omnes ii, qui periti erant signorum & linguarum, eo nomine sunt insigniti, quippe quod talis fuerit ille, qui vixit in diebus *Ahashueri*.

Et jam judicium tuum, o lector, de hoc nomine & loco, an aliquid cognationis hebeat cum fonte hoc nostro *Sycharicho*.

In utramque partem res posset disputari. Nos hæc tantum dicimus.

*Menachoth*, ubi ante. *Præceptum de manipulo est, ut adducatur a loco aliquo propinquo*, לא ביכ הקרוב לירושלי מביאין אותו מ׳ מ, *Quod si non maturescat in loco aliquo prope Hierosolymam, adducant a loco quovis.*

Gloss. *Gaggoth Zeriphin & Ein Sychar distabant longe a Jerusolyma.* Sic & *Sychar* nostra distabat sat superque.

צריף & צריפה, *Zeripha denotat tuguriolum*, קלוז של שומרי שדות, *ubi cubuit custos agrorum.* Describitur ab Aruch iu voce צרף: *Quod opertum fuit viminibus salicum, & capitellis eorum colligatis, huc aut illuc illud traxerunt pro libitu,* &c.

*Gloss.* in *Erubbin*, fol. 65. 2. צריפין יושבי, *Habitantes talia tuguriola erant custodes pecudum, & manserunt in iis per mensem unum aut duos, donec deficerent hoc in loco pascua; & tum recesserunt ad altum.*

*Gaggoth Zeriphin* ergo significat *tecta tuguriolorum:* & locus iste videtur sic dictus, vel ob frequentiam eorum in isto loco, vel ob colles aliquos ibi existentes, qui formam talium tuguriolorum exhiberent.

Talium tuguriolorum subeat memoria cum legis, *Luc.* 2. 8. de pastoribus noctu gregibus invigilantibus. Sed hæc extra metas.

## CAP. V.

### BETHESDA, *Joann.* 5. 2.

I. *De situ Probaticæ.* II. *Fons Siloami, atque ejus rivi.* III. *Piscina* שלח, *Shelahh, & Piscina* שלוח, *Shiloahh.* IV. *Targumista in* Eccles. 2. 5. *notatus.* V. *Fons Etam. Porta Aquarum.*

#### §. I. *De situ Probaticæ.*

TRaditur vulgo Προβατικὴν πύλην (nam vocem istam adjungamus ex *Nehem.* 3. 1.) aut saltem *Bethesdam* fuisse propinquam Templo. Adi Commentatores, & fere omnes in hanc sententiam consonant. Quorum bona cum venia liceat hoc interponere.

I. Quod non potuerit pars ulla muri urbis extimi (qualis erat Probatica) prope Templum esse, quin quod interjaceret aliqua pars urbis.

Inter portas ab Aquilone, & Templum, interposita erat Zion.

Ab Occasu erat pars Zionis & Millo.

A Meridie, Hierosolyma, ut distincta a Zione.

Ab

Ab Ortu, platea Orientalis, cujus porta non dicta est *Probatica*, sed *Porta Aquarum*.

II. Quod *porta Probatica*, secundum delineationem *Nehemiæ*, sita foret in muro urbis Australi, non longe ab angulo, qui respexit Ortum brumalem: atque inter hanc portam & Templum interposita erat non mediocris pars *Hierosolymæ*.

Zionem fuisse a parte urbis Aquilonari ostendimus alibi, contra errorem Tabularum, quæ eam disponunt ab Australi. Jam ergo observetur quam longo progressu processerit murus, antequam perventum sit ad aliquam partem Zionis: ad gradus scil. descendentes ex civitate Davidis, *vers.* 15. qui erant ab Occidente: & pergat juxta *sepulchreta Davidis*, vers. 16. & perveniat tandem ad *portam aquarum* & Ophel, quæ ab Oriente, *vers.* 26. & inde pergat ad angulum prope quem erat porta *probatica*, *vecs.* 31. 32. & plane evincit, descriptionem & progressum Nehemiæ esse primum muri Australis, a porta probatica ad angulum Occidentalem: tum muri Occidentalis; & sic ad Aquilonarem, & Orientalem: & clarum facit quod porta probatica erat in muro Australi, aliquantum distans ab angulo qui respexit Ortum brumalem, non parum distans a Templo, quippe quod interposita foret non modica pars Hierosolymæ, ut distinctæ a Zione.

§. II. *Fons Siloami, atque ejus rivi.*

A Fonte *Siloami*, ni plurimum fallamur, inchoanda est *Bethesdæ* investigatio.

I. Proprium & antiquum fontis *Siloami* nomen erat *Gibon*, 1. Reg. 1.33. *Deducite Solomonem ad Gibon*. Targ. *Ad Siloam*.

*Kimch.* in loc. *Gibon est Siloam, & vocatur duplici nomine*. Tabulæ Hierosolymam describentes, *montem Gibon* exhibent, nescio qua authoritate. Si *fontem Gibon* dixissent, placuissent magis.

II. Unde transierit nomen Gihon in Siloam, non facile dicitur. Fons ipse significavit regnum & dominium domus Davidicæ in *Esaj.* 8. 6. Sic *Targ.* & *Sanhedr.* fol. 94. 2. *Dicit Rabbi Joseph. Nisi fuisset Targum istius Scripturæ, non cognovissemus sensum ejus, qui hic est: Quoniam tædet populum hunc regni domus Davidicæ, quæ dominatur leniter sicut aquæ Siloami fluunt leniter*, &c. Et non inaniter misit David Solomonem ungendum ad Gihon aut Siloam, sed quod aliquod symbolum domus suæ describeretur in ipso fonte.

III. Situs ejus erat post murum urbis Occidentalem, aliquantum distans ab angulo, qui respexit Occasum hybernum.

*Jos. de excid.* lib. 5. cap. 13. Ἔπειτα πρὸς Νότον ὑπὲρ τῆς Σιλωὰμ πηγὴ ἐπιστρέφον, ἔνθεν τε πάλιν ἐκκλίνον πρὸς Ἀνατολὴν, *Murus porro versus Austrum flectens se supra fontem Siloam, inde rursus inclinat versus Orientem*.

Diversis rivis in duas piscinas deductæ sunt aquæ hujus fontis, quod innuitur 2. *Paralip.* 32. 30. *Ezechias obturavit exitum superiorem aquarum Gihon, & direxit eas subter, ad Occidentem civitatis Davidis*. Ubi Targum (lib. MS.) פקק ית מפקנות מרי גיחון : pro מרי scribendum מוי, *Aquarum*: ואוביל יתהון במרובין: Pro במרובין suspicor scribendum במרזבין, *in fistulis*, aut tubis. Sed his missis, illud quod observamus hoc est, quod erat aquæductus a *Gihone* vel *Siloamo*, qui vocabatur superior, qui fluxit in stagnum, quod vocatum etiam *Stagnum superius*, Esaj. 36. 2. & ut videtur, *Stagnum vetus*, Esaj. 22. 11. Josepho stagnum vel *Piscina Solomonis*. Nam sic ille loco ante allegato.

Ἔνθεν τε πάλιν ἐκκλίνον πρὸς Ἀνατολὴν ἐπὶ τῆς Σολομῶντος κολυμβήθραν, *Rursus se flexit murus versus Orientem, ad Piscinam Solomonis, & pergens ad locum qui vocatur Ophel, pervenit ex adverso porticus Orientalis Templi*. Unde colligere licet, Piscinam Solomonis fuisse intus juxta murum Orientalem urbis, cisque locum istum qui vocabatur Ophel. Quæ ita conveniunt cum situ Bethesdæ intra portam Probaticam, ut extra omnem scrupulum mihi fiet, Piscinam Solomonis, & Bethesdanam fuisse unam eandemque.

§. III. *Piscina* שלח, *Shelahh*, & *Piscina* שלוח, *Shiloahh*.

PEr alterum rivum deductæ sunt aquæ Siloami in alteram Piscinam, quæ vocatur *Piscina inferior*, Esaj. 22. 9. Et *Piscina Regis*, Nehem. 2. 14. juxta murum Occidentalem Sionis.

Ejus mentio etiam *Nehem.* 3. 15. ברכת השלח לגן המלך. Ubi observandum quod hic scribitur שלח, *Shelahh*, varianter a שלוח, *Shiloahh*, in *Esaj.* 8. 6. differentia in Bibliis non punctatis invisibili, atque a meipso olim non observata, & ut patet, non ab aliis. Nam שלח, *Shelahh*, redditur ipsissimo eodem sono quo *Shiloahh*, a Complut. Vulg. Anglic. Gal-

Gallic. &c. Et cum mentio fit Piſcinæ Siloam, *Joann.* 9. 7. remittunt Commentatores nonnulli lectorem ad textum illum Nehemiæ.

Græci Interpretes differentiam obſervarunt, & verba Nehemiæ ſic reddunt, Κολυμβήθρας τῶν κωδίων τῇ κουρᾷ τοῦ βασιλέως. Obſervat & Italus: ſic reddens, *La Piſcina di Selac preſſo all'orto del Re*.

In interpretatione Græca notandum, quod videntur legiſſe גז, *Vellus*, pro גן, *Hortus*, dum reddunt τῇ κουρᾷ τοῦ βασιλέως, *Lana aut Cæſarie Regis*. Et dum vertunt ברכת השלח per κολυμβήθρα τῶν κωδίων, *Piſcina pellium*, ſequuntur ſignificationem vocis Talmudicis uſitatam non raro.

Jam ergo oritur quæſtio, an *Piſcina* iſta vocaretur *Piſcina Siloami*, necne: quod adhuc non comperi a quovis dubitatum, nec olim a meipſo. At jam ſuſpicari incipio, ſic diſtinctum fuiſſe inter duas Piſcinas, ut inferior nomen ſuum retinuerit *Piſcinæ Shelah*; ſuperior nomen obtinuerit *Piſcinæ Siloahh*. Nam.

I. Unde alias diſtinctio iſta in verſione Græca, niſi quod Interpretes ſequerentur vulgarem pronuntiationem nominis *Shelah*, cum redderent τῶν κωδίων?

II. Verba iſta *Joannis*, Cap. 9. 7. Εἰς τὴν κολυμβήθραν τοῦ Σιλωάμ, ὁ ἑρμηνεύεται Ἀπεσταλμένος, denotare videntur duas fuiſſe Piſcinas cognati admodum ſoni, quarum tamen una tantum ſignificaret Ἀπεσταλμένος, altera non.

III. Suadent Hieroſolymitani, Piſcinam ſuperiorem vocatam fuiſſe Piſcinam *Shiloahh*, vel Siloami, in verbis iſtis.

*Chagigah*, fol. 76. 1. *Immundus ex cadavere non ingreditur montem Templi. Dicitur quod appareant in Atrio. Unde tu menſuras? A muro, an ab ædibus? Tradit Samuel*, משילוח, *A Siloamo. Et Siloam erat in medio urbis*.

Quæſtio ventilata hæc eſt, An immundus ex cadavere permittatur ingredi Templum: & diſcuſſio rei huc devenit, ut quærat, intra quamnam menſuram ille admittendus, an intra ipſum murum Templi, an ad illam diſtantiam tantum, ubi deſinunt ædes urbis quæ proximæ Templo: ſpeciatim ubi deſinunt ædes Siloami.

Jam vero, cum dicant שילוח היה באמצע המרינה, quod *Siloam erat in medio urbis*, de fonte nequaquam intelligi poteſt; nam Fons Siloam erat plane extra urbem: nec de Piſcina inferiori, *Shelahh*; nam erat & illa extra urbem etiam, vel tantum non. Non datur ergo tertium, niſi ut Piſcina hæc ſuperior vocetur Piſcina Siloam, & de nomine ſuo denominet regionem urbis adjacentem, videlicet quinque porticus atque ædificia confinia: quæ quidem non erant in ipſo urbis centro, at bene dici potuerunt eſſe *in medio* urbis, quia ſita erant non modico ſpatio intra urbem. Ὁ πύργος ἐν τῷ Σιλωάμ, *Luc.* 13. 4. erat inter hæc ædificia.

## §. IV. *Targumiſta in* Eccleſ. 2. 5. *notatus*.

IN æquilibrio eſt an Targumiſta in locum allegatum vafrius agat, an obſcurius. Sermo eſt de hortis Regiis: & ille, *Plantavi mihi omnes arbores aromaticas*, דאיתיאו לותי טלני ומרקי מן הנדקא, *quas attulerunt mihi Lemures & Dæmones ex India*. Et pergit, ותחומיה מן שור קרתא דבירושלים עד כיף מיא דשילוח, *Et terminus ejus erat a muro qui eſt in Jeruſalem, juxta ripam aquarum Siloami*. Redde עד כיף, *Juxta ripam*, illuſtrationis ergo; nam *Ad ripam*, ut vertit Lat. Interpr. quamvis id ipſum ſignificare poſſit, ſignificare tamen poteſt & aliud, idque in difficultatem indiſſolubilem. Et notandum eſt quod eſt עד, & non עַד.

Animus Targumiſtæ videtur hic eſſe. Horti Regii hunc habent terminum: protenduntur a deſcenſu *Sionis* uſque ad ex adverſo Piſcinæ *Shelahh*, vel ſtagni inferioris, uſque ad initium muri urbis qui eſt in *Jeroſolyma*: qui murus procurrit juxta ripam aquarum Siloami.

Illa quæ dicuntur *Nehem.* 3. 15. hæc illuſtrant, *Portam fontis reſtauravit Shallum ---- & murum Piſcinæ Shelahh juxta hortos Regis*. *Porta fontis*, ſive ea ſic dicta fuerit a fonte *Siloami*, ſive alias, diſtabat aliquo ſpatio a Piſcina Regis, *Nehem.* 2. 14. & juxta murum urbis intercedentem inter iſtam Portam & Piſcinam, erat rivus deductus a fonte in iſtam Piſcinam.

Verba ergo Targumiſtæ ita ſunt reddenda, ut horti regii non dicantur extendi ad ripam aquarum *Siloami*, ſed murus iſte *Hieroſolymæ* procurrere *juxta* ripam iſtarum aquarum, & hortum extendi ad primam partem iſtius muri. Non vocat igitur Piſcinam inferiorem nomine שילוח, *Siloahh*, ſed per *Aquas Siloahh* intelligit rivum a fonte ductum & labentem in iſtam Piſcinam.

## §. V. *Fons Etam. Porta Aquarum*.

CIpporum Hebraicorum collector, hæc habet de fonte *Etam*. בדרך בין חברון לירושלים עין עיטם וגו, *In*

*via Hebronem inter & Hierusalem, est fons Etam, unde aquæ promanant per tubos usque ad magnam Piscinam Hierolymitanam*. Versio est Clariss. *Hottingeri*, qui & ipse addit, *Intelligi puto Probaticam*.

Fuisse aquæ ductum a fonte *Etam* ad Hierosolymam, asseritur a Magistris semel iterumque: at quæri merito potest, & an fons iste fuerit in via ad *Hebronem*, & an aquæ ejus fluerent in Piscinam Probaticam. Nam,

I. Si fons *Etam* idem fuerit cum aquis *Neptoab*, *Jos.* 15. 9. quod opinatur Gloss. in *Joma*, fol. 31. 1. (Ubi de fonte *Etam* agitur) tum non erat ab eodem cardine cœli, quo *Hebron*; nam *Hebron* erat ab Austro, *Neptoab* vero ab Occidente.

II. Aquæ a fonte *Etam* derivatæ, non ductæ sunt in urbem, sed in Templum: quod fusissime demonstrari posset e Talmudicis, si esset opus. Et probabile est hunc aquæductum respicere verba Aristeæ. Ὕδατος δὲ ἀνέκλειπτός ἐστι σύστασις, &c. *Aquæ vero confluxus nunquam deficit*, (de Templo loquitur) *ac si fons magnus intrinsecus naturaliter flueret. Erantque subtus terram mira & inenarrabili arte aquarum receptacula confecta per quinque stadia, quemadmodum apparebat undiquaque circa templum*. Et paulo post. *Abduxerunt me ex civitate ultra quatuor stadia, & jussit me unus, capite ad locum quendam inclinato, auscultare sonum quem concursus aquarum ederet*, &c.

Quid plura? Consulenti Talmudicos nil clarius, quam quod aquæductus a fonte *Etam* fuerit in Templum, non in urbem: & clarum satis ex Sacris Paginis, aquæductum in Piscinam Probaticam, fuisse a fonte *Siloami*, quæ & ab isto fonte, unde ea derivata, dicta est *Piscina Siloami*; & a primo ejus authore, *Piscina Solomonis*; atque a virtute ejus miraculose medicinali, *Bethesda*.

De *Porta Aquarum* fit mentio *Neh.* 3. 26. in muro urbis Orientali, sic dicta, quod per eam fluerent aquæ a Templo, & forsan ista quæ effluxerunt ex *Bethesda*. Nam cum indesinenter fluerent ab *Etam* aquæ in Templum, effluerentque ex Templo superfluæ, descendebant in vallem interjacentem inter Templum & Hierosolymam, sese evacuabant per istam Portam, quæ inde dicta est *Porta Aquarum*. Et probabile est *Piscinam Bethesdanam*, cui erat indesinens etiam supplementum per aquæductum e fonte Siloami, indesinenter etiam se evacuasse per rivulum per declive Acræ, in eandem portam, & sic in torrentem *Kidron*.

## C A P. VI.

ΣΤΟΑ' τῦ Σολομῶντος, *Porticus Solomonis*, Joann. 10. 23.

I. *Obscura quædam de Porta Huldæ, & Sacerdotis*. II. *Porticus Solomonis quænam, & ubi*. III. *Porta Susan: Consessus ibi Viginti-triumviralis. Tabernæ*. IV. *Pauca de statu Templi secundi*.

### §. I. *Obscura quædem de Porta Huldæ. & Sacerdotis.*

A *Piscina Solomonis* pergimus ad *Porticum Solomonis*, cujus etiam fit mentio *Actor.* 5. 12. Crederes Στοὰ Βασιλικὴ, *Portam Regalem*, & ex ipso titulo, & ex ejus magnificentia: nam erat, teste Josepho, Ἔργον ἀξιοαφηγητοτάτων τῶν ὑφ' ἡλίῳ, *Antiquit.* lib. 15. cap. 14.

Porticus ista Regalis erat a latere Templi Meridionali, sub se in muro habens שני שערי חולדה, *Duas portas Huldæ*, *Middoth*, cap. 1. De quibus miror, potius quam vel credo, vel intelligo illud in

*Schir Rabba*, fol. 16. 4. *Ecce ille stat post parietem nostrum, post murum scil. Templi Occidentalem: quia juravit Sanctus Ben. quod iste nunquam destruetur*. שער הכהן ושער חולדה לא חרבו לעולם, *Porta etiam Sacerdotis, & Porta Huldæ nunquam erant destruendæ, donec renovaturus sit eas Deus*.

Quænam fuerit *Porta Sacerdotis*, ignoro penitus, si ea non fuerit Porta ista, super quam fuit לשכת בולווטיא, *Conclave* Βυλευτῶν, vel *Consiliariorum*, ubi erat Consessus & Consistorium Sacerdotum.

Sed esto vel ista, vel alia; quomodo hæc & reliqua conveniunt cum narratione *Josephi*?

*De bello*, lib. 7. cap. 1. *Jussit Cæsar dirui totam urbem & Templum, relictis tantum turribus quæ reliquis supereminebant, Phasaelo, Hippico & Mariamme, ac muro etiam Occidentali. Hoc quidem, ut esset præsidiariis pro castris; istis autem ut memoriam ferrent, qualem & quam munitam urbem vicisset virtus Romana*. Τὸν δὲ ἄλλον ἅπαντα τῆς πόλεως περίβολον οὕτως ἐξωμάλισαν οἱ κατασκάπτοντες, ὡς μηδὲ πώποτ' οἰκηθῆναι πίστιν ἂν ἔτι παρασχεῖν τοῖς προσελθοῦσι. *Universum autem præterea munimentum civitatis ita*

*sunt*

*sunt demoliti*, *ut eam nunquam fuisse habitatam fidem faceret posteris*, *vel advenientibus*.

Quibus consonat illud quod frequentissimum apud scriptores Hebræos, quod *Turnus Rufus* urbem & Templum verterit aratro. Ille *Josepho* est *Tereuvius Rufus*, ἄρχων τῆς στρατιᾶς Αλος. lib. 7. cap. 1.

§. II. *Porticus Solomonis quænam*, *& ubi.*

PEr *portam Huldæ* intras in Atrium Gentium, idque sub Στοᾷ Βασιλικῇ *Porticu Regali*, quæ & ex ipso nomine, & nobilitate structuræ, videri possit digna fundatore *Solomone*. At hæc non est ea Porticus quam quærimus: nec *Regale* suum nomen deduxit a Rege *Solomone*, sed a Rege *Herode*.

*Josephus* nos in disquisitione nostra alio ducet, quem loquentem audi, Ἀρχαιολ. lib. 20. cap. 8. Ἤδη δὲ τότε καὶ τὸ ἱερὸν τετέλεστο, *Et jam tum absolutum est Templum* (sub Gessio Floro Procuratore Judææ circa annum *Neronis* undecimum aut duodecimum.) *Populus ergo videns quod otiarentur opifices* (absoluto jam ipsius Templi opere (*qui erant numero plures quam* 18. *mille*, *urget Regem* (Agrippam) τὴν Ἀνατολικὴν στοὰν ἀνεγεῖραι, *ut restauraret Porticum Orientalem*. Digna quidem hæc sunt animadversione: Templum non absolutum fuisse ante ista tempora, & Porticum Orientalem ne tum quidem absolutam, nec unquam omnino; nam *Agrippa* cogitans quantum nummorum, & quantum temporis insumendum erat huic operi, non annuit supplicantibus. Herodes, ut videtur ex *Josepho*, absolvit ipsum Templum & Pronaon, & Στοὰν βασιλικὴν: sed quidnam amplius perfecerit, circa Atria & porticus, non constat. Constat certe plurimum ab eo imperfectum fuisse relictum, cum opus non absolutum fuerit ante postrema tempora *Neronis*, atque vix ante initium belli fatalis, quo conflagravit Templum, & propriis ruderibus est sepultum. Quæ animadversio nobis usui erit, ad *Joann.* 2. 20.

Pergit *Josephus* circa Porticum Orientalem.

Ἦν δὲ ἡ στοὰ τοῦ μὲν ἔξωθεν ἱεροῦ, *Erat autem ea*, *porticus Templi exterioris*, *profundæ valli imminens*, *subnixa muris quadringentorum cubitorum*, *saxis quadratis constructa admodum candidis*. *Longitudo autem cujusque saxi erat cubitorum viginti*, *altitudo vero sex*. Ἔργον Σολομῶντος τοῦ βασιλέως πρώτου δειμαμένου τὸ σύμπαν ἱερόν. *Opus Solomonis Regis*, *qui primus struxit totum Templum*. Non opus est commentario super hæc verba. Ἀνατολικὴ στοὰ erat primum Ἔργον Σολομῶντος: plane eloquitur quænam & ubinam fuerit *Porticus Solomonis*, ad murum scil. Templi extimum versus Orientem: ut *Porticus Regalis* erat ad murum Australem.

§. III. *Porta Susan*. *Confessus ibi vigintitriumviralis*. *Tabernæ*.

POrta muri hujus Orientalis erat tantum una, eaque dicta שער שושן, Porta *Susan*.

*Middoth*, cap. 1. hal. 3. עליו שושן הבירה צורה, *Quia in ea sculpta erat figura Shushan Metropoleos Persiæ*.

Non mirum est, si memoriam *Susan* & imperii Persici foverent, quia sub eo ædificatum est Templum, & parum incommodi ab isto imperio passum. At mirum, quod sculptura ista permanserit post ruinam istius imperii, summam rerum moderantibus primo regno Græcorum, & dein Romanorum imperio.

Ibid. *Hanc portam intuebatur Sacerdos*, *dum combureret vaccam rufam*. Nam vaccam mactans in monte Oliveto, directe ante Templum, cum sanguinem spargeret, respexit in Sanctum Sanctorum, *Parah*, cap. 3. hal. 9. Porta ergo *Susan*, ne prospectum ejus impediret, non ea altitudine eminuit, qua reliquæ portæ, sed erat humilior, *Midd.* cap. 2. hal. 4.

Super hanc portam erat Consessus vigintitriumviralis.

*Sanhedr.* cap. 11. hal. 2. *Tres erant Consessus*, *unus super portam montis Templi*, id est, super portam *Shushan*. *Alter super portam Atrii*, id est, super portam *Nicanoris*. *Tertius in Conclavi Gazith*.

Introeunti in Atrium per portam *Shushan*, a dextra lævaque erat porticus columnis sustentata duplici ordine dispositis, ita ut fieret duplex ambulacrum. Atque vel intra, vel circa hanc porticum erant חנות, *Tabernæ*, ubi vendebantur sal, oleum, thus, aliaque altari necessaria; at quo jure, in solo sacro caveat emtor, aut venditor, aut uterque.

*Rosh hashanah*, fol. 31. 1. *Migravit Synhedrium magnum a Conclavi Gazith* לחנות, *in Tabernas*, *atque a Tabernis in Hierosolymam*. Non quod in ipsis Tabernis sederet, ubi talia vendebantur, sed quod infima pars Atrii istius vo-

vocaretur communi nomine *Tabernarum*.

§. IV. *Pauca de statu Templi secundi.*

JUdæi reduces e *Babylone*, usi sunt primum altari sine Templo, donec absolutum foret Templum sub *Dario* secundo: & exinde Templo sine Arca, sacerdotio, sine *Urim & Thummim*, & sacrificiis sine igne cœlesti. In nonnullis horum dirigebantur a Prophetis tum florentibus, in reliquis urgebantur a necessitate.

Sub imperio Persico quiete erat Templo a Persis, nequicquam incommodi ab isto imperio est passum, isto excepto sub *Bagose*, de qua re *Joseph. Antiquit.* lib. 11. cap. 7.

At sub imperio Græcorum, Templi calamitas & gentis: & tremenda illa quæ de *Gog* dicuntur ab *Ezechiele*, in hujus tyrannide sunt adimpleta. Nam nihil aliud est *Gog* apud istum Prophetam, quam istud imperium belligerans contra populum, & Sanctuarium, & sacra Dei. Longo temporis spatio diram calamitatem passa est gens Judaica ab isto regno, cujus historiam habes apud *Josephum* & libros *Maccabæorum:* maxime vero ab *Antiocho Epiphane*, acerrimo hoste populi & religionis, qui præter alia quæ patravit horrenda contra Legem & religionem, profanavit Templum & altare, & cessare fecit sacrificium *diebus mille & trecentis*, Dan. 8. 14. vel *mille ducentis nonaginta*, Cap. 12. 11. rotunda numeratione, *Pro tempore, & temporibus, & semi*, Cap. 7. 25. & 12. 9. id est, *Tribus annis & dimidio*.

De insolentiis Græcorum contra Templum, legimus in

*Middoth*, cap. 2. hal. 3. *In cancellata cinctura* (quæ divisit *Chel* ab Atrio Gentium) יג' פרצות היו בושפרצו מלכי יון, *Erant effracturæ tredecim, quas effregerant Reges Græciæ*, &c. Et illud fœminæ impudentis,

*Hieros. Succah*, fol. 55. 4. *Maria filia Bilgæ apostatizavit. Nupsit militi cuidam de regno Græcorum. Venit, percussitque super verticem altaris, & dixit,* לוקוס לוקוס, *O lupe, lupe, tu devoras opes Israelis, & tamen tempore angustiarum iis non auxiliaris.* Referuntur eadem de *Tito*, in *Avoth*, *R. Nathan*, cap. 1.

At gravissimum omnium erat, cum *Antiochus* pollueret Templum & altare, nec sacrificia permitteret nisi Gentilitia & Idololatrica: de cujus persecutione lege 1. *Maccab.* 1. & *Josephum*, Ἀρχαιολογ. lib. 12. cap. 7. &c. Adeo hæsit animis Judæorum hæc devastatio sacrorum, per annos durans tres & dimidium, ut numerum istum, ut celebrem retinerent & memorabilem, præsertim cum sermo est de rebus tristibus & afflictis.

*Echab Rabbathi*, fol. 60. 4. *Venit quidam Athenis Hierosolymam, atque ibi transegit tres annos & dimidium, ut disceret linguam sapientiæ; sed non didicit.*

*Ibid.* fol. 64. 1. *Vespasianus obsedit Hierosolymam tribus annis & dimidio, & cum eo erant Dux Arabiæ, Dux Africæ, Dux Alexandriæ, & Dux Palæstinæ*, &c.

*Ibid.* fol. 71. 1. *Tribus annis & dimidio obsedit Adrianus Betaram.*

*Ibid.* fol. 66. 2. *Judicium generationis diluvii, erat duodecim mensibus. Judicium Ægyptiorum, duodecim mensibus. Judicium Jobi, duodecim mensibus. Judicium Gog & Magog, duodecim mensibus. Judicium improborum in Gehennah, duodecim mensibus. Judicium vero Nebuchadnezzaris, tribus annis & dimidio. Et Judicium Vespasiani, tribus annis & dimidio.*

*Ibid.* fol. 79. 2. *Nebuchadnezzar commoratus est in Daphne Antiochæ, & misit Nebuzaraddan ut destrueret Hierosolymam. Egit ille ibi tres annos & dimidium.*

Plurima sunt istiusmodi: ubi non tam de præciso temporis spatio determinant, quam alludunt ad tempus illud afflictionis sub *Antiocho*. Et felicius forsan fuisset commentariis Christianorum, super librum *Apocalypseos*, si & illi numerum istum, & *quadraginta duos menses*, & *mille ducentos & sexaginta dies*, qui in libro isto occurrunt, allusive etiam intellexissent, & non definite & decisive.

Obiter, dum de persecutione sub ista gente loquimur, recordamur historiæ in 2. *Maccab.* 7. de matre & septem filiis subeuntibus martyrium. Cui parem, si non eandem, habemus, nisi mutato nomine, in

*Gittin*, fol. 57. 2. *Occidimur toto die, reputamur sicut oves mactationis*, Psalm. 44. *Rab. Judah dicit, Hoc intelligi potest de muliere & septem filiis suis.* אתינהו לקמ' לקמיה דקיסר, *Produxerunt primum coram Cæsare, & dixerunt, Adora idola. Quibus ille, Scriptum est in Lege, Ego Jehovah Deus tuus. Eduxerunt eum, atque occiderunt. Produxerunt alterum coram Cæsare*, &c.

Fusius hæc in *Echab Rabbathi*, fol. 67. 4.

67. 4. & 68. 1. ubi fœmina nominatur, מרים בת נחתום שנשבית עם שבעה בניה *Maria filia Nachtom, quæ captiva abducta est cum septem suis filiis. Accepit eos Cæsar, & conclusit intra septem cancellos. Produxit primum, & dixit, Adora idolum*, &c.

Historia videtur eadem, nisi quod varientur nomina *Antiochus*, & *Cæsar*: de qua re judicium ferat lector, lecta utraque historia, pro libitu suo. Et quoniam jam devenimus ad collationem historiæ Maccabaicæ cum Talmudicis, conferamus & aliam *Josephi* cum iisdem.

Refert *Josephus*, se prædixisse *Vespasiano*, eum futurum Imperatorem.

*De bello Jud.* lib. 3. cap. 27. Jussit Vespasianus ut custodiretur Josephus omni cum vigilantia, quippe quod eum mittere vellet ad *Neronem*. Quæ audiens *Josephus*, postulat ut aliquid impertiret *Vespasiano*, ei cognoscendum soli. Remotis omnibus a *Vespasiano*, exceptis *Tito* & duobus amicis; tum Josephus, Νέρωνί με πέμπεις, &c. *Tune me ad Neronem es missurus? ---- Tu ipse, o Vespasiane, eris Cæsar & Imperator, tu filiusque hic tuus*, &c.

Talmudici talem prædictionem attribuunt *Rabban Jochanani ben Zaccai*, in Tractatibus antea allegatis, *Gittin*, fol. 56. 1. & *Echah Rabbathi*, fol. 64. 2. *Rabban Jochanan ben Zaccai in arca elatus est ut mortuus extra Jerosolymam. Abiit ille ad exercitum Vespasiani, & dixit, Ubi est Rex vester? Abierunt illi, & dixerunt Vespasiano, Judæus quidam cupit te salutare. Adveniat, inquit ille. Cum ergo adveniret, dixit*, שלמא עלך מלכא שלמא עלך מלכא, *Vive, o Rex, Vive, o Rex*. (Sic in *Gittin*: at in *Midras*, ביבא מארי אפלטור, *Vive, Domine Imperator*) *Dicit Vespasianus, Tu me salutas ac si Rex essem: at ego Rex non sum; & Rex hæc audiet, & virum talem interficiet. Cui ille, Quamvis Rex non jam sis, Rex tamen eris*, דלית הדין ביתא חריב אלא על ידי מלך, *Nam Templum hoc non destruetur, nisi per manum Regis; sicut dicitur, Et Lebanon per potentem cadet*, Esaj. 10. 34.

Utri horum gloria talis prædictionis sit attribuenda, an utrique, penes æquum arbitrum esto judicium; & redeamus nos ad tempora Græcorum.

Fractis bello tandem a *Juda* exercitu & viribus inimici, convertitur populus ad curam & restautationem Templi & sacrorum: cujus rei historiam habes in 1. *Maccab.* 4. 43. &c. Et *Joseph. Antiq.* lib. 12. cap. 11. cujus hæc verba exscribamus.

Τὸν ναὸν Ἰȣδας ἔρημον ἕυρε, κ̀ κατακεπρησμένας τὰς πύλας, κ̀ φυτὰ διὰ τὴν ἐρημίαν αὐτόματα ἐν τῷ ἱερῷ βεβλαςηκότα.

*Invenit Templum desertum, & portas combustas, & plantas sponte sua nascentes in Templo. Flevit ergo cum suis, aspectu attonitus*, &c.

Parant se ad repurgationem: resarciunt effracturas, & ut

*Middoth*, ubi supra, *Tredecim istas quas effregerant Græci*, הזרו וגררום וגזרו כנגדן יג׳ השתחוינת, *Restaurarunt, & instituerunt secundum eas, tredecim adorationes*.

Altare, quia Ethnicis sacrificiis fuerat pollutum, diruunt, & lapides seponunt in quodam Conclavi juxta Atrium.

*Middoth*, cap. 1. hal. 6. *Ad Ortum æstivum erat Conclave, in quo reposuerunt filii Asmonæorum lapides altaris, quos Reges Græciæ profanaverant*. Idque, ut lib. *Maccab.* Μέχει τȣ παραγενηθῆναι προφήτην τȣ ἀποκελθῆναι περὶ αὐτῶν, *Donec adveniret Propheta, qui de iis responderet*.

Nam cum lapides isti fuerant olim sacrati, nequaquam eos adhibere voluerunt ad usum communem: & cum fuerant profanati, nequaquam ad usum sacrum.

Cetera Templi restaurarunt, repurgarunt, renovarunt, ut legere est in locis allegatis, & vicesimo quinto mensis *Cisleu* celebrarunt Encœnia, atque ea instituerunt in annuam solennitatem per octiduum. De cujus ritibus dicemus suo loco: & cujus gratia in his fuimus prolixiores.

## C A P. VII.

## V A R I A.

§. I. Ἐφραὶμ, *Ephraim*, Joann. 11. 54. II. בית מרין, & מרוני. III. *Chalamish, Naveh, & loca alia obscura*. IV. Χαφεναθὰ, 1. Maccab. 12. 37. V. *Targ. Jonath. in* Numer. 34. 8. *notatum*.

§. I. Ἐφραὶμ, *Ephraim*, Joan. 11. 14.

BEthel, & *Jeshanah*, & עפרין, *Ephraim*, commemorantur una 2. *Paralip.* 13. 19. Et *Bethel* & *Ephraim*, apud Josephum,

*De excid.* lib. 4. cap. 33. *Vespasianus cepit duas Toparchias, Gophniticam, & Acrabatenem*, Μεθ᾽ ἃς Βηθηλά τε κ̀ Ἐφραὶμ.

Ἐφραΐμ πολίχνια, *Et post eas Bethelem & Ephraim urbeculas.*

Scribitur עפרון cum *Vau*, & punctatur עֶפְרוֹן apud Targumistam, & redditur Ἀφρῶν a Græc. Interpr. Docet tamen nota Massorerica, legendum esse per *Jod* עפרין, *Ephraim:* & parum dubito eandem esse cum Ephraim Josephi, & עפרים Talmudicorum in *Menachoth*, cap. 9. de qua diximus in Centur. Chorograph. cap. 53.

Probabile est fuisse urbem in Benjamitide, sicut erat *Bethel*, quæ cum ea connumeratur. Erat autem *Bethel* ultimus Benjamitidis terminus versus Ephraimitin, ut *Jos. Antiquit.* lib. 5. cap. 1. Ast ubi *Ephraim*, non adeo planum. Hoc tantum de ea dicit Evangelista noster, quod erat *prope eremum*, id est, ut videtur, prope *eremum Judææ*, per quam tenditur a Hierosolyma ad Hierichuntem.

## §. II. בית מרון, & מרוני.

SHemoth Rabba, sect. 5. *Historia est de fratre & sorore, quorum alter erat in Gush Halab*, גוש הלב, *altera in Beth Maron*, בית מרון. *Accidit incendium in domo ejus, qui fuit in Gush Halab. Venit soror ejus a Beth Maron, atque eum complexa est, & exosculata.*

Jam vero גוש חלב, *Ghus Chalab*, erat in Aseritide, quod indicatur in

*Menachoth*, fol. 85. 2. ubi est historia de oleo pretiosissimo coemto in *Gush Chalab* in Aseritide, quale coemi non potuit alibi uspiam locorum.

Ex בית מרון, *Beth Maron*, igitur tam vicina ה̄ה *Gush Chalab*, forte intelligas illud in

*Hieros. Kiddushin*, fol. 6. 3. & *Bava Bathra*, fol. 17. 1. מעשה במרוני אחד שהיה דר בירושלם, *Historia de Maronita quodam* (nam sic reddamus) *qui hospitatus est Hierosolymis. Erantque illi opes plurimæ, quas cum partiri vellet inter suos, dixerunt ei, Hoc tibi non licet, nisi coemas aliquid fundi*, &c.

Non incongrue redditur מרוני, *Maronita*: at non eo sensu quo vox *Maronita* jam vulgo obtinet, sed ut advenientem denotat ab oppido *Maron* aut *Beth Maron*. Redde *Maronensem*, & caret scrupulo.

Atque huc referenda fortasse sunt ista in

*Rosh hashanah*, fol. 16. 1. In initio anni כל באי עולם עוברין לפניו כבני מרון, *Omnes venientes in mundum transeunt coram Deo, sicut filii Maron.* Gemara *Resh Lachish* dicit, כמעלות בית מרון, *Sicut ascensus Beth Maron.* Gloss. *Ubi via erat angusta, & duo non potuerunt simul illic incedere, unus a latere alterius; nam erat profunda vallis ab utroque viæ latere.* Eadem fere habentur, *Erubhin*, fol. 22. 2.

## §. III. *Chalamish, Naveh, & loca alia obscura.*

INtertexamus & ista, novitatis ergo.

*Midras Rabba in Schir*, cap. 2. 2. *Echah Rabbathi*, in cap. 1. 17. *Vajikra Rabba*, sect. 23. *Præcepit Deus de Jacob, ut sint hostes ejus circa eum.*

כגון חלמיש לנוה, *Sicut Chalamish. est* ה̄ה *Naveh.*

יריחו לנוערן, *Jericho*, ה̄ה *Noaran.*

סוסיתא לטבריא, *Susitha*, *Tiberiadi.*

קסטרא לחיפר, *Castara*, ה̄ה *Chephar.*

לוד לאונו, *Lydda*, ה̄ה *Ono.*

Gloss. *In Chalamish habitarunt hostes Israelis, & in Naveh, quæ ei vicina fuit, habitarunt Judæi, atque isti hos afflixerunt.* Et alibi. *Hæc sunt nomina locorum ubi habitabant improbi de Gentilibus, de Moab & Ammon*, &c.

Obiter notandum, vocem alibi scriptam חיפר, *Chephar*, aut *Chippar*, in *Schir Rabbathi* scribi חיפה, *Chephah.* Unde in *Shemoth Rabba*, sect. 29. ר' אבדימי דמן חיפה, *R. Abdimi de Chephah*, aut *Chippah.* Itemque in *Echah Rabbathi*, fol. 64. 1. &c.

Si distantia locorum reliquorum determinanda sit per distantiam *Susithæ* a *Tiberiade*, & *Lyddæ* ab *Ono*, erit trium milliarium, aut circiter; nam eo spatio istas distitisse ostendimus alibi. At loca ipsa si quæras, ubinam invenies? Ubi *Chalamish* & *Naveh*? Ubi *Castara* & *Chippar*? &c. A labore investigandi supersedemus, sine spe inveniendi; hoc tantum observantes, quod misere immutata foret rerum facies, cum causa foret hujus querelæ. Nam antea *Jericho* floruerat Judæis, in procinctu existentibus illic assidue 12. millibus Sacerdotum, de Ephemeriis: at nunc habitata Judæorum hostibus. Sic etiam erat, cum *Lydda* foret Schola Rabbinorum florentissima: at nunc inimica civitas. Digna hæc chronologico scrutamine.

Hoc solum de חפר, *Chippar*, comperimus, quod erat intra 12. M. pass. a Zippore.

*Vajikra Rabba*, fol. 187. 4. *Tanchum bar R. Jeremiæ erat* בחפר, *in Chippar. Iuterrogarunt eum aliquid de Lege; & ille docuit. Dicunt ei, Nonne*

nos

*nos docuerunt Magistri*, *quod prohibitum est Discipulo docere intra* 12. *M. pass. a Magistro* , *& ecce R. Minni Magister tuus est in Zippore*. Respondit ille, יתי עלי אין ידעית, *Veniat in me maledictio, si noverim eum esse in Zippore*.

§. IV. Χαφεναθὰ, 1. *Maccab.* 12.37.

IN diebus *Jonathanis Asmonæi* , Συνήχθησαν τοῦ οἰκοδομεῖν τὴν πόλιν, καὶ ἤγγισε τοῦ τείχους τοῦ χειμάῤῥου τοῦ ἐξ ἀπηλιώτου, καὶ ἐπεσκεύασαν τὸ καλούμενον Χαφεναθά. *Convenerunt ut ædificarent civitatem, & appropinquavit muro torrentis qui est a subsolano , & reparaverunt illud quod vocatum est Chaphenatha.*

Ubinam. & quidnam tandem est Χαφεναθά? Suspicor fuisse aliquam partem extimæ regionis urbis versus Orientem. Pari ratione sic dictam , qua *Bethphage*, quæ & extima pars urbis erat versus Orientem . Nam sic ea dicebatur , id est, *locus grossorum* , ob ficus prope nascentes in monte Oliveto. Ita & Χαφεναθὰ, aliqua pars etiam regionis istius versus Orientem & Olivetum, sic dicta propter dactylos ibi nascentes.

Nam כפניות, *Chephanioth* , frequenter apud Talmudicos sunt dactyli palmarum, qui ad maturitatem nunquam decoquuntur. מין תמרים רעים. *Species palmarum malarum* , ut Gloss. in *Beracoth* , fol. 57. 2. *Fructus palmarum qui nunquam maturescit*, ut *Aruch* in כפנת. Significatione cognata τῷ היני, *Hene*, & אחיני , quæ dactylos palmarum immaturos denotat , unde derivatam opinamur *Bethaniam* in monte Oliveto . Erat ergo pars aliqua urbis & muri extima versus Olivetum , dicta *Bethphage* a ficubus: altera *Chaphenatha*, a dactylis.

§.V. *Targ. Jonath* in Num. 34.8. *notatum*.

SIc *Moses*: מהר ההר תתאו לבא חמת, *A monte Hor limitabitis ad ingressum Hamath, & erunt exitus termini ad Zedad*.

Targumista autem sic, מטוורוס אומנוס, *A monte Umanus dirigetis vobis* מעלך טבריא, *ad introitum Tiberiadis, & erunt exitus illius termini*, מי תרין צטרוי , *a duobus lateribus ejus tendentes* , לכרכור דבר זעמה , *ad Codcor bar Zaamab* , ולכרכוי דבר סינינורא, *& ad Cadcoi bar Sinegora* , ודיווקנוס ותרנגולא , *& Divachenus & Tarnegola* , *ad Cæsaream* , *qua ingrederis in Abelas Ciliciorum*.

Unumquodque fere vocabulum expendendum , & unumquodque fere obscurum .

I. טוורוס. Hoc quidem non adeo obscurum , quin quod norint omnes montem *Taurum*, apud Geographos & Historicos celebrem , inde nomen suum ἐμφατικωτέρως traduxisse , cum טור , *Taur* , Chaldæis & Syris significet *Mons*.

II. אומנוס . Nec hoc quidem adeo obscurum, quin quod omnes qui libros Judaicos triverunt , agnoscant montem אמנה, *Amanam*, & qui alios *Amanum*. At vereor interim , ne mecum æque ignorent , quare idem Targumista eodem nomine vocitet *montem Hor* , ubi mortuus est *Aaron*, טוורוס אומנוס, *Numer.* 20.

III. מעלך טבריא , *Ad introitum Tiberiadis*. Miror Targumistam ab ipsa Chorographia non melius didicisse lectionem vocis חמת hoc in loco . Nam planum est , eum legisse חמת , *Chammath* , hoc est , *Thermæ Tiberiadis*, cum revera sit *Hamath* vel *Antiochia*. Cæcutiens Geographus , qui limites terræ Israeliticæ deducit ad *Tiberiadem*, nisi aliquid velit quod captum nostrum exsuperat.

IV. מן תרין צטדוי , *A duobus ejus lateribus*. Et hic planum, quod vocem צדדה , *Zedad* , sumserit appellative , pro צד, *Latus*.

V. לכרכור דבר זעמה, *Ad Cadcor bar Zaamab* , &c. Nisi ille cæcutiat , nos cæcutimus . Hoc tantum observamus , quod זעמה, *Zaamab* , & סנינורא, *Sinegora*, *Indignationem* denotant, & *Advocatum* , forsan eo sensu quo קטינור & סנינור , *Accusator* & *Advocatus* , frequentissime apud Rabbinos, sed quo significatu apud illum , ipse Oedipum se exhibeat necesse est , vel aliquem alium .

VI. דיווקנוס . Suspicor Græcum esse , Διαυχένιος : quo denotatur dorsum aliquod montis se attollens , vel protrahens . Et suspicio augetur per versionem Hierosolymitanam , quæ sic in

*Vers.* 15. התחומא לדיוקינוס טור תלגא דקיסרין : quam ego sic verterim , *Terminus erit ad* Διαυχένιον *montis nivis Cæsareæ* . Ubi per Cæsaream intelligitur Cæsarea Philippi , ubi quidem non desiit terminus terræ Aquilonaris , sed superius & ulterius extendebatur, להרנגולא, עילאה די למעלה מן קיסרין *ad Tarnegolam superiorem* , *quæ est supra Cæsaream* : id est , πρὸς Αὐχένα montis *Antilibani*.

Albedo *Libani* nomen ei indidit , & *Libani* , & *Montis Nivis* , quia albedo ejus

ejus a nivibus, ( at qua notatione *Cydnus* albedinem denotet lingua Syra, fateor excedere meum Syriſmum: quod tamen affirmat *Solin.* cap. 41. *Quicquid candidum eſt*, inquit, *Cydnum gentili lingua dicunt Syri. Unde amni ( Cydno ) nomen datum.* ) Et notatu dignum, quod *Lebanon* in textu Hebræo frequentiſſime redditur ab Interpretibus Græcis, Ἀντιλίβανος, ut *Deuter.* 11. 24. *Joſ.* 1. 4. &c. Atque aliquando a Talmudicis vocatur באלא, *Bala*.

*Cholin*, fol. 80. 1. עזי דבאלא, *Capræ Balæ*, Gloſſatori ſunt עזי דלבנון, *Capræ Lebanonis*; & תור באלא, illi eſt שור הלבנון, *Bos Lebanonis*: nam באלא, inquit ille, eſt *Saltus*.

Concludamus conjectura aliquantum extravagante, quam excitat mentio *Lebanonis*. Suſpicamur *Europam* noſtram nomen ſuum primitus deduxiſſe a *frigore*, ſicut mons iſte a nivibus. Phænices ad columnas Herculis navigantes, ( de qua re plurima Doctiſſ. *Bochartus* ) a ſiniſtra habuerunt terram חם, *Cham*, *æſtus*, aut ardoris *Africam*. A dextra terram חורף, *Choreph*, *hyemis* vel frigoris, ( collatam præſertim cum æſtu alterius ) a qua voce *Choreph* fluxiſſe non improbabile eſt vocem *Europam*. Aliunde deducit vir ille eruditiſſimus, & fruatur ſenſu ſuo, liceat & mihi conjectura mea.




INDEX

# INDEX CAPITUM

## IN CENTURIA CHOROGRAPHICA

## A JO: LIGHTFOOTO

## S. MATTHÆO

### Præmissa comprehensorum.

CA-

CAPUT LXXXIX.



CAPUT XC.



CAPUT XCI.



CAPUT XCII.



CAPUT XCIII.



CAPUT XCIV.



CAPUT XCV.



CAPUT XCVI.



CAPUT XCVII.



CAPUT XCVIII.



CAPUT XCIX.



CAPUT C.



## INDEX CAPITUM

### Decadis Chorographicæ

### JO. LIGHTFOOTI

### IN S. MARCUM.

CAPUT I.



CAPUT II.



CAPUT III.



CAPUT IV.



CAPUT V.



CAPUT VI.



CAPUT VII.



CAPUT VIII.



CAPUT IX.



CAPUT X.



## INDEX CAPITUM

### Chorographiæ

### JO. LIGHTFOOTI

### IN S. LUCAM.

CAPUT I.



CAPUT II.



CAPUT III.



CAPUT IV.



## INDEX CAPITUM

### Diſquiſitionis Chorographicæ

### JO. LIGHTFOOTI

### IN S. JOANNEM.

CAPUT I.



CA-

C A P U T II.



C A P U T III.



C A P U T IV.



C A P U T V.



C A P U T VI.



C A P U T VII.